Digitized by Google

4. 1. 270.

M 1

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS
THEOLOGICUS
DE
GRATIA CHRISTI
SALVATORIS
AC DE
PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS THEOLOGICUS
DE
GRATIA CHRISTI
SALVATORIS
AC DE
PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM

IN SEX LIBROS DISTRIBUTUS.

TOMUS TERTIUS.

MDCCLXXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS THEOLOGICUS
DE
GRATIA CHRISTI
SALVATORIS

AC DE

PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM.

LIBER QUARTUS.
DISSERTATIO TERTIA.
De gratiæ diviſionibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De gratiæ diviſionibus in operantem & in cooperantem, in prævenientem & in ſubſequentem, in excitantem & in adjuvantem.

OBSERVANDUM eſt 1° iſtas gratiæ diviſiones ſolis penè vocibus à ſe invicem differre. Nam gratia operans eadem eſt reipſâ ac gratia præveniens & excitans: pariter gratia cooperans eadem eſt quæ alio nomine dicitur ſubſequens & adjuvans.

Digitized by Google

Obſervandum eſt 2° has diviſiones ſumptas eſſe à SS. Patribus, apud quos non infrequentes ſunt, ſed alio planè ſenſu à modernis quibusdam Scholaſticis accipi, quàm à SS. Patribus.

Nam, juxta illos Scholaſticos, ad quemlibet deliberatum pietatis actum duplex illa gratia requiritur, præveniens ſcilicet, ſeu operans, aut excitans, & gratia ſubſequens, ſive cooperans, aut adjuvans. Prior, inquiunt, nonniſi indeliberatum voluntatis motum producit: poſterior autem liberum ipſum voluntatis conſenſum unà cum libero arbitrio operatur. Illa autem notio à mente SS. Patrum omnino aliena eſt. Docent illi quidem gratiam ad ſingulos pietatis actus requiri, nusquam verò ad unum & eumdem actum duplex gratiæ adjutorium requiri docuerunt.

Illam autem notionem avidè arripuerunt Molinæ ſequaces, ut pote, ad removendam omnino gratiæ ſeipſâ efficacis neceſſitatem, ſibi percommodam. Juxta illos quippe, nec gratia præveniens, ſive operans, eſt ſeipſâ efficax bonæ voluntatis, ſiquidem nihil aliud quàm indeliberata boni deſideria operatur; neque etiam gratia ſubſequens, ſeu cooperans, aut adjuvans, ſeipſâ efficax eſt, quia non datur niſi quando liberum arbitrium, gratiâ operante præventum, ex ſeipſo comparatum ac diſpoſitum eſt ad conſentiendum gratiæ prævenienti. Eorum tamen nonnulli volunt gratiam ſubſequentem, ſeu cooperantem & adjuvantem, reipſâ non diſtingui à gratia præveniente, ſeu operante & excitante, ſed effectu tantummodò, in quantùm per conſenſum liberi arbitrii gratia præveniens evadit ſubſequens & cooperans. Alii tandem dicunt gratiam cooperantem nihil aliud eſſe quàm concurſum Dei ſupernaturalem & concomitantem, qui ſimul cum libero arbitrio, in quod nullatenus influit, conſenſum ipſius phyſicè producit. „ Indicatur, inquit Suarez, lib. 3 *Opuſculorum*, cap. 5. num. 4, „ in illa voce (gratiæ cooperantis) „ quædam ſimultanea conjunctio voluntatis & gratiæ adjuvantis „ ad eumdem actum vel actionem, ad quam mutuò cooperari dicun- „ tur; ita ut ſub ea ratione neutra alteram antecedat, vel impellat, „ ſed ſolùm ſimul operentur.“

Hoc pacto gratiam operantem inter & cooperantem nutum quemdam liberi arbitrii interponunt, quo & acceſſitur gratia cooperans, & gratia operans efficax redditur ab eventu, ſeu effectum conſequitur.

Hujusmodi interpretatio planè repugnat doctrinæ SS. Patrum, qui per gratiam prævenientem & operantem, non indeliberatum duntaxat voluntatis motum, ſed deliberatum ac liberum bonæ voluntatis initium produci conſtantiſſimè docuerunt, ut modò videbitur.

Genuina igitur hujus diviſionis notio hæc eſt: Gratiæ prævenientis ſeu operantis nomine ea intelligitur, quæ in homine à Deo averſo operatur, ut incipiat bonum velle quod priùs nolebat. Dicitur præveniens, quia præcedit in homine quodlibet veri boni deſiderium, ſeu quemlibet bonæ

Digitized by Google

bonæ voluntatis motum; diciturque operans, quia primum bonæ voluntatis motum deliberatum in nobis operatur. Gratiæ verò ſubſequentis ſeu cooperantis nomine intelligitur ea gratia, quæ homini jam benè volenti, bonum deſideranti, oranti confertur. Dicitur ſubſequens, quia bonæ voluntatis initia per gratiam prævenientem inſpirata ſubſequitur; diciturque cooperans quia per illam Deus homini jam volenti cooperatur, ut bonum, quod ipſo operante incœpit velle, perficiat.

Has definitiones tanquam Janſenio peculiares ſuggillat Tournely, ſed prorſus immeritò. Disertè enim traduntur tum à SS. Patribus, tum à celeberrimis Theologis, non ſolùm S. Auguſtini, verùm etiam S. Thomæ diſcipulis.

Audiamus S. Auguſtinum utramque illam gratiam diſtinguentem. De operante & cooperante ſic loquitur lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 17. num. 33: „ Quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat caritatem, niſi ille qui „ præparat voluntatem, & cooperando perficit quod operando incipit? „ Quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens...... Ut ergo velimus, ſine nobis operatur: cùm „ autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur...... Tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante „ cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante „ illo ut velimus dictum eſt: *Deus eſt qui operatur in nobis & velle*: de „ cooperante autem, cùm volumus & volendo facimus: *Scimus*, inquit, „ *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*.“ Ex his verbis perſpicuum eſt primam boni volitionem, quam S. Doctor gratiæ operanti attribuit, quàmvis quandoque parvam & invalidam, liberam eſſe ac deliberatam; illius verò augmentum, & bona opera ſubſequentia, gratiæ cooperanti adſcribi.

Nec moveat quòd ibi dicatur Deus, *ut velimus*, *ſine nobis operari.* Nam, ut rectè obſervat Bellarminus, lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 14, & plurimi alii doctiſſimi Theologi, „ Auguſtinus non dicit „ Deum operari velle noſtrum ſine nobis, ſed *operari ſine nobis ut velimus;* nos enim cooperamur Deo volendo, ſed non cooperamur faciendo ut velimus, quia non ipſi nos movemus & excitamus ad volendum, ſed ipſe ſolus interna inſpiratione nos movet atque impellit.“ Suam mentem exponit ipſemet S. Doctor ibidem, cap. 5. num. 12, ubi, commemoratis his Apoſtoli verbis (1 Corinth. XV. 10): *Gratia Dei in me vacua non fuit*, *ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem*, *ſed gratia Dei mecum:* „ Id eſt, inquit, non ſolus, ſed „ gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, „ ſed gratia Dei cum illo.“ En gratia cooperans. Videamus jam quid ſit gratia operans. Statim addit: „ Ut autem de cœlo vocaretur, & „ tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat „ ſola.“ Quare ſola? An illi efficaciſſimæ vocationi Saulus non liberè

Digitized by Google

conſenſit? Abſit: ſed quia nihil boni in illo præceſſerat quo illam impetraret: *quia merita ejus erant magna, ſed mala.*

Non alios effectus attribuit gratiæ tum prævenienti, tum ſubſequenti, quas multis in locis diſtinguit. Sic *Enchiridii* cap. 32. num. 9: „ Præ„ cedit, inquit, bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non om„ nia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. Nam utrum„ que legitur in ſanctis eloquiis: & *miſericordia ejus præveniet me*, & „ *miſericordia ejus ſubſequetur me.* Nolentem prævenit ut velit: volen„ tem ſubſequitur ne fruſtra velit.“ Addit nos pro hominibus a Deo averſis poſtulare „ ut miſericordia Dei præveniat eos, ſicut prævenit „ & nos: pro nobis autem, ut miſericordia ejus ſubſequatur nos.“

Sic etiam lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 21: „ Si ſine illo, inquit, nihil poſſumus facere, profectò nec incipere, „ nec perficere; quia, ut incipiamus, dictum eſt: *miſericordia ejus præ„ veniet me;* ut perficiamus, dictum eſt: *miſericordia ejus ſubſequetur „ me.*“ Inde patet gratiam prævenientem, juxta S. Doctorem, non indeliberatos duntaxat voluntatis motus, ſed initium bonæ ac liberæ voluntatis in nobis operari. Et ſanè cùm huic gratiæ diviſioni occaſionem imprimis præbuerit error Pelagianorum, aſſerentium gratiam Dei per aliquod ſaltem bonæ voluntatis initium ab homine præveniri, conſequens fuit ut gratiæ prævenientis nomine S. Auguſtinus eam intellexerit, quæ præcedit & producit primum deliberatum bonæ voluntatis affectum; & ſubſequentis nomine illam, quæ poſt primum illum boni affectum homini jam volenti, deſideranti & oranti conceditur. Hinc in Epiſt. 217, al. 107, ad Vitalem, num. 17, ait: „ Iſta inter nos agi„ tur de Dei gratia quæſtio, utrùm præcedat gratia, an ſubſequatur „ hominis voluntatem: hoc eſt, ut planiùs id eloquar, utrùm ideò no„ bis detur, quia volumus, an per ipſam etiam hoc Deus efficiat ut „ velimus.“

Non alia quoque mens fuit S. Fulgentii, qui gratiæ diviſionem in prævenientem & in ſubſequentem ſæpè commemorat. Sic loquitur lib. 1 ad Monimum, cap. 11: „ Ipſa (gratia) præveniendo miſericorditer „ incipit: ipſa ſubſequendo cuſtodit...... Prævenit igitur impium ut fiat „ juſtus: ſubſequitur juſtum ne fiat impius...... Prævenit donans ho„ mini bonam voluntatem: ſubſequitur benè volentem, operando in illo „ boni operis facultatem. Hoc igitur in homine miſericordia Dei ſub„ ſequitur, quod præveniens ipſa largitur.“ Lib. *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 26: „ Miſericordia Dei, quæ gratis malum ho„ minem prævenit ut mutetur in melius, & ipſa, quem bonum facit, „ ſubſequendo regit, ne mutetur in pejus.“ Et lib. 2. cap. 13: „ Præ„ venit nos, dum propitius fit Dominus omnibus iniquitatibus nos„ tris: ſubſequitur nos dum ſanat omnes languores noſtros. Prævenit „ miſericordia liberum hominis arbitrium, dum in nondum benè volen-

„ te

„ te ſola operatur exordium bonæ voluntatis: ſubſequitur, dum benè „ volenti ſubminiſtrat auxilium, ut benè operando perveniat ad bonæ „ voluntatis effectum. Miſericordia igitur præveniens cooperaturam „ ſibi hominis voluntatem" (ſeu boni volitionem) „ ſola præparat; „ ſubſequens autem cooperantem ſibi voluntatem juvat." Ubi videmus ubique gratiæ prævenienti initium bonæ voluntatis, illudque procul dubio deliberatum ac liberum, attribui. Nec obſtant verba illa, *ſola operatur*, *ſola præparat*, quæ, ſicut ſupra apud S. Auguſtinum, nequaquam excludunt liberum voluntatis conſenſum, ſed tantùm quemlibet prævium ipſius voluntatis actum, quo ſeſe ad volendum bonum moveat atque excitet.

Eaſdem notiones reperire eſt apud S. Gregorium magnum. Gratiæ operantis & gratiæ cooperantis meminit lib. 16 *Moralium*, cap. 25. num. 32. „ Superna pietas, inquit, priùs agit in nobis aliquid ſine nobis" (id eſt, ut modò explicatum eſt, in nobis, nullâ bonâ voluntate præcedente, deſiderantibus, noſque in bonum moventibus) „ ut, ſubſe„ quente noſtro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus" (voluntate utique deliberatâ per gratiam operantem inſpiratâ) „ agat nobiſcum." De gratia autem tum præveniente, tum ſubſequente ſic loquitur lib. 22 *Moralium*, cap. 9. num. 29: „ Sancti viri ſciunt...... præveniente „ ſupernâ gratiâ ad meliora ſe vota vel opera commutatos,..... eique „ de accepto munere debitores fiunt, qui & præveniendo dedit eis bo„ num velle, quod noluerunt, & ſubſequendo dedit bonum poſſe quod „ volunt." Et lib. 1 in Ezechielem, hom. 9. num. 2: „ Bona noſtra „ & omnipotentis Dei ſunt, & noſtra: quia ipſe aſpirando nos præve„ nit ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur ne inaniter velimus, ſed „ poſſimus implere quod volumus. Præveniente ergo gratiâ, & bonâ „ voluntate ſubſequente, hoc, quod omnipotentis Dei donum eſt, fit „ meritum noſtrum." Ubi etiam videmus bonæ voluntatis initium ſic attribui gratiæ prævenienti, ut fit etiam noſtrum, gratiaque præveniens non ſiſtat in motibus indeliberatis, utque illud ipſum, quod eſt donum Dei, fit meritum noſtrum.

S. Anſelmus in dialogo *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 4: „ Sicut, inquit, illam rectitudinem nullus accipit, niſi gratiâ præ„ veniente, ita nullus eam ſervat, niſi gratiâ ſubſequente." Is igitur eſt gratiæ prævenientis effectus, ut hominem faciat rectum, id eſt, rectæ ac bonæ voluntatis deliberatæ, qui prius malus erat ac perverſus.

S. Bernardus idem docet in Epiſt. 382 ad Leonium Abbatem S. Bertini, num. 3. „ Gratia Dei, inquit, quæ nolentem prævenit ut „ velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit." Et in tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 14. num. 47: „ Ipſa (gratia) liberum excitat „ arbitrium, cùm ſeminat cogitatum; ſanat, cum immutat affectum; „ roborat ut perducat ad actum; ſervat ne ſentiat defectum. Sic autem

 iſta

Digitized by Google

„ iſta CUM LIBERO ARBITRIO operatur, ut tantùm illud in primo „ præveniat, in cæteris comitetur; ad hoc utique præveniens, ut jam „ ſibi deinceps cooperetur: ita tamen, quod à ſola gratia cœptum eſt, „ pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non ſingillatim, ſimul, non „ viciſſim, per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, par- „ tim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt: „ totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum „ ex illa.“ Ex quibus apertè liquet gratiam, quæ præveniens dicitur, quia nullum in homine pium affectum præſupponit, nihil quidquam in nobis abſque liberi arbitrii conſentientis cooperatione operari.

Eadem quoque mens eſt S. Thomæ, 1. 2. quæſt. 111. art. 2. in corp. ubi de gratia operante ac de cooperante ex profeſſo tractat. En ipſius verba: „ Operatio alicujus effectûs non attribuitur mobili, ſed moven- „ ti. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non mo- „ vens“ (per volitionem præcedentem, ut mox videbitur), „ ſolus „ autem Deus movens, operatio Deo attribuitur; & ſecundum hoc di- „ citur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra & eſt „ movens“ (ſeipſam per volitionem præcedentem) „ & movetur, ope- „ ratio non ſolum attribuitur Deo, ſed etiam animæ; & ſecundùm hoc „ dicitur gratia cooperans. Eſt autem in nobis duplex actus: primus „ quidem interior voluntatis, & quantum ad iſtum actum voluntas ſe „ habet ut mota, Deus autem ut movens, & præſertim cùm voluntas „ incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat: & ideò, ſecundum „ quòd Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia „ operans. Alius autem actus eſt exterior, qui cùm à voluntate impe- „ retur, conſequens eſt quòd ad hunc actum operatio attribuatur vo- „ luntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, & inte- „ rius confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, & exteriùs fa- „ cultatem operandi præbendo, reſpectu hujusmodi actûs dicitur gratia „ cooperans.“ Manifeſtum eſt effectum gratiæ operantis ab Angelico Doctore hic reponi in actu deliberato voluntatis, bonum, quod priùs nolebat, velle incipientis, effectum autem gratiæ cooperantis in illius bonæ voluntatis priùs inſpiratæ augmento, atque in bonis operibus inde conſequentibus. Quando ergo dicit S. Doctor voluntatem humanam ſub gratia operante motam eſſe, non moventem, ſenſus non eſt voluntatem illius gratiæ motioni non conſentire, nec deliberatum voluntatis actum elicere; ſed ſenſus eſt voluntatem non movere, nec excitare ſeipſam ad producendum in ſe primum bonæ voluntatis actum: iſque loquendi modus eſt exactiſſimus. Ut enim obſervat Eſtius, in 2. diſtinct. 26. §. 8, „ movere ſe eſt in ſe motum producere; ac proinde, quandocunque „ voluntas movet ſe ad aliquem actum, neceſſe eſt ut motum in ſe pro- „ ducat tempore vel naturâ prævium ad talem actum.“ Et ſanè, juxta Doctorem Angelicum, voluntas non movet ſeipſam niſi ex præcon-

cepto

Digitized by Google

cepto amore finis. Cùm igitur gratiæ operantis hic proprius ſit effectus, ut per illam homo incipiat diligere finem ultimum, quem anteà nequaquam diligebat, luce clarius eſt eum movere ſe non poſſe ad producendum hujusmodi ſanctæ dilectionis initium, ſed indigere ad id à ſolo Deo moveri.

Non aliam quoque tum operantis, tum cooperantis gratiæ notionem tradit concilium Colonienſe anni 1536, in *Enchiridio Chriſtianæ Inſtitutionis*, de ſacramento Pœnitentiæ. „ Operans gratia, inquit, prævenit ac præparat voluntatem,..... ut voluntas bona fiat, & quæ erat „ ſerva peccati liberetur: cooperans verò gratia voluntatem jam bonam „ factam ſubſequitur, ut quod vult bonum perficere poſſit." Voluntas autem non incipit velle bonum, niſi per actus deliberatos ac liberos. Fol. 91.

Demum eamdem notionem tradunt celeberrimi Theologi. Solius Bellarmini verba hic exſcribemus, ex lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 7, verſus finem, ubi gratiam operantem dicit „ eam eſſe, quæ „ facit ut velimus; cooperantem verò, quæ facit ut quod voluerimus „ impleamus." Et cap. 14 rem fuſiùs explicans: „ Dicendum, inquit, „ gratiam operantem illam eſſe, quæ efficit in homine primum actum „ deliberatæ voluntatis, qualis eſt converſio,..... gratiam verò cooperantem eſſe illam, quæ efficit ſubſequentes actus voluntatis,..... „ quos continuò ſequuntur actus exteriores: ita ut gratia operans nihil „ ſit aliud, niſi auxilium ſpeciale efficax reſpectu primi actûs voluntatis; gratia verò cooperans ſit auxilium ſpeciale efficax reſpectu actuum „ ſequentium."

Eodem planè ſenſu atque eisdem penè verbis loquuntur Sambovius in tract. manuſcripto *de Gratia*, diſput. 5. art. 2; Polmanus in *Breviario Theologico*, part. 1. 2. *de Gratia actuali*, num. 615 & ſeq.; Petrus Soto *de Inſtitutione Sacerdotum*, lect. 9. de ſacramento Pœnitentiæ; Lemos, Panopliæ tom. 4. lib. 4. part. 1. tract. 8. cap. 3. num. 33. 34. 41 & ſeq; Sylvius in 1. 2. quæſt. 11. art. 2, ubi citat Conradum, Cajetanum, Medinam, Alvarem, idem ſentientes; Nicolius in *Inſtitutionibus Theologicis*, tract. *de Symbolo*, part. 2. ſect. 5. cap. 12; Florentius de Cocq in *Principiis totius Theologiæ*, tom. 1. tract. 2. cap. 7. ſect. 6. num. 26; Jueninus *Inſtitutionum Theologicarum* tom. 5. part. 5. diſſert. 1. quæſt. 9. cap. 2; Henricus à S. Ignatio, *Ethicæ amoris* tom. 1. lib. 9. cap. 3, & in *Gratiæ per ſe efficacis juſta defenſione*, lib. 1. cap. 7. num. 54 & 55; Van Roy, *Theologiæ moralis* parte 4, tom. 4. *de Gratia*, cap. 1. quæſt. 2; auctor Supplementi ad obſervationes Gummari Huygens, in tract. *de Gratia*, tom. 1. cap. 2. num. 1 & ſeq., & alii plurimi quos hic appellare longum & ſuperfluum foret. De Ste. Beuve.

Sapientiſſimè obſervat Eſtius, in 2. diſtinct. 26. §. 7, diviſionem gratiæ in operantem & in cooperantem convenire propriè gratiæ increatæ, mi-

Digitized by Google

minùs autem aptè gratiæ creatæ. „ Deus enim, inquit, qui eſt gra-
„ tia increata, & operando facit ut velimus, & cooperando facit ut
„ quod jam volumus exequamur...... Actualis autem gratia, quæ eſt
„ motus vel actio noſtra, non perinde propriè in operantem & coope-
„ rantem dividi poteſt, eoquòd hæc diſtinctio non actionibus noſtris,
„ ſed actionum principiis conveniat. Quare rectius illa dividitur in
„ priorem & poſteriorem, ut prior ſit quâ per operantem Dei gratiam
„ volumus quod bonum eſt; poſterior, quâ per ejusdem cooperantem
„ gratiam bonum, quod volebamus, perficimus; &, ut breviter dicam,
„ prior gratia ſit velle, poſterior facere.“ Et paulò poſt: „ Liquet
„ dictam diviſionem, ſecundùm Auguſtinum, maximè competere in gra-
„ tiam increatam; neque arbitror locum apud Auguſtinum extare, ubi
„ eam aſſignet gratiæ creatæ.“ Idem propemodùm judicat de diviſione
gratiæ in præventientem & in ſubſequentem. „ Iſta diviſio, inquit §. 9,
„ juxta easdem Scripturas & uſum loquendi SS. Patrum, aptiſſimè de
„ gratia increata intelligitur, id eſt, de Deo.“ Et ſanè manifeſtum
eſt Scripturæ oraculis, quibus illam diviſionem adſtruunt SS. Patres,
non aliam gratiam ſignificari quàm increatam, quales imprimis ſunt
iſti: *Deus meus, miſericordia ejus præveniet*, &, *miſericordia tua ſub-
ſequetur me.* „ Notandum tamen eſt, ut ait Eſtius ibidem, poſſe præ-
„ dictam diviſionem, etſi minùs aptè, accommodari etiam gratiæ crea-
„ tæ, in quantùm ſcilicet inter effectus divinæ gratiæ alii aliis ſunt
„ priores & poſteriores.“ Ex his demum concludit gratiam operantem
& gratiam cooperantem non differre penès virtutem & efficaciam, ſed
ratione ſolâ, ſeu, ut loquitur S. Thomas, 1. 2. quæſt. 111. art. 2. ad 4,
non *diſtingui* niſi *ſecundùm diverſos effectus*, in quantùm illa primum
liberæ voluntatis motum in bonum, hæc autem actus ſubſequentes
producit.

Prædicta diviſio locum non habet tantummodò reſpectu totius operis
juſtificationis & ſalutis, ſed etiam quandoque reſpectu operum particu-
larium atque illorum præſertim quæ aliquam habent durationem. Cùm
enim in hujusmodi operibus diſtinguantur initium ſeu incœptus, progreſ-
ſus, & exitus, idcirco non infrequenter præveniens ſive operans appel-
latur ea gratia, quæ boni alicujus ſuſcipiendi deſiderium & voluntatem
inſpirat; ſubſequens verò, quæ voluntatem illam confirmat & ad effec-
tum integrum perducit. Hinc, Dominica 16 poſt Pentecoſten, Eccleſia
ſic orat: *Tua nos, Domine, gratia ſemper & præveniat & ſequatur, ac
bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos:* & die ſancto Paſchæ: *Vota
noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere:* & in alia
oratione: *Actiones noſtras, quæſumus, Domine, aſpirando præveni, &
adjuvando proſequere;* ubi etiam alia reperitur gratiæ diviſio in aſpiran-
tem & adjuvantem, ſed quæ, mutatis tantùm vocibus, ad præcedentes
reducitur.

Non-

Digitized by Google

Nonnunquam etiam diviſio gratiæ in prævenientem & in ſubſequentem, gratiæ creatæ accommodata, intelligitur de variis ſucceſſivè gratiæ muneribus, comparatè ad ſe invicem; ita ut gratia, quæ ſub uno reſpectu prævenit, ſub alio ſubſequatur, & vice verſâ. „ Sunt enim, ut ait S. Thomas, 1. 2. quæſt. 111. art. 3, „ quinque effectus gratiæ in „ nobis, quorum primus eſt ut anima ſanetur; ſecundus ut bonum ve- „ lit; tertius eſt ut bonum quod vult efficaciter operetur; quartus eſt „ ut in bono perſeveret; quintus eſt ut ad gloriam perveniat. Et ideò „ gratia, ſecundùm quòd cauſat in nobis primum effectum, vocatur „ præveniens reſpectu ſecundi effectûs; & prout cauſat in nobis ſecun- „ dum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectûs; & ſicut unus effec- „ tus eſt poſterior uno effectu, & prior alio, ita gratia dici poteſt „ præveniens & ſubſequens ſecundùm eumdem effectum reſpectu diver- „ ſorum.“ Hoc ſenſu S. Auguſtinus, lib. *de Natura & gratia*, cap. 31. num. 35, gratiam omnem, quæ nobis hac in vita confertur, prævenientem appellat; quæ verò in patria conſummabitur, ſubſequentem appellat. „ Prævenit, inquit, ut vocemur; ſubſequetur ut glorifice- „ mur: prævenit ut piè vivamus; ſubſequetur ut cum illo ſemper vi- „ vamus.“

Omnino igitur rejicienda eſt illorum Theologorum opinio, qui operantis ſeu prævenientis gratiæ nullum alium effectum eſſe volunt, quàm actus quoſdam vitales, quos Deus in nobis ſine nobis liberè conſentientibus operatur, eamque dicunt ſiſtere duntaxat in illuſtratione intellectûs & in indeliberato motu voluntatis. Nam, præterquam quòd iſta notio à mente SS. Patrum planè aliena eſt, ſupponeret, contra expreſſam concilii Arauſicani II, can. 6 & ultimo, definitionem, gratiam, quâ fit ut bonum deliberatè velimus & agamus, ſubſequi motum ſeu conſenſum noſtri liberi arbitrii, illoque poſteriorem eſſe; cum è contrario fides doceat gratiam omnem, etiam illam quæ ſubſequens vel cooperans dicitur, voluntatis noſtræ conſenſum prævenire ordine rationis & cauſalitatis, eâque fieri ut deliberatè velimus & volendo faciamus. Hunc errorem ut vitare videantur Theologi, qui gratiam prævenientem eo modo definiunt, dicunt hominem gratiæ prævenienti non conſentire ſine auxilio gratiæ ſubſequentis, ſeu cooperantis, quæ ſimul cum libero arbitrio conſenſum ejus operatur. Sed fucum faciunt: non enim ſufficit confiteri gratiam nobiſcum operari conſenſum noſtræ voluntatis, niſi inſuper concedatur illam gratiam reipſâ facere ut velimus & faciamus; quod dici nequit niſi de gratia quæ voluntatem præveniat, eamque ad volendum & agendum propriâ ſuâ virtute determinet, ut patebit ex dicendis de gratia efficaci. Quapropter nullomodò admittendæ ſunt duæ gratiæ diſtinctæ ad unum & eumdem pietatis actum, quarum una dicatur præveniens, altera autem concomitans aut cooperans; ſed ſi velis Deum in ſingulis actibus bonis nos prævenire, nobis-

Digitized by Google

biſque cooperari, quod ſanè veriſſimum eſt, ſic intellige, ut dicas Deum, qui eſt gratia increata, unâ & eâdem operatione & voluntatem noſtram prævenire ac movere ad piè operandum, & ſimul nobiſcum operari bonum ad quod nos movet.

Quàmvis SS. Patres gratiam operantem & gratiam cooperantem ſic plerùmque definierunt, ut gratiæ operanti ſeu prævenienti prima bonæ voluntatis initia, gratiæ verò ſubſequenti ſeu cooperanti opera bona conſequentia attribuerint, ſenſu tamen veriſſimo atque in Eccleſia receptiſſimo omnis gratia dici poteſt & operans & cooperans, quia, ut ait Alvarez, lib. 8 *de Auxiliis*, diſput. 81. num. 7, „ in quacunque pia „ operatione Deus verè efficaciter per gratiam ſuam facit nos operari, „ & ſimul operatur nobiſcum ipſam operationem :" iſque ſenſus eſſe videtur concilii Arauſicani ſecundi, cum dicit, can. 9: „ Quoties bo„ na agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, opera„ tur." Cave tamen, uti jam præmonuimus, ne ſub hoc prætextu duplicem gratiam actualem ad ſingulos pietatis actus requiri contendas.

Non etiam impedit prædicta diviſio, prout vulgò à Patribus expoſita eſt, quominùs omnis gratia actualis indiſcriminatim dici poſſit vel operans, vel cooperans. Sanè non rarò in Scripturis gratia cooperans dicitur ſimpliciter operans, ut Philipp. II: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere*: & 1 Corinth. XII. 6: *Qui operatur omnia in omnibus*; & in orationibus Eccleſiæ: *Da ut, quæ te inſpirante facienda cognovimus, te operante impleamus.* Pariter gratiam operantem dici cooperantem nihil vetat, quatenus non eſt ſine aliqua noſtra cooperatione quâ illi conſentimus, uti obſervat Eſtius loco citato.

Idem quoque dici debet de gratia præveniente. Nulla quippe gratia eſt, quæ non recto ac vero ſenſu poſſit & debeat dici præveniens, quatenus ſemper præcedit ordine naturæ & cauſalitatis pium illum actum quem operatur in nobis.

Tandem S. Thomas diviſionem illam gratiæ in operantem & in cooperantem applicat ipſi quoque gratiæ habituali, 1. 2. quæſt. 111. art. 2. in corp., ratione ſcilicet duplicis illius effectûs. „ Nam, inquit, in „ quantùm animam ſanat vel juſtificat, ſive gratam Deo facit, dicitur „ gratia operans; in quantùm verò eſt principium operis meritorii, „ quod ex libero arbitrio procedit, dicitur gratia cooperans." Idem docet in 2. diſtinct. 26. quæſt. 1. art. 5.

Nunc ſupereſt ut de gratiæ diviſione in excitantem & in adjuvantem aliquid dicamus. Habet illa fundamentum in SS. Patribus & in concilio Tridentino. Illam commemorat S. Auguſtinus lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 18. num. 3, his verbis: „ Quòd ad Deum nos „ convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus." Quod ita eſt intelligendum, ut converſionis inchoatio gratiæ excitanti, progreſſus autem adjuvanti attribuatur.

Utrius-

Digitized by Google

Utriusque effectum indicat & diſtinguit B. Fulgentius, lib. 1 *ad Monimum*, cap. 8, ubi dicit Deum „ primò inchoare in homine voluntatem bonam“ (per gratiam excitantem), „ deinde eamdem voluntatem adjuvare inchoatam, ut eadem voluntas & divino dono bona ſit, & divino adjutorio malam ſuperare concupiſcentiam poſſit.“

S. Bernardus, in Tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 13. num. 41, ait liberi arbitrii „ conatus caſſos eſſe, ſi non adjuventur, & nullos niſi excitentur.“ Ubi profectò loquitur de conatibus liberis ac deliberatis, quos à gratia excitante produci docet.

Duobus in locis concilium Tridentinum mentionem facit utriusque illius gratiæ: 1° ſeſſ. 6. cap. 5, ubi declarat eos „ qui à Deo averſi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam, ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponi.“ 2°. Ibidem, cap. 6: „ Diſponuntur autem, inquit, ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti &c.“ Nullum ſanè dubium eſt quin ſancta Synodus voces illas juxta SS. Patrum ſenſum acceperit.

Porro, juxta illam intelligendi normam, gratia excitans à gratia præveniente & operante, adjuvans autem à ſubſequente & cooperante ſolo propriè nomine, & penes diverſum conſiderandi modum diſtinguuntur. Eadem quippe gratia, prout præcedit omne in nobis bonæ voluntatis initium, dicitur præveniens; prout producit in nobis prima veri boni deſideria, dicitur operans; prout voluntatem torpentem à lethali ſomno ſuſcitat, dicitur excitans. Pariter eadem gratia eſt quæ, prout pium voluntatis affectum à Deo inſpiratum ſequitur & roborat, dicitur ſubſequens; prout voluntati jam rectæ ac piè affectæ cooperatur ad benè agendum, dicitur cooperans; & prout voluntatem jam à ſomno ſuſcitatam atque ad bonum ſuſpirare incipientem confirmat, atque ad rectè operandum adjuvat, dicitur adjuvans.

Id tamen non impedit quominùs Theologi vulgò excitantem appellent omnem gratiam interiorem voluntatis, quâ nos Deus ad quodlibet opus bonum faciendum excitat, ſive primum, ſive ſecundum, aut tertium; adjuvantem verò eam quæ voluntatem jam excitatam, bonumque facere volentem adjuvat, ut, quod vult bonum, facto perficiat.

Advertendum autem eſt cum Eſtio in 2. diſtinct. 26. §. 11, propriè appellari non poſſe excitantem eam gratiam, quæ nonniſi illuſtrationibus in intellectu receptis voluntatem moraliter tantùm & objectivè invitat: ſiquidem, his etiam illuſtrationibus admiſſis, voluntas nondum excitata eſſe ac bonum velle concipitur. „ Quocirca, inquit, multò rectiùs alii gratiam excitantem interpretantur eam, quæ homini peccatori, aut à bono opere ceſſanti, tanquam ſopore quodam depreſſo, immititur cogitatio, deſiderium, voluntas boni operis, ut jam verè excitatus à ſomno peccati aut negligentiæ bonorum operum dici

„ poſſit; adjuvantem verò gratiam, quâ jam excitatus adjuvatur, ut „ perfectiùs velit quod velle incœpit, utque perficiat quod voluit. Excitat enim gratia ut velimus, adjuvat ut faciamus.“

Docet pariter Alvarez, lib. 8 *de Auxiliis*, diſput. 75. num. 3, „ Deum „ per gratiam excitantem (non ſolum) efficere ut homo...... attendat „ ad illa quæ ad amplectendum bonum & reſpuendum malum perducere „ poſſunt, (ſed) per eamdem cauſare quoſdam actus ſupernaturales, „ licet imperfectos, quibus remotè diſponit hominem ad juſtificationis „ gratiam conſequendam; vel, ſi jam eſt juſtificatus, per eoſdem „ actus imperfectos liberum ejus arbitrium inclinat, ut Deo excitanti & „ vocanti conſentiat & cooperetur.“ Et diſput. 76. num. 6: „ Licet, ait, „ hujuſmodi gratia excitans non ſanet formaliter hominem, nec „ illum liberet à peccato, initiativè tamen & diſpoſitivè illum ſanat, „ cùm ſit initium quoddam & diſpoſitio remota juſtificationis & ſalutis, „ ſeu initium ejuſdem diſpoſitionis.“ Ubi videmus gratiæ excitantis effectum, etſi ſemper imperfectum, deliberatum tamen ac liberum eſſe.

At verò Molinæ ſequaces non alium gratiæ excitanti effectum aſſignant, præter motus quoſdam indeliberatos voluntatis; gratiæ autem adjuvantis id muneris eſſe dicunt, ut voluntati cooperetur ad conſentiendum, ſi velit, indeliberatis illis motibus, non operando in ipſam voluntatem creatam, ſed ſimul cum ipſa conſenſum illius producendo. Iſtiuſmodi interpretatio SS. Patribus inaudita, & ad gratiæ virtutem exſufflandam unicè excogitata, ex modò dictis & ex dicendis poſteà ſatis exploditur.

Articulus Secundus.

De diviſione gratiæ in efficacem & in ſufficientem.

Recens eſt & à modernis Scholaſticis invecta hæc diviſio. Verùm, quantùm communis eſt illius uſus, tanta eſt in ea exponenda diſſenſio. Aliter enim à Thomiſtis, aliter à Molinianis, aliter à Congruiſtis, aliter ab aliis intelligitur. Quamobrem de duplici illa gratia, efficace ſcilicet & ſufficiente, ſigillatim, & quidem operoſius, differere neceſſe eſt.

Duo duntaxat hîc obſervabimus. Primum eſt, gratiam efficacem vulgò definiri eam, quæ totum effectum propter quem datur conſequitur, v. g. quæ plenam & integram ad Deum converſionem operatur; ſufficientem verò illam quæ, tametſi, juxta S. Auguſtini & S. Thomæ diſcipulos, aliquem ſemper effectum producat, integrum tamen effectum, ad quem tendit & ad quem excitat voluntatem, non conſequitur, ſed tantummodò aliquam illius producendi potentiam voluntati tribuit. Talis eſt gratia quæ nonniſi deliberatum converſionis deſiderium ac propoſitum inſpirat, non autem ipſa convertit.

Digitized by Google

Alterum eſt, diviſionem gratiæ in efficacem & in ſufficientem ſolis penè vocibus, aut ſolâ mentis operatione à præcedente differre. Nam gratia ſufficiens eſt ipſamet gratia excitans, & gratia efficax eſt ipſa gratia adjuvans, ut conſentiunt plerique Thomiſtæ, qui vocem illam gratiæ ſufficientis uſurpant. Omnium inſtar erit Alvarez, Diſput. 76. num. 5. „ Gratia excitans, inquit, ut complectitur non ſolùm illuminationem internam intellectûs, ſed etiam motionem ſupernaturalem receptam in voluntate, idem eſt realiter quod gratia ſufficiens: ita ut omnis gratia prædicto modo excitans ſit gratia ſufficiens comparatione effectûs ad quem excitat; ut, ſi excitet ad credendum, erit gratia ſufficiens comparatione actûs fidei; & ſi excitat ad diligendum Deum ſuper omnia, erit gratia ſufficiens reſpectu actûs dilectionis Dei (ſuper omnia). Et idem dicendum eſt proportionabiliter de aliis piis operationibus."

Iſtæ igitur diviſiones à ſe invicem non differunt niſi penes diverſum conſiderandi modum. Eadem quippe gratia, quæ excitans dicitur ratione effectûs, id eſt, pii deſiderii quod producit, dicitur ſufficiens ratione effectûs perfecti ac remoti quem non producit, ſed ad quem tendit, cujus deſiderium voluntati inſpirat, & cujus producendi potentiam aliquam confert. Similiter eadem gratia quæ dicitur adjuvans, quatenus vires præbet ad benè agendum idoneas, efficax etiam dicitur, quatenus, per illas vires voluntati additas, bonum quod faciendum eſt plenè & integrè operatur. Verùm de his plura dicentur in ſequentibus Diſſertationibus.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA.

De Gratiâ efficaci.

Quæ circa gratiam efficacem in diſceptationem veniunt, hæc potiſſimùm ſunt:

Primum, undenam gratiæ efficacia repetenda ſit, ſive, quod idem eſt, utrùm admittenda ſit gratia per ſe & ab intrinſeco efficax.

Secundum, an gratia per ſe efficax adeò neceſſaria ſit ad omnes & ſingulos pietatis actus, ut verè ac rectè dici poſſit hominem ſine illa nihil boni facere poſſe.

Tertium, an gratia illa per ſe efficax neceſſaria ſit etiam ad orandum.

Quartum, an hæc de gratia per ſe efficaci doctrina ad fidem Eccleſiæ pertineat.

Quintum, qualis ſit gratiæ efficientia, phyſica-ne, an moralis, ſeu utrum in prædeterminatione phyſica, an in delectatione ſeu dilectione victrici collocanda ſit, vel in utraque ſimul.

Sextum, quomodò gratia ſeipſâ efficax cum libero voluntatis humanæ arbitrio conciliari poſſit. Hæc ſingula totidem Capitibus expendemus.

CAPUT PRIMUM.

Undenam gratiæ efficacia repetenda ſit, ſeu utrùm gratia ſit ex ſeipſa & ab intrinſeco efficax.

Status quæſtionis, & variæ Theologorum opiniones.

Cuilibet gratiæ virtutem ſeu efficaciam aliquam ineſſe ipſi intrinſecam, apud omnes in confeſſo eſſe debet. Quo pacto enim benè agendi potentiam voluntati conferret, ſi ipſa omni prorſus virtute deſtitueretur? Non igitur hoc quæritur, an gratia virtutem aliquam in ſe contineat, ſed undenam proveniat quòd effectum ad quem datur reipſâ obtineat. Qua de re ſi candidè ac rotundè ageretur, duæ tantum eſſe poſſent ſententiæ. Vel enim gratia aſſequitur effectum propter quem datur, quia homo id vult, aut quia Deus vult; id eſt, vel liberum hominis

minis arbitrium ex ſeipſo gratiæ conſentiendo facit ut gratia effectum ſuum conſequatur, vel è contrario gratiæ ipſius virtus & intrinſeca efficacia liberum arbitrium ſibi ſubjicit, facitque ſibi obſequi. Uno verbo, vel Deus per gratiam ſuam facit ut velimus & operemur bonum, vel liberum hominis arbitrium volendo & gratiæ conſentiendo facit ut gratia in ſe vacua non ſit. Si primum, gratia eſt per ſe efficax; ſi alterum, non à ſeipſa, ſed à voluntatis humanæ conſenſu habet quòd ſit efficax.

Primam ſententiam, quæ procul dubio SS. Auguſtini & Thomæ doctrina eſt, toto animo amplectuntur ac defendunt omnes Thomiſtæ & Auguſtiniani; unanimique conſenſu docent gratiam (in hoc præſertim naturæ ſtatu, de quo nunc unicè agitur) non ex conſenſu liberi arbitrii, neque ex quibuslibet congruis circumſtantiis effectum ſuum conſequi, ſed intrinſecam & cum aſſenſu voluntatis humanæ certiſſimè connexam efficaciam habere ex ſeipſa, ſeu à ſupremo Dei in voluntates creatas dominio.

Alteram opinionem commentus eſt Ludovicus Molina, docuitque à liberi arbitrii aſſenſu vel diſſenſu unicè pendere ut gratia ſit efficax aut inefficax, ſive ut effectum ſuum ſortiatur vel non ſortiatur: adeò ut auxilium efficax à ſufficiente non differat intrinſecè, ſed ex eventu tantummodò, quatenus liberum arbitrium pro ſuo nutu illi conſentit, huic verò non conſentit.

Quàmvis inter illa duo nihil medium eſſe videatur, quaſdam tamen veluti medias opiniones imaginati ſunt nonnulli recentiores Theologi, quidvis potiùs volentes quàm S. Auguſtini doctrinæ colla ſubmittere.

Congruiſtæ imprimis, quorum dux Suarez, dicunt efficaciam gratiæ neque ab intrinſeca ejus virtute, neque præciſè à conſenſu voluntatis creatæ in ſeipſo ac nudè conſiderato, ſed à gratiæ contemperatione ſeu congruitate cum conſenſu voluntatis, quatenus per ſcientiam mediam prævиſo: ita ut gratia dicatur & ſit efficax, quæ datur à Deo in eis loci & temporis circumſtantiis, in quibus per ſcientiam mediam prænovit liberum arbitrium ei conſenſurum; ea verò inefficax ac merè ſufficiens, quæ in illis circumſtantiis datur, in quibus voluntatem diſſenſuram eſſe per eamdem ſcientiam mediam Deus certò præſcivit. Itaque, juxta illos, gratia efficax effectum ſuum ſortitur infallibiliter, quatenus præſcientia divina, quæ illam effectum ſuum habituram eſſe prænovit, falli non poteſt; ſed non à ſeipſa illum obtinet, quia neque ipſimet gratiæ, neque circumſtantiis in quibus datur, ineſt vis ulla certò determinatrix voluntatis. Videri poteſt plenior hujus opinionis expoſitio Lib. I. Diſſert. X.

Inter laxiſſimos Congruiſtas reponendus eſt Card. Sfondratus, qui in *Nodo prædeſtinationis diſſoluto* veluti *ratum fixumque* affirmare non vereretur, „ nihil aliud ex ſententiâ Auguſtini gratiam effectricem eſſe, Pag. 217.

quàm

„ quàm cognitionem congruam, hoc eſt, quæ tale tamque proportio-
„ natum objectum, talique modo proponat, ut ad illud ampleſtendum
„ voluntas magnetiſmo & ſympathia quadam certiſſimè moveatur." A fide prorſus aberrat iſta opinio. Cognitio quippe, quantumvis congrua ſupponatur, ad intellectum duntaxat pertinet, nec ullomodò intimè afficit voluntatem, quæ, à ſummo bono averſa, omnino indiget gratiâ medicinali quæ ejus affectum immutet. Quævis autem veri cognitio, quomodolibet propoſita, revocatur ad adjutorium legis & doctrinæ, quod Pelagiani nunquam negarunt; at certe non eſt adjutorium gratiæ Christi, ad ſanandam naturæ corruptionem concupiſcentiamque ſuperandam abſolutè neceſſarium. Aptiſſimâ comparatione id illuſtrat Alvarez, lib 1 *de Auxiliis divinæ gratiæ*, diſput. 1. num. 19. „ Si, inquit, aliquis
„ dormiret, & ſimul eſſet infirmus & pedibus carens, ita ut nullam
„ prorſus haberet virtutem ad ambulandum, & eſſet in magno periculo
„ conſtitutus, quod niſi fugiendo non poſſet evadere, certè per hoc ſo-
„ lum, quòd ab aliquo excitaretur à ſomno & admoneretur periculi,
„ ut fugeret & currendo evaderet imminentem mortem, nullas vires
„ ſubminiſtraret illi ad fugiendum, ſed eodem modo maneret impotens
„ ad currendum, quantùm eſt ex parte virtutis greſſivæ, ac ſi excita-
„ tus à ſomno & admonitus de periculo non fuiſſet." Eadem eſt ratio hominis ad benè agendum ex ſeipſo impotentis, qui non indiget tantummodò à ſomno excitari & de periculo inſtanti commoneri; ſed, cum ſit infirmâ & pravâ voluntate à vero bono averſus, & ad ſeipſum bonaque commutabilia converſus, fruſtrà illum excites & periculi admoneas, niſi, expulſâ voluntatis pravitate, inſpires illi pro cupiditate caritatem, faciaſque ex nolente volentem.

Thomaſſinus Oratorii Jeſu Presbyter aliud ſyſtema excogitavit, quo tum gratiæ ſeipſâ efficacis, tum ſcientiæ mediæ incommoda vitare ſibi viſus eſt. Hic, præter gratiam habitualem, de qua præſertim cum Pelagianis certatum fuiſſe autumabat (quam ſingularem opinionem poſteà confutabimus), duplex diſtinguit gratiæ actualis genus. Illam poſitam eſſe cenſuit in bonis quibuslibet voluntatis motibus à malo revocantibus, vel ad bonum invitantibus, v. g. in bonis cogitationibus, in metu gehennæ, in conſcientiæ ſtimulis, aliiſque ſimilibus, eamque ſufficientem appellat. Hanc verò, non in peculiaribus auxiliis, ſed in multitudine, congruitate, conſpiratione, varietate, importunitate auxiliorum ſibi ferè continuò ſuccedentium, quibus Deus voluntatem hominis tum intus, tum foris aggreditur, ac veluti circumobſidet, & quorum ſi priora deficiant, alia deinceps & alia ſubſtituuntur, donec tot ictibus fatigata voluntas tandem acquieſcat, ſeſeque ad bonum determinet. Hanc autem tam multiplicium auxiliorum congeriem dicit eſſe gratiam efficacem.

Prioris generis gratiam ita ſufficere exiſtimavit ad declinandum à malo
&

ad faciendum bonum, ut voluntas ei ſæpè conſentiat, ſaltem in facilioribus; poſterioris autem generis gratiam, quam efficacem appellat, nonniſi ad peccatoris converſionem, ad finalem perſeverantiam, atque ad nonnulla ardua ac difficiliora neceſſariam eſſe decrevit.

Hoc poſito, inquit, nec Deus indiget exploratione ſcientiæ mediæ ad exequendum æternum prædeſtinationis decretum, cum in ſua poteſtate habeat innumera auxilia ac ſubſidia, quæ ſuâ varietate & importunitate voluntatis conſenſum certò & infallibiliter tandem obtinent, vel extorquent; neque metuendum eſt ne lædatur voluntatis creatæ liberum arbitrium, tum quia, etſi deſit gratia efficax, homo per ſolam gratiam ſufficientem, quæ ſemper præſtò eſt, ſemper in poteſtate habet peccatum vitare, bonumque agere; tum quia ex omnibus auxiliis particularibus, ex quibus, juxta ipſum, gratia efficax coaleſcit & componitur, nullum eſt quod ſuâpte virtute voluntatem certò determinare valeat. Demum non incurritur magnum illud incommodum in quod incidunt Theologi, qui gratiam ſufficientem talem admittunt, quæ effectu ad quem datur in perpetuum caritura ſit. Ita Thomaſſinus in *Memorialibus de gratia*, quem magna ex parte ſecuti ſunt Carolus du Pleſſis d'Argentré Epiſcopus Tullenſis, in *Diſſertatione de multiplici genere divinæ gratiæ, variaque ejus partitione*, & Honoratus Tournely in tractatu *de Gratia*.

Aliam explicandi efficaciam gratiæ viam aperuit Malebranchius, & ipſe Oratorii Jeſu Presbyter, quantùm in Philoſophicis meditationibus feliciter verſatus, tantùm in Theologicis hoſpes & peregrinus. Is gratiam Chriſti medicinalem, quam in quodam vel delectationis vel horroris ſenſu indeliberato ſitam eſſe docet, ſeipſâ efficacem eſſe vult, & non vult. Vult quidem, quia, juxta ipſum, cœlitus immiſſa delectatio aliquem boni amorem operatur invincibiliter, voluntaſque creata eidem dilectioni, quandiu ſuperior eſt, poſitivè diſſentire ſeu reſiſtere non poteſt, faciendo oppoſitum. Non vult autem, quia hunc boni amorem, quem per cœleſtem delectationem invincibiliter produci contendit, quemque ideò à libero voluntatis conſenſu diſtinguit, inſtinctum quemdam naturalem, nec liberum, nec meritorium eſſe pronuntiat. Ut enim homo poſſit mereri ac liberè agere, debet ex ratione motuque proprio bonum diligere, non verò cæco quodam inſtinctu, & quantùm præciſè delectationis ſenſu præveniente impellitur ac veluti rapitur. Aliunde, tametſi fateatur Malebranchius fieri non poſſe ut voluntas gratiæ delectationi ſuperiori reſiſtat poſitivè, cenſet tamen voluntatem poſſe conſenſum ſuum penitus cohibere atque ſuſpendere, maturiùs deliberando, ad alia quoque conſideranda ſeſe convertere: quod cùm ſit, ſenſus gratiæ minuitur ac frigeſcit, carnaliſque delectatio, aliquâ ſupeveniente occaſione, augetur, ſuperiorque evadit. Demum tantas in voluntate vires agnoſcit, ut concupiſcentiæ delectationem, quamtùmcunque ſuperior ſit, de facto ſuperare valeat; quia tunc, quidquid cœleſtis delectationis gra-

Digitized by Google

gradibus deeſſe videtur, rationis ope & attenta objecti conſideratione ſuppleri poteſt. Uno verbo, juxta hunc Philoſophum, cùm homo in tantùm liberè ac meritoriè agat, in quantùm ſeſe ex ratione determinat ad quidpiam agendum, rationis ope poteſt quaſlibet tentationes, etiam graviſſimas cum minima gratia ſuperare; ejuſdem ope poteſt gratiæ impulſum prætergredi, adeò ut, ſi bonum operetur, non cæco ac naturali quodam impetu ad illud rapiatur, ſed ex ſeipſo agat; ſicque Deus non niſi incitamenta quædam ad benè operandum ſubminiſtret, conſenſûs autem ac determinationis ſola creata voluntas cauſa ſit, ut expreſsè loquitur in *Reflexionibus ſupra præmotionem phyſicam.* Proinde, juxta eumdem, gratiæ efficacis & gratiæ ſufficientis diſcrimen non ab ipſamet gratia repetitur, ſed à conſenſu vel diſſenſu voluntatis humanæ: eaque efficax dicenda eſt, quæ datur in illis circumſtantiis in quibus Deus præſcivit hominem eſſe conſenſurum; illa verò merè ſufficiens, quæ datur in circumſtantiis in quibus Deus prænovit eam effectu carituram; ſicque ſingulare illud ſyſtema in Congruiſmum tandem deſinit. Lege, ſi vacat, primam illius Epiſtolam è quatuor adverſùs Arnaldum, num. 15. 16. 17 & ſeq., nec non ſecundæ initium.

Pag. 67. 75. 127 & 128.

De illis variis opinionibus quid, juxta Scripturæ ſacræ oracula, Conciliorum definitiones, ac SS. Patrum teſtimonia ſentiendum ſit, nunc diſpiciamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Rejicitur Molinæ opinio, oſtenditurque efficaciam gratiæ non repeti ab eventu, ſeu à conſenſu liberi arbitrii creati.

1a Probatio ex Scripturis.

Probatur I° ex Scripturis.

Efficacia gratiæ perperam repetitur à conſenſu creatæ voluntatis, ſi conſenſus ipſe voluntatis fit à gratia. Porro rem ita eſſe diſertè docent divina ipſa oracula.

Primum eſt apud Apoſtolum, 1 Corinth. IV. 11. *Quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Sanè ſi gratiæ efficacia pendet à conſenſu humanæ voluntatis, contingere ſæpiſſimè poteſt ut, ex duobus hominibus ſimiliter affectis & æquali gratiæ auxilio præventis, unus conſentiat & convertatur, alter non conſentiat, nec convertatur; imò ut, è duobus inæquali gratiæ auxilio præventis, ille conſentiat & convertatur, qui gratiam prævenientem habet minorem ac debiliorem, ille verò non conſentiat nec convertatur, qui majorem ac validiorem habet. Hoc autem poſito, manifeſtum eſt hominem, qui gratiæ conſentit, ſeipſum ab altero non conſentiente diſcernere per conſenſum quem à ſeipſo habet, non acceptum à Deo. Poterit ergo de iſto tam eximio bono à ſe parto in ſeipſo.

Digitized by Google

ipſo gloriari, ac Deo dicere: Gratias tibi ago quòd gratiæ auxilium mihi dederis, quòd verò benè illo uſus ſum, non munus tuum, ſed meum proprium opus eſt. Cùm enim auxilium illud à te mihi donatum non majus, imò fortaſſe minus fuerit, quàm quod huic alteri largitus es, ego ipſe ex me ſuperaddidi quod ille non addidit, bonum ſcilicet uſum tuæ gratiæ meamque inde conſecutam converſionem. Proinde non plus à te accepi, non plus tibi debeo quàm ille non converſus. Quod enim mihi largitus es, id & ille non converſus à te pariter accepit; id autem, quo ab illo diſcernor, totum ex me eſt, non à te acceptum. In hujuſmodi allocutione, juxta opinionem quam refellimus, nihil non verum ac certum eſt: quid tamen arrogantius, quid ſuperbius, quid oraculo Apoſtolico magis directè repugnans?

Hæc autem conſecutio adeò per ſe evidens eſt, ut eam, quantùmvis Chriſtianis auribus intolerandam, maxima ſaltem ex parte admittere adverſarii coacti fuerint. „ Eſto, ait Molina in *Concordia*, quæſt. 14. art. 13. diſput. 12: „ juſtus de hujuſmodi actibus, ex ea parte quâ libe-
„ rè quidem, ſed tamen partialiter partialitate cauſæ, non effectûs, ab
„ ipſo emanarunt, gloriaretur, præcipuè tamen gloriam & honorem in
„ Deum referendo, à quo principaliter & tanquam ab origine prima
„ fluxerunt. Sanè non eſſet inſipiens, ſed verum diceret, quoniam
„ non gloriatur de actu, rationeve aliqua formali actûs, quaſi eam non
„ acceperit, quod Paulus prohibet & reprehendit, ſed de ſola coopera-
„ tione libera per ſuum arbitrium in illam.“ Extenuat quidem, quantùm poteſt, terminiſque ſcholaſticis involvit humanæ gloriæ & jactantiæ fundamentum: non autem diffitetur nec diffiteri potuit aliquod eſſe proprium hominis bonum, de quo ſine inſipientia, verumque dicendo, in ſeipſo gloriari queat: cùm è contrario tonet Apoſtolus: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

Plenioribus buccis eamdem conſecutionem admittit Valentia, tom. 2 *Commentar. Theologicorum*, diſput. 8. quæſt. 3. puncto 4. „ Si quæra-
„ tur, inquit, cur è duobus, qui parem omnino gratiam vocantem ha-
„ bent, hic convertitur, ille non convertitur, reſpondendum eſt,
„ quòd, cùm hic eſſet liber ut, Deo efficaciter adjuvante, convertere-
„ tur, eamque ipſam gratiam, eâdem adjutus, per converſionem ſuam,
„ tanquam aliquid prius in ſuo genere, ſcilicet cauſæ materialis, accep-
„ taret, ita plenè converſus eſt, & eam gratiam acceptavit, ſcilicet ab
„ eâdem adjutus: alter autem, cùm ad id faciendum liber quoque eſ-
„ ſet, id non fecit. Quapropter, is qui id non fecit, ſoli ſuæ volun-
„ tati debet adſcribere quòd non fecit. Is autem qui fecit, non ſoli
„ ſuæ voluntati debet adſcribere quòd fecerit, ſed imprimis gratiæ
„ efficaci Dei, & ſimul etiam ſuæ voluntati, ut adjuta per eam gra-
„ tiam: atque ita gloriari poteſt, non quidem in ſe ſolo, ſed tum in

Digitized by Google

„ Domino, tum dein in ſe, quia cum adjutorio gratiæ conſenſerit & „ cooperatus fuerit Domino."

Rotundiùs adhuc loquitur Leſſius *de Gratia efficaci*, cap. 18. num. 7. „ Quòd, ex duobus, ait, ſimiliter vocatis, alter oblatam gratiam accep- „ tet, alter reſpuat, rectè dici poteſt ex ſola libertate provenire; non „ quòd is qui acceptat ſolâ libertate ſuâ acceptet, ſed quia ex ſola „ libertate diſcrimen illud oritur." Videant illi quomodò talia aſſerta ſtare valeant adverſùs iſta ſacri eloquii fulgura: Pſalm. CXIII: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Id eſt, non partim nobis, partim tibi, ſed uni tibi tota cedat gloria. Rom. XI. 36: *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula.* 1 Corinth. I. 31: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quàmvis enim hæc verba excluſionem non exprimant, nullum dubium eſt quin ſenſum habeant excluſivum. Idem quippe eſt ac ſi diceretur neminem in ſeipſo, neque in aliis hominibus, ſed in ſolo Domino bonorum omnium largitore gloriari debere. Hinc illa laudatio quam Chriſtiani omnes, à quarto circiter ſæculo, frequentiſſimè in ore habent: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, cui ſine manifeſta impietate, ne quidem per mentem, addi poteſt, *& libero noſtro arbitrio*; quia ſcilicet, declarante ſancto concilio Tridentino, ſeſſ. 14. cap. 4, „ non habet homo unde „ glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt."

Hoc validiſſimo fidei malleo Pelagianos eorumque reliquias omnes contrivit S. Auguſtinus. Sic loquitur lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7. num. 15: „ *Quis enim te diſcernit*, ait Apoſtolus „ homini, tanquàm de ſemetipſo & de ſuo proprio bono glorianti? „ *Quis te diſcernit?* ..... Et tanquam reſpondiſſet: diſcernit me fides „ mea, propoſitum meum, meritum meum" (conſenſus meus, cooperatio mea): „ *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepiſti? Si autem &* „ *accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Hoc eſt, quaſi de tuo ſit „ unde diſcerneris. Ergo ille diſcernit, qui unde diſcerneris impertit...... Ille diſcernit, qui, cùm tenebræ eſſent ſuper abyſſum, dixit: „ *Fiat lux, & facta eſt lux*, & diviſit; hoc eſt, diſcrevit inter lucem „ & tenebras." Et lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 5. num. 10: „ Numquid per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus" (qualis eſt gratia præveniens Moliniana), „ diſcernuntur homines ab „ hominibus? Hic autem priùs dixit (Apoſtolus): *Quis enim te diſ-* „ *cernit?* Et deinde addidit: *Quid enim habes quod non accepiſti?* Poſ- „ ſet enim dicere homo inflatus adverſùs alterum: diſcernit me fides „ mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud" (v. g. conſenſus meus, cooperatio mea). „ Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: *Quid* „ *autem habes*, inquit, *quod non accepiſti?* A quo, niſi ab illo qui te „ diſcernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi" (voluntatis ſcilicet conſenſum, bonum gratiæ uſum, ac liberi arbitrii cooperationem)?

Digitized by Google

nem)?" *Si autem & accepiſti*, ait, *quid gloriaris quaſi non acceperis?*
„ Num, quæſo, agit aliud, niſi ut, qui gloriatur, in Domino glorie-
„ tur? Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis me-
„ ritis quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei;
„ ſed gratia quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt bonis
„ & malis." En præciſè caſus Molinianorum, qui bonum gratiæ uſum, conſenſum ſcilicet & cooperationem liberi arbitrii ſibimetipſis attribuunt, non gratiæ Dei, aut certè non tali gratiæ quæ bonos diſcernat à malis, ſed quæ communis ſit bonis & malis.

Et ſanè ſi in illo ſyſtemate bonus à malo, gratiæ conſentiens à non conſentiente per ipſam gratiam diſcerneretur, vel per gratiam prævenientem, vel per gratiam concomitantem ſeu cooperantem. Neutrum autem dici poteſt. Non primum: ea quippe gratia non diſcernit conſentientem à non conſentiente, quæ utrique communis eſt, & in utroque æqualis; quæ etiam minor quandoque eſt in conſentiente quàm in non conſentiente: talis autem eſt gratia præveniens Moliniana. Non etiam alterum dici poteſt. Quod enim ſupponit hominem jam ex ſeipſo diſpoſitum & paratum ad conſentiendum, non eum diſcernit ab eo qui aliter eſt diſpoſitus. Talis autem eſt gratia concomitans ſeu cooperans Moliniana. Non enim, quia illa datur, ideò vult homo gratiæ prævenienti conſentire; ſed è contrario, ideò iſta datur, quia homo ex ſeipſo vult gratiæ prævenienti conſentire. Ergo in illa opinione non per gratiam, ſed per ſolum ſuum liberum arbitrium conſentiens diſcernitur à non conſentiente, contra Apoſtoli oraculum.

Neque dicas hominem non diſcernere ſeipſum per nudum liberum ſuum arbitrium gratiâ deſtitutum: non enim hic inquirimus utrum homo ſeipſum diſcernat ſine gratia, an cum gratia; ſed utrùm illius diſcretionis gratia vera & propria cauſa ſit. Porro manifeſtum eſt gratiam in opinione Molinæ nullatenus id eſſe, quo fit hominis conſentientis à non conſentiente diſcretio; non gratiam prævenientem, ut pote ambobus communem; non etiam concomitantem & cooperantem, quippe quæ in ipſam voluntatem nullomodò influat, ſed tantummodò in ipſius actum, & quæ diſcretionem jam factam per voluntatis bonam diſpoſitionem, vel ſaltem inchoatam ſupponit.

Quidni, inquiunt, gratiæ conſentiendo nos ipſos ſecundùm quid diſcernere poſſumus ac tenemur? An verò ſanæ doctrinæ magis repugnat hominem aliquo ſenſu ſeſe diſcernere cooperando gratiæ, quàm vitam ipſam æternam mereri? Porro de fide eſt hominem gratiæ obſequendo mereri vitam æternam. Verùm quid aliud iſtud eſt quàm Scripturis ſacris illudere, divinamque illarum auctoritatem protervè aſpernari? Quæris cur dici non poſſit homo ſeipſum diſcernere. Reſpondeo illud ideò dici nullomodò poſſe, quia Spiritus ſanctus per os Apoſtoli illud expreſſè damnat. Meremur quidem gratiæ obſequendo & bona opera facien- Tournely, tom. 2 de Gratia, pag. 450.

 do

do vitam æternam; at non idcirco nos ullomodò diſcernimus, quia illud omne quo diſcernimur, totum divinæ gratiæ munus eſt, & cum Deus ſanctorum merita coronat, non coronat niſi dona ſua.

Alterum Scripturæ oraculum eſt apud eumdem Apoſtolum, Rom. IX. 16. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Horum verborum ſenſus non eſt, hominis non eſſe velle & currere, ſed hoc ipſum, quòd homo vult & currit, miſericordiæ & gratiæ attribuendum eſſe, tanquam cauſæ primariæ & determinanti. Atqui, in doctrina Molinæ, gratiæ divinæ attribui nullomodò poteſt quòd homo velit & currat, ſed tantùm quòd poſſit velle & currere, ſive, quod idem eſt, non ideò homo vult & currit, quia Deus miſeretur, ſed quia ipſe miſerenti Deo conſentit acquieſcere. Ergo doctrina Molinæ Apoſtolo è diametro repugnat.

Audiamus B. Auguſtinum hoc telo Pelagianos confodientem, in *Enchiridio*, cap. 32. num. 9: „ Quomodò, ait, non volentis, neque cur„ rentis, ſed miſerentis eſt Dei, niſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcrip„ tum eſt, à Domino præparatur? Alioquin ſi propterea dictum eſt, „ *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, quia ex utroque „ fit, id eſt, & voluntate hominis, & miſericordiâ Dei,..... tanquàm „ diceretur: non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſe„ ricordia Dei; non ergo ſufficit & ſola miſericordia Dei, ſi non ſit „ etiam voluntas hominis, ac per hoc, ſi rectè dicitur: *non volentis* „ *hominis, ſed miſerentis eſt Dei*, quia id voluntas hominis ſola non „ implet, cur non & è contrario rectè dicitur, non miſerentis eſt Dei, „ ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet? „ Porro ſi nullus dicere Chriſtianus audebit, non miſerentis eſt Dei, „ ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat, reſtat „ ut propterea dictum rectè intelligatur, non volentis &c, ut totum „ Deo detur, qui hominis voluntatem & præparat adjuvandam, & ad„ juvat præparatam.“ Quòcunque ſe vertant Molinæ diſcipuli, hujus commentarii vim undique ferientem nunquam eludent.

Non minùs diſertè eumdem textum exponit illuſtriſſimus gratiæ vindex lib. 1. QQ. ad Simplicianum Mediolanenſem (q. 2. num. 12), quem librum diu ante exortam Pelagii hæreſim ſcripſit. Simili namque factâ argumentatione, ſic concludit: „ Illud manifeſtum eſt, fruſtra nos vel„ le niſi Deus miſereatur: illud autem neſcio quomodò dicatur, fruſ„ tra Deum miſereri niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam „ volumus; ad eamdem quippe miſericordiam pertinet ut velimus.“ Quod neſcire ſe quomodò dicatur S. Doctor teſtatur, ſcire ſe gloriatur Molina, juxta quem fruſtra Deus miſeretur dando gratiam prævenientem, niſi nos per conſenſum noſtrum eam efficacem faciamus; nec intelligere vult cum tanto Præſule nos continuò velle, ſi Deus miſereatur. Eadem docet lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 7. num. 16, & poſt

poſt ipſum Sedulius, Commentario in hunc locum, ubi textum Enchiridii modò citatum integrum deſcribit. Tom. 1 magnæ Bibl. PP. Col. 907 & 908.

Obſervat pariter Angelicus Doctor in eumdem locum, ſenſum Apoſtoli non eſſe, hominem ſine auxilio miſericordiæ Dei nec velle, nec currere; quoniam, ſi ita foret, poſſet converti propoſitio, ac dici: non miſerentis Dei, ſed volentis & currentis eſt hominis; „ *quod*, inquit, „ *aures piæ non ferunt*. Unde plus aliquid eſt ex his verbis intelligen„ dum, ut ſcilicet principalitas gratiæ Dei attribuatur. Semper enim „ actio magis attribuitur principali agenti quàm ſecundario: putà, ſi „ dicamus quòd ſecuris non facit arcam, ſed artifex per ſecurim. Vo„ luntas autem hominis movetur à Deo ad bonum." Non leviter prætereunda eſt hæc Aquinatis interpretatio; talis autem eſt: Textûs Apoſtolici veritas ſervari nequit, quin Deus dicatur cauſa principalis conſenſûs voluntatis. Ut autem Deus principalis ejus cauſa ſit, debet eſſe cauſa movens, applicans & determinans ad conſentiendum & agendum, & quidem non minori efficientiâ (ſalva ſemper arbitrii libertate) quàm ea qua artifex ſecurim applicat & movet ad fabricandam arcam: ſiquidem cauſa principalis ea propriè dicitur, à qua pendet exiſtentia & determinatio effectûs. Porro, juxta Molinam, exiſtentia humani conſenſûs, ſeu boni uſûs gratiæ, non pendet præcipuè à Deo, ſed à voluntate hominis ſeipſum motu proprio determinantis. In ipſius enim opinione talem Deus dat gratiam prævenientem, quâ uti vel non uti in hominis arbitrio relinquat. Uti autem aliquâ re, quid eſt propriè, niſi eam applicare ad effectum ad quem ordinatur? Proinde in hoc ſyſtemate gratia non eſt principalis & primaria cauſa bonorum actuum, ſed ſecundaria tantùm; adeòque, nedum verè dici poſſit cum Apoſtolo: *non eſt volentis* &c, dicendum è contrario foret: non miſerentis Dei, ſed volentis & currentis eſt hominis.

Tertium teſtimonium, quod ſuppeditat Epiſtola 1 S. Pauli ad Corinthios, cap. XV. 10, præcedenti haud abſimile eſt. *Gratiâ Dei*, inquit, *ſum id quod ſum, & gratia ejus in me* (græcè, εις εμε, quæ *in me* operata eſt) *vacua non fuit: ſed abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum* (in græco habetur: αλλ' ἡ χαρις του θεου ἡ συν εμοι, *ſed gratia Dei quæ* (eſt) *mecum*). Utrovis modo legatur, perſpicuum eſt Apoſtolum primarias partes vimque determinatricem gratiæ attribuere, cùm è contrario, ſi gratia per conſenſum voluntatis efficax redderetur, rectiùs dixiſſet: meæ voluntatis conſenſu ſum id quod ſum; quòdque cæteris abundantiùs laboravi, non gratia præſtitit, ut pote quam efficacem vel inefficacem reddere penes me fuit, ſed ego ſolus aut primarius auctor meæ determinationis extiti. Nam hoc in ſyſtemate, fatente Leſſio, *de Gratia efficaci*, cap. 13. num. 3, „ quòd converſio..... fiat " (idem de quolibet opere dici debet), „ hujus cauſa directa & „ principalis eſt liberum arbitrium, quàmvis non ſine auxilio gratiæ:"

cui

Tom. 15 magnæ Bibl. PP. pag. 802.

cui opponemus Oroſium, in *Apologetico de arbitrii libertate* ſimilem arrogantiam pro meritis caſtigantem. „ Quid, ait, incaute præſump-„ tor, aſpicis quia dixerit: mecum? Attende quia præmiſerit: non ego. „ In voluntate ergo hominis gratia divinæ virtutis operatur, quæ & hoc „ ipſum velle donavit...... Infelix o homo, audes dicere: gratia qui-„ dem Dei adjuvante, ſed meâ poſſibilitate ſum quod ſum.“ Vide S. „ Auguſtinum, Serm. 297, olim 107, de Diverſis, cap. 4. num. 5.

2a Probatio ex conformitate Molinianæ doctrinæ cum hæreſi Pelagianorum & Semipelagianorum.

Probatur II° ex conformitate Molinianæ doctrinæ cum damnata Pelagianorum & Semipelagianorum hæreſi.

Ea doctrina eſt omnino rejicienda, quæ Pelagianorum Semipelagianorumque dudum damnatos errores renovat, aut ſaltem ab eis non ſatis recedit. Talis eſt doctrina Molinæ ejuſque ſequacium. Ergo &c.

Primò quidem ea doctrina non recedit ab errore Pelagianorum. Tria quippe Pelagius diſtinguebat, poſſe, velle, & eſſe, ſeu agere. „ Poſſe, in-„ quiebat apud S. Auguſtinum, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 4. num. 5, „ in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, id „ eſt, poſſe ad Deum propriè pertinet, qui hoc creaturæ ſuæ contulit; „ duo verò reliqua, id eſt, velle & eſſe ad hominem referenda ſunt, „ quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate & opere bono „ laus hominis eſt, immò & hominis, & Dei, qui ipſius voluntatis & „ operis poſſibilitatem dedit; quippe ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ ſem-„ per adjuvat auxilio. Quòd verò poteſt homo velle bonum atque per-„ ficere, ſolius Dei eſt. Poteſt itaque illud unum eſſe, etiamſi duo iſta „ non fuerint. Iſta verò ſine illo eſſe non poſſunt...... Et ut generali-„ ter univerſa complectar: Quòd poſſumus omne bonum facere, dicere, „ cogitare, illius eſt qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat. „ Quod verò bonum facimus, dicimus, cogitamus, noſtrum eſt, quia „ hæc omnia vertere in malum etiam poſſumus.“ Hæc Pelagius: juxta quem, quidquid poſſibilitatis eſt in homine, donum Dei eſt; volitio autem & actio hominis eſt, imò & Dei, quatenùs benè volendi & benè agendi poſſibilitatem totam dedit, & ſemel datam gratiæ ſuæ ſemper adjuvat auxilio.

Porto gratia Moliniana non eſt niſi gratia poſſibilitatis, nec adjuvat niſi boni poſſibilitatem; velle autem & agere non confert, ſed relinquit in voluntatis arbitrio. Quodnam ergo Pelagium inter & Molinam diſcrimen aſſignari poteſt?

Attendamus nunc quo pacto utrumque ſimul refellat S. Auguſtinus in eodem libro *de Gratia Chriſti*: „ Si ſolum poſſe noſtrum hoc gratiâ ju-„ varetur, inquit cap. 14. num. 15, „ ita diceret Dominus: Omnis qui „ audivit à Patre & didicit, poteſt venire ad me. Non autem ita dixit; „ ſed *omnis qui audivit*, inquit, *à Patre*, *& didicit*, *venit ad me*. Ve-„ nire poſſe in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, „ in gratia, QUALEMLIBET eam ſentiat“ (id attendant Moliniani),

„ quâ

„ quâ ipſa, ut dicit, poſſibilitas adjuvatur. Venire autem jam in vo-
„ luntate & opere eſt. Non eſt autem conſequens ut, qui poteſt
„ venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui
„ didicit à Patre non ſolùm poteſt venire, ſed venit; ubi jam & poſſi-
„ bilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.“
Rurſus, cap 25: „ Non ſolum Deus poſſe noſtrum donavit atque adju-
„ vat; ſed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos
„ non volumus, aut nos non agimus, ſed quia ſine ipſius adjutorio “
(non utique adjutorio poſſibilitatis, quod Pelagius admittebat, ſed volun-
tatis & actionis, hoc eſt, ipſum velle & agere operante) „ nec volu-
„ mus aliquid boni, nec agimus. Quomodò enim dicitur, quòd poſſu-
„ mus benè agere, Dei eſt, quòd autem agimus, noſtrum eſt, cùm
„ dicat Apoſtolus orare ſe pro eis ad quos ſcribebat, ne quid mali fa-
„ ciant, & ut quod bonum eſt faciant? Non enim ait: oramus ut poſſitis
„ nihil mali facere, ſed *ne quid faciatis mali*; nec ut poſſitis bonum fa-
„ cere, ſed *ut bonum faciatis*.“ Demum cap. 47. num 52: „ Si ergo
„ conſenſerit nobis (Pelagius), non ſolam poſſibilitatem (quæ eſt) in
„ homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque volun-
„ tatem & actionem, id eſt, ut benè velimus & agamus, quæ non ſunt
„ in homine niſi quando vult & bene agit; ſi, ut dixi, conſenſerit
„ etiam ipſam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, & ſic adjuva-
„ ri ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque eſſe
„ gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſuâ,
„ non noſtrâ juſtitiâ juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ no-
„ bis ab illo eſt, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, in-
„ ter nos controverſiæ relinquetur.“

Horum evidentia textuum planè demonſtrat Molinam & Pelagium in eodem luto hærere. Ex eis quippe, quiſquis gratiam tantùm poſſibilitatis confitetur, non vero voluntatis & actionis, totum Pelagii errorem retinet. Atqui in ſententia Molinæ nonniſi gratia poſſibilitatis agnoſcitur, non autem gratia voluntatis & actionis; quandoquidem boni volitio homini, ſolaque benè volendi & agendi poſſibilitas Deo attribuitur. Ergo in illo ſyſtemate Pelagianus error totus retinetur.

Fruſtra reſponderetur Pelagium non aliud donum poſſibilitatis agnoviſſe, quàm naturam ipſam liberi arbitrii à Deo gratis homini conceſſam, nullamque gratiam concomitantem admiſiſſe, quæ bonam volitionem & actionem hominis unà cum ipſo operetur; Molinianos verò & gratiam ſupernaturalem poſſibilitatis, & inſuper gratiam concomitantem agnoſcere. Nam iſta duo Molinæ cauſam à cauſa Pelagii diſcernere prorſus nequeunt.

Non primum, & quidem duplicem ob cauſam. 1°. Quia gratis ſupponitur Pelagium nullam aliam gratiam poſſibilitatis agnoviſſe, præter naturalem liberi arbitrii facultatem. Quàmvis enim hic reipſâ fuerit primus illius

hæreſis ſtatus, poſteà tamen illuſtrationes excitationesque internas admittere non renuit, ut alibi oſtendimus. Et certè hoc ipſo in libro, cap. 10. num. 11, ſic loquebatur: „ Operatur (Deus) in nobis velle „ quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantum præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione ſuccendit; dum revelatione ſapientiæ in deſiderium ſui ſtupentem ſuſcitat „ voluntatem; dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt.“ Quamobrem S. Auguſtinus duas Pelagianæ hæreſeos veluti epochas diſtinguit ibidem, cap. 14. num. 15: unam, quâ venire poſſe in natura ponebat Pelagius, alteram quâ in gratia collocabat; & tamen iſtud temperamentum poſteriùs additum, tanquam inſufficiens omnino reſpuit S. Doctor loco citato, cap. 10. „ Sed nos, inquit, eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm „ etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm & „ amatur; nec ſolùm ſuadetur omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur...... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm „ vocari, ſed etiam eſſe Chriſtianus.“ Non exigit S. Auguſtinus ut poſſibilitatem naturali ſuperadditam admittat Pelagius, nec admittere renuebat hæreſiarcha, ſed exigit ut talem gratiam confiteatur, quâ vita æterna reipſâ credatur & ſperetur, quâ ſapientia ametur, quâ bonum non tantùm ſuadeatur, ſed & perſuadeatur; uno verbo ut gratiam confiteatur per ſe efficacem, & ſine hac confeſſione illum Chriſtianum non eſſe pronuntiat.

2°. Etiamſi concederemus Pelagium non aliud poſſibilitatis donum admiſiſſe, præter naturalem liberi arbitrii facultatem, nequaquam inde ſequeretur Pelagianiſmum à Molina non inſtaurari, ſed tantùm ſub nova forma produci. Nam quidquid poſſibilitatis eſt in homine ad benè agendum, ſive ſimul cum natura, ſive per gratiam excitantem ad ſingulos actus detur, id totum à Deo eſſe fatebatur Pelagius; & in eo, judice Auguſtino, erat hæreticus, quòd negaret volitionem & actionem eſſe à Deo, ſicut ipſam poſſibilitatem. Atqui gratia excitans Molinæ, id eſt, gratia quæ non facit velle & agere, & cujus effectus à conſenſu voluntatis pendet, quantùmlibet ab eo exaggeretur, nihil aliud homini tribuit quàm boni poſſibilitatem, nec adjuvat niſi poſſibilitatem. Ergo in rei veritate gratia excitans Moliniana ab errore Pelagii non differt. Uno verbo, juxta utrumque, Pelagium & Molinam, tota & ſola boni poſſibilitas datur à Deo: juxta utrumque, bonus uſus hujus poſſibilitatis eſt ab ipſo homine, non à gratia præveniente. Ergo, quibuslibet verbis ſeſe involvant Molinæ diſcipuli, velint, nolint, Pelagianiſmum renovant.

Id etiam confirmatur verbis S. Auguſtini ſupra laudatis, quibus probat Pelagium gratiam aliquam admittendo à ſuo errore non receſſiſſe;

eo-

Digitized by Google

eoquòd per illam gratiam, *qualemlibet*, inquit, *eam ſentiat*, ſolam poſſibilitatem adjuvari contenderet, conſequens autem non ſit ut *qui poteſt venire* ad Chriſtum, *etiam veniat*, niſi id voluerit atque fecerit. Atqui pariter, poſitâ gratiâ Molinianâ, non eſt conſequens ut, qui per illam poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit. Ergo gratia Moliniana reipſâ non differt à gratia poſſibilitatis Pelagiana.

Rurſus gratia poſſibilitatis, quam in Pelagianis tanquam à propoſito planè alienam rejicit, eam eſſe definit S. Doctor, quæ ineſt homini etiamſi nec velit, nec agat benè: gratiam verò voluntatis & actionis eam eſſe dicit, quæ non eſt in homine niſi quando benè vult & benè agit. Atqui gratia Moliniana, fatentibus ejus patronis, eſt in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè. Ergo hujuſmodi gratia non eſt gratia voluntatis & actionis, ſed mera gratia poſſibilitatis: adeòque convincuntur à Pelagianiſmo non recedere.

Secundò. Nec magis ab eo recedunt, dum, præter gratiam excitantem, aliam admittunt concomitantem, ſive cooperantem. Nam, juxta illos, gratia cooperans non facit nos velle & agere, ſed tantummodò actum noſtrum nobiſcum operatur; nec ideò volumus & agimus quia illa datur, ſed ideò illa datur, quia volumus. Porro hujuſmodi gratiam bonæ voluntatis adjutricem tantummodo, nec determinatricem, nunquam admittere recuſarunt Pelagiani, ut Lib. I doctrinam eorum exponendo oſtendimus.

Inſtaurato Pelagianiſmo, haud dubium quin Semipelagianiſmum quoque exſuſcitent atque etiam ſuperent Moliniani. In eo præſertim ſitus erat error Semipelagianorum, quòd initium ſalutis ab ipſo homine eſſe dicerent, non à gratia, hiſque verbis deſcribitur à S. Proſpero in Epiſt. ad S. Auguſtinum, num. 7: „ In iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis (Extat inter Aug. Epiſt. 225.)
„ non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in
„ homine collocatur; ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præ-
„ fertur; aut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideò, quia adju-
„ vatur, velit; ſi originaliter malus receptionem boni, non à ſummo
„ bono, ſed à ſemetipſo inchoare malè creditur; ſi aliunde Deo place-
„ tur, niſi ex eo quod ipſe donaverit.“

Atqui pariter, juxta Molinam, initium ſalutis non eſt à gratia, ſed ab homine. Nam, ante primam determinationem primumque conſenſum voluntatis in bonum, nullum eſt in nobis ſalutis ac juſtitiæ initium. Atqui prima hæc voluntatis determinatio, hoc in ſyſtemate, non eſt à gratia, ſed ab ipſa voluntate creata, ut ex modò dictis patet. Et certè qui, acceptâ gratiâ verſatili, illi reſiſtit, nondum habet ullum ſalutis initium, quod tunc demum incipit, quando homo incipit bonum velle. Proinde ſi homo ex ſeipſo incipit bonum velle & conſentire gratiæ, à ſeipſo habet ſalutis initium.

Igitur Molinianum ſyſtema omnibus illis incommodis & abſurdis ſub-

Digitized by Google

jacet, quæ in Pelagianorum reliquiis modò reprehendebat S. Proſper. In eo quippe *divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur;* ſiquidem ſola boni poſſibilitas, quod minus eſt, Deo, bona autem voluntas, quod excellentius, homini attribuitur. In eo *ideò quis adjuvatur quia voluit, non ideò, quia adjuvatur, vult:* nam gratia præveniens non adjuvat, ſed invitat tantummodò; cooperans verò, quæ ſola adjuvare dicitur, à Deo datur homini, quia gratiæ prævenienti conſentire vult, non autem ideò conſentire vult, quia illâ gratiâ adjuvatur. In eo *originaliter malus receptionem boni*, quæ in conſenſu voluntatis conſiſtit, *non à ſummo bono, ſed à ſemetipſo inchoare malè creditur.* In eo tandem *aliunde Deo placetur, quàm ex eo quod ipſe donaverit.* Quis enim neget Deo placere conſenſum in bonum, quem tamen hoc in ſyſtemate Deus non donat?

Nec dicas Semipelagianos nullam gratiam interiorem prævenientem admiſiſſe ad fidei ſalutiſque initium, Molinam verò ejusmodi gratiam admittere. Nam, etiamſi verum id eſſet, non idcirco minùs evidens foret quod demonſtravimus, ſcilicet in utraque opinione ſalutis initium eſſe ab homine; in quo propriè Semipelagianiſmi virulentia conſiſtit. Verùm plurimis argumentis Lib. I probavimus plurimos ſaltem Semipelagianos non renuiſſe admittere gratiam aliquam interiorem prævenientem, ad ipſum fidei initium, in eoque erraſſe quòd illam gratiam ſeipſâ efficacem eſſe negarent. Nihil ergo reſtat quo Moliniani ab illis ſeſe diſcernere queant, niſi quòd illi ad fidei duntaxat inchoationem, in eaque perſeverantiam, gratiam verſatilem neceſſariam eſſe ſenſerint, agnitâ gratiæ per ſe efficacis ad cæteros pietatis actus neceſſitate, illi verò ad quoslibet actus pietatis gratiam verſatilem ſufficere contendant.

3. Probatio ex Conciliis. Probatur III° ex Conciliis.

Concilium Arauſicanum II contra Semipelagianos celebratum, & ab univerſa Eccleſia receptum, canone 4 ſic decernit: „ Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non „ autem, ut etiam purgari velimus, per S. Spiritûs infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: *præparatur voluntas à Domino;* & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro voluntate.*“ Hoc canone Moliniana doctrina proſcribitur, ſi, juxta illam, Deus voluntatem noſtram expectat ut à peccato purgemur, nec operatur in nobis ut purgari velimus. Atqui reverâ in Molinæ ſyſtemate Deus, datâ gratiâ præveniente, noſtræ voluntatis conſenſum expectat, nec ipſe facit ut velimus: non enim id facit per gratiam prævenientem, ut patet; neque per gratiam cooperantem, quæ niſi volentibus non datur. Ergo, ex concilii Patribus, Molinæ doctrina Spiritui ſancto reſiſtit.

Proverb. VIII ſecund. 70. Philipp. II. 13.

Et ſanè Synodus non ideò Semipelagianos damnat, quòd dicerent Deum,

Deum, antequàm gratiam largiatur, expectare hominum voluntates, ſed quòd, etiam admiſſâ gratiâ quâdam generali, dicerent Deum, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram, ſeu conſenſum noſtrum expectare, ut videre eſt apud Caſſianum, Gennadium, Fauſtum &c. Hinc non dicit Synodus: ſi quis, ut gratiam nobis largiatur, ſed *ſi quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit.* Ergo eodem ictu cum Semipelagianis Molina quoque feritur.

Demum quid manifeſtius, quàm gratiam ſeipſâ effectricem bonæ voluntatis ſignificari his verbis: *per operationem S. Spiritûs in nobis fieri ut purgari velimus?*

Concilium quoque Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 5, declarat *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe.* Porro, ut jam dictum eſt, juſtificationis exordium à gratia præveniente ſumi non poteſt, ſi illius gratiæ effectus à conſenſu voluntatis pendeat. Supponamus duos homines gratiâ æqualiter præventos, quorum unus gratiæ cooperetur, alter non cooperetur. In illo eſt primum juſtificationis exordium, in iſto nullum eſt. Ergo, in opinione quam refellimus, exordium juſtificationis non à gratia præveniente, quæ in utroque æqualis fuit, ſumi debet, ſed à ſolo conſenſu voluntatis, quo unus ab altero ſeſe diſcernit.

Concilium Senonenſe Pariſiis celebratum anno 1528, quo tempore Lutherana lues graſſari incipiebat, in præfatione declarat, „ in bonis „ operibus efficiendis, & liberum arbitrium operari & gratiam, primò „ tamen & principaliùs gratiam. Quare, inquit, qui hominem benè „ operari & ſalutem conſequi arbitratur ſine gratia, aut primatum boni „ operis libero arbitrio adſcribit, non gratiæ, Pelagianus cenſendus eſt.“ Itaque, hoc concilio judice, Molina Pelagianus cenſendus eſt, ſi primatum boni operis non gratiæ, ſed libero arbitrio adſcribat. Atqui id effugere prorſus nequit Cùm enim Deus dicitur cauſa principalior, ſenſus non eſt Deum multò excellentiorem & præſtantiorem eſſe libero arbitrio, quod nemo unquam Pelagianorum vel delirando negavit. Sed ſenſus eſt Deum præcipuas habere partes in bonorum operum productione. Porro in Molinæ ſyſtemate contrarium dicendum eſt. Ille quippe præcipuas in quocunque opere partes habet, qui illius exiſtentiam determinat, quique priùs, prioritate naturæ & cauſalitatis, in illud influere concipitur. Atqui, juxta Molinam, non Deus, ſed liberum arbitrium actûs boni exiſtentiam determinat, priusque concipitur in eum influere quàm Deus: ſiquidem gratia præveniens non facit, ſed expectat determinationem voluntatis, & ſi in actum bonum influat, idcirco tantùm influit quia homo vult ei obſequi; gratia verò cooperans non datur niſi jam volenti & parato ad agendum. Reſtat ergo ut Molinæ doctrina, Patrum Senonenſium judicio, Pelagianiſmo notetur.

Digitized by Google

4° Probatio ex Patribus.

Probatur IV° ex SS. Patribus.

Duo tantum teſtimoniorum genera è SS. Patrum ſcriptis depromemus. Primum erit eorum quibus aſſeritur, totum quidquid eſt in ſalutis negotio, divinæ gratiæ operationi attribui oportere. Alterum erit illorum, quibus ipſe bonus uſus liberi arbitrii & conſenſus gratiæ datus ex Deo eſſe decernitur.

1°. Totum quidquid boni eſt in homine gratiæ Dei deputandum eſſe, hominemque nihil quicquam de ſuo habere unde gloriari poſſit, omnium SS. Patrum, tum græcorum, tum latinorum, ſive Pelagianâ hæreſi antiquiorum, ſive poſteriorum, unanimis vox eſt. Nonnullos hic appellabimus.

S. Cyprianus illuſtris Epiſcopus & martyr, lib. 3 *Teſtimoniorum ad Quirinum*, cap. 3: „ In nullo, ait, gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.“ Quæ verba adeò præclara S. Auguſtino viſa ſunt, ut ea ſæpiſſimè Pelagianæ ſuperbiæ oppoſuerit; v. g. lib. 4 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 25, & alibi paſſim. Idem glorioſiſſimus Martyr, lib. *de Orat. Dominica*, exponens hæc verba, *ne nos inducas in tentationem*, dicit nos „ admoneri infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus ne quis inſolenter ſe extollat, ne quis ſibi ſuperbè atque arroganter aliquid aſſumat. Præcedit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & totum datur Deo.“

S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, in Pſalm. 123. num. 2. pag. 398: „ Quis enim relictus eſt nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo eſſe? ..... Si non in omnibus opus eſt Dei miſericordiâ, etiam omnia nobis, tanquam ex noſtro ſint, vindicemus.“ Egregia ſanè ſententia, & veriſſima. Si enim bonus uſus gratiæ, qui res eſt præſtantiſſima, ex nobis provenit, cur non eodem jure totum ſalutis opus noſtro libero arbitrio attribueretur? Et num. 3: „ Huic (Deo), ſi quid in nobis eſt, debeamus, à B. Paulo docti nihil noſtrum exiſtimandum, dicente: *Quid enim habes quod non accepiſti?*“ Et in Pſalm. 51. num. 20 (pag. 79): „ Stultitiæ atque impietatis extremæ eſt, inquit, non intelligere ſe ſub Deo & ex Deo vivere; ſed in his quæ gerit & expectat ſuâ magis velle confidere poteſtate, cum, ſi quid illud in ſe ſit, ex Deo ſit. Ad Deum itaque ſpes omnis noſtra ſit, & confeſſio omnis in Deo ſit.“

S. Baſilius magnus, hom. 20, aliàs 22, *de Humilitate*, num. 3 & 4 (tom. 2. pag. 159): „ Nihil, unde gloriari queas, relictum eſt tibi, ô homo, cujus videlicet gloriatio & ſpes ſita in eo ſit, ut mortifices omnia tua...... Et Deus quidem eſt qui *operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*...... Quid igitur, dic, quæſo, teipſe quaſi de tuis ipſius bonis efferts, cùm deberes pro acceptis bonis gratiam largitori habere? *Quid enim habes quod non accepiſti* &c?“ Et in *Regulis breviùs tractatis*, ad interrogationem 257 (ibid. pag. 498), du-

Digitized by Google

duplicem diſtinguit gloriationem, unam præceptam, alteram vetitam. „ Præcepta gloriatio in Domino eſt, cùm quis rectè facta non ſibi ipſi, „ ſed Domino adſcribit, dicens: *omnia poſſum in eo qui me confortat* „ (Philipp. IV. 13). Vetita autem gloriatio poteſt duplici ratione con- „ ſiderari, vel juxta illud (Pſalm X. 3, ſec. heb.): *Laudatur peccator* „ *in deſideriis animæ ſuæ*, ... vel juxtà illud: *Faciunt ut videantur ab* „ *hominibus* (Math. VI. 5); quandoquidem, dum ob ea quæ benè „ faciunt laudari volunt, in ſuis factis quodammodò gloriantur. Quin- „ etiam qui ejusmodi ſunt, ſacrilegi etiam dici poſſunt, ut qui ſibi „ Dei vidicent dona, & debitam Deo gloriam ad ſe rapiant." Non ait illos non eſſe humiles, ſed ſacrilegos eſſe declarare non dubitat.

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 31 (tom. 1. pag. 504) differens de oraculo Apoſtolico: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, ſic habet: „ Quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt optimo, jure „ totum Deo aſſignavit."

S. Ambroſius, in Pſalm. 43. num. 12: „ Nemo ſit arrogans & ſuper- „ bus, ſed manſuetus & humilis corde, qui nihil ſibi arroget, ſed to- „ tum ad gratiam referat, non in ſua fortitudine glorietur, ſed dexterâ „ Dei credat ſe eſſe provectum, dicens: *Dextera Domini fecit virtu-* „ *tem, dextera Domini exaltavit me*...... Ad ipſum ergo omnia jure „ referenda ſunt."

S. Joannes Chryſoſtomus, Hom. 16 ad Rom. num. 9: „ Non dixit „ (Apoſtolus) vaſa rectè factorum, neque vaſa fiduciæ, ſed *vaſa mi-* „ *ſericordiæ*, oſtendens totum eſſe Dei." Et hom. 19. num. 5, expli- cans iſta verba: *Vide ergo bonitatem... Dei* &c: „ Non dixit, vide „ igitur bonum opus tuum, vide labores tuos, ſed Dei benignitatem, „ oſtendens totum ex ſuperna gratia factum eſſe." Et hom. 29 in eam- dem Epiſt. num. 5, ad hæc verba: *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus*, ſic loquitur: „ Vide quantâ vi con- „ tendat ut omnia oſtendat eſſe Dei, & nihil ſui ipſius: ſive enim „ quid loquar, ſive faciam, ſive miracula operer, omnia Deus, omnia „ Spiritus ſanctus."

Idem, hom. 12 in 1am ad Corinth. num. 1 & 2, hæc verba exponens: *Quid habes quod non accepiſti?* ſic ait: „ Acceptum ergo habes non hoc „ vel illud, ſed omnia quæ habes. Non enim hæc tua rectè facta ſunt, „ ſed ex Dei gratia proveniunt....... Quid ergo habes, quæſo te, quod „ non acceperis, ſed ex te ipſo rectè acquiſieris? Nihil dicere poſſis, ſed „ accepiſti: & ideo altum ſapis? Ideò certè oportebat teipſum deprime- „ re: non enim tuum eſt id quod tibi datum eſt, ſed dantis. Si enim „ accepiſti, ab illo accepiſti. Si ab illo accepiſti, non rem tuam „ accepiſti. Quòd ſi non rem tuam accepiſti, quid altum ſapis quaſi „ rem tuam habens?" Et hom. 38 in eamdem Epiſt. num. 5, ad il- lud: *Gratia Dei ſum id quod ſum*: „ Vidiſti, inquit, ſummam etiam „ nu-

„ humilitatem. Nam delicta quidem ſibi attribuit, ex rectè autem factis nihil ſibi, ſed totum Deo adſcribit...... Deinde rurſus ſolita „ utens humilitate, hoc quoque“ (quòd cæteris plus laboravit) “ citò „ prætercurrit, & totum Deo adſcribit, dicens: *Non ego autem, ſed* „ *gratia Dei mecum.*“

Idem hom. 5 in 2am ad Corinth. „ Hæc maxima virtus eſt“ (ac proinde in veritate, ſine qua virtus omnis falſa eſt, fundata), „ omnia Deo adſcribere, nihil ſuum eſſe ducere.“ Et in hom. 6 in eamdem Epiſt. num. 2: „ Totum Deo adſcribit...... Quod etiam hoc loco „ his verbis facit: *Non quod ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,* „ *tanquam ex nobis.* Hoc eſt: non ita dixi, fiduciam habemus, ac ſi „ aliud noſtrum ſit, aliud Dei; ſed totum iſtud Deo adſcribo.“ Demum in lib. *de Virginitate*, cap. 36, commemoratis his Apoſtoli verbis: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum:* „ Non partim ſuum, inquit, „ partim Dei cenſet, ſed totum Dei.“

S. Hieronymus, lib. 1 Dialog. adverſus Pelagianos, cap. 3, hæc ait: „ Hominis ſumma eſt juſtitia, quidquid potuerit habere virtutis, non „ ſuum putare eſſe, ſed Domini, quia largitus eſt.“ Et initio lib. 4 in Jeremiam, cap. 18: „ Totum gratiæ Dei eſt, qui cuncta largitus eſt. „ Ita enim libertas arbitrii reſervanda eſt, ut in omnibus excellat gratia „ largitoris...... Non enim volentis, neque currentis, ſed miſerentis „ eſt Dei.“

S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſ.* cap. 18. num. 28: „ Laborant homines, inquit, invenire in noſtra voluntate quid boni ſit „ noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo: & quomodò inveniri poſſit „ ignoro.“ Tanto Doctore doctior forſitan fuit Molina, qui, quod ille inveniri poſſe ignoravit, ipſe invenit. Sed timendum ne, quantò ille humilior, tantò iſte fuerit inanior.

S. Cæleſtinus Romanus Pontifex, in fine Capitulorum ipſius Epiſtolæ ad Epiſcopos Galliæ ſubnexorum, declarat „ operi & dignationi gra- „ tiæ nihil penitùs ſubtrahendum eſſe.“

S. Gregorius magnus, lib. 22. Moral. cap. 5, hujus veritatis confesſionem proprium eſſe ſanctorum caracterem affirmat. „ Sancti viri, inquit,..... „ quidquid boni in ſe inſpiciunt, immortalis gratiæ cogno- „ ſcunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & præve- „ niendo dedit eis bonum velle quod noluerant, & ſubſequendo conceſ- „ ſit bonum poſſe quod volunt.“

Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 38, eamdem veritatem eâ vi inculcat, cui nihil addi poteſt. „ Illud, inquit, quod di- „ citur, quia bonum quod agimus & Dei eſt & noſtrum, quia, ni- „ ſi eſſet Dei, non ei pro eodem bono in æternum gratias ageremus, & „ niſi eſſet noſtrum, non ab eo pro eodem juſtè præmia expectaremus, „ neſcimus quid diviſionis vel cujusdam diſtributionis unius atque ejuſ-

„ dem

„ dem boni inter Deum & hominem ſonat, quaſi ex parte ſit Dei, & „ ex parte noſtrum, ſicut toto iſto ſermone aſſerere videtur ſcriptor hu- „ jus Epiſtolæ (Hincmarus), ut quaſi initium boni ſit Dei, effectus au- „ tem liberi arbitrii humani; licet hunc errorem velut gratiæ adjunc- „ tione, non etiam plenitudine temperare conetur, cùm verè totum ſit „ Dei...... Bonum itaque noſtrum totum Dei eſt, quia totum ex Deo „ eſt, & nihil boni noſtri noſtrum eſt, quia nihil boni noſtri ex nobis „ eſt. Et ideò manifeſtè, ut juxta formam paternæ doctrinæ potiùs „ loquamur, omne bonum noſtrum & totum Dei eſt donando, & to- „ tum noſtrum ſit accipiendo. Totum itaque bonum noſtrum Deo „ dandum, Deo eſt tribuendum, quia totum ex illo eſt, non ex no- „ bis, dum totum & ab illo inchoatur, & ab illo agitur & peragitur „ in nobis, quia, non qui ſuo, ſed qui Dei ſpiritu aguntur, ii ſunt „ filii Dei." Mens doctiſſimæ Eccleſiæ non eſt, id quod benè agimus, non eſſe à nobis liberè volentibus & agentibus, ſed in bonis actibus nequaquam diſtinguendum eſſe, ſicut diſtinguere videbatur Hincmarus, & reipſâ diſtinguit Molina, id quod à Deo, & id quod à nobis eſt, quia hoc ipſum, quod noſtrum & à nobis eſt, ex Deo ſit illud nobis donante neceſſe eſt: *Quid enim habes quod non accepiſti?*

S. Bernardus, Serm. 2 in feſto Pentecoſtes, num. 6: „ Quidquid „ boni in te inveneris, illi tribuas à quo omne bonum eſt, & ſine quo „ non parum aliquid, ſed nihil omnino potes incipere, ne perficere „ dicam." Et Serm. 67 *in Cantica*, num. 10: „ Tunc magis gratiâ „ plenam ſe probat (ſponſa), cùm totum gratiæ dederit, & primas „ ſcilicet illi partes adſcribens, & ultimas. Alioquin quomodò gratiâ „ plena, ſi quid habuerit quod non ſit ex gratia? Ergo jam *plena con-* „ *feſſio gratiæ* ipſius gratiæ plenitudinem ſignat in anima confitentis. „ Nam ſi quid de proprio ineſt, in quantùm eſt, gratiam illi cedere „ neceſſe eſt. Deeſt gratiæ quidquid meritis deputas. Nolo meritum „ quod gratiam excludat. Horreo quidquid de meo eſt, ut ſim meus." Cùm autem, hâc doctrinâ non minùs verâ quàm piâ à S. Doctore coram aliquando commendatâ, unus ex circumſtantibus eâ offenſus objeciſſet: „ Quid ergo tu operaris, aut quid mercedis ſperas vel præmii, „ ſi totum facit Deus?" Cui S. Bernardus lib. *de Grat. & lib. arbit.* cap. 1: „ Quid enim tu conſulis? Da inquit, gloriam Deo, qui gratis te „ prævenit, excitavit, initiavit, & vive dignè de cætero, quo te probes „ & perceptis beneficiis non ingratum, & percipiendis idoneum..... „ Et ego, pergit S. Doctor: bonum, inquam, conſilium das, ſed ſi „ dederis & poſſe teneri...... Ubi ergo, ais, ſunt merita noſtra; aut „ ubi eſt ſpes noſtra? Audi, inquam: *Non ex operibus juſtitiæ quæ fe-* „ *cimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Quid „ enim? Tu fortè putaveras tua te creaſſe merita, tuâ poſſe ſalvari juſ- „ titiâ, qui nec ſaltem Dominum Jeſum dicere potes niſi in Spiritu „ ſanc-

Digitized by Google

„ ſancto.“ Hæcque fuit occaſio ſcribendi tractatum hunc egregium *de Gratia & libero arbitrio*, ſub cujus finem ſic loquitur, cap. 14. num. 43; „ Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere „ individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed, ut „ totum in illo, ſic totum ex illa.“

Richardus à S. Victore, part. 1 lib. 1 *de Eruditione interioris hominis*, cap. 3: „ Studeamus totum quod proponimus de gratia præſumere, to- „ tum quod efficimus divinæ gratiæ adſcribere, & hoc pertinet ad ſem- „ piternè vivere.“

S. Thomas, lib. 3 *contra Gentes*, cap. 70: „ Non ſic idem effectus „ cauſæ naturali & divinæ virtuti attribuitur, quaſi partim à Deo, par- „ tim à naturali agente fiat, ſed totus ab utroque ſecundùm alium mo- „ dum; ſicut idem effectus totus attribuitur inſtrumento, & principali „ agenti etiam totus.“

Pius auctor *Imitationis Jeſu Chriſti*, cujus tanta apud omnes Chriſtianos exiſtimatio eſt, eamdem veritatem ubique aſſerere ſtudet: v. g. lib. 3. cap. 9, Deum exhibet hoc modo loquentem: „ Ego ſum qui omnia de- „ di. Nihil ergo tibi de bono adſcribere debes, nec alicui homini vir- „ tutem attribuas; ſed totum da Deo, ſine quo nihil habet homo. Ego „ totum dedi, ego totum retrahere volo, & cum magna diſtrictione „ gratiarum actiones requiro. Hæc eſt veritas quâ fugatur gloriæ va- „ nitas.“

Demum hic omnium Chriſtianorum, ſive doctorum, ſive imperitorum ſenſus eſt, cumque profitetur Eccleſia in oratione pro Dominica 6 poſt Pentecoſten, cùm Deum optimum precatur his verbis: *Deus virtutum, cujus eſt totum quod eſt optimum.* Idem quoque ſub umbris teſtabantur holocauſta in lege offerri juſſa, quibus victimæ in honorem Dei cremabantur. Quid enim hoc præcepto ſignificabatur, niſi teneri hominem nihil quidpiam, quantùmvis exiguum, ſibi adſcribere, ſed quidquid eſt, quidquid cogitat, quidquid vult aut agit benè, totum ſine ulla exceptione Deo acceptum referre, qui *odio habet rapinam in holocauſto* (Iſai. LXI. 8).

Ex hoc inconcuſſo principio ſic argumentor: Quidquid boni eſt in homine, totum ex Deo eſt, non partim à Deo, partim ab homine. Atqui bonus uſus gratiæ, conſenſus & cooperatio voluntatis procul dubio ſunt aliquid boni, imò aliquid optimi. Ergo bonus uſus gratiæ, conſenſus & cooperatio voluntatis ex Deo ſunt. Non autem eſſent ex Deo, ſi gratiæ effectus à conſenſu voluntatis penderet, atque ipſius gratiæ virtus non faceret hominem conſentire & cooperari. Ergo opinio, quæ efficaciam gratiæ repetit à conſenſu voluntatis, certiſſimis fidei principiis apertè repugnat.

Nec dicas SS. Patrum dictis id unum ſignificari, omnes actus bonos ex Dei gratia oriri, non autem omnes bonorum operum partes ſeu for-

ma-

Digitized by Google

maſitates ex Deo eſſe. Hæc quippe interpretatio illorum verbis vim infert manifeſtam, ut cuivis attendenti patebit. Et ſanè ſi aliquid in bonis actibus non eſſet ex Deo, maximè id quod eſt à libero arbitrio. Atqui illud ipſum, quod eſt à libero arbitrio, ex Deo eſt: *Quid enim habes quod non accepiſti?* Aliunde actus boni non partim, ſed toti ſunt à libero arbitrio. Ergo vel illud ipſum, quod eſt à libero arbitrio, ex Deo eſt, vel nihil prorſus in bonis actibus ex Deo eſt.

Fruſtra etiam dicerent idcirco totum Deo attribui, quia nihil facit homo niſi Deo adjuvante & cooperante. Nam in Moliniano ſyſtemate influxus voluntatis in ſuum actum, qui certè influxus eſt aliquid, à Deo non producitur, ſiquidem, juxta illud, gratia cooperans nullomodò influit in ipſam voluntatem, ſed tantummodò ad ipſius actum producendum cum ipſa ſimul concurrit. Præterea cùm actus voluntatis, ſeu volitio ſit eſſentialiter actus vitalis ab ipſamet voluntate elicitus, omnino repugnat eum aliter à Deo produci, quàm faciendo ut velimus & agamus. Si enim volitionem noſtram nobiſcum immediatè producat, illa volitio, quatenus à Deo producitur, non eſt propriè noſtra volitio, nec actus noſtræ voluntatis, ſed aliquid inintelligibile ab actu noſtro planè diſtinctum.

Inde colligitur Deum & liberum arbitrium, quàmvis ambo influant in eumdem effectum, v. g. in converſionem peccatoris, non eſſe cauſas partiales, ſed totales. Cauſæ quippe partiales dicuntur illæ, quarum quælibet influxum habet ſibi peculiarem, quem non recipit ab alia, in genere cauſæ efficientis. Porro, licet liberum arbitrium verè ac realiter influat in proprios actus eosque producat, hunc tamen ipſum influxum habet à Deo illud efficienter movente & determinante. Supereſt ergo ut Deus & liberum arbitrium ſint duæ cauſæ totales ſubordinatæ, quarum una, ſcilicet liberum arbitrium, totum quod vult, quod conatur, quod facit, ab altera, Deo ſcilicet movente, recipiat.'

II°. SS. Patres docent ipſum voluntatis conſenſum, bonumque gratiæ uſum eſſe à gratia præveniente.

S. Gregorius Nazianzenus, Serm. 31, exponens Apoſtoli verba, *non* Tom. .. pag. 5c
eſt volentis &c, ſic loquitur: „Docet hic ſermo quòd ipſum etiam rectè
„ velle divino adjutorio indigeat, immò, ut rectiùs loquar, ipſummet
„ eligere quæ oportet, divinum quoddam donum eſt atque à Dei beni-
„ gnitate manans. Μᾶλλον δὲ αὐτὸ τὸ προαιρεῖσθαι τὰ δέοντα, θεῖόν τι καὶ ἐκ θεοῦ
„ δῶρον φιλανθρωπίας. Ita, quoniam & ipſum velle à Deo eſt, optimo jure
„ totum Deo aſſignavit."

S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 13. num. 33: „Nos
„ ergo volumus, inquit, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo
„ operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.
„ Hoc nobis expedit & credere & dicere. Hoc eſt pium, hoc verum,
„ ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, ut detur totum Deo." Id autem

E 2 quo-

quomodò fiat, exponit S. Doctor in Epiſtola 186, quam unà cum S. Alypio ſcripſit ad Paulinum, cap. 3. num. 10; nimirum „ comitante, „ non ducente, pediſſequâ, non præviâ voluntate.“ Proinde non ideò Deus in nobis operatur velle, quia velle incipimus, ſed ideò velle incipimus, quia ipſe in nobis operatur & velle.

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 3. cap. 10: „ In omni itaque opere ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrii; id eſt, operatur „ Deus, cooperatur homo.“ In ſententia Molinæ contrarium dici debere manifeſtum eſt.

Petrus Diaconus, ejusque ſocii in Epiſtola ad Africanos Præſules in Sardiniam relegatos, cap. 6: „ Fruſtra ergo garriunt (Semipe- „ lagiani), qui dicunt, meum eſt velle credere, Dei autem gra- „ tiæ eſt adjuvare, cùm etiam ipſum credere, quod eſt conſenſum „ præbere veritati, nobis à Deo dari teſtetur Apoſtolus.“ Et cap. 8: „ Sed nos ſequentes Apoſtolum, omnem bonarum cogitationum originem, „ conſenſionemque earum & voluntatem ex Deo, & per Deum, & in „ Deo dicimus, qui pravas hominum voluntates, & terrenis actibus im- „ plicatas, per infuſionem & operationem intrinſecus Spiritûs ſancti „ abſolvit & corrigit, ſicut ſcriptum eſt: *præparatur voluntas à Do-* „ *mino.*“

S. Fulgentius adeò expreſſè hoc definit, ut, ſi Molinam ipſum refellendum habuiſſet, expreſſiùs loqui non potuiſſet. „ Beneficia ipſius „ gratiæ, inquit, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 14, „ ipſi multùm minorant, dum non credunt ipſius gratiæ opus eſſe in „ homine, ut gratia ſuſcipiatur ab homine, quæ non ob aliud divini- „ tùs datur, niſi ut bonam voluntatem in homine primitùs operetur.“ Et cap. ſequenti: „ Iſta gratia, quam Deus vaſis miſericordiæ gratis do- „ nat, ab illuminatione cordis incipit, & hominis voluntatem non bo- „ nam invenit ipſa, ſed facit, atque, ut eligatur, ipſa priùs eligit: „ neque ſuſcipitur aut diligitur niſi hoc ipſa in corde hominis operetur. „ Ergo & ſuſceptio & deſiderium gratiæ opus eſt ipſius gratiæ.“

S. Bernardus in tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 14. num. 46: „ Quid igitur, inquit, hoc totum liberi arbitrii opus, hoc ſolum ejus „ eſt meritum quòd conſentit? Eſt prorſus: non quidem quòd vel ipſe „ conſenſus, in quo omne meritum conſiſtit, ab ipſo ſit, cum nec co- „ gitare (quod minùs eſt quàm conſentire) aliquid à nobis, quaſi ex „ nobis, ſufficientes ſimus. Verba ſunt non mea, ſed Apoſtoli, qui „ omne quod boni eſſe poteſt, id eſt, cogitare, velle & perficere pro „ bona voluntate attribuit Deo, non ſuo arbitrio.“ Idem in toto illo tractatu paſſim inculcat.

S. Thomas, lib. 3 *contra Gentes*, cap. 89, refellens eos qui ſolam agendi virtutem, non autem ipſam volitionem & actionem, à Deo dari exiſtimabant, ſic habet: „ Quibus reſiſtitur evidenter auctoritatibus „ ſa-

„ ſacræ Scripturæ. Dicitur enim Iſaiæ XXVI: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis, Domine.* Unde non ſolùm virtutem volendi à Deo „ habemus, ſed etiam operationem. Præterea hoc ipſum quod Salomon „ dicit, quòcunque voluerit, vertet illud (cor regis), oſtendit divi- „ nam cauſalitatem non ſolùm ad potentiam voluntatis extendi, ſed „ etiam ad actum ipſius."

Argumentatione non opus eſt ad declarandam vim horum teſtimoniorum, cùm ſolâ illorum lectione manifeſtum ſit eis directè ac præciſe profligari Molinismum.

Probatur V° ex caracteribus gratiæ adverſùs Pelagianos ab Eccleſia defenſæ.

5ª Probatio ex caracteribus gratiæ contra Pelagianos ab Eccleſia defenſæ.

Tres potiſſimùm ſunt caracteres gratiæ quam S. Auguſtinum Eccleſiæ nomine contra Pelagianos aſſeruit. 1us eſt, quòd non omnibus detur, ut poſteà ex profeſſo oſtendetur. 2us, quòd ad inſcrutabilia Dei judicia pertineat cur, audito evangelio, ille credat, ille non credat; cur ille adjuvetur, ille non adjuvetur; cur ille plus adjuvetur, ille minus. „ Cur autem ille credat, ait S. Auguſtinus, Epiſt. 194 (olim 105) ad Sixtum, cap. 3. num. 10, „ ille non credat, cùm ambo idem au- „ diunt, & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem vident, „ altitudo eſt divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia „ ſunt judicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cujus vult miſe- „ retur, & quem vult obdurat." Et lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 5. num. 6: „ Cur autem illum adjuvet, illum non ad- „ juvet, illum tantùm, illum autem non tantùm, illum illo, illum „ iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & ex- „ cellentia poteſtatis." 3us eſt, quòd gratia à Catholicis aſſerta talis ſit, ut difficile intellectu ſit quomodò cum libero hominis arbitrio conciliectur, ut docet idem S. Doctor, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 47. num. 52. „ Iſta quæſtio, ait, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, „ ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum ar- „ bitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur Dei gra- „ tia, liberum arbitrium putetur auferri."

Atqui hi tres caracteres, nedum gratiæ Molinianæ per conſenſum voluntatis efficaci conveniant, è contrario illi aperte repugnant.

Primò quidem gratia Moliniana omnibus datur, bonisque & malis, conſentientibus ac diſſentientibus communis eſt: omnes promiſcuè invitat ad ſibi conſentiendum; eique obſequi, ſicut & reſiſtere, in ſolo uniuscujusque arbitrio poſitum eſt.

2°. Nedum in eo ſyſtemate inſcrutabile ſit cur ille credat & bonum operetur, ille non credat, nec bonum operetur, nihil explicatu facilius eſt. Si enim quæras cur, è duobus qui evangelium audiunt, qui idem miraculum vident, hic credat, ille non credat, quod B. Auguſtino inſcrutabile viſum eſt, reſpondet Molina in promptu eſſe ſolutionem: hunc ſi-

ſcilicet credere, quia excitanti gratiæ conſentire vult, illum non credere, quia eidem gratiæ conſentire non vult; nec aliam occultiorem hujus diſcriminis cauſam inquiri oportere, cum alia nulla ſit. Si quæras cur Deus hunc adjuvet, illum non adjuvet; cur hunc tantùm, illum non tantum; ubi S. Auguſtinus ad conſiliorum Dei altitudinem impenetrabilem recurrit, nodum ſolvit Molina dicens hunc adjuvari, quia gratiæ prævenienti conſentire vult, illum non adjuvari quia eidem gratiæ conſentire non vult; hunc tantùm adjuvari quia pleniùs vult, illum non tantum, quia minùs plenè vult; harum autem volitionum aliam cauſam non eſſe præter liberum arbitrium. Sed ſic reſpondendo minimè ſatisfacit. Si enim illarum quæſtionum iſta eſt ſolutio, quid cauſæ fuit ut exclamaret Apoſtolus: *O Altitudo!* &: *Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* Unde meritò concludit auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 25, „ profunditatem illius quæſtionis, „ quam, ſecundum admirationem Apoſtoli, impenetrabilem confite- „ mur, per liberi arbitrii velle & nolle non ſolvi; quia, licet inſit „ homini bonum nolle, tamen, niſi donatum, non habet bonum vel- „ le.“

3°. Nedum etiam difficile ſit gratiam verſatilem cum libero arbitrio conciliare, nihil planius eſt, imò nullus eſt difficultati locus. Quid enim libero arbitrio timeri poteſt ex illa gratia quæ illud quodammodò reveretur, quæ vim non habet illud per ſe determinandi, quæ boni poſſibilitatem tantùm adjuvat, velle autem & nolle in voluntatis arbitrio relinquit? Id adeò verum eſt, ut eo præſertim nomine de ſua novella opinione gloriatus fuerit Molina, quòd per illam concordia gratiæ & liberi arbitrii abſque ullo negotio explicari queat.

6a Probatio ex incommodis hanc opinionem conſequentibus.

Probatur VI° ex graviſſimis incommodis hanc opinionem conſequentibus.

Innumera ſunt hujus opinionis incommoda, quæ partim à nobis variis in locis ſupra expoſita ſunt, partim in poſterum exponentur. Nonnulla tantùm hic perſtringimus.

Primum incommodum eſt, quòd prædeſtinationis gratuitæ & omnem prævisionem meritorum antevertentis veritatem immobilem, quam ad fidem pertinere ſuo loco oſtendemus, funditùs evertat. In eo quippe prædeſtinationis hujus dogma conſiſtit, quòd Deus eis, quos gratis elegit ad gloriam, dona gratiæ ab æterno præparaſſe credatur, quibus certiſſimè liberentur, & à maſſa perditionis ſeparentur. Atqui in hoc ſyſtemate gratia non eſt donum quo quis certiſſimè liberetur, ſed effectum ſuum conſequitur ex conſenſu voluntatis, adeòque homo ſeipſum à maſſa damnationis ſeparat, ex ſeipſo faciendo ut gratia ſibi data ſit efficax. Ergo &c.

Non tantùm Deus electos gratis prædeſtinavit ad gloriam, ſed etiam ad certum gloriæ gradum ſublimiorem vel inferiorem: atque ex hoc fonte

Digitized by Google

ſonte provenit major vel minor vitæ ſanctitas, diverſitasque meritorum. „ Gratia (habitualis), ait S. Thomas, 1. 2. quæſt. 112. art. 4. in corp. „ ex parte ſubjecti poteſt ſuſcipere magis aut minùs, prout ſcilicet unus „ perfectiùs illuſtratur à lumine gratiæ quàm alius: cujus diverſitatis „ ratio quidem eſt aliqua ex parte præparantis ſe ad gratiam; qui enim „ magis ſe ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit. Sed ex „ hac parte non poteſt accipi prima ratio hujus diverſitatis; quia præ„ paratio ad gratiam non eſt hominis, niſi in quantum liberum arbi„ trium ejus præparatur à Deo. Unde prima cauſa hujus diverſitatis „ accipienda eſt ex parte ipſius Dei, qui diverſimodè gratiæ ſuæ do„ na diſperſit ad hoc, quòd ex diverſis gradibus pulchritudo & perfec„ tio Eccleſiæ conſurgat; ſicut etiam diverſos gradus rerum inſtituit, „ ut eſſet univerſum perfectum.“ Et lect. 5 in cap. 8 Epiſt. ad Rom. cum dixiſſet Apoſtolos *majorem omnibus aliis caritatem habuiſſe*, id ſibi objicit: „ Si autem dicat aliquis, poteſt tantùm quis conari quòd ha„ bebit æqualem caritatem cum Apoſtolis:“ ac reſpondet: „ Dicen„ dum quòd caritas hominis non eſt à ſeipſo, ſed à gratia Dei, quæ „ *datur unicuique ſecundùm menſuram donationis Chriſti*, ut dicitur „ Epheſ. IV: unicuique autem dat gratiam proportionatam ei ad quod „ eligitur, ſicut homini Chriſto data eſt excellentiſſima gratia, quia ad „ hoc eſt electus, ut ejus natura in unitatem perſonæ divinæ aſſume„ retur; & poſt eum habuit maximam plenitudinem gratiæ B. Maria, „ quæ ad hoc eſt electa ut eſſet Mater Chriſti. Inter cæteros autem ad „ majorem dignitatem ſunt electi Apoſtoli &c.“

Porro ſi gratiæ efficacia repetenda eſſet ab humano arbitrio, illo potiùs conſentiente quàm non conſentiente, enixius vel remiſſiùs conſentiente, tum *prima cauſa* diverſitatis meritorum non eſſet accipienda ex parte Dei diverſimodè gratiæ ſuæ dona diſpenſantis, ſed ex parte ipſius hominis: neque ex Dei, ſed ex hominis voluntate primariò penderet quòd homo ad majorem vel minorem caritatis, & poſteà æternæ gloriæ gradum perveniret. Ergo Molinianum ſyſtema veritatem prædeſtinationis gratuitæ ad gloriam penitùs evertit.

Secundum incommodum eſt, quòd ea in opinione quod minus eſt Deo, quod excellentius libero hominis arbitrio attribuatur. Nam procul dubio multò minùs eſt poſſe benè velle & benè agere, quàm reipſâ benè velle & benè agere. Atqui in ſententia Molinæ Deus non dat niſi boni poſſibilitatem per gratiam prævenientem; homo verò gratiæ conſentiendo addit bonam voluntatem, quæ eſt quid longè præſtantius. Enimverò, ut ait S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 18. num. 30: „ Si nobis libera quædam voluntas ex Deo „ eſt, quæ adhuc poteſt eſſe bona vel mala, bona verò voluntas ex no„ bis eſt, melius eſt id quod à nobis, quàm quod ab illo eſt. Quod „ ſi abſurdiſſimè dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem

„ nos

„ nos divinitùs adipiſci:“ non per gratiam verſatilem, quâ uti vel non uti ex æquo poſſimus, ſed per gratiam quæ efficit ut velimus.

Tertium incommodum eſt, quòd in eo ſyſtemate gratia non ſibi ſubdat liberum arbitrium, ſed potius ei ſubdatur: quod abſurdiſſimum eſt. Et quidem quòd in ea ſententia gratia liberum arbitrium ſibi non ſubdat, adeò manifeſtum eſt, ut probatione non indigeat. Quòd verò gratia ſubderetur libero arbitrio, ſic oſtendo: Quod à libero arbitrio pendet ut effectum ſuum ſortiatur, & pro ipſius nutu vel efficax eſt, vel inefficax, illud certè, ſaltem quoad uſum, ſubditur libero arbitrio. Talis autem eſt gratia præveniens Moliniana, idque diſertè fatetur Leſſius *de Gratia efficaci*, cap. 12. num. 2. „ Gratia, inquit, poteſt determinari ad operandum hic & nunc à libero arbitrio, quia liberum arbitrium poteſt eâ uti vel non uti.“ Et num. 7: „ Liberum arbitrium quodammodò determinat gratiam.“

Et certè nihil hic eſt medium. Vel gratia liberum arbitrium ſibi ſubjicit, vel ei ſubjicitur; vel gratia libero arbitrio dominatur illud movendo & determinando, vel liberum arbitrium gratiæ dominatur; vel gratia de ſorte hominis diſponit, vel homo de gratiæ ſorte diſponit. Atqui in hoc ſyſtemate gratia liberum arbitrium ſibi non ſubjicit; ergo illi ſubjicitur: gratia libero arbitrio non dominatur illud determinando; ergo ab ipſo pendet ut effectum conſequatur, vel ut caſſa remaneat: gratia de ſorte hominis non diſponit; ergo homo de gratiæ ſorte diſponit ad nutum. Id autem dici quis verè Chriſtianus patienter ferat?

Quartum incommodum eſt, quòd, poſitâ hâc opinione, Deus non magis foret cauſa boni operis quàm diabolus ſit cauſa peccati. Deus quippe hoc in ſyſtemate dici non poteſt cauſa boni operis, niſi quatenus illud ſuadet, atque ad illud interiùs excitat atque invitat. Atqui ex altera parte diabolus excitat & invitat ad peccandum. Ergo utrobique par ratio eſt. Porro diabolus non eſt propriè cauſa peccati quod ſuggerit & ad quod impellit, ſed ſola voluntas hominis tentationi conſentientis. Ut enim docet S. Thomas, quæſt. 3 *de Malo*, art. 3. in corp: „ Illud ſolum vera & propriè cauſa dicitur, quod effectum operatur ac „ perficit; quia cauſa eſt ad quàm ſequitur effectus: ad actionem autem „ perficientis ſtatim effectus ſequitur, non autem ad actionem diſponentis, vel conſulentis, vel imperantis;“ qualis eſt diabolus, qui non voluntatem ipſam peccandi operatur in homine, ſed tantummodò ad peccatum moraliter impellit. Ergo, à pari, ſi Deus moraliter tantùm impelleret ad bonum excitando atque invitando, non autem conſenſum ipſum voluntatis operando, non foret propriè & verè cauſa boni operis; quod dictu ipſo nefas eſt. Sanè, ait S. Bernardus, tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 6. num. 18, diabolo noſtra nos mancipat voluntas, non ipſius poteſtas; Deo ſubjicit ejus gratia, non noſtra voluntas: quia ipſum *velle* operatur in nobis.

Nec

Nec opponas hoc diſcrimen eſſe Deum inter & diabolum, quòd diabolus non interiùs excitet voluntatem aliquid in ipſa operando, ſed tantùm exteriùs proponendo intellectui & imaginationi incentiva peccati; Deus verò gratiam excitantem in ipſa voluntate interius producat. Nam, præterquàm quòd concipi vix poteſt excitatio interna voluntatis, quæ nullum includat deliberatum voluntatis motum in Deum, certè, admiſſâ etiam hujusmodi excitatione, Deus non foret verè & propriè cauſa boni operis. Siquidem illud ſolum, juxta Angelicum Doctorem, propriè & verè cauſa eſt, ad quod *ſtatim* certò ſequitur effectus. Gratiam autem excitantem nullus effectus ſequitur, niſi liberi arbitrii conſenſus accedat.

Quintum incommodum eſt, quòd hac in opinione penitùs dogma evaneſcat peccati originalis, ſtatusque naturæ ſanæ & naturæ corruptæ omnino confundantur. Quid namque vulneris, quid infirmitatis ex peccato originali in nobis eſt, ſi gratiam vel tenuiſſimam efficacem reddere ex nobis ipſis valeamus, Deoque nos non determinante, nec operante in nobis conſenſum, ipſi volumus & conſentimus? In quo gratia Christi medicianalis diſtabit à gratia creatoris, quâ Adamus innocens indigebat, ſi utriusque efficacia à libero noſtro arbitrio tota pendeat? Sed de hoc diſcrimine poſteà fuſiùs tractabimus.

Sextum incommodum eſt, quòd utriusque fœderis, veteris ſcilicet & novi, differentia de medio tollatur. Siquidem, juxta iſtud ſyſtema, & in veteri lege tantum gratiæ Judæis dabatur, quantum ſatis erat ad implenda mandata; & in nova non potentius adjutorii genus ſubminiſtratur, quo fiat in nobis quod Deus præcipit. Conſuli poſſunt quæ de amborum fœderum differentia diximus Lib. III.

His adde gratiam verſatilem nihilo plus efficaciæ ex ſeipſa habere, quàm legem ipſam exteriorem. Sicut enim, externâ lege propoſitâ, incertum manet utrùm homo ſit obtemperaturus, an non; ita, gratiâ verſatili datâ, omnino incertum eſt utrùm voluntas conſenſura ſit, an non. Proinde quemadmodùm penes hominem eſt, juxta Molinam, legem exteriùs promulgatam ſibi ſalubrem obediendo, vel nocivam non obediendo facere, ſic & gratiam. Verùm iſtud argumentum copioſiùs pertractandi occaſio recurret poſteà.

Septimum incommodum eſt, quòd præcipuum hujus ſyſtematis fundamentum ſit, libertatis creatæ eſſentiam conſiſtere in æquilibrio virium, ſeu poſſibilitatis. Porro quantùm iſtud commentum ſacris ſcripturis, traditioni, ipſique rationi & experientiæ repugnet, ſatis ſuperque oſtenſum eſt Lib. II.

Octavum incommodum eſt, quòd hæc opinio virtutum Chriſtianarum fundamentum prorſus ſubruat.

Ac primò quidem humilitatis, ſine qua nulla vera virtus eſt, neceſſitatem evertit, aut ſaltem plurimùm attenuat, quatenus aſſerit, ut ſupra oſtendimus, hominem habere à ſeipſo conſenſum, quem non accepit à

 Deo,

Deo, & de quo proinde ſine inſipientia in ſeipſo gloriari poſſit. „ Unde „ fieri poteſt, ait S. Auguſtinus, Epiſt. 140 (aliàs 120) ad Honoratum, cap. 37. num. 85," ut talis (qui à ſeipſo bonum ſe arbitratur effectum) „ non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur? Qui enim gloriatur quòd ſit „ bonus, in illo debet gloriari à quo factus eſt bonus; ac per hoc, „ qui à ſemetipſo bonum ſe factum arbitratur, conſequens eſt ut in „ ſeipſo, non in Domino glorietur."

2°. Spem chriſtianam omnino pervertit. Cùm enim in eo poſita ſit hæc præſtantiſſima virtus, ut ſoli Deo innitamur, fiduciamque conſequendæ ſalutis in ſola ipſius miſericordiſſima omnipotentia reponamus, ſecundùm illud Jeremiæ XVII. 5 & 7: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus...... Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*, Molinianus è contrario, ſi ſuis principiis ſtare velit, partim in Deo, partim in ſeipſo confidere, immò multò majorem in ſeipſo, quàm in Deo, ſpem collocare debet. Nam 1° ubi duæ cauſæ de ſuo & ex propriis concurrunt ad producendum aliquem effectum, ſpem conſequendi effectum in illis duabus reponi ratio jubet. Atqui, juxta Moliniſmum, Deus & voluntas creata de ſuo concurrunt ad procurandam ſalutem æternam, ita ut Dei gratia non ſit efficax, niſi voluntati humanæ placuerit. Ergo non à ſolo Deo, ſed partim à propria ſua voluntate ſalutem expectare debet Molinianus, ut conſequenter agat. 2°. Spes conſequendæ ſalutis illi præſertim cauſæ inniti oportet, à qua potiſſimùm pendet ut ſalus nobis obventura ſit. Porro ut ſalus nobis obventura ſit, non à gratia, hoc in ſyſtemate, ſed à libero arbitrio potiſſimum pendet. Non enim idcirco præciſè ad ſalutem quis pervenit, quòd gratiam habuerit (quam omnes pariter habuiſſe ſupponuntur), ſed eoquòd gratiæ conſenſerit, eâque rectè uſus fuerit: hic autem conſenſus liberi arbitrii proprium opus eſt. Ergo, hoc in ſyſtemate, homo præcipuam ſpem ſuam in libero ſuo arbitrio ponere deberet. 3°. Ad ſperandum aliquod bonum, non ſatis eſt illud conſiderare tanquam poſſibile, niſi etiam apprehendatur ut futurum; adeòque ſpes bonum illud adipiſcendi non fundatur propriè in ejus poſſibilitate, nec in cauſa iſtius poſſibilitatis, ſed in futuritione, & in cauſa cujus determinatione futurum eſt. Porro per gratiam verſatilem ſalus ſit tantummodò poſſibilis; per conſenſum verò voluntatis reipſâ futura eſt. Ergo, admiſſâ gratiâ verſatili, ſalus à ſolo libero arbitrio propriè & immediatè expectanda eſt, non à gratia. Harum conſecutionum vim nemo non ſentit: conſequentis verò impietatem quis Chriſtianus non horreat? „ Quicunque igitur, inquit S. Agobardus Lugdunenſis in lib. de *Grandine & tonitruis*, num. 15, fidem & ſpem „ ſuam partitus fuerit, ut ex parte credat in Deum, ex parte credat „ hominum eſſe quæ Dei ſunt, & ex parte ſperet in Deo, ex parte autem ſperet in homine, hujus profectò fidem & ſpem diviſam non accipit

Edit. Baluſ. tom. 1. p. g. 163.

„ cipit Deus, ac per hoc inter fideles cenſeri non poteſt; & quem par-
„ tita fides & ſpes à numero fidelium ſecernit, vorago procul dubio
„ infidelitatis abſorbet; meritòque talis maledictum illud incurrit Pro-
„ phetæ dicentis: *Maledictus homo qui ſpem ſuam ponit in homine.* Ne-
„ que verò blandiatur ſibi dicens: magis ſpero in Deo quàm in homi-
„ ne, quia ſpes per partes dividi non poteſt. Aut enim tota erit, &
„ tuta, aut intuta erit, & nulla.

3°. Præcipit Apoſtolus, Philipp. II. 12, ut *cum metu & tremore noſtram ſalutem operemur;* hujusque præcepti rationem indicans: *Deus eſt enim*, ait, *qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Hoc timore ſaluberrimo nihil in vita Chriſtiana utilius, nihil in ſacris litteris ſanctorumque Patrum libris frequentiùs commendatum. Atqui, admiſſo ſemel Molinismo, locus huic timori vix relinquitur. Quid enim timerent homines, qui ſibi perſuadent gratiâ præveniente, quoties illâ opus eſt, nunquam ſe deſtitui, & in ſua poteſtate eſſe illam reddere efficacem cùm voluerint? Vel, ſi fortè timent, certè non idcirco timent, quòd Dei ſit operari in ipſis velle pro bona ſua voluntate, ſiquidem id non credunt, ſed alias quaslibet ob cauſas omnino diſpares.

4°. Jam de oratione & gratiarum actione quid dicam, quæ in illo ſyſtemate aut nullæ, aut irriſoriæ ſunt? Quid enim, quæſo, poſtulabit Molinianus ſibi ipſi conſtans? Num poteſtatem bonum faciendi? Sed eam ſemper habere ſe putat per gratiam ſufficientem, quoties præceptum aliquod urget, nunquam non præſentem, &, eâ deficiente, ſe peccati reum futurum non eſſe arbitratur. Certè quod habetur, ſemperque habebitur, orando non petitur. Num bonum illius poteſtatis uſum poſtulabit? Verùm bonus ille uſus non à Deo, ſed ab ipſius voluntate pendet. „ Quid verò ſtultius, ait S. Auguſtinus, lib. *de Natura & gratia*, cap. 18. num. 20, „ quàm orare ut facias quod in poteſtate ha-
„ beas?" Ergo aut non orabit, aut perfunctoriè orabit.

Non eſt etiam cur propter bona opera ſua gratias agat Deo. Cùm enim de eo tantùm grates Deo debeamus, quod ipſe dederit, non de eo quod, ipſo non donante, ex nobis ipſis haberemus, ſequitur, admiſſâ gratiâ verſatili, gratias agi Deo non debere propereà quod bonum amplexi fuerimus, id enim non eſt propriè donum Dei, ſed tantummodò propterea quòd illius amplectendi poſſibilitatem nobis contulerit; ſi tamen propter id grates Deo rependi oporteat, quod, poſito ſemel præcepto, Deus conferre tenetur, homine alioqui non peccaturo. Utrumque hoc momentum validiùs aſſeremus Art. 4.

Probatur VII° ex cenſuris contra Molinismum latis. 7a Probatio ex cenſuris contra Molinismum latis.

1°. Vixdum in lucem prodierat, auctoribus Leſſio & Hamelio, iſta quam refellimus opinio, cùm novitatis erroriſque nomine damnata fuit à doctiſſimis Facultatibus Theologicis Lovanienſi & Duacenſi. Cenſurarum hiſtoriam brevemque ſynopſim Libro I deſcripſimus, & quanto

in pretio Romæ fuerint expoſuimus. Hic inſeremus tantummodò grave judicium, quod, ſingulis articulis ſigillatim diſcuſſis ac reprobatis, de univerſo ſyſtemate tulerunt Doctores Lovanienſes. „ Sententia hæc, inquiunt in fine ſuæ Cenſuræ, „ bonitatem Dei obſcurat, juſtitiam enervat, Scripturis illudit, Patrum teſtimonia in alienos ſenſus detorquet, humanæ rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamentum evertit, precandi neceſſitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat, in ſalutis negotio quod præcipuum eſt homini donat, quod minus Deo, gratiam libero arbitrio ſubjicit, in ſumma à Pelagianis non ſatis abſcedit. Lutheri verò & Calvini, aliorumque noſtræ tempeſtatis Theologorum ſententiam, dum ab ea videri vult quàm longiſſimè recedere, potentiùſque eam debellare, magis imprudens ſtabilit atque confirmat.“ Hujus Cenſuræ æquitatem probant quæ hactenus dicta ſunt, ac, vice verſâ, eadem Cenſura hactenùs dictis non parvum robur addit.

Omittendum non eſt Epiſcopos Belgii, ejuſdem doctrinæ novitate ac pravitate perculſos, ad eam damnandam ſeſe accinxiſſe, idque reipſâ præſtitutos fuiſſe, niſi Sixti V rem totam ad ſe evocantis prohibitio interceſſiſſet, ut ibidem retulimus.

2°. Eâdem doctrinâ in famoſo Molinæ Libro audaciùs paulò poſt renaſcente, tota turbata eſt Hiſpania. Epiſcopi Academiæque cenſuras emiſerunt, quibus veteri Eccleſiæ doctrinâ prophanas doctrinæ novitates ipſo in ortu præfocarent. Paulò poſt, hujus tantæ quæſtionis examine ſedi Apoſtolicæ reſervato, Clemens VIII celebres illas inſtituit Congregationes *de Auxiliis*, quarum brevem hiſtoriam Libro I delineavimus; quæ per decem annos ſub ipſius & Pauli V Pontificatu continuatæ, rem eò perduxere, ut, poſt multiplex ſæpiùſque iteratum examen, adverſùs doctrinam à Molina aſſertam Bulla apparata fuerit, non quidem, Deo ſic permittente, ſolemniter promulgata, ſed interim in Bibliotheca Angelica ad perpetuam rei memoriam aſſervata. In illis, quoties examen repetitum eſt, toties communi omnium fermè Conſultorum judicio gratia ſeipſâ efficax vicit, Moliniana ſuccubuit, immò Pelagianiſmi palàm convicta & damnata fuit. Relegi poſſunt Cenſorum vota alibi deſcripta.

3°. Cùm Capitulum generale Capucinorum decreto ſanxiſſet, 28 Junii 1691, ut Lectores Theologiæ in Provincia Flandro-Belgica, ad vitandam omnem Janſeniſmi ſuſpicionem, doctrinam Molinæ circa prædeſtinationem & gratiam docere tenerentur, iſtud decretum, Congregationi S. Officii ſub Innocentio XII delatum, planè abrogatum fuit, miſſo inſuper à Congregatione Commiſſario, qui illud è Regiſtris Capucinorum expungeret. Quàm ergo errant qui Molinæ novellum commentum pari, ut ita dicam, greſſu, ac SS. Auguſtini & Thomæ de gratia per ſe efficaci doctrinam, incedere poſſe contendunt. Certè quicunque ad hanc tuen-

Digitized by Google

tuendam ſeſe obligant, ut plerique Religioſi Ordines fecere, ampliſſimas ac debitas à SS. Pontificibus laudes retulerunt. Si qui verò ad illud tenendum ſeſe adſtringunt, id eis crimini vertitur; cùm è contrario illi plurimùm commendentur, qui ſolemnibus decretis Molinæ doctrinam in ſuis ſcholis omnino rejici juſſerunt. Sic, exempli cauſâ, Capitulum Provinciale Auguſtinenſium, Francopoli celebratum 19 Maii 1677, juſſit ab omnibus Theologiæ Profeſſoribus „ doceri ac defendi immaculatam & inconcuſſam S. Auguſtini doctrinam," vetuitque „ ne ſequantur opinionem Lud. Molinæ circa controverſias de ſcientia media & concordia libertatis cum gratia, ut pote adverſantem, ſicut ipſe Molina teſtatur, D. Auguſtini doctrinæ & ſententiæ."

Probatur VIII°. Ad probationum cumulum referre juvat ipſorum Jeſuitarum de Molinæ doctrina judicium. 8ª Probatio ex judicio ipſorummet Jeſuitarum.

Bellarminus, quàmvis, pro ſuo in Societatem, cujus alumnus erat, affectu, Molinæ damnationi quantùm potuit obſiſteret in Congregationibus *de Auxiliis*, illi tamen, quam hic refellimus, opinioni gravem notam inuſſit lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 12. „ Prima opinio, inquit, eſt eorum qui gratiam efficacem conſtituunt in aſſenſu „ & cooperatione humana; ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia „ videlicet ſortitur effectum, & ideò ſortitur effectum, quia voluntas „ humana cooperatur. Itaque exiſtimant ii auctores in poteſtate hominis eſſe ut gratiam faciat eſſe efficacem, quæ alioquin ex ſe non „ eſſet niſi ſufficiens." Deinde illam opinionem, quæ ipſiſſima Molinæ doctrina eſt, reprobat, eoquòd „ aliena ſit omnino à ſententia Scripturarum divinarum, evertatque omnino fundamentum prædeſtinationis „ divinæ."

Finitis Congregationibus *de Auxiliis*, ac ſuſpenſâ usque ad tempus opportunum ſolemni Molinianæ doctrinæ damnatione, Claudius Aquaviva tunc Præpoſitus generalis Societatis, ad minuendam hominum offenſionem, ſummique Pontificis, ut creditur, juſſu & monitis, decretum promulgavit 14 Decembris 1613, quo præcipitur ne quis in poſterum efficaciam gratiæ à conſenſu voluntatis repeteret, ſed ut quisque illam à congruitate Deo præcognita repetendam eſſe doceret. En tenor illius famoſi decreti à Picolominio Aquavivæ ſucceſſore poſteà renovati & confirmati anno 1651, in *Ordinatione pro ſtudiis ſuperioribus*, num 25: „ Mandamus ut in tradenda divinæ gratiæ efficacitate Noſtri eam opi- „ nionem ſequantur, ſive in libris, ſive in lectionibus ac publicis dis- „ putationibus, quæ à plerisque ſcriptoribus noſtræ Societatis tradita, „ atque in controverſia *de Auxiliis* divinæ gratiæ coram SS. Pontifici- „ bus piæ memoriæ Clemente VIII & SS. D. N. Paulo V, tanquam ma- „ gis conſentanea SS. Auguſtino & Thomæ, graviſſimorum Patrum ju- „ dicio explicata & defenſa eſt. Noſtri in poſterùm omnino doceant, „ inter eam gratiam quæ effectum reipſâ habet atque efficax dicitur, „ &

„ & eam quam ſufficientem vocant, non tantùm diſcrimen eſſe in actu „ ſecundo, quia una ex uſu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam „ habentis, effectum ſortiatur, altera non item; ſed in ipſo actu pri- „ mo, quòd, poſitâ ſcientiâ conditionalium, ex efficaci Dei propoſito „ atque intentione efficiendi certiſſime in nobis boni, de induſtria ipſe „ ea media ſelegit, atque eo modo & tempore confert, quo videt ef- „ fectum infallibiliter habitura, aliis uſurus ſi hæc inefficacia prævi- „ diſſet: quare ſemper, moraliter & in ratione beneficii, plus aliquid „ in efficaci quàm in ſufficienti gratia, etiam in actu primo, contineri; „ atque hâc ratione efficere Deum ut reipſâ faciamus, non ſolum quia „ dat gratiam, quâ facere poſſumus: quod idem dicendum de perſeve- „ rantia, quæ procul dubio donum Dei eſt. Romæ 14 Decembris 1613."

Quàm infirmum & inſufficiens ſit hoc temperamentum, patebit ex dicendis Articulo ſequenti. Impræſentiarum ſatis eſt obſervare doctrinam Molinæ, gratiæ efficaciam à ſolo eventu deſumentis, ipſimet Societati adeò intolerabilem viſam fuiſſe, ut authentico decreto cautum eſſe voluerit ne à quoquam in poſterum teneretur. Non inquirimus utrùm iſtud qualecunque temperamentum adeò præciſè ſibi præſcriptum à Jeſuitis obſervatum fuerit.

Huic decreto nixus P. Daniel declarat, in Tract. *de Efficacitate gratiæ*, quæſt. 1. pag. 38 & 39, „ omnes Theologos Catholicos conſentire de- „ bere, aliquid eſſe in gratia efficaci, quo, etiam antecedenter ad ſuum „ effectum, à gratia ſufficiente diſtinguatur; quod ſchola exprimere ſo- „ let his verbis: gratia efficax diſtinguitur in actu primo à gratia ſuffi- „ ciente." Et pag. 52: „ Gratia efficax infallibilem cum effectu ſuo „ connexionem habere debet. Hanc infallibilitatem fundant alii ſupra „ naturam vimque gratiæ: alii eam ſuper aliud fundamentum adſtrue- „ re debent, cujus ope illa gratia ſit in manu Dei inſtrumentum cer- „ tum ad inclinandum voluntatem ſicut ipſi placuerit, faciendumque ut „ agat, abſque eoquòd ei reſiſtat." Porro ſi in eo conſentire debent omnes Theologi Catholici, igitur, ipſis etiam Jeſuitis judicibus, doctrina Molinæ, nullum diſcrimen inter gratiam efficacem & gratiam ſufficientem, antecedenter ad voluntatis conſenſum, admittentis, ab omnibus Catholicis reprobari damnarique debet.

Prodigio ſimile forſan nonnullis videbitur quod hîc referemus, nimirum Jeſuitas, in Theſi publice propugnata anno 1674 in Collegio Romano, à Molinæ placitis adeò receſſiſſe, ut etiam gratiam phyſicè prædeterminantem defenderint. En verba Theſeos: „ Illud ſtatuimus cum „ D. Auguſtino & D. Thoma, auxilia efficacia à Deo conferri ſecun- „ dùm efficax & abſolutum Dei decretum, ſeu propoſitum ſalvandi ho- „ minem, aut ad ſe convertendi, aut faciendi illum divinis vocationi- „ bus conſentire. Hæc Dei voluntas eſt gratia increata, prima ſimpli- „ citer & antecedens gratia, ab intrinſeco efficax, per quam primò diſ-

„ cer-

„ cernitur quicunque benè operatur à non operante, & quicunque Deo „ conſentit ab omni non conſentiente. Admittimus ergo de facto à „ Deo prædefiniri, abſoluto & efficaci decreto ſimpliciter antecedente, „ omnem noſtram bonam & liberam operationem aliquo modo condu- „ centem ad ſalutem." Nullum opinor ex adverſo proferri poterit exemplum ſimile Dominicanorum aut Auguſtinenſium, qui Molinismum publicis in Theſibus profeſſi fuerint.

Argumentis, quæ pro tuenda Molinæ doctrina objiciuntur, reſpondebimus, poſtquàm Articulo V probaverimus gratiam ſeipſâ efficacem eſſe.

Articulus Secundus.

Expenditur & refellitur ſyſtema Congruiſtarum.

Nullum eſt ſyſtema, in quo gratia efficax dici non poſſit ac debeat congrua. Prædeterminatio Thomiſtica congrua eſt, quia creatam voluntatem phyſicè movet eo modo qui ipſius naturæ ac libertati convenit. Congrua pariter eſt delectatio victrix Auguſtinianorum, quia plus virium habet quàm cupiditas hic & nunc ei oppoſita. Uno verbo, in omnium ſententia, inquit Alvarez in Summa *de Auxiliis*, lib. 3. cap. 20, „ gratia efficax eſt congrua, quâ ita moveatur voluntas, ut ſit infalli- „ biliter præbitura conſenſum. Cùm enim Deus attingat à fine ad fi- „ nem fortiter, & diſponat omnia ſuaviter, ſi poteſt movere efficaciter „ voluntatem, ut conſentiat, congruè movet, & ut congruit naturæ „ voluntatis, ut docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 10. art. 4. Difficultas „ ergo eſt unde proveniat talis congruitas gratiæ."

Porro provenire illa non poteſt niſi vel ab intrinſeca virtute ipſius gratiæ, vel aliunde. Quamobrem duplex diſtinguitur gratiæ congruitas, intrinſeca ſcilicet & extrinſeca. Congruitas intrinſeca ea eſt quæ oritur ex virtute ipſa, ſive abſoluta, ſive relativa gratiæ, quæ per ſeipſam voluntatem determinat, effectumque certò producit. Talem congruitatem admittunt quicunque gratiam ſeipſâ efficacem tuentur. Congruitas extrinſeca eſt habitudo gratiæ ad conſenſum, quem gratia ipſa per ſe non producit, ſed quem futurum eſſe Deus ab æterno præſcivit. Iſtam duntaxat congruitatem admittere tenentur quotquot gratiam ſeipſâ efficacem eſſe negant. Hujuſmodi gratiâ congruâ, ut diximus, puri Moliniſmi horrorem temperare à ſuis Præpoſitis generalibus juſſi ſunt Jeſuitæ. De hac unicè nobis hic ſermo eſt.

Omnes hujus ſyſtematis partes evolvimus Lib. I. Diſſert. 7. Paucis igitur illud hic exponere ſufficiet.

Congruiſtæ docent 1° gratiam, quantacunque ſit, non habere ex ſeipſa connexionem certam & infallibilem cum producendo effectu; adeòque nullam per ſe & ab intrinſeco efficacem dari.

2°. Sup-

2°. Supponunt nullam eſſe creaturam liberam certo tempore, certo in loco, certisque in circumſtantiis gratiæ vocanti conſentientem, quæ, ſi alio in loco, alio tempore, aliisque in circumſtantiis poneretur, eidem gratiæ non diſſentiret. Creatura quippe, inquiunt, quæ quovis tempore, quovis in loco & in quibusvis circumſtantiis ſemper bonum vellet, aut malum, ad alterutrum neceſſariò determinata videretur.

3°. Aiunt Deum ab æterno cognoſcere quibus temporibus, quibus in locis, quibus in circumſtantiis voluntas creata gratiæ excitanti conſenſura, & in quibus diſſenſura eſſet, ſi in illis collocaretur.

4°. Deum per ſcientiam mediam id videre in ipſamet voluntate creata, ſeſe proprio ſuo motu ad hoc vel illud determinatura, poſito quòd in tali rerum & circumſtantiarum ordine ponatur; adeòque divinam illam prævifionem nullomodò lædere humanæ voluntatis libertatem.

5°. In ſuprema Dei poteſtate eſſe creaturas rationales in quibus voluerit temporis, loci rerumque circumſtantiis collocare, eisque gratiam excitantem in quibus voluerit circumſtantiis dare.

6°. Hoc pacto poſſe Deum, illæſâ libertate creaturarum, convertere & ad ſalutem perducere quos voluerit, & rurſus quos voluerit in perditione relinquere; aliis ſcilicet gratiam largiendo in circumſtantiis congruis & opportunis, in quibus eos prænovit eſſe conſenſuros; aliis è contrario in circumſtantiis incongruis, in quibus illos diſſenſuros eſſe præſcivit.

7°. Deum reipſâ eis, quos gratis elegit, ſubvenire per media certa & infallibilia, nimirum per gratias congruas, congruisque temporibus datas: aliis ſubvenire quidem per gratias ſufficientes, ſed eas incongruas, temporibusque minimè opportunis impertitas.

8°. Proinde efficaciam gratiæ, ſeu infallibilem ejus connexionem cum effectu producendo, non oriri ex virtute ipſius gratiæ, ut pote quæ voluntatem ex ſe non determinet, & cui voluntas aliis in circumſtantiis poſita reſiſteret; neque ex vi aliqua circumſtantiarum in quibus gratia datur, ſiquidem alius homo in eisdem circumſtantiis collocatus, æqualique gratiâ præventus, reipſâ diſſentiret; neque præciſè à conſenſu voluntatis in ſe ac nudè conſiderato, ſic enim illum conſiderando gratia congrua nullomodò differret ab incongrua & merè ſufficiente; ſed oriri ex conſenſu voluntatis, quatenus à Deo præviſo, ſeu ex certitudine & infallibilitate præſcientiæ Dei, quâ cognoſcit talem gratiam, tali tempore & loco datam, effectum habituram, voluntatemque creatam ei conſenſuram.

Hoc in ſyſtemate duo ſunt diſtinguenda: primum ſcientia media, cui tanquam baſi totum innititur: alterum illius ſcientiæ uſus ad explicandam congruitatem & infallibilem efficaciam gratiæ. De utroque ſigillatim agemus.

§. I.

Digitized by Google

§. I. *Exploditur ſcientia media reſpectu actuum ſupernaturalium.*

Invictis argumentis demonſtravimus Libro III, tractando de neceſſitate præmotionis phyſicæ ad actus quoſlibet creaturarum, Deum futura quæcunque, ſive abſoluta, ſive conditionata, in decretis ſuis abſolutis & prædeterminantibus contueri, commentumque ſcientiæ mediæ, etiam reſpectu actuum naturalium, à fundamentis ſubvertimus. Id ergo unum nunc ſupereſt, ut oſtendamus ſcientiam mediam, quoad actus ſupernaturales, non niſi conculcatâ SS. Patrum auctoritate & cum graviſſimo fidei periculo, admitti poſſe.

Ac primùm quidem ſi actus ipſi naturales à Deo prædefiniuntur, ideòque ab eo non cognoſcuntur niſi in ſuis decretis abſolutis & prædeterminantibus, ut ibidem probavimus, quantò potiori jure idem ſentiendum eſt de actibus ſupernaturalibus præſentis naturæ corruptæ ſtatûs, qui peculiari ratione pluribusque titulis à Deo dependere concipiuntur? Quoniam verò ad id probandum argumenta propria non deſunt, ea proferamus in medium.

Primum eſt, ſcientiam illam mediam, cujus inventione Molina tantoperè gloriatur, à Semipelagianis dudum inventam fuiſſe, & à S. Auguſtino aliisque gratiæ Chriſti vindicibus repulſam.

Scientiam mediam à Semipelagianis admiſſam fuiſſe adeò certum eſt, ut probatione vix indigeat. Scientiæ mediæ nomine intelligitur ſcientia, quâ Deus ante omne decretum abſolutum prænoſcit quid creata voluntas volitura vel actura ſit boni vel mali, ſi hoc vel illo modo vocetur ad fidem aut ad pœnitentiam. Atqui Semipelagiani hujusmodi ſcientiam Deo adſcripſerunt, dixeruntque per illam Deum dirigi in efformandis ſuis circa filios hominum decretis. „ Hæc ipſorum definitio ac profeſſio eſt, inquit S. Proſper, Epiſt. ad S. Auguſtinum, num. 3: „ Qui credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem „ Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos, gratis vocatos, „ dignos futuros electione & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe prævideri t.“ Hilarius quoque idem teſtatur in Epiſtola ad eumdem S. Doctorem, num. 3. „ Cum autem, ait, dicitur eis quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur quod aliquando penè omnibus, ſicut nunc aliquibus gentibus, non prædicatum ſit, dicunt id præſcientiæ eſſe divinæ, ut eo tempore, & ibi, „ & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi præ- noſcebatur eſſe credenda.“ Et num. 4: Cæterùm præſcientiam & prædeſtinationem, vel propoſitum, ad id valere contendunt, ut eos præſciverit, vel prædeſtinaverit, vel propoſuerit eligere, qui fuerant credituri:“ ſeu quos credituros prænoverit.

Inter Aug. Epiſt. 225.

Ibid. 226.

En ſcientia illa divina, decretis abſolutis præſuppoſita, quâ Deus cog-

noſcere dicitur futura conditionatè, & quâ dirigitur ad illos eligendos, illos autem non eligendos, ad mittendum vel non mittendum prædicatores, uno verbo ſcientia quam mediam vocant.

Fatemur, inquiunt Congruiſtæ, ſcientiam quamdam mediam à Semipelagianis admiſſam fuiſſe; ſed non in eo præciſè errabant. In eo ſitus erat illorum error, quòd ſcientiâ illâ mediâ tribus modis abuterentur: 1°. Quòd vellent per illam Deum cognoſcere, quinam ex ſolis naturæ viribus & abſque ulla gratia interiori affecti forent ad fidem ſuſcipiendam, ſi ipſis evangelii veritas annuntiaretur. 2°. Quòd vellent futurum voluntatis conſenſum, à Deo prævifum, eſſe cauſam, motivum, aut ſaltem occaſionem propter quam Deus gratiam tribuat, adeòque per ſcientiam conditionatorum Deum non tantùm dirigi in decretis ſuis efformandis, ſed etiam impelli & quodammodò determinari ad hos potiùs quàm illos eligendos. 3°. Quòd vellent merita bona vel mala conditionatè tantùm futura, & nunquam abſolutè extitura, cauſam eſſe prædeſtinationis vel reprobationis parvulorum, qui vel regenerati, vel non regenerati ex hac vita exeunt. Tria hæc omnino erronea in Semipelagianis reprehendit S. Auguſtinus, non ipſam ſcientiam conditionate futurorum divinis decretis prælucentem; ac proinde non ſcientiam ipſam mediam, ſed manifeſtum ejus abuſum unicè reprobavit S. Doctor.

Verùm 1° falſò ſupponunt omnes Semipelagianos gratiæ cujuſlibet interioris neceſſitatem ad initium fidei negaſſe: ſiquidem contrarium de pleriſque Semipelagianis validiſſimis argumentis Lib. I probavimus; atque inſuper obſervavimus eos, etiam admiſſâ gratiæ verſatilis neceſſitate ad initium fidei, nihilominùs pro hæreticis reputandos fuiſſe. S. Proſper in Epiſtola citata, num. 8, non obſcurè innuit Deum in illorum ſententia non videre conſenſum voluntatis futurum, niſi præſuppoſito aliquo gratiæ adjutorio. „ Penè omnium, inquit, par invenitur & una „ ſententia, quâ propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præ„ ſcientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios vaſa „ contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & ſub ipſo „ gratiæ ADJUTORIO in quâ futurus eſſet voluntate & actione præſcie„ rit."

2°. Non inficiamur Semipelagianos conſenſum voluntatis futurum à Deo præcognitum aſſignaſſe pro cauſa divinæ electionis; atque hoc in capite Congruiſtas ab illorum, ſicut à Molinæ, ſemitis recedere. Sed ſi ſub hoc reſpectu minùs à catholica veritate aberrant, multò minùs conſequentes ſunt quàm Semipelagiani. Cur enimverò Deus, qui neminem à ſalute repellit, quique vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, per bonum gratiæ uſum, ab ipſo prævifum ut conditionatè futurum, non movetur ad dandam gratiam eo modo, quo prævidet hominem illi ſponte conſenſurum? Num Chriſtus, qui dicit, Joann. VI, 36, *eum qui venit ad me non ejiciam foras*, eos, quos certo quo-

quodam modo vocatos ultro ad ſe venturos novit, à ſalute excluderet? Planè, ait Contenſonius, lib. 2. diſſert. 2. cap. 2. ſpecul. 3, „ ſi bona eſt Pag. 76.
„ argumentatio Proſperi contra Collatorem, *nec enim nullius meriti ha-*
„ *beri poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia*, cur ſi-
„ militer dicere non licebit: nullius meriti eſſe non poteſt conatus præ-
„ viſus, bonus uſus gratiæ oblatæ, determinatio concurſûs indifferentis (præviſa)? Quænam diſparitas?“

3°. Verum quoque eſt aliquos Semipelagianos merita bona vel mala parvulorum futura conditionatè, ſi ad ætatem adultam pervenirent, attuliſſe ut cauſam baptiſmi conferendi vel non conferendi; ſed hunc errorem illorum omnium fuiſſe immeritò ſupponitur. Conſtat quippe hanc ſolutionem aliis non paucis diſplicuiſſe, qui ex cauſa parvulorum quidquam concludi nolebant quoad cauſam adultorum. Quamobrem S. Proſper à S. Auguſtino poſtulabat, ibidem, num. 8, ut dignaretur oſtendere „ an per genera cauſarum & ſpecies perſonarum iſta varientur,
„ ut, quia diverſæ ſunt vocationes, in his (parvulis), qui nihil ope-
„ raturi ſalvantur, quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere; in
„ his autem, qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſſit ſtare
„ propoſitum.“ An ideò iſti non erant Semipelagiana labe infecti?

Verùm quidquid ſit de illo ſcientiæ mediæ abuſu, qui Semipelagianis attribuitur, certè non ſolùm ille abuſus à S. Auguſtino culpatus fuit, ſed etiam omnino rejecta ſcientia quælibet decreta præcedens. Nam ſi illam admitti poſſe cenſuiſſet, quid in tali caſu ad revocandos Maſſilienſes fidemque catholicam à calumniis vindicandam præſtare debuit, niſi ut, abuſu correcto, legitimum ſcientiæ mediæ uſum exponeret, maximè rogante S. Proſpero (ibid.), ut pateſaceret „ quomodò per præoperan-
„ tem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium; tum
„ utrùm præſcientia Dei ita ſecundum propoſitum maneat, ut ea ipſa,
„ quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita;..... an, licet dividi
„ præſcientia a propoſito temporali diſtinctione non poſſit, præſcientia
„ tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito.“ Congruiſtarum fidem hìc appello. Quid ipſi in tali caſu conſulti reſpondiſſent? Nonne apertè declaraſſent eſſe reipſâ in Deo ſcientiam decretis præviam; aliquid priùs præſciri debere conditionatè futurum, quàm prædeſtinationis decretum emittatur; neque in eo errare presbyteros Maſſilienſes, quòd hujusmodi ſcientiam in Deo admitterent, ſed quòd vellent Deum illâ moveri, impelli ac determinari ad hos potiùs quàm illos eligendos? Nonne, ſi aliter reſpondiſſent, Eccleſiæ cauſam prodere, Maſſilienſesque magis abalienare ſibimetipſis viſi fuiſſent? Fidem, inquam, ipſorum appello.

Atqui iſtiusmodi reſponſionis ne minimum quidem veſtigium reperire eſt in libris S. Auguſtini *de Prædeſtinatione ſanctorum* & *de Dono perſeverantiæ*, in quibus omnia diſcutit quæ à Maſſilienſibus objiciebantur. Nuſquam ad præſcientiam decreta antevertentem recurrit, ſive ad effi-

Digitized by Google

caciam gratiæ declarandam, ſive ad certitudinem prædeſtinationis adſtruendam; ſed perpetuò recurrit ad omnipotentiſſimam Dei voluntatem, magis in poteſtate habentem voluntates hominum quàm ipſi ſuas. In tali controverſiæ ſtatu ſcientiam conditionatorum decretis prælucentem ſibi clarè propoſitam, cùm de illa conſultus fuerit, non admiſiſſe, rejeciſſe eſt.

Reſpondent Congruiſtæ, ideò S. Auguſtinum non recurriſſe ad ſcientiam conditionatorum, ad libertatem cum gratia conciliandam, quia ſcientia media, quam ipſi admittunt, ſupponit gratiam prævenientem, à qua tanquam liberi arbitrii deſtructrice abhorrebant Semipelagiani; ac proinde multò conſultiùs, in re ad explicandum difficili, recurriſſe ad omnipotentiſſimam Dei voluntatem. Inanis planè reſponſio: falſum quippe eſt, ut jam diximus, Semipelagianos, ſaltem pleroſque, exiſtimaſſe gratiam quamlibet prævenientem ſtare non poſſe cum arbitrii libertate. Abhorrebant quidem à gratia per ſe efficaci, quæ ad ipſum bonæ voluntatis initium requireretur, qualem aſſerebat S. Auguſtinus; ſed, nedum offenderentur gratiâ præveniente verſatili, quâ uti vel non uti in hominis arbitrio poſitum ſit, è contrario hujuſmodi gratiam, ad ipſum initium fidei, à Caſſiano, Gennadio, aliiſque ultro admiſſam fuiſſe pluſquàm probabile eſt. Sed demus illos adeò hebetes fuiſſe, ut ſibi fingerent per gratiam prævenientem ſeipſâ non efficacem, liberoque arbitrio ſubditam, lædi libertatem arbitrii, quid, hoc ſuppoſito, facilius, quid etiam ſalubrius fuit, quàm hanc illis mentem eripere, atque oſtendere gratiam prævenientem verſatilem adeò illæſam ſervare arbitrii libertatem, ut effectum non ſit certò habitura, niſi ex præviſione illius conſenſûs liberè futuri? Cur ergo tam planam, tam obviam ſolutionem, per quam Maſſilienſibus ſatisfieri facile poterat, non attulit S. Doctor, niſi quia perſuaſum habebat ſcientiam decretis prælucentem in Deo admitti nullomodò poſſe?

Verùm non modò S. Auguſtinus ad ſcientiam conditionatè futurorum nunquam recurrit, ad conciliandam libertatem arbitrii cum efficacia gratiæ & certitudine prædeſtinationis, ſed etiam expreſſè aſſeruit præſcientiam Dei in ejus decretis totam fundari. „ Prædeſtinatione, inquit, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 10. num. 19, „ Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus." Et cap. 17. num. 34: „ Electi ſunt „ ante mundi conſtitutionem eâ prædeſtinatione, quâ Deus ſua futura „ facta præſcivit." Non ergo præſcivit Deus determinationes noſtras, ſive conditionatè, ſive abſolutè futuras, niſi in ſuo efficaciſſimo decreto; nec præſcivit quid gratiâ verſatili præventi volituri & facturi eſſemus, ſed prædeſtinando cognovit quid ipſe in nobis operaturus eſſet. Hinc cùm Maſſilienſes, teſte Hilario, Epiſtolæ ad Auguſtinum num. 3, ad opinionem ſuam confirmandam illud objicerent, quod S. Doctor in quadam quæſtione contra Porphyrium dixerat (Epiſt. 102. quæſt. 2. num. 14), „ tunc

„ tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari „ doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui in eum fue- „ rant credituri," hoc præſidium illis eripuit in eodem lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 9. num. 18, obſervavitque præſcientiam ibi memoratam efficaci decreto unicè inniti. „ Cernitis-ne, inquit, me ſine „ præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſarum hoc de præ- „ ſcientia Dei dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelita- „ ti, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim „ eſt verius quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus in „ locis in eum fuerant credituri? Sed utrùm, prædicato ſibi Chriſto, à „ ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt, utrùm „ tantummodò eos præſciverit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quæ- „ rere atque differere tunc neceſſarium non putavi. Proinde quod dixi, „ *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doc-* „ *trinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant* „ *credituri*, poteſt etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere „ Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & „ ubi ſciebat eſſe qui electi fuerant in ipſo ante conſtitutionem mundi." Quis hîc non videt quanto ſtudio S. Doctor excludat omnem præſcientiam efficaci decreto non fundatam, & quâ Deus quidpiam præter opera ſua futura præviderit?

Hinc etiam monet eodem ſenſu intelligi debere SS. Patres ipſo antiquiores, quoties in ſalutis negotio præſcientiæ meminerunt. „ Quid „ ergo nos prohibet, inquit, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 19. num. 48, „ quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, „ & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem" (quâ præſcit Deus quod facturus eſt) „ intelligere?"

Alterum argumentum petitur ab unanimi conſenſu SS. Patrum, apud quos non ſolùm de ſcientia illa media altum ſilentium eſt, verùm etiam ea principia frequentiſſimè occurrunt, quæ illam omnino repellunt. Nam per ſcientiam mediam Deus præſcire dicitur bonum uſum gratiæ, qui futurus ſit, non vi ipſius gratiæ, ſed per liberam voluntatis determinationem. Atqui SS. Patres è contrario docent bonum uſum gratiæ ab ipſa gratia provenire, nihil boni in nobis videri à Deo, quod ab ipſo prædeſtinatum non ſit; conſenſum ipſum voluntatis in bonum ab æterno eſſe prædeſtinatum, opera noſtra bona non partim à Deo, partim à libero arbitrio, ſed in ſolidum ab utroque produci, & alia id genus; ut patet tum ex teſtimoniis Articulo præcedente productis, tum ex producendis Articulo 5, & in Libro ſequente, ubi de prædeſtinatione ante prævisionem meritorum agemus.

Et certè, in illo ſyſtemate, ordo prædeſtinationis, ſeu præparatio mediorum non habet ex ſe infallibilem certitudinem, ſed tantùm ex præſcientia decretum dirigente. Atqui S. Thomas id disertè rejicit, do-

 cet-

cetque, Quæſt. 6 *de Veritate*, art. 3, „ præter certitudinem præſcientiæ, „ ipſum ordinem prædeſtinationis habere infallibilem certitudinem.“

Scotus pariter definit in 1. diſt. 41, „ Deum non prævidere aliquem „ benè uſurum libero arbitrio, niſi quia vult & præordinat eum benè „ illo uſurum.“ Quod totum ſcientiæ mediæ ſyſtema funditùs evertit.

Tertium argumentum ſuppeditat illius doctrinæ novitas. Si enim in ſcientiis humanis, quæ tempore & uſu perficiuntur, nova nonnunquam veteribus præcellunt, in Theologicis diſciplinis, quæ ſoli revelationi divinæ vel immediatè, vel mediatè innituntur, non modò ſuſpectum eſſe debet, ſed etiam falſi convincitur quidquid humana ratio recens de ſuo excogitavit. Quippe, ubi de Religione agitur, „ id eſt verum, quod „ ſit priùs traditum, id falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum,“ ut obſervat Tertullianus, *de Præſcriptionibus hæret.* cap. 31.

Porro ſcientiam mediam ejusque uſum novum eſſe commentum fatentur, &, quod pejus, gloriantur præcipui illius auctores.

Pag. 395. Molina in *Concordia*, quæſt. 23. art. 4 & 5. membr. ult., primum ſe illius inventorem fuiſſe jactat. „ Hæc noſtra, inquit, ratio conciliandi „ libertatem arbitrii cum divina prædeſtinatione, à nemine quem viderim huc usque tradita.“

Iſtam gloriolam Molinæ invidet, ſibique vindicat Fonſeca, tom. 3 *Metaphyſicæ*, lib. 6. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 8. „ Neque enim, ait, quisquam erat qui hoc pacto libertatem arbitrii noſtri cum divina præ„ ſcientia, aut providentia, apertè &, ut dicitur, in terminis conci„ liaſſet:“ idque, ipſo teſte, „ ſcrupulum (ipſi) injiciebat, ne hac ratione „ novum aliquid fortaſſè induceretur, quod non omni ex parte cum „ communi Patrum doctrina, aut diligenti Scholaſticorum examine & „ accurata lima conveniret.“ Sed ſcrupulum adeò ſalubrem proprii partûs amor ſuperavit.

Vaſquez in 1^{am} partem S. Thomæ, diſput. 67. cap. 4: „ Quòd au„ tem, inquit, antiqui Scholaſtici, qui hactenus ſcripſerunt, tantùm „ meminerint ſimplicis ſcientiæ viſionis & ſimplicis intelligentiæ, pa„ rum intereſt; tum quia illi de hac ſcientia ſub conditione nihil om„ nino diſputarunt...... Quid igitur, ſi nos aliam ponamus, cujus ipſi „ mentionem non fecerunt, nec negarunt?“

Granado, 1 part. tract. 5. diſput. 3. ſect. 2, Suarem in eo reprehendit, quòd ſcientiam mediam S. Thomæ aliorumque veterum Theologorum teſtimoniis probare conatus fuiſſet. „ Fateor, inquit, nullùm ex „ his teſtimoniis multùm urgere, ideò videlicet quòd omnes antiquio„ res ſenſerint præſcientiam futurorum cum divino decreto habuiſſe in„ fallibilem & certiſſimam connexionem.“ Addit „ mirum non eſſe, ſi „ temporum decurſu aliquid à Theologis recentioribus excogitatum „ ſit.“

Valentinus Herice in 1^{am} partem, tract. 1. diſp. 7. cap. 1. num. 7 & 8: „ Pri-

Digitized by Google

„ Primores ſcientiæ mediæ patroni, inquit, è noſtra Societate ſunt.
„ Inter eos princeps Molina...... Deinde P. Petrus Fonſeca." Demi-
ratur poſteà „ ſingulare providentiæ beneficium in ſuæ Religionis ma-
„ giſtros (Jeſuitas) collatum,..... quòd doctiſſimos ejusdem familiæ
„ ſcriptores cœleſti lumine perfuderit, hacque illuſtraverit ſcientia, quâ
„ libertas arbitrii contra Lutherum & Calvinum aliosque Sectarios de-
„ fendi poſſit." Credat, qui volucrit, ſcientiæ mediæ arcanum ſæcu-
lo 16° Jeſuitis, ac per eos, tanquam per novos Apoſtolos, Eccleſiæ
revelatum fuiſſe, &, defectu illius novellæ revelationis, libertatem arbi-
trii contra hæreticos illam negantes eò usque rectè defendi non potuiſ-
ſe, quaſi Eccleſia ad tuenda fidei dogmata novis revelationibus in-
digeat.

Tiphanius in libro *de Ordine*, cap. 24, teſtatur „ nullum alium
„ Theologum ante Molinam, ne per ſomnium quidem, de ſcientia
„ media cogitaſſe, nec illam ullibi vel ſuppoſuiſſe, vel adhibuiſſe."

Quid ergo reſtat, niſi ut *deſinat* tandem aliquando *novitas inceſſere vetuſtatem*, ut loquitur B. Papa Cæleſtinus in Epiſtola ad Prosperum & Hilarium?

His argumentis non parum roboris accedit ex judicio Conſultorum
Romanorum in Congregationibus *de Auxiliis*. Quàmvis enim Jeſuitæ
omnes ingenii ſui nervos intenderint, ut illam opinionem quoquo pacto
tuerentur, Cenſores nihilominùs definierunt „ non dari in Deo, an- In Congreg. 60. 29 Octob. 1604.
„ te decretum divinæ voluntatis, certam & infallibilem cognitionem
„ futurorum contingibilium, pendentium à cauſa libera, qualem Mo-
„ lina per ſcientiam mediam Deo tribuit; eam Molinæ ſententiam de
„ ſcientia media à Semipelagianis jam olim fuiſſe invectam, ut gratiæ
„ divinæ ſubtraherent quod naturæ tribuerent; eam non eſſe ſecundùm
„ doctrinam S. Auguſtini, ſed potius contra illam quam contra Pela-
„ gianos & Semipelagianos docuit; ex hac ſententia multa ſequi in-
„ commoda & abſurda contra Philoſophiam & veterem Theologiam,
„ atque etiam contra fidei principia, & propterea maximè oportere ut
„ omnino exterminetur." Et in Canonibus damnandæ doctrinæ ab eiſ-
dem Conſultoribus juſſu Pauli V elaboratis ſic decernitur (in Append.
Hiſt. *de Auxil.* pag. 212): „ Qui dixerit præſcientiam Dei de homi-
„ num ſalute, ſeu quocunque illorum actu ad ſalutem pertinente, fun-
„ dari, non in virtute auxilii ſeu motionis efficacis, ad ſubdendum ſibi
„ arbitrium ejus cui datur, ſed in prævifo uſu humani arbitrii pro ſua
„ libertate auxilio Dei utentis; aut hujusmodi præſcientiam eſſe neceſ-
„ ſariam ad conciliandum inter ſe auxilium gratiæ Dei & liberum uſum
„ arbitrii, errat, ponendo in Deo ſcientiam quæ nullum prorſus habet
„ aut habere poteſt objectum." Demum Paulus V in Bulla contra Mo-
linam parata, cap. 9 (ibid. pag. 228), ſic pronuntiat: „ Quòd in Deo
„ ante omnem actum liberum ſuæ voluntatis, ideòque ante decretum
quo

Digitized by Google

„ quo prædeterminat hominem conſenſurum, ponatur à quibuſdam
„ ſcientia (ab ipſis media, vel alio quocunque nomine appellata),
„ quâ, decretum iſtud ſive excludendo, ſive præveniendo, comminiſ-
„ cuntur Deum præſcire conſenſum hominis futurum ſub hujuſmodi
„ conditione in objecto, ſi homo conſtituatur in certo quodam ordine
„ rerum, auxiliorum & circumſtantiarum, ex infinitis illis ordinibus
„ qui per divinam omnipotentiam eſſe poſſent, & quòd conſenſus ho-
„ minis in quocunque ordine conſtituti putetur futurus, non ex effica-
„ cia decreti & auxiliantis gratiæ Dei, ſed pro innata libertate volun-
„ tatis humanæ; poſitio iſta & opinio aliena eſt à vero ſenſu doctri-
„ næ, quâ de præſcientia propoſiti & beneficio gratiæ Dei in Eccleſia
„ Chriſti approbatum, definitum & hactenus receptum eſt, quòd, licet
S. Proſper Epiſt. ad Aug. „ in Deo dividi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſ-
„ ſit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito, quo in
S. Aug. lib. *de Prædeſt. SS.* cap. 10. „ ſua prædeſtinatione Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus: quia,
„ etſi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, tamen
„ ipſe facit ut illi faciant; & quòd ita Deus in cordibus hominum at-
S. Cæleſtinus in Epiſt. ad Epiſc. Galliæ. „ que in ipſo libero operetur arbitrio, ut omnis motus bonæ voluntatis
„ ſit à Deo."

§. II. *Refellitur ſententia Congruiſtarum circa efficaciam gratiæ.*

Sublatâ è medio ſcientiâ mediâ, quæ totius Congruiſmi fundamentum eſt, ſuperextructum ædificium malè ſuffultum præcipiti ruinâ concidat neceſſe eſt. Hoc ergo primum ſit contra Congruiſtas argumentum: Ex vobis, gratiæ efficacia petitur à præſcientia certa & infallibili conſenſûs conditionatè futuri. Atqui hujuſmodi præſcientia decretum præcedens prorſus chimerica eſt. Ergo rejicienda eſt ea quam vos proponitis gratiæ efficacia.

Verum non deſunt alia momenta, eaque planè ineluctabilia.

Imprimis Congruiſtæ fatentur rejiciendam eſſe doctrinam Molinæ, efficaciam gratiæ a ſolo voluntatis conſenſu deſumentis, ultroque ſubſcribunt probationibus contra illam opinionem Articulo præcedente allatis. Atqui gratiâ congrua, de qua hîc diſceptamus, in ſe conſiderata non differt à gratia Moliniana; non majorem vim habet intrinſecam; ab illa, ut ipſimet Congruiſtæ loquuntur, non differt in genere auxilii, ſed tantummodò in genere beneficii; utraque voluntatem creatam ex ſeipſa non determinat; utraque pariter verſatilis eſt; utraque effectum ſuum non obtinet niſi ex hominis conſenſu. Ergo gratia congrua eiſdem nominibus rejici debet, quibus Molinianam rejecimus.

Enimverò hoc uno iſti Theologi ſeſe à Molina diſcretos volunt, quòd gratia congrua non ideò præciſè ſit efficax, quia voluntas ei conſentit, ſed quia ſpeciali Dei bonitate in eis circumſtantiis datur, in qui-

quibus Deus prævidit voluntatem ei conſenſuram. Atqui hæc differentia eſt merè extrinſeca reſpectu gratiæ, neque impedit quominùs gratia congrua reipſâ efficax non ſit niſi ex voluntatis conſenſu. Vel enim efficax eſt à ſolo conſenſu voluntatis, vel à circumſtantiis opportunis in quibus datur; ſiquidem, fatentibus hujus opinionis auctoribus, nullæ circumſtantiæ habent ex ſeipſis virtutem certò determinandi voluntatem, nec ullatenus repugnat Judam diſſentire gratiæ in iiſdem præciſè circumſtantiis in quibus Petrus conſentiet. Non eſt etiam efficax ex præſcientia futuri conſenſûs, quandoquidem hæc præſcientia non facit objectum ſuum, ſed illud ſupponit futurum: non enim idcirco Petrus conſentit, quia Deus prævidit eum conſenſurum, ſed è contrario idcirco Deus eum conſenſurum eſſe prævidit, quia Petrus ex ſeipſo conſentiet. Ergo conſenſus voluntatis eſt ultima atque unica ratio, quæ afferri poſſit, cur gratia congrua ſit efficax potiùs quàm inefficax. Id fateri cogitur ipſemet Suarez in Opuſculo *de Auxiliis*, cap. 102. num. 3. „ Quòd hic & nunc fiat converſio, potiùs quàm aliàs, aut alio modo, inquit, „ hujus cauſa directa & principalis eſt liberum arbitrium, quàmvis non ſine adjutorio gratiæ."

At, inquies, ſi gratia detur in opportunis circumſtantiis, effectum ſuum certò & infallibiliter obtinebit. Atqui à ſolo Deo pendet gratiam ſuam dare in circumſtantiis opportunis, cùm eam poſſet dare in circumſtantiis in quibus voluntatem reluctaturam eſſe novit. Igitur efficacia gratiæ congruæ ultimò reſolvitur in voluntatem divinam, miſericordiamque gratuitam.

Reſpondeo duo hic confundi, quæ ſunt inſigniter diverſa. Aliud quippe eſt gratiam eſſe congruam aut incongruam, aliud dari gratiam quæ futura ſit congrua vel incongrua. Hoc ultimum à ſolo Deo dependet, penes quem ſupremum jus eſt hominem collocandi, ſuâque gratiâ præveniendi, in quibus voluerit circumſtantiis. At illud primum, videlicet quòd gratia data in talibus circumſtantiis ſit congrua & efficax potiùs quàm incongrua & inefficax, ita non pendet à Deo in ſyſtemate Congruiſtarum, ut Deus illud cognoſcere nequeat in ſuis decretis, ſed tantummodò in creata voluntate ſeipſam determinatura. „ Quòd vocatio „ non ſit congrua, inquit Suarez, lib. 4 *de Gratia*, cap. 6, in his „ qui tantùm auxilium ſufficiens recipiunt, cauſa eſt in ipſis; poſſent „ enim facere ut vocatio eſſet congrua...... Equidem non eſt in hominis poteſtate facere ut Deus ipſi tribuat vocationem quam prævidet futuram & congruam; ſed in ipſius poteſtate eſt ut vocatio ſufficiens, quæ illi datur, ſit congrua." Quanquam igitur Congruiſtæ à Molinianis ſecernere ſe ſtudeant, quatenus dicunt Deum, ex ſpeciali erga nonnullos miſericordia, gratiam illis opportuno tempore tribuere, circa efficaciam tamen gratiæ, cauſamque ultimam hujus efficaciæ, de qua unicè hic agitur, nullomodò ſe ab illis ſegregant.

Ut autem iſtud evidentius fiat, ipſoque quodammodò ſenſu percipiatur, obſervandum eſt hujusmodi congruitatem auxiliorum, in ſola Dei præſcientia fundatam, in ſyſtemate ipſorum Pelagianorum nullam niſi exteriorem gratiam agnoſcentium admitti potuiſſe, atque etiam debuiſſe, ſi conſequenter ratiocinari voluiſſent. Certum quippe eſt eum hominem, qui evangelicæ veritati certo modo certisque in circumſtantiis ſibi exterius propoſitæ acquieſcit, ſic plerùmque affectum eſſe, ut eidem veritati alio modo aliisque in circumſtantiis propoſitæ non acquieſceret. Certum etiam eſt, nec id negaſſent Pelagiani, qui præſcientiam Dei tantoperè commendabant, Deum ab æterno cognoviſſe quibusnam in circumſtantiis ſinguli homines evangelio, hoc vel illo modo ſibi prædicato, credituri fuiſſent, vel non credituri. Supponamus jam aliquos Pelagianos apertiſſimis Scripturarum oraculis, quibus ſpecialis amor Dei erga electos declaratur, tandem convictos, ut ſeſe à cæteris aliquo pacto diſtinguerent, dixiſſe electos non aliâ quidem gratiâ quàm legis & doctrinæ adjuvari, ſed illam eamdem gratiam exteriorem aliis congruam, aliis incongruam dari, hoc eſt, evangelium, Deo ſic decernente, aliquibus eo modo, eo tempore, eo in loco, eisque in circumſtantiis prædicari, in quibus conſenſuri prævisi ſunt, aliis è contrario in eis circumſtantiis in quibus præſciti ſunt non credituri; adeòque ſortem hominum, ſalvâ & integrâ eorum libertate, in manu Dei eſſe, quos voluerit ad cœleſte regnum perducentis, & quos voluerit ab eo excludentis. Hoc ſuppoſito, dicant, quæſo, noſtri Congruiſtæ, num iſtiusmodi Pelagiani gratiam reverâ efficacem admiſiſſe, Pelagianismumque abjuraſſe dici poſſent. Profectò negabunt, & meritò quidem: etſi enim prædicatio opportuno modo, loco & tempore adhibita, effectum quem Deus intendit certò obtineat, ideò tantùm illum obtinet, quòd tunc homo acquieſcere velit, non verò quòd innatam vim habeat certò & efficaciter perſuadendi voluntatem. Porro non aliter à meris Molinianis diſcernuntur Congruiſtæ, quàm illi, quos ſuppoſuimus, Pelagiani à cæteris Pelagianis diſcreti fuiſſent. Ergo quemadmodùm illi Pelagiani, admittendo ſpecialem Dei providentiam erga electos, à cæteris quoad naturam ipſam efficaciamque gratiæ non receſſiſſent, ita & Congruiſtæ, docendo gratiam verſatilem aliis tempore opportuno, aliis tempore minimè opportuno dari, à Molinianis quantùm ad efficaciam gratiæ nullatenus recedunt; ac proinde gratiam nonniſi ex conſenſu voluntatis efficacem reipſâ admittunt, tametſi alio modo loqui ament.

Nec paritatem impugnent, eoquòd gratia congrua Pelagianorum merè externa futura fuiſſet, ea verò quam tuentur interna ſit. Ut enim omittam, quod poſteà probabitur, gratiam internam, quæ per ſe efficax non ſit, à lege & doctrina exteriori non differre penes auxiliandi modum, quem unicè hìc attendimus, hoc ipſo ſtat paritas, quòd congruitas gratiæ interioris verſatilis non magis impediat quominùs gratia illa interior

rior ex ſolo conſenſu voluntatis efficax fiat, quàm congruitas externæ prædicationis impediret quominùs illius prædicationis efficacia ex ſolo voluntatis conſenſu repetenda foret, cùm & utrobique congruitas ejusdem generis ſit, & neutra gratia infallibilem cum effectu connexionem habeat independenter à præſcientia divina.

Inde ſequitur, omnes probationes adverſùs gratiam ab eventu efficacem ſuperiùs allatas, non minùs roboris habere adverſùs gratiam congruam quam nunc expendimus. Id demonſtrare facillimum eſt illarum plerasque recenſendo, huicque alteri opinioni applicando.

Has potiſſimùm ob cauſas gratiæ ab eventu efficacis opinionem rejiciendam eſſe oſtendimus, quòd in ea homo bonum operando ſeipſum ab altero diſcernat, ideòque in ſeipſo gloriari jure poſſit; quòd liberum arbitrium ſtatuat cauſam principalem bonorum operum; quòd illa opinio Pelagianiſmum renovet; quòd adverſetur unanimi doctrinæ SS. Patrum affirmantium, quidquid boni eſt in homine, id totum, ipſumque bonum uſum gratiæ, eſſe à gratia; quòd hujusmodi gratiæ deſint genuini caracteres gratiæ Chriſti ab Eccleſia contra Pelagianos defenſæ; quòd immobilem prædeſtinationis veritatem evertat; quòd liberum arbitrium non ſubdat gratiæ, ſed gratiam ipſam libero hominis arbitrio ſubdat; quòd, illâ admiſſâ, Deus non magis cenſendus ſit cauſa bonorum operum, quàm diabolus cauſa peccatorum; quòd diverſorum ſtatuum humanæ naturæ, innocentis ſcilicet & lapſæ, diſcrimen de medio tollat; quòd novi fœderis prærogativas evacuet, vetusque illi adæquet; quòd virtutum chriſtianarum fundamenta convellat. Atqui ſingula iſta momenta adverſùs Congruiſtas pariter militant, eòque graviùs eos urgent, quod, ipſiſmet fatentibus Molinianis, inſuperabilia ſint.

Primò quidem in ſyſtemate Congruiſmi homo ſeipſum ab altero diſcernit, ac propterea de bono opere in ſeipſo gloriari poteſt. Si quid enim obſtaret, maximè gratiæ congruitas. Atqui illa congruitas huic incommodo non medetur; ſiquidem tota provenit à conſenſu voluntatis præviſo, ideòque præviſo quia creata voluntas ex ſeipſa conſenſura eſt.

Enimverò in gratia congrua duo tantùm diſtingui poſſunt, nempe ipſa gratia, & præviſio futuri conſenſûs. Atqui neutrum diſcernit conſentientem à non conſentiente. Non gratia ipſa in ſe præciſè conſiderata; ſiquidem, fatentibus Congruiſtis, nulla gratia habet infallibilem connexionem cum effectu independenter à præſcientia divina: non etiam præviſio conſenſûs futuri; quandoquidem illa præviſio non facit, ſed præſcit tantummodò conſenſum eſſe futurum: non denique gratia cum præviſione ſimul conjuncta; quantùmvis enim arctè conjungantur, majorem influxum efficaciorémque cauſalitatem non habent quàm ſeorſim conſideratæ. Ergo diſcretio unius hominis ab altero non oritur à gratia con-

congrua, ſed à ſolo libero arbitrio; adeòque homo habet aliquid boni unde in ſeipſo non inſipienter glorietur.

Et certè conſenſus, quo converſus à non converſo diſcernitur, non eſt à Deo, ſed à libero arbitrio, ſi ille conſenſus præſcitur conditionatè futurus, antequàm de illo quidquam à Deo decretum fuerit. Atqui Deus per ſcientiam mediam, ante quodlibet decretum ſuum, præſcit hunc hominem gratiæ conſenſurum, poſito quòd in talibus circumſtantiis gratiâ præveniatur, illum autem in eiſdem præciſè circumſtantiis poſitum non conſenſurum. Ergo, quòd hic homo in his circumſtantiis collocatus conſenſurus ſit, non eſt à Deo, ſive præſciente, ſive auxiliante, ſed à ſolo libero arbitrio ſeipſum ab altero diſcernente. Enimverò quid aliud novit Deus per ſcientiam exploratricem voluntatum, niſi hunc hominem ſeſe ab altero diſcreturum, ſi gratiâ tali modo, tali tempore, tali loco præveniatur? Unde iterum ſic arguo: Ille ſeipſum verè diſcernit ab altero, qui præſcitus eſt ſeſe per ſuum liberum arbitrium diſcreturus, poſito quòd in tali circumſtantiarum ordine ponatur. Atqui Deus ab æterno præſcivit Petrum v. g. ſi collocetur in talibus circumſtantiis, ſeipſum diſcreturum eſſe à Juda in circumſtantiis planè ſimilibus poſito, & gratia æquali prævento; ſeu, quod idem eſt, Petrum in illis circumſtantiis gratiæ prævenienti conſenſurum, Juda æquali gratiæ in eiſdem circumſtantiis reſiſtente. Ergo hoc in ſyſtemate Petrus reipſâ ſeipſum diſcernit à Juda. Ergo de ſuo conſenſu in ſeipſo gloriari meritò poteſt.

Reſpondent Congruiſtæ diſcretionem hominum gloriamque boni operis ſoli Deo attribui oportere, tum quia à ſolo Deo pendet quòd gratia tribuatur in opportunis circumſtantiis, tum quia gratia congrua ſemper major eſt quàm incongrua, non quidem præciſè prout gratia interna eſt, ſed prout modo congruo datur. „ Poteſt quidem fieri, ait Bellarminus (ſeu potiùs ſcriptorum ejus interpolator) lib. *de Gratia & lib. arbit.* cap. 13, „ ut duo homines, eâdem motione internâ acceptâ, eumdem „ concionatorem audiant, & eadem ſigna videant, & unus credat, alter non credat: tamen non poteſt fieri ut, ſi eamdem omnino gratiam excitantem duo homines accipiant, unus credat, alter non credat; ſiquidem ad gratiam non ſolùm pertinet motio ſive excitatio „ interna, ſed circumſtantia temporis, loci, perſonæ &c. Si enim, eâdem motione acceptâ, unus credit, alter non credit, ſine dubio unus „ accepit motionem eo modo, loco & tempore, quo Deus prævidit „ ejus ingenio congruere, alter non ita accepit; ac per hoc longè majorem habuit Dei gratiam is qui credit, quàm qui non credit.“ Tum denique quia, qui gratiæ congruæ conſentit, gratiam cooperantem & concomitantem habet, quæ non conſentienti non datur.

Sed nulla harum reſponſionum argumenti propoſiti vim infirmat.
Prima.

Prima quidem non eſt ad rem. Non enim hic quærimus utrùm penes Deum ſit hominem collocare in circumſtantiis, in quibus prævidit eum gratiæ conſenſurum, quod nec ipſe Pelagius inficiaretur; ſed unde proveniat quòd gratia data in talibus vel talibus circumſtantiis efficax ſit potiùs quàm inefficax. Atqui ex libero arbitrio id provenire ex dictis abundè demonſtratum manet.

Altera nihil præter fallaciam inanemque fucum præ ſe fert. Nam 1° gratia Chriſti propriè loquendo aliud non eſt quàm gratia interior, pro qua unicè contra Pelagianos dimicatum eſt. Adjuncta verò loci, temporis, complexionis, ingenii &c, intra ordinem rerum naturalium continentur, nec niſi latiſſimo & improprio ſenſu gratiæ nuncupatione donari poſſunt. Quando ergo quæritur an gratia benè operantem à malè operante diſcernat, id unum quæritur, an illa diſcretio proveniat à gratia ipſa interiore ac medicinali, quæ major ſit in uno quàm in altero, vel ſaltem quæ minorem cupiditatem in uno quàm in altero ſuperandam inveniat. Porro, juxta Congruiſtas, è duobus hominibus æqualem cupiditatis gradum habentibus, æqualique gratiâ internâ præventis, ille conſentit, hic non conſentit. Ergo ille qui conſentit, non per gratiam interiorem, quæ æqualis in utroque ſupponitur, ſed per ſuum liberum arbitrium diſcernitur. 2°. Falſum eſt gratiam inde majorem cenſendam eſſe, quòd tempore & loco opportunis detur. Nam hujuſmodi circumſtantiæ externæ nullam vim gratiæ addunt; idque adeò verum eſt, ut, juxta eoſdem Congruiſtas, æqualis gratia, in eiſdem circumſtantiis duobus hominibus ſimiliter affectis data, in uno efficax futura ſit, in altero inefficax, conſenſûſque futuri præſcientia neque in vi intrinſeca gratiæ, neque in circumſtantiarum natura, ſed in ſola voluntatis determinatione futura fundetur. Neque etiam gratia major dici poteſt eoquòd hominis eam recipientis ingenio congruat. Vel enim ex vi ſua intrinſeca illi congruit, vel tantùm quia homo tunc conſenſurus prævidetur. Si primum, ſeipſâ efficax foret, quod tanquam liberi arbitrii perniciem effugiunt Congruiſtæ: ſi alterum, eadem abſurda ſemper redeunt.

Adhibitâ comparatione, res magis declarabitur. Supponamus regem qui curſûs velocitati præmium aliquod aſſignet, qui ſimul certò ſciat hunc è ſuis ſubditis infallibiliter præmium reportaturum, ſi equitando, hunc ſi curribus, hunc ſi pedibus, hunc ſi navibus curratur; & qui, volens uni ex illis gratificari, decernat equitatione certatum iri, in qua illum cæteros omnes ſuperaturum eſſe novit. Hoc in caſu, quem Bellarminus ipſe ſuppeditat lib. 2 de *Gratia & lib. arb.* cap. 17, qui in equorum curſu vicerit, gratias quidem regi debebit, eoquòd in ipſius favorem illam curſûs ſpeciem propoſuerit, in qua ſciebat ipſum præmio donandum fore; quòd verò, tali certamine propoſito, ipſe vicerit, non regis benevolentiæ, qui ipſius victoriam tantummodò prævidit, ſed propriæ induſtriæ debebit. Idem dicendum eſt de gratia congrua. Deo quidem de-

debebunt electi quòd, ex ſpeciali in ipſos affectu, eum circumſtantiarum ordinem inſtituerit, in quo ipſos gratiæ conſenſum præbituros prænovit: quod verò, tali circumſtantiarum ordine inſtituto, gratiæ prævenienti obſecuti ſint, non Deo, ſed ſibimetipſis ſuoque libero arbitrio debent.

En alia comparatio gratiæ congruæ vicinior; Supponamus aliquos Pelagianos, admiſſâ ſolâ gratiâ externæ prædicationis, nihilominùs contendiſſe (quod certè ſalvo ſuo errore poterant) benè operantem ſeipſum à peccante non diſcernere, quia, licet utrique evangelium prædicetur, illi tamen ex ſpeciali Dei favore eo modo, eo in loco, eo tempore prædicatur, quo Deus prævidit illum crediturum ac benè victurum; huic autem, Deo ſic volente, non eo modo congruo prædicatur: putamus ne S. Auguſtinum alioſque gratiæ vindices id illis conceſſuros fuiſſe? Nonne reſpondiſſent electionem quidem circumſtantiarum in hujuſmodi opinione à Deo eſſe, diſcretionem verò unius hominis ab altero in eiſdem circumſtantiis poſito, non Deo, neque externæ prædicationi, ſed libero conſentientis arbitrio adſcribi oportere. Idem ſibi in cauſa ſimili reſponſum putent Congruiſtæ.

Tertiam reſponſionem alibi confutavimus, atque oſtendimus abſurdum eſſe gratiam cooperantem, qualem admittit Suarez, aſſignare pro cauſa diſcretionis unius ab altero; eoquòd gratia illa cooperans ſupponat hominem jam diſcretum aut ſeſe diſcernentem, nec idcirco homo conſentire velit, quia gratia illi cooperatur, ſed è contrario, ſecundum Congruiſtas, idcirco gratia illi cooperetur, quia vult conſentire. Aliunde
Pag. 4. fatentur P. Daniel in tract. *de Efficacitate gratiæ*, & Tournely, tom. 2
P. 640. *de Gratia*, gratiæ efficacis nomine propriè intelligi gratiam prævenientem, non verò cooperantem: quid ergo ineptius quàm diſcretionem juſti ab injuſto alii gratiæ quàm prævenienti adſcribere?

II°. In ſyſtemate gratiæ congruæ, non gratia, ſed liberum arbitrium primaria boni operis cauſa eſt. Illud quippe primaria boni operis cauſa cenſenda eſt, quod illius exiſtentiam determinat, & à quo procedit benè operantis à malè operante diſcretio. Porro gratia congrua, ſicut & Moliniana, non determinat exiſtentiam boni operis, nec diſcernit benè operantem à malè operante, ut modò probavimus. Ergo &c.

Et certè gratia congrua nihil addit Molinianæ, niſi reſpectum ad præviſionem divinam. Illa autem præviſio nihil operatur, ſed intuetur tantummodò determinationem à voluntate creata producendam; ac proinde voluntas creata eſt cauſa principalis bonorum ſuorum operum.

III°. Hoc ſyſtema non ſatis recedit ab errore Pelagianorum & Semipelagianorum. Ut enim in Articulo præcedente probatum eſt, Moliniſmus errorem illum magna ex parte renovat. Porro Congruiſmus, ut modò diximus, nihil addit Moliniſmo, præter reſpectum quemdam ad ſcientiam mediam, quem Pelagiani & Semipelagiani ſimiliter admittere potuiſſent, retento nihilominus ſuo errore circa naturam & efficaciam gratiæ.

IV°.

Digitized by Google

IV°. Eodem argumento probatur Congruiſmum apertè adverſari conſtanti atque unanimi traditioni SS. Patrum, docentium, quidquid boni in nobis eſt, id totum, ipſumque conſenſum gratiæ, datum eſſe à Deo. Juxta Congruiſtas enim, conſenſus ille præſcitur à Deo tanquam conditionatè futurus, antequam à Deo quidquam decernatur. Atqui quod ante omne decretum divinum præſcitur futurum, non eſt à Deo, ſed tantùm à libero voluntatis creatæ arbitrio. Ergo hac in opinione aliquid boni eſt in homine quod à gratia non procedit.

V°. Gratiæ congruæ, ſicut & Molinianæ, deſunt caracteres gratiæ Chriſti contra Pelagianos olim deſenſæ. Nimirum, hoc in ſyſtemate, 1° omnibus hominibus datur gratia interior ſufficiens, quæ ab efficaci non aliter differt, quàm quòd voluntas creata illi non conſenſura, huic autem conſenſura prævideatur. 2°. Minimè eſt inſerutabile cur, è duobus hominibus ſimiliter affectis, gratiaque æquali præventis, unus credat & convertatur, alter non credat, nec convertatur. Quàmvis enim nulla ex parte hominis ratio afferri poſſit, propter quam gratia congrua illi detur potiùs quàm incongrua, tamen, quare gratiæ vocanti ille obediat, ille non obediat, facillimè ſolvitur; quia ſcilicet ille voluit, ille noluit. Hujus autem bonæ voluntatis unica cauſa eſt volentis arbitrium, ut ex eo patet quòd, ante ullum voluntatis ſuæ decretum, Deus per ſcientiam mediam illam futuram prænoverit. 3°. Nulla quoque difficultas eſt conciliandi gratiam congruam cùm libertate arbitrii; ſiquidem prima & ultima cauſa effectûs gratiæ eſt ipſamet arbitrii libertas.

VI°. Congruiſmus immobilem gratuitæ prædeſtinationis veritatem, ſi non penitus convellit, ſaltem plurimùm labefactat, nec alio modo illam agnoſcit, quàm quo ab ipſis etiam Pelagianis, ſi conſequenter ſenſiſſent, admitti potuiſſet.

Jam enim oſtendimus ſolâ gratiâ exteriori, vel etiam nullâ prorſus admiſſâ, admitti tamen poſſe quamdam veluti gratuitam prædeſtinationem; dicendo nimirum Deum aliquos gratis dilectos ex ſpeciali favore collocare in illis circumſtantiis, in quibus eos benè acturos eſſe per ſcientiam mediam prævidit, alios verò ponere in circumſtantiis, in quibus eos malè acturos per eamdem ſcientiam prænovit. Id fatetur ipſe Daniel in Defenſione S. Auguſtini, cap. 3. art. 2, aitque in omni ſyſtemate, etiam Pelagiano, agnoſcendum eſſe ſalutem noſtram à Deo pendere, Deumque quos vult prædeſtinare, cùm in ejus poteſtate ſit homines collocare in quibus vult circumſtantiis; ſicque illos collocando, Deus præviderit talibus in circumſtantiis alios ad ſalutem perventuros, alios in damnationem venturos. Unde concludit Pelagium non minùs malum fuiſſe Philoſophum quàm pravum Theologum, ſuiſque argumentationibus contra fidei & contra rationis principia æqualiter peccaſſe. Quare igitur S. Auguſtinus, optimus ſanè Philoſophus, Pelagianis & Semipelagianis nunquam id objecit, niſi quia maximâ ſuâ perſpicuitate intelligebat prædeſtina-

Pag. 158 & ſeq.

Digitized by Google

tinationem ſoli præſcientiæ innixam, qualem Pelagius aliique gratiæ per ſe efficacis inimici admittere potuiſſent, non eſſe gratuitam illam efficaciſſimamque prædeſtinationem, quam Eccleſiæ nomine contra hæreticos defendebat?

Enimverò, ut prædeſtinatio verè gratuita efficaxque ſit, multa requiruntur quæ in ſyſtemate Congruiſtarum, ſicut & in Pelagianorum, locum habere non poſſunt.

Requiritur 1° ut decretum divinum nihil ſupponat ex parte noſtrî. 2°. Ut Deus gratis prædeſtinet non ſolùm ad gloriam, ſed etiam ad majorem vel minorem gradum gloriæ. 3°. Ut non tantum vita æterna, ſed etiam omnia merita ſanctorum, quibus ad vitam æternam perveniunt, à Deo prædeſtinata ſint; alioqui, quod Deus prædeſtinavit, non Deus, ſed homines per ſuum liberum implerent arbitrium. 4°. Ut, quidquid ad ſalutem electos conducit, à Deo unicè aut ſaltem primariò pendeat. 5°. Ut nemo niſi ſpeciali Dei propoſito ſalutem aſſequatur. Videamus utrùm hæc ſingula in ſententia Congruiſtarum ſtare poſſint.

Primò conſtat in hac ſententia decretum prædeſtinationis ſupponere ſcientiam mediam, hoc eſt, prævifionem alicujus objecti quod ſe teneat ex parte noſtrî: Congruiſtis enim omnibus id fixum eſt, quod olim dicebat Fauſtus Semipelagianorum princeps, *niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinationem nihil decernere.* Nec ſatisfaciunt cùm dicunt conſenſum voluntatis conditionatè futurum, cujus exploratio prædeſtinationem præcedit, non eſſe Deo cauſam ſeu motivum prædeſtinandi. Benè quòd vel hoc ultro concedant. At ſaltem illam prævifionem requirunt tanquam conditionem ſine qua nec Deus poſſet quidquam decernere, nec homo cognoſceretur prædeſtinabilis. Proinde quòd homo ſit prædeſtinabilis ad ſalutem, non à Deo, qui tantummodò id præſcit, ſed à libero eſt arbitrio: adeòque, etſi electus in ſeipſo gloriari nequit propterea quòd prædeſtinatus ſit, gloriari tamen poteſt quòd fuerit prædeſtinabilis. Reverâ cùm in hoc ſyſtemate Deo non ſuppetant media ex ſeipſis efficacia, quibus ad ſalutem provehat, ſed tantum gratiæ verſatiles, quarum uſus vel non uſus à libero arbitrio pendet, non repugnat reperiri quoſdam homines voluntatis adeò perverſæ, ut Deus præviderit eos, quibuscunque auxiliis interioribus excitentur, & in quibuslibet circumſtantiis ponantur, in malo obſtinatè permanſuros, ac proinde imprædeſtinabiles. Ab his autem ſeipſos diſcernunt, qui ſaltem in aliquibus circumſtantiis gratiæ obtemperaturi prævifi ſunt.

Altera ex parte, ſicut non repugnat aliquos eſſe imprædeſtinabiles, ita etiam non repugnat alios reperiri indolis adeò propenſæ in bonum, ut, in quibuslibet circumſtantiis conſtituantur, gratiæ obtemperaturi ſint. Quanta his gloriandi materia, quòd ex ſeipſis tam proclives ſint ad omne virtutum genus, modò vel minima gratiæ excitatio non deſit!

Qua-

Quales hi gratiarum actiones Deo prædeſtinanti debebunt, qui ipſos nec ſi vellet reprobare potuiſſet?

2°. De fide eſt Deum non tantùm gloriam abſolutè conſideratam, ſed certum etiam gloriæ gradum, majorem aut minorem, prout vult, ſanctis ab æterno prædeſtinaſſe. Atqui hoc concipi vix poteſt in ſententia Congruiſtarum. Cum enim homines gratiæ prævenienti in congruis circumſtantiis datæ vel ferventiùs, vel remiſſiùs, pro ſuo quisque arbitrio, obſequantur, fieri vix poteſt ut Deus rationem non habeat intenſioris vel debilioris cooperationis liberi arbitrii, per ſcientiam mediam prævisæ, ad certum aliquem gloriæ gradum ſingulis prædeſtinandum. Quid enim ſi ille, quem Deus ad ſublimiorem gloriam evehere vellet, gratiæ, in quibuslibet circumſtantiis detur, nonniſi remiſſè cooperaturus prævidetur? Quid ſi alter, cui Deus minorem beatitudinis gradum deſtinare alioqui vellet, gratiæ in quibuslibet congruis circumſtantiis ſibi datæ devotiùs enixiùsque collaboraturus prævideatur? Nonne perſpicuum eſt teneri Deum, poſito quòd utrumque ad ſalutem perducere decernat, illum ad minorem, iſtum ad majorem gloriæ coronam, non pro ſua, ſed pro illorum voluntate, prædeſtinare, ac proinde, etſi prævisio conditionatè futurorum ratio non ſit, propter quam Deus aliquem ad ſalutem prædeſtinet potiùs quàm non prædeſtinet, non poſſe tamen, ſaltem plerùmque, non eſſe cauſam, propter quam eum ad determinatum beatitudinis gradum, majorem aut minorem, prædeſtinet; ac proinde plurimos, qui in cœleſti regno ſupereminent, habere aliquid unde, præ aliis minùs provectis, in ſemetipſis non immeritò glorientur?

3°. Prædeſtinatio verè gratuita eſſe nequit, niſi omnia electorum merita à Deo prædeſtinata ſint. Hæc conſtantiſſima doctrina eſt omnium SS. Patrum qui de iſto myſterio enucleatiùs tractarunt, ut ſuo loco oſtendetur, & fatentur, ſaltem voce tenus, Congruiſtæ. Reverâ meritum & merces ſunt duo correlata, quorum ſi primum non prædeſtinetur, nec alterum gratis ſub omni reſpectu præparatur. Atqui in Congruiſtarum opinione merita ſanctorum non ſunt à Deo prædeſtinata. Nam Deus illud ab æterno non prædeſtinat, quod non operatur in tempore. Porro Deus non operatur propriè merita electorum, ſed eos excitat tantummodò ad bonum, & propterea non in ſuo decreto, ſed, ante omne decretum ſuum, in ipſa creata voluntate prænoſcit quid boni volitura & actura eſſet, ſi in his vel illis circumſtantiis poneretur; & poſito ſemel decreto, non in ipſius gratiæ efficacia intrinſeca, ſed in voluntate creata liberè conſenſura videt quis uſus gratiæ abſolutè futurus ſit. Ergo in hoc ſyſtemate ſanctorum merita propriè non prædeſtinantur, ac proinde nec gloria. Quid igitur iſta in opinione Deus propriè prædeſtinando decernit? Hoc unum, ſcilicet ſingulos electos collocari in illis rerum circumſtantiis, in quibus prævidet eos gratiæ propriâ ſuâ voluntate conſenſuros, ſicque merita ſibi comparaturos, quibus

ſalutem conſecuturi ſunt. Illum quidem ordinem rerum eâ intentione decernit, ut electi merita ſibi comparent, ſed ipſa merita non prædeſtinat. Eodem quippe modo ſe habet prædeſtinatio in intentione, ac in executione. At in executione Deus non operatur propriè merita, ſed gratiam duntaxat largitur quâ poſſit homo illa ſibi comparare, eamque largitur eo loco & tempore quibus ſcit hominem ſponte cooperando merita ſibi reipſâ comparaturum, ac proinde non merita propriè prædeſtinat, ſed aliquid aliud, quo poſito, merita ſalusque electorum ex propria ipſorum induſtria ſecutura ſunt. Non talis eſt prædeſtinatio ſanctorum: non ea Eccleſiæ fides.

4°. Ad dogma gratuitæ prædeſtinationis omnino pertinet, ut, quidquid ad ſalutem electorum concurrit, à Deo unicè aut primariò ſaltem ordinatum ſit. Alioquin quod Deus decreviſſet, non Deus ipſe, ſed homines vel aliæ cauſæ ſecundæ implerent. Porro in ſyſtemate Congruiſmi innumera ſunt ad ſalutem hominum conducentia, quæ ſpeciali Dei voluntati erga electos attribui vix poſſunt, ſed aut caſui, aut cauſis ſecundis. Scilicet, juxta Congruiſtas, quòd electus gratiæ obtemperet, non ſolius gratiæ opus eſt, ſed circumſtantiarum opportunarum in quibus illa datur. Atqui illæ circumſtantiæ ut plurimùm ab humanis voluntatibus pendent: v. g. quòd prædicator habeatur, quòd prædicator hoc vel illud argumentum hoc vel illo modo tractet, quòd in piam domum aditus pateat, quòd amicus rectè ſuadeat, quòd hoc vel illud matrimonium contrahatur, quòd in hac vel illa urbe, cum his vel illis vivatur, quòd his vel illis negotiis quis occupetur, ab humano potiſſimùm arbitrio dependet in illorum opinione, qui præmotionem phyſicam non admittunt ad omnes & ſingulos actus creaturarum. Pariter quòd bona noſtra diripiantur, quòd contemptui pateamus, quòd ab honoribus & dignitatibus arceamur, vel ad ea promoveamur, quòd vicinus amicusve immaturâ morte rapiatur, & alia innumera hujus generis, vel ex aliorum hominum malitia, vel ex curſu rerum naturalium, Deo concurſum duntaxat ſimultaneum ſuppeditante, eveniunt. Uno verbo, nulla propemodùm rerum circumſtantia eſt, quæ à cauſis liberis proximè vel remotè non pendeat.

Si dicant hæc quidem vera eſſe, ſed poſſe Deum tamen electis procurare eas omnes circumſtantias, quas eorum ſaluti congruas novit, eos ſcilicet, à quibus circumſtantiæ illæ dependent, ponendo pariter in circumſtantiis ad eas procurandas idoneis, hæc reſponſio difficultati non ſatisfacit, ſed nodum nodo ſtringit; iſtæ enim ultimæ circumſtantiæ prioribus procurandis idoneæ ab aliorum quoque hominum voluntate pendent, ad quam determinandam novis circumſtantiis opus erit. Ex hoc labyrintho quis tandem erit exitus?

Redeundum ergo erit ad ſyſtema Molinæ, dicendumque Deum non præparare electis ſpeciales circumſtantias, ſed, exploratis per ſcientiam me-

mediam innumeris rerum ordinibus poſſibilibus, in quorum ſingulis alii & alii homines ad ſalutem perventuri eſſent, hunc in quo nunc ſumus ordinem elegiſſe. At nova rurſus inde naſcuntur incommoda. Cùm enim inter illos, qui in præſenti rerum ordine ſalutem conſequuntur, plurimi ſint qui in pluribus aliis rerum ordinibus ad æqualem vel etiam ampliorem beatitudinem perventuri fuiſſent, quid demum reſtat unde pro electione hujusce ordinis grates agere Deo debeamus? Adde quòd recurrere ad Molinismum nihil aliud ſit quàm Congruismum deſerere.

5°. Evaneſcit prorſus gratuitæ prædeſtinationis dogma, ſi, ex iis qui ſalvantur, aliqui citra ſpecialem Dei amorem & quaſi fortuitò prædeſtinati ſint. Atqui hoc effugi vix poteſt in ſyſtemate Congruiſtarum. Cùm enim, propter mutuam hominum ſecum invicem relationem, unus collocari non poſſit in circumſtantiis opportunis, quin exinde neceſſario quodam nexu multi alii eadem commoda reportent, non poterit Deus decem homines ex amore ſpeciali ad ſalutem eligere, quin hoc ipſo quinquaginta aut centum alios, in quos alioqui propenſam non haberet voluntatem, prædeſtinare teneatur.

VII°. In opinione Congruiſtarum, non liberum arbitrium gratiæ, ſed gratia libero arbitrio ſubditur, penes quod eſt eam efficacem vel inefficacem reddere. Quàmvis enim, juxta Congruiſtas, in hominum poteſtate non ſit gratiam prævenientem accerſere, quæ, ubi ſupernaturaliter agendum eſt, nunquam deeſt, nec efficere ut ſibi opportunò tempore vel loco detur, ab ipſis tamen unicè dependet eam effectu ſuo donare aut privare, ſortemque illius pro ſuo arbitratu determinare.

Reclamant hic Congruiſtæ. An verò, inquiunt, humana voluntas id determinare dicenda eſt, quod ex ſe propriâque naturâ determinatio quædam, inclinatio ac propenſio eſt? Qui ergo gratiæ obſequitur, gratiam minimè determinat, ſed potiùs gratiæ determinationi & inclinationi obſequitur.

Sed miſerè ludunt in æquivoco. Equidem voluntas gratiam verſatilem non determinat objectivè, ſed determinat effectivè: id eſt, gratia verſatilis, etſi determinata quoad objectum particulare ad quod excitat voluntatem, non eſt determinata quoad effectum, nec ſufficiens ad eum per ſeipſam producendum, voluntatemque efficaciter determinandam, ſed ſub eo reſpectu à voluntate ipſa determinatur ad habendum vel non habendum effectum.

VIII°. In eodem ſyſtemate Deus non magis cauſa eſt bonorum operum, quàm diabolus cauſa peccati; quod quàm abſurdum & à doctrina Chriſtiana alienum ſit, ſupra oſtenſum eſt. Nam motio gratiæ congruæ, ſicut & tentationum dæmonis, non phyſica eſt, ſed moralis duntaxat & metaphorica. „ Tota hæc cauſalitas gratiæ, ait Suarez Congruismi pa-
„ rens, lib. 3. *de Auxiliis*, cap. 5, reducitur ad motionem finis, quæ

„ metaphorica eſt.“ Proinde non magis gratia excitans cauſa eſt propria & effectiva boni operis, quàm tentatio cauſa eſt mali operis: nec præſcientia eventûs futuri gratiæ addita illius cauſalitatem auget; ſiquidem conſenſum voluntatis non producit, ſed tantummodò prænovit. Quin etiam, hoc in ſyſtemate, Deus non magis foret cauſa bonorum operum quàm peccatorum. Si enim idcirco bona opera Deo attribuuntur, quia ipſe hominem collocat in circumſtantiis, in quibus eum benè acturum prævidet, cur non pariter peccatum illi adſcribi poterit, cùm ipſe illis quos reprobat ea media easque circumſtantias eligat, in quibus prænovit eos peccaturos?

IX°. Planè evaneſcit hac in opinione diſcrimen gratiæ requiſitæ in duplici naturæ innocentis & corruptæ ſtatu, à S. Auguſtino tantoperè commendatum: ſiquidem in utroque gratia merè verſatilis eſt, in utroque æqualiter congrua vel non congrua, in utroque adjutorium eſt *ſine quo*, non *quo*. Fruſtra illud diſcrimen in eo poneretur, quòd gratia in ſtatu naturæ innocentis requiſita intellectum tantummodò illuſtraſſe diceretur; gratia verò hujuſce ſtatûs voluntatem ipſam excitet. Nam, præterquàm quòd S. Auguſtinus expreſſè docet hominem innocentem gratiam habuiſſe, quâ non ſolùm illuſtrabatur ut videret, ſed etiam accendebatur ut amaret, utriusque gratiæ diſcrimen in eo collocat S. Doctor, quòd per primam daretur tantùm homini poſſe perſeverare, ſi vellet, per hanc autem detur etiam ut velit: uno verbo, totum illarum diſcrimen à ſola auxiliorum intrinſeca virtute repetit. Porro, ſive in ſola illuſtratione intellectûs, ſive etiam in pia excitatione voluntatis gratiam reponas, eadem ſemper erit illius efficacia, ſi hæc in mera congruitate ſcientiæ mediæ ſubjacente conſiſtat.

X°. Differentia quoque veteris & novi teſtamenti, hujusque præ veteri prærogativæ in Scripturis ac SS. Patribus toties inculcatæ, hoc in ſyſtemate pariter evaneſcunt: ſiquidem, juxta illud, gratia planè ſufficiens Judæis omnibus data fuit, ſicuti nunc novi teſtamenti hæredibus datur. Quod enim abundantiorem gratiam Chriſtianis, quàm olim Judæis, dari dicunt, perparum intereſt, maximè cùm efficaciam gratiæ, non à majori vel minori auxiliorum abundantia, ſed à circumſtantiarum in quibus datur opportunitate, deſumi contendant.

Dicent-ne fœdus novum veteri in eo præcellere, quòd Judæis utplurimùm gratia data fuerit in circumſtantiis, in quibus prævidebatur non eis profutura; Chriſtianis verò multò ſæpiùs in circumſtantiis favorabilibus detur. At fruſtra hæc tam exilis prærogativa in Prophetarum oraculis requiretur, apud quos alia multò ſublimior magnificis verbis ſæpiùs repromiſſa legitur, ut alibi oſtenſum eſt. His adde maximum inde abſurdum conſequi, nimirum quòd, ſi in veteri teſtamento gratia, tametſi debilior, in circumſtantiis favorabilibus data fuiſſet, & in novo, licet abundantior, in incongruis circumſtantiis daretur, veriſſimè dici poſſet

poſſet lex vetus vivificaſſe, & nova occidere: quam blasphemiam christianæ aures ferre nequaquam poſſent.

XI°. Demum iſtud ſyſtema pietàtis virtutumque chriſtianarum, imprimis orationis & gratiarum actionis fundamenta plurimum extenuat. Cum enim illud ſolum à Deo petendum ſit, indeque gratiæ agendæ, quod ipſum dare & operari creditur, non bonam ipſam voluntatem, ut pote prævifam tantum, & non decretam, ſed boni duntaxat poſſibilitatem favorabilesque circumſtantias à Deo poſtulari, atque inde gratias agi oporteret. Sic nempe Congruiſtis, ſi ſuis principiis ſtare velint, orandum eſt: „Deus, omnium explorator voluntatum, qui certò noſti ab æterno quid liberum noſtrum arbitrium in ſingulis rerum ordinibus, gratiâ tuâ excitante tantummodò, non operante conſenſum, ex propria ſua indole ac determinatione pariturum ſit, te ſupplices exoramus, non ut gratiâ tuâ nos prævenias, illam enim negare non potes, quoties opera præcipis ſupernaturalia, neque ut benè velle & operari in nobis opereris, tanta quippe gratiæ virtus & efficacia libertatis uſum nobis adimeret, penitusque periret omne bonorum operum noſtrorum meritum; ſed, quoniam certò noſti loca & tempora, in quibus gratiæ tuæ nos allicienti aſſenſum præbituri ſumus, à te petimus ut tunc & ibi nos ad benè agendum excites, quando & ubi nos ex noſtro libero arbitrio tibi obſecuturos eſſe prævidiſti: alioquin gratia tua, quantùmvis interior & intenſa, majoris obdurationis certa nobis occaſio foret." Non ſic Prophetæ & Apoſtoli oraverunt, non ſic orat Eccleſia, non ſic orare nos docuit, non talibus gemitibus interpellat in ſanctis Spiritus ſanctus. De gratiarum actione idem dicendum eſt. De eo quippe, poſtquàm obtentum eſt, gratiæ Deo aguntur, quod, antequàm obtineatur, humiliter ab illo poſcitur.

Alia adverſùs Congruismum argumenta proferuntur.

Præter vitia ſanè graviſſima quæ modò expoſuimus, Congruismo ſimul & Molinismo communia, alia non pauca nec mediocria proferri poſſunt, quibus ſpeciatim premitur Congruiſtarum opinio.

Primum eſt, quòd novitatem adeò manifeſtam in fronte præferat, ut nullum ejus veſtigium in tota retro antiquitate reperire ſit, nullusque ſcriptor Eccleſiaſticus Jeſuitis vetuſtior nominari poſſit, qui illam vel dubitando propoſuerit. Hoc ſolum tanti momenti eſt, ubi de religione agitur, ut, etiamſi alia deeſſent, abundè ſufficiat ad reſpuendum novellas in Theologia opiniones, à quocunque auctore proferantur, & quantâlibet probabilitatis ingeniique luce fulgeant.

Alterum eſt inſigne admodùm, quòd primum fidei noſtræ articulum, quo nos in Deum omnipotentem credere profitemur, manifeſtiſſimè oppugnet. Nimis profectò impium atque abſurdum foret divinam omni-

potentiam ad res corporeas reſtringere, quaſi aut nullum, aut minùs abſolutum in voluntates hominum dominium haberet mentium æquè ac corporum creator Deus. Hanc Dei in ipſas hominum voluntates omnipotentiam talem eſſe alibi probabimus, ut Deo volenti ſalvum facere non modò nullius hominis liberum arbitrium reſiſtat, ſed nec reſiſtere poſſit. Satis erit impræſentiarum P. Danielis inter Congruiſmi patronos non poſtremi expreſſa confeſſio. Sic ille habet in tract. *de Efficacitate gratiæ*, p. 160: „ Fidei veritas eſt, à qua recedi ſine hæreſi nequit, „ Deum eſſe abſolutum noſtrorum cordium dominum; nullos homines „ eſſe tam obduratos, qui illi reſiſtant, quando ipſius miſericordia vult „ eos emollire, atque ad hoc ipſi ſuppetere media certa & infallibilia, „ hoc eſt, gratias quibus divina providentia id certò & infallibiliter „ perficit.“ Utrum hæc veritas ad fidem catholicam pertinens, quam tamen palam oppugnare auſi ſunt, poſt Aſſermet ex ordine Minorum, nonnulli recentiores ſcriptores, quam autem vocetenus confitentur Congruiſtæ, utrùm in ipſorum ſyſtemate ſtare reipſâ poſſit, expendendum eſt.

In eo conſiſtit divina omnipotentia, ut Deus facere poſſit quidquid vult, & velle poſſit quidquid in ſe conſideratum non repugnat; ut, quidquid poteſt, quovis in loco & tempore operari poſſit; ut ejus velle ſit operari; ut ipſius potentiæ cauſalitas ad omnia prorſus extendatur, nihilque ſit vel futurum ſit, niſi quia ipſe fieri vult. Hæc autem ſingula veraciter dici nequeunt in ſententia Congruiſtarum.

1°. Quòd divina omnipotentia in eo conſiſtat, ut Deus faciat quidquid vult, & velle poſſit quidquid in ſe non repugnat, adeò evidens eſt ut probatione non indigeat. „ Non enim quædam efficere poteſt Deus, „ & alia non poteſt, ait Clemens Alexandr. in *Eclogis ex Scripturis Propheticarum* (edit. Oxon. 1715 pag. 993. num. 16), „ neque re ullâ „ infirmus eſt: ſed & nec ipſo volente quædam fiunt, alia verò quaſi ipſo „ invito ſunt effecta, & hæc quidem ab ipſo, alia verò ab alio.“ Quòd verò ſtare id non poſſit in ſententia Congruiſtarum, ſic demonſtro: Nulla creatura rationalis eſt, quam abſolutè conſideratam repugnet ſalvari: nulla quam repugnet ad ſublimiſſimum gloriæ gradum perduci. Atqui in ſententia Congruiſtarum ſupponi poteſt, imo probabiliſſimum eſt aliquas eſſe creaturas rationales, quas Deus ſalvare nequeat, ac multò magis quas ad ſublimiſſimum gloriæ gradum perducere nequeat. Ergo in hac ſententia Deus non facit quidquid vult, nec velle poteſt quidquid in ſe non repugnat: quod ſentire ſummæ impietatis, ne dicam ſummæ inſaniæ eſt.

Probatur minor. Ut hoc in ſyſtemate Deus aliquem ſalvare & ad ſublimem gloriæ gradum evehere poſſit, neceſſe eſt ut priùs præviderit eum in aliquibus ſaltem circumſtantiis gratiæ conſenſurum eſſe, & tanto fervore conſenſurum, ut ſublimem gloriæ gradum promereatur. Atqui ſup-

poni

Digitized by Google

poni poteſt, atque etiam valde probabile eſt, aliquos eſſe homines adeò obſtinatos in peccato, ut in quibuscunque circumſtantiis conſtituti cuilibet gratiæ aſſentire nollent; ſiquidem, ſecundum Congruiſtas, nulla gratia eſt, quantacunque ſupponatur & in quibuslibet circumſtantiis detur, cui voluntatem diſſentire abſolutè repugnet. Id expreſſe fatetur Suarez, *de Gratia*, part. 1. lib. 3. cap. 25. „ Quocunque auxilio dato, inquit, „ fieri poteſt ut voluntas ipſi effectivè reſiſtat." Atque inde concludit lib. 3 *de Auxiliis*, cap. 14. num. 16, poſſe dari homines quos Deus convertere, illæſâ eorum arbitrii libertate, non poſſit. „ Sequi-„ tur, inquit, datâ illâ hypotheſi, Deum non poſſe talem voluntatem „ efficaciter & liberè convertere...... Poſſet tamen illam convertere quò „ vellet, impediendo libertatis uſum." Qualis, quæſo, omnipotentia! Multò adhuc probabilius eſt non paucos eſſe adeò ſocordes, ut gratiæ quamtùmvis congruæ nunquam niſi remiſſè obſecuturi ſint. Ergo hoc in ſyſtemate ſupponi poteſt, imò probabiliſſimum eſt aliquos homines eſſe, quos Deus non poſſit ſalvare, multò minus ad ſublimem gloriæ gradum evehere.

Minorem ſimul & conſequens admiſit quoad gloriam ipſam (quantò magis quoad celſiorem gloriæ gradum?) de Rhodes Jeſuita, diſp. 5 *de Deo*, quæſt. 11 de prædeſtinatione, ſect. 4. §. 3. „ Metaphyſicè lo-„ quendo, inquit, poſſibilis eſt creatura, quæ per ſcientiam mediam „ videatur diſſenſura omnibus auxiliis divinæ gratiæ, & per conſequens „ poſſibilis eſt eodem modo creatura, quæ ſit proximè inconvertibilis „ & imprædeſtinabilis à Deo per auxilium divinæ gratiæ, & per merita „ propria illius." Id verò illi Scholaſtico nequaquam peculiare eſt. Omnium Congruiſtarum nomine reſpondet Tournely in tract. *de Attributis*, „ in rebus moralibus ſuppoſitiones illas metaphyſicas eſſe ac- Tom. 2. pag. 178. „ illuſorias, quia moraliter loquendo ſunt, impoſſibiles... Igitur, addit, „ licet non repugnet, ex natura rei ac metaphyſicè, hominem cui-„ libet ſeparatim auxilio gratiæ diſſentire, non tamen ſupponi morali-„ ter poteſt eum omnibus collectivè ſumptis diſſenſurum: quæ mora-„ lis impotentia in eo eſt, quòd admodum difficile ſit homini multis ac „ ſæpius repetitis divinæ gratiæ motionibus reluctari. Eſto quibusdam „ reſiſtat; at aliis victus tandem ac fatigatus feliciter acquieſcet: tan-„ ta ſcilicet eſt divinæ gratiæ virtus ac ſuavitas, ac tam opportunè no-„ bis attemperata." Sanè probabiliùs dici poſſet aliquos eſſe homines adeò depravatos, ut omnibus gratiæ verſatilis motionibus, quantumvis ſæpè repetitis, reluctaturi ſint: tanta eſt illorum perverſitas & pertinacia in malo.

Sed utamur conceſſis. Ergo, juxta Congruiſtas, ſaltem metaphyſicè loquendo ſupponi poteſt aliquos homines eſſe, qui omnibus gratiæ auxiliis collectivè ſumptis diſſenſuri ſunt. Ergo, ſaltem metaphyſicè loquendo, aliqui ſunt homines quos Deus non poteſt ſalvare. Ergo meta-

ta-

taphyſicè ſaltem loquendo Deus non eſt omnipotens, ſed moraliter tantùm loquendo dici poteſt omnipotens. Quis talia audiens non exhorreſcat? Ego certè ſcribendo horreo & toto corpore contremiſco.

Quis illud alterum, ſcilicet, hoc in ſyſtemate, valde probabile eſſe plurimos eſſe homines, qui, in quibuscunque circumſtantiis ponantur, adeò remiſſe gratiæ aſſenſuri prævisi ſunt, ut ad ſublimem gloriæ gradum, qualis v. g. B. Mariæ, vel Apoſtolis, Prophetis & Martyribus contigit, à Deo evehi nequaquam poſſint, negare poterit? Attamen nullus hominum eſt, quem abſolutè repugnet ad ſublimiſſimum beatitudinis culmen evehi. Ergo, iterum dico, non tantùm metaphyſicè, ſed etiam moraliter loquendo, Deus non erit omnipotens. Ergo delendus erit vel corrigendus primus noſtræ fidei articulus, annuntiandumque generationi venturæ multos eſſe homines, quos Deus, etiamſi vellet, ad celſum gloriæ gradum perducere, illæſâ eorum libertate, non poteſt; ideò nimirum quòd ipſi nusquam vellent ad celſum ſanctitatis gradum pertingere.

Adeò verum eſt hos errores ex opinione quam refellimus conſequi, ut non aliam ob cauſam Congruiſtæ ſcientiam mediam divinis decretis prælucere velint, quàm quòd alioqui fieri poſſet ut Deus aliquid decerneret, in cujus executione ſuccumberet. Enimverò ſi Deus verè eſt omnipotens, ut fides docet, ſi voluntatum humanarum ſupremus eſt dominus, ſi nulli ſint homines ita obdurati ut illi reſiſtant, quando eos emollire vult, quid opus eſt ut voluntates creatas prius exploret, quàm quidquam de æterna hominum ſorte decernat? Definiat, inconſultis creaturis, Omnipotens quidquid voluerit: prædeſtinet ad ſalutem & ad determinatum ſalutis gradum, prout voluerit: media Omnipotenti non deerunt certa & infallibilia. Verùm id planè nolunt Congruiſtæ: nullus eorum eſt qui divina decreta ſic ordinet; nullus qui ſcientiam mediam decretis non præſupponat, nullus qui non dicat Deum eâ dirigi in condendis ſuis decretis. Quid ita, niſi quia vel inviti fatentur Deum alioqui aliquid forſan decreturum, quod poſtmodùm, homine nolente, implere non poſſet? Priùs ergo explorare debet Omnipotens quid poſſit, quid per hominis liberum arbitrium ſibi liceat decernere, ne, inconſultè decernendo, in exequendo deficiat. Ergo, dico iterum & tertiò (nam, quàmvis ſummo cum dolore, ſæpiùs tamen dicendum eſt, ut adverſarii tandem aliquando erubeſcant), Deus non eſt omnipotens, Deus facere non poteſt quidquid vult, nec velle quidquid abſolutè non repugnat.

Addamus, ad impietatis cumulum pleniùs demonſtrandum, illud ipſum, quod Omnipotens, homine nolente, definire & operari nequit, hominem, ſi velit, perficere. Vellet Deus, ſi poſſet, aliquem hominem ad celſum gloriæ æternæ culmen provehere, ſed quod per gratiam ſuaviſſimam & intenſiſſimam præſtare nequit, homine vel non conſentiente, vel

vel remiſſiùs conſentiente, id homo, ſi vult, implere facilè poteſt, gratiæ vel tenuiſſimæ intenſè cooperando. Id verò quid aliud eſt, quàm, Altiſſimo de ſede ſua dejecto, thronum ejus conſcendere?

Iſtud erroris monſtrum deteſtantes cum B. Fulgentio cæteri Africani Præſules, ſic loquuntur in lib. *de Incarnatione & gratia*, cap. 29: „ Ipſi Deo, inquiunt, rurſus dicitur: Subeſt enim tibi, cùm voles, „ poſſe. Quomodò igitur omnia quæ vult facit, ſi volens hominem ſalvum fieri, cujus ſalus nonniſi à bona incipit voluntate, ipſum velle „ non in homine Deus inchoat, ſed ut ab homine naſcatur expectat? „ O quàm peſſimum nefas aſſeritur! ..... Ita-ne rerum ordo credi putarive permittitur, ut Deus, qui creator eſt hominis, valeat hominem facere, non mutare; & qui nullius eget adjutorio ut hominem „ faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non poſſit, „ priusquàm in homine ipſum velle repererit; & ut ſit homo habeat „ ex Deo, ut autem melior ſit, habeat à ſeipſo: ac ſic voluntatem bonitatis, quâ in Deum creditur, non divina bonitas, ſed humana „ pravitas operetur?" Porro in ſyſtemate Congruiſtarum actum bonæ voluntatis non Deus in homine inchoat, ſed præſcit tantummodò an, quando, & ubi ab ipſo libero hominis arbitrio exorturus ſit; neque etiam poteſt quidquam in hominis voluntate operandum decernere, niſi priùs per ſcientiam mediam ipſum velle in homine repererit, ſeu futurum prævideris. Id autem *peſſimum nefas* appellant Præſules.

2°. Alia omnipotentiæ dos eſt, ut, quidquid in ſeipſo non repugnat, Deus operari poſſit, non in aliquibus tantùm, ſed in quibuslibet circumſtantiis. Proinde ſi verè Deus eſt omnipotens ad inclinandum corda hominum quòcunque voluerit, neceſſe eſt ut nullum tempus ſit, nullus locus, nulla circumſtantia, in quibus non poſſit voluntates creatas ad bonum efficaciter determinare.

S. Hyppolitus martyr, *contra Noëtum*, num. 8. (edit. Hamburg. 1716, pag. 293): „ Deus, inquit, omnia facit quæ vult, ſicut vult, „ & quando vult."

S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 21. num. 41: „ Scriptura divina oſtendit hominum voluntates...... ita eſſe in Dei „ poteſtate, ut eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari." Et lib. *de Correptione & gratia*, cap. 14. num. 45: „ Non eſt itaque „ dubitandum voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, ... humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominùs faciat ipſe quod vult: quandoquidem etiam de ipſis hominum „ voluntatibus quod vult, cùm vult, facit...... Sine dubio habens „ humanorum cordium quò placeat inclinandorum omnipotentiſſimam „ poteſtatem, ... magis habet in poteſtate voluntates hominum, „ quàm ipſi ſuas." Hanc veritatem in Scripturis fundatiſſimam ipſo lumine naturali adeò perſpicuam eſſe perſuaſum habebat, ut eam ſine

ſtultitia oppugnari non poſſe pronuntiet. „ Quis tam impiè deſipiat, „ inquit in Enchiridio, cap. 98, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non „ poſſe convertere?"

S. Proſper in Carmine *contra Ingratos*, cap. 16, omnipotentiam gratiæ in eo collocat, quòd quovis tempore, quibuscunque in circumſtantiis, in peccatoribus etiam obduratiſſimis, opus ſuum conſummet, nulloque impedimento retardetur. En ipſius verba tanto Doctore digniſſima:

At verò omnipotens hominem cùm gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit: non moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Non minùs diſertus eſt hanc in rem S. Bernardus, Serm. 67 in Cantica. „ Non recipit (Deus), ait, tuam moderationem, non à te compoſitionem expectat, non commoditatem, non opportunitatem requirit; per ſe & ex intimis, non modò cùm non vis, ſed & cùm neſcis, erumpit."

Et ſanè Deus non ſolùm eſt omnipotens quoad operum ſubſtantiam, ſed etiam quoad operandi modum; id eſt, non ſolùm poteſt quodlibet non repugnans facere, ſed etiam quovis modo, quovis in loco, quovis tempore, quibusvis in circumſtantiis illud facere. Cùm igitur nulla ſit temporis vel loci circumſtantia, in qua repugnet peccatorem converti, in qua peccator ipſe non poſſit ad Deum ſeſe convertere, ſi velit, aut velle non poſſit, neceſſe eſt ut nulla ſit circumſtantia, in qua Deus non poſſit peccatorem, illæſâ ipſius libertate, ad ſe convertere; aut falſò dicitur omnipotens. Atqui in ſententia Congruiſtarum Deus, etiamſi ſupponatur poſſe peccatorem quemlibet convertere, non poteſt tamen illum convertere in hac vel illa circumſtantia, in qua præſcivit eum gratiæ non conſenſurum, ideòque tenetur eligere modos, loca, momenta quibus ſua divina voluntas, accedente hominis voluntate, intento effectu fruſtranda non ſit. Ergo in illa ſententia Deus non eſt ſimpliciter & abſolutè omnipotens. Notandum autem eſt quanta inde divinæ omnipotentiæ injuria irrogetur: nimirum quâcunque gratiâ interiore Deus voluntatem moveat & excitet, diſſentire illa ſemper poteſt, gratiamque caſſam reddere: è contrario, quantùmvis tenuis ſit gratia, ſemper & in qualibet circumſtantia poteſt voluntas illam, ſi velit, efficacem reddere. Quod ergo creatura infirma ſemper & ubique poteſt, illud non poteſt Omnipotens, niſi tempus locumque opportunum reperiat; ideòque non poteſt, quia creatura non vult.

His blaſphemiis opponamus S. Auguſtini ratiocinium. Magis habet Deus in poteſtate voluntates hominum quàm ipſi ſuas. Atqui homines

Digitized by Google

nes ſic habent in poteſtate voluntates ſuas, ut in quavis circumſtantia ad Deum ſeſe convertere, vel ab eo recedere poſſint, illæſâ ſui arbitrii libertate. Ergo à fortiori Deus quoſvis homines in quibuſvis circumſtantiis ad ſe convertere poteſt, illæſâ eorum libertate. Ergo efficacia gratiæ non oritur ab ejus attemperatione eum loco, tempore & indole voluntatis creatæ, ſed ab omnipotentia divinæ voluntatis, quæ in cælo & in terra omnia quæcunque voluit facit.

3°. Divinæ omnipotentiæ tanta virtus eſt, ut ipſius velle ſit operari. Id exprimit Scriptura eùm ait: *Dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux*; & Gen. 1. 3.
alibi: *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.* Deo non Pſalm. 148. v. 5.
aliud eſt velle, aliud agere; ſed volendo operatur, cujus ad imperium effectus continuò ſequitur. Dicit: convertimini, & convertuntur. Dicit: fiat hoc & illud opus bonum, & fit. „ Nihil enim medium eſt inter „ opus Dei atque præceptum, quia in præcepto eſt opus." Verba ſunt S. Ambroſii, lib. 5 in Luc. num. 3. in cap. V. 13. „ Videtis igitur, addit, „ quòd dubitari non poteſt quia voluntas Dei poteſtas eſt. De- „ nique, dixit & facta ſunt." Nec exiſtimandum eſt Deum, ad producendum effectum quem voluerit, aliquo medio extra ſe poſito indigere. Quàmvis enim bona opera noſtra ſine cooperatione noſtra non fiant, hæc ipſa cooperatio, Deo volente ac jubente, ſtatim adeſt; nec niſi libera eſſe poteſt, quam liberam eſſe vult voluntas omnipotens. Abſit ut arbitremur Deum aliquid velle, & alium exequi.

Atqui in ſyſtemate Congruiſtarum longè aliter de Deo ſentiendum eſt. Non enim potentiâ operatur, ſed arte & conſilio utitur, ut, quod ipſe vult, alius operetur. Vult peccatorem converti, ſed, quoniam hoc efficaciter operari nequit, ſalvâ arbitrii libertate, induſtriam adhibet, longoque circuitu eò tendit, ut, quod proponit, id ipſe peccator velit. Omnipotentia impotens atque ad exequendum infirma ſcientiæ mediæ ſubſidium invocat, quâ ſibi ſuggeratur quâ viâ procedere debeat, quando, & ubi, & quibus in circumſtantiis liberum hominis arbitrium gratiæ obſecundaturum ſit. Ea-ne perſona eſt ſupremi Domini, cujus voluntas poteſtate plena eſt, an potiùs ſervi ſolertis & aſtuti, qui, probè perſpectâ domini ſui indole, tempora explorat & capeſſit, ut ejus voluntatem ad omnia quæ ipſe voluerit approbanda inclinet? „ Uno ver- „ bo, ut ſcitè ait Contenſonius, lib. 2. diſſert. 2. cap. 2. ſpecul. 3, Pag. 75.
„ ſcientiâ media facit quidem Deum politicum, ſed non omnipotentem; „ unde non mirum ſi à viris politicis tam conſtanter hæc ſcientia pro- „ pugnetur."

4°. Ut Deus verè dicatur omnipotens, ejus cauſalitas ad omnia & ſingula ſeſe extendere debet, ita ut nihil quoquo modo futurum ſit, niſi quia illud fieri vult. Quemadmodùm enim omnipotens non eſt, qui non facit quæcunque vult, ſic nec ille ſine cujus voluntate aliquid vel eſt, vel futurum eſt. „ Credentes itaque in Deum Patrem omnipoten-

 „ tem,

„ tem, ait S. Auguſtinus, lib. *de Fide & ſymbolo*, cap. 2. num. 3, „ nullam creaturam eſſe quæ ab omnipotente non creata ſit, exiſtimare debemus.“ Atqui in ſyſtemate Congruiſtarum aliquid fit Deo non operante, ſed homine volente, nimirum bonus uſus gratiæ, qui futurus præſcitur ante omne decretum abſolutum divinæ voluntatis.

Nec dicant conſenſum creaturæ eſſe quidem conditionatè futurum ante decretum divinum, ſed abſolutè futurum non eſſe niſi poſt decretum. Nam eo ipſo, quòd ante omne decretum conditionatè futurus eſt, manifeſtum eſt eum à Deo præſciri tanquam aliquid, quod, ipſo non operante, futurum fuiſſet, adeòque minimè incluſum intra potentiæ & cauſalitatis ſuæ limites: manifeſtum quoque eſt, poſito etiam decreto inſtituendi talem ordinem circumſtantiarum, voluntatis conſenſum abſolutè extiturum non eſſe vi ipſius decreti divini, ſed ex ſolo arbitrio creatæ voluntatis; ac proinde illa in opinione aliquid eſſe, illudque non parvi momenti, quod potentiam divinam effugiat, atque intra illius ſphæram, ſaltem directè, non contineatur.

Tertium Congruiſmi vitium eſt ſumma illius duritia, eo magis intoleranda, quòd ad vitandam Auguſtinianæ ac Thomiſticæ doctrinæ immeritò attributam duritiem unicè excogitatus ſit. Quid enim importunius dictuque horribilius, quàm Deum reprobis, quos tamen, inquiunt, ſalvos fieri ſincerè vult, illas omnes circumſtantias illosque excitandi modos conſultò præparaſſe, quibus eos abuſuros eſſe præſciverat, ut hoc pacto à ſalute deficerent, ad quam, ſi cæco modo & quaſi clauſis oculis gratiam ſuam offerret, multi eorum ſuopte arbitrio perveniſſent? Qui erga reprobos, id eſt, erga majorem hominum partem ita ſe gerit, num, quæſo, dicendus eſt eorum ſalutem ſincerè velle, an potiùs poſitivè nolle, artesque omnes adhibere ut eam alioqui forſitan futuram impediat? Num aliam eos perdendi viam iniret diabolus, qui omnes homines damnari atque ad ſuæ pœnæ conſortium venire cupit, ſi prævidere poſſet quibus tentationibus hominum voluntas certò ceſſura vel reſtitura ſit? Quis credat dæmonem erga homines peſſimè affectum, illâ hypotheſi factâ, majorem illorum numerum eis artibus oppugnaturum, quas ſibi inutiles futuras fortiterque repellendas noſſet? Et credemus Deum optimum, hominumque amantem, pleriſque hominibus, quos ſalvari ſincerè velit, eum præ cæteris opitulandi modum elegiſſe, quo illos abuſuros pejoresque efficiendos certò atque infallibiliter prævidit! Hoccine eſt Deum ut miſericordem atque in omnes benevolum exhibere, an potiùs ut crudelem deriſorem, perfidumque proditorem?

Quantùm ab hac blaſphemia diſtat Auguſtinianorum ac Thomiſtarum doctrina, juxta quos, etſi Deus non omnes ad ſalutem efficaciter ordinet, ad quod non tenetur, neminem tamen à ſalute poſitivè excludit, neminem qui venire velit à ſe repellit, nihil quidquam ad eorum qui pereunt damnationem procurandam molitur!

In-

Inſuper ea opinio eisdem difficultatibus ſubjacet ac doctrina Thomiſtarum. „ Quidquid enim adverſus gratuitam electionem & abſoluta de„ creta ab adverſariis opponitur, ait Petavius, lib. 9 *de Deo*, cap. 15. num. 6, „ perinde contra illos procedit, qui efficacem gratiam & con„ gruentem ex peculiari Dei benevolentia certis hominibus attributam „ eſſe ſentiunt, velut illud: quidquid agas, ad ſalutem nihilominùs „ pervenies, ſi à Deo ſis electus.“ Idem agnoſcit Leſſius, imò Congruismum Thomiſticâ doctrinâ multò duriorem eſſe confitetur in Diſputatione Apologetica. „ Non tollitur difficultas, inquit, per ſcientiam „ conditionatam, ſed potius augetur, quia ſubminiſtrat modum occulte „ exequendi & diſſimulanter impediendi ne quis non electus in nume„ rum ſalvandorum intret; & quivis mallet...... voluntatem ſuam præ„ determinari & neceſſariò impelli ad opus malum, quàm occultis mo„ dis ita gubernari, ut liberè faciat, quia illo modo plus haberet excu„ ſationis.“

Quartum vitium eſt, quòd illa opinio quotidianæ experientiæ repugnet. Conſtat enim multos egregiè educatos & in circumſtantiis valde favorabilibus poſitos ad malum converti; alios è contrario in circumſtantiis omnium periculoſiſſimis mirabili Dei potentia ad bonum converti. Conſtat plurimos in ipſo cupiditatum æſtu ſubitò ad veram ſinceramque pietatem fuiſſe tranſlatos, v. g. S. Geneſium, qui ſub Paganiſmo mimus, cum in theatro, ſpectante Diocletiano Imperatore, myſteriis Chriſtianorum illuderet, repente converſus ad fidem, baptizatus & martyrio coronatus eſt. Appoſitè obſervat Card. Franciſcus Toletus Jeſuita, in cap. V Lucæ, annotat. 54, Chriſtum „ tunc vocaſſe diſcipulos „ multos, & præſertim Matthæum, quando plus erant impediti, ma„ giſque diſtinebantur ne venirent. Sic, ait, Petrum & Andræam vo„ cavit, quando retia mittebant in mare, nec expectavit ut jam eſſent „ miſſa, nec prævenit antequàm mitterentur, ſed dum mittebant; hoc „ enim majus adferebat impedimentum. Sic Paulum vocavit, quando „ in via erat, nec prævenit profectionem ejus, priusquàm acciperet „ litteras à ſummo Sacerdote, & vocavit dum opus fervebat, minùsque „ ad obſequendum paratus erat. Sic nunc Matthæum vocat, non ante„ quàm ſederet, ſed dum ad ipſum telonium ſedebat & ipſi operi in„ cumbebat. In hoc enim virtus vocantis magis clareſcit & magnitudo „ gratiæ revelatur, minùsque homo de ſua virtute meritisve poteſt præ„ ſumere. Totus eſt Auguſtinus in hac doctrina, quam in hac parte „ probo.“

Solvuntur argumenta quæ afferri ſolent pro ſcientia media & gratia congrua.

Objiciunt 1° pro ſcientia media quædam Scripturæ loca, quibus, inquiunt, declaratur Deum per illam dirigi in condendis ſuis decretis. Hujusmodi ſunt Sap. IV. 11: *Raptus eſt* (juſtus), *ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius;* Matth. XXIV. 22: *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur dies illi;* & cap. XI. 21: *Væ tibi, Corozaïn, væ tibi, Bethſaïda, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Ex his, inquiunt, patet admittendam eſſe in Deo ſcientiam quæ præcedat decreta. Si enim præſcientia converſionis conditionatè futuræ Tyriorum & Sidoniorum niteretur decreto dandi illis gratiam ſeipſâ efficacem, poſito quòd ſigna & miracula apud eos patrarentur, rationabilis non foret comparatio à Christo facta. Potuiſſent enim Judæi reſpondere: cur nos increpas Tyriorum comparatione, cùm auxilium per ſe efficax, quod illis tribuiſſes, nobis non tribuas? Patet etiam Deum per hanc ſcientiam dirigi in condendis ſuis decretis: ſiquidem idcirco decernit aliquos juſtos ex hoc mundo citiùs eripere, quia prævidet illos, ſi diutiùs viverent, non perſeveraturos: ideòque dies tribulationum, quæ ſub finem ſæculi futuræ ſunt, abbreviabit, quia electos alioqui à ſalute defecturos præſcivit. Ergo &c.

Reſpondeo neutrum ex allatis textibus concludi poſſe.

I°. Malè inde concluditur admittendam eſſe ſcientiam mediam, ſi Deus futura illa conditionata partim per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, partim per ſcientiam viſionis cognoſcat. Porro res ita eſt. Atque ut à primo textu exordiar, Deus novit quosdam juſtos, ſi diutiùs viverent, tentationibusque ſuperventuris exponerentur, non perſeveraturos, quia novit quas tentationes permittere, & qualem gradum gratiæ habitualis, cui auxiliorum actualium menſura plerùmque reſpondet, juſtis largiri decreverit, ſimulque cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ minorem gratiæ actualis gradum tentatione multò vehementiore certò ſuperari. Igitur minimè opus eſt ut Deus creatam voluntatem exploret, ſcruteturque quid boni vel mali illa ex ſeipſa volitura ſit: ſatis eſt quòd una ex parte cognoſcat per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ proportionem talis gratiæ cum tali tentatione, & ex altera per ſcientiam viſionis qualem gratiæ menſuram largiri, & qualem tentationum menſuram permittere decreverit.

Aliter explicari poteſt textus, dicendo ſcilicet Sapientem locutum eſſe more hominum, qui, propter perſeverantiæ inter tot ac tantas hujus vitæ tentationes incertitudinem, ſpeciali Dei miſericordiæ attribuunt quòd ex hac mortalitate juſti præmaturo fato rapiantur. „ Hoc eſt, ait

Digitized by Google

ait S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 14. num. 26,
„ tota cauſa cur dictum eſt, à quocunque ſit dictum: *Raptus eſt ne*
„ *malitia mutaret intellectum ejus.* Dictum eſt enim ſecundùm pericula
„ hujus vitæ, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod
„ futurum erat, non quod futurum non erat: id eſt, quòd ei mortem
„ immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto;
„ non quòd peccaturus eſſet qui manſurus in tentatione non eſſet.....,
„ Verùm qui vitæ brevitate rapuit juſtum, ne malitia mutaret intel-
„ lectum ejus, ipſe in quantacunque vitæ longitudine cuſtodit juſtum,
„ ne malitia mutet intellectum ejus."

Alter textus, Matth. XXIV. 22, eodem modo exponitur. Novit quippe Deus tentationes, quas ſub ſæculi finem permittere decrevit, & de quibus dicitur ibidem, v. 21, *fore tunc tribulationem magnam, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet*, tantas fore, ut, niſi breviarentur, ipſâ ſuâ diuturnitate ac vehementiâ vires electorum, qui tunc victuri ſunt, ſuperaturæ eſſent. Hoc ſcit, inquam, non in voluntate electorum, neque per ſcientiam exploratricem voluntatum, ſed in ſuis decretis, quibus tentationes gradu gratiæ, quam tunc electi habituri ſunt, ſuperiores poſtremis illis temporibus permittere ſtatuit.

Neque enim credendum eſt, ſi gratia per ſe efficax ſit, continuò omnem gratiam victricem eſſe quarumlibet tentationum. Virtus quippe gratiæ interioris, ut poſteà explicabitur, non abſoluta eſt, ſed relativa, ita ut illa gratia, quæ minorem tentationem ſuperat, majori ſuperandæ idonea non ſit. Porro Deus, electos prædeſtinando, diverſos gloriæ ſimulque juſtitiæ hac in vita gradus illis determinatè præparavit, ut, *ſi-* 1 Corinth.
cut alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, & XV. 41.
ſicut *ſtella differt à ſtella in claritate*, ita in regno cœlorum diverſæ ſint manſiones variique beatitudinis gradus, quibus reſpondet hac in vita gratiæ ſanctificantis in electis diverſitas. Quoniam autem, juxta leges ordinarias, adjutoria gratiæ quamdam proportionem habent cum caritate habituali, ita ut majora & frequentiora auxilia vulgò accipiant, qui majorem habent habitum caritatis, minora & rariora, qui minorem, inde fit ut plurimi juſti in caritate minus provecti certò caſuri prævideantur, ſervato conſueto gratiæ curſu, ſi gravioribus tentationibus pulſentur: ideòque, ſi de numero ſunt prædeſtinatorum, vel Deus eos proximæ tentationi, cujus vehementiæ ipſorum debilitas ſuccumberet, immaturâ morte ſubtrahit, & de his dicitur: *raptus eſt, ne malitia* &c; vel tribulationis pondus aut diuturnitatem diminuit, ne ſupra id quod ferre poſſent tententur, eoque modo in conſummatione ſæculi dies maximæ illius tribulationis *propter electos* breviabuntur. Inde ſequitur non ſic dictum eſſe, *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, &, *niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro*, quaſi Deus aliter impedire non poſſit ne electi ſuccumbant, quàm illos è vivis eripiendo, vel.

Digitized by Google

vel tribulationis tempus abbreviando; quod ab adverſariis videtur ſupponi. Poſſet ſanè Omnipotens aliter id impedire, videlicet tantum Spiritu ſancto accendendo eorum voluntatem, ut ideò poſſent tentatori reſiſtere, quia ſic vellent; id eſt, eis donando ut invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere, etiam ingruentibus magnis tribulationibus, invictiſſimè nollent, ut loquitur S. Auguſtinus lib. *de Correptione & gratia*, cap. 12. num. 38. Sed ideò non facit, quia illos electos ad minorem caritatis gloriæque gradum prædeſtinavit, ***qui omnia operatur*** Ephes. I. 11. *ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*.

Tertius textus, in quo Chriſtus declarat Tyrios & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi apud eos factæ eſſent virtutes, quas apud Corozaïtas & Bethſaïtas patraverat, nihilo plus favet ſcientiæ mediæ. Nam quæro ab adverſariis utrùm Deus potuerit convertere Corozaïtas in eis, in quibus actu verſabantur, circumſtantiis, an non potuerit? Si dicant potuiſſe, profectò per gratiam ſeipſâ efficacem id præſtitiſſet, non per congruam; ſiquidem in ipſorum ſententia non erant Corozaïtæ in congruis circumſtantiis. Ergo datur gratia ſeipſâ efficax. Si dicant non potuiſſe; jam ergo Deus non eſt omnipotens. „ Manifeſtiſſimè ſcimus, inquit S. Proſper in *Reſponſione ad Excerptum* 8um *Genuenſium*, ... „ non ſolùm „ Tyrios & Sidonios, ſed etiam Corozaïn & Bethſaïda potuiſſe converti, „ & fideles ex infidelibus fieri, ſi hoc in eis Deus voluiſſet operari." Non dicit, ſi voluiſſent, aut ſi Deus voluiſſet eos ponere in circumſtantiis, in quibus conſenſuri præſciebantur; ſed dicit, ſi hoc in eis Deus voluiſſet operari: quibus verbis manifeſtè exprimitur gratia per ſe efficax. Ergo à pari ideò Tyrii & Sidonii converſi fuiſſent, viſis miraculis, *quia Deus hoc in eis voluiſſet operari.*

Objurgatio autem Chriſti hoc fundamento nitebatur, quòd Judæorum cor eſſet magis obduratum & à veritate magis alienum, quàm cor Tyriorum ac Sidoniorum, quos illi tanquam incircumciſos & extraneos abominabantur; ita ut gratia, quæ Sidonios convertiſſet, ſi miracula apud eos patrata fuiſſent, eadem Judæorum contumaciam non fregiſſet. Sed ad majorem veritatis elucidationem obſervandum eſt:

1°. Verba Chriſti non ſignificare Tyrios ac Sidonios, viſis tantùm miraculis, abſque gratia interiore acturos fuiſſe pœnitentiam, hoc enim ſolus Pelagius dixerit; ſed ſupponere illis, ſi miracula apud Judæos patrata vidiſſent, dandum fuiſſe certum gratiæ gradum quo reipſâ fuiſſent ad fidem converſi.

2°. Iſtum gratiæ gradum Tyriis in illa hypotheſi dandum ſeipſo efficacem futurum fuiſſe, adeòque illius effectum à Chriſto cognitum fuiſſe, non per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, atque in proportione intrinſeca ipſius gratiæ cum diſpoſitione Tyriorum & Sidoniorum.

3°. Illum gratiæ gradum, quo Tyrii reipſâ converſi fuiſſent, ſufficientem

Digitized by Google

tem non fuiſſe ad domandam Judæorum pertinaciam. Nimirum gratia interior efficax, ut poſteà probabitur, eſt delectatio ſive dilectio victrix: victrix autem eſt, non abſolutè, ſed relativè ad cupiditatem ſuperandam. Proinde illa, quæ eſt v. g. octo graduum in voluntate quæ ſeptem habet gradus cupiditatis, ſeipſâ victrix eſt, quia oppoſitam reſiſtentiam virtute majore ſuperat: eadem verò, in voluntate in qua novem ſunt cupiditatis gradus, non eſt efficax, quia majore vi cupiditatis ſuperatur; ferè ſicut medicina, quæ morbi vim minorem vincit, majore vincitur, & ſicut calidum ut octo propriâ ſuâ virtute calefacit ſubjectum frigidum ut ſeptem, non autem ſubjectum frigidum ut decem, ſed tantùm frigus illius imminuit. Igitur quòd per gratiam, quæ Judæos non convertiſſet, Tyrii ac Sidonii converſi fuiſſent, non repetitur à conſenſu voluntatis Tyriorum, neque à præſcientia illius conſenſûs, ſed ex eo quòd majus veritatis odium in Judæis quàm in Tyriis eſſet ſuperandum. Hæc vera ratio eſt cur Chriſtus Judæos comparatione Tyriorum increpaverit. „ Non erant ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyrio„ rum & Sidoniorum, ait S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 14. num. 35, „ quoniam credidiſſent, ſi, qualia viderunt iſti (Ju„ dæi), ſigna vidiſſent.“

4°. Ut juſta ſit objurgatio à Chriſto facta, neceſſe non fuiſſe ut Judæi eam tunc gratiam habuerint, quâ converſi fuiſſent Tyrii ac Sidonii: ſatis quippe eſt quòd reverâ Judæi, propter majorem excæcationem majoremque indurationem, reſtitiſſent ei gratiæ quæ Tyrios convertiſſet, majuſque obſtaculum huic gratiæ oppoſuerint.

Nullius ergo roboris eſt quod objiciunt adverſarii, nimirum, ſi præſcientia converſionis conditionatè futuræ Tyriorum & Sidoniorum fundata fuiſſet in decreto dandi illis gratiam ſeipſâ efficacem, poſito quòd virtutes apud illos factæ fuiſſent, Judæos reſpondere potuiſſe: immeritò nos increpas, ſi enim gratiam efficacem, quam Tyriis dediſſes, dares & nobis, ageremus & ipſi pœnitentiam: iſtud, inquam, nullius roboris eſt, quia, ut modò diximus, falſum eſt Judæos acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi gratiam eam habuiſſent per quam converſi fuiſſent Tyrii & Sidonii.

Verùm illa objectio contra ipſius auctores multò potentiùs ac victriciùs retorqueri poteſt. Quantò namque potiori jure reſpondiſſent Judæi; Iniquè agis nobiſcum; Tyrii ſiquidem converſi non fuiſſent, viſis miraculis quæ videmus, niſi gratiam congruam habuiſſent; nobis è contrario nonniſi incongruam largiris: da congruam, etſi intrinſecè minorem, & agemus pœnitentiam: illis incongruam da, tametſi intrinſecè majorem, & non agent pœnitentiam. Eo validior fuiſſet iſta reſponſio, quòd nihil contra reponi poſſit in ſyſtemate Congruiſtarum, apud quos reſiſtere gratiæ, vel non reſiſtere, non arguit majorem aut minorem pravitatis præexiſtentis gradum, ſed tantùm diverſas liberarum voluntatum de-

determinationes. Quamobrem ſic argumentor: Juſtè increpari non poterant Judæi comparatione Tyriorum, ni ſupponendo Judæos pejores magisque à bono averſos fuiſſe quàm Tyros. Atqui in ſyſtemate Congruiſmi converſio Tyriorum, Judæis non converſis, non probat nec ſupponit Judæos pejores magisque à bono averſos fuiſſe quàm Tyrios: ſiquidem in hoc ſyſtemate qui pejor eſt gratiæ, licet intrinſecè minori, modò congruo tempore detur, infallibiliter obſequitur; qui verò minùs malus gratiæ etiam majori, ſi opportuno tempore & loco non detur, infallibiliter reſiſtit. Ergo in hoc ſyſtemate Chriſtus dicendus eſt Judæos immeritò increpaſſe comparatione Tyriorum.

II°. Malè etiam ex allatis textibus concluditur Deum dirigi per ſcientiam mediam in condendis ſuis decretis; tum quia falſò ſupponitur, ut modò oſtenſum eſt, ſcientiam ibi memoratam eſſe ſcientiam mediam; tum quia præſcientia conditionatè futurorum in duobus primis textibus inſinuata (nam tertius nihil ad decreta pertinet) non præcedit nec dirigit decreta, ſed illa potiùs ſequitur, atque ad illorum executionem tendit. Deus enim, quos ad certum gloriæ gradum prædeſtinavit, his vel gratiam præparat tentationibus omnibus quibus prementur ſuperiorem, vel tentationes diminuit aut abbreviat, ne viribus eorum ſuperiores ſint, vel prææmaturâ morte eos ſubtrahit tentationibus, quas gratiæ gradu, ad quem eos ſublimare decrevit, majores fore in decreto ſuo permiſſivo prævidet.

Inſtant. S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 14. num. 35, ait ideò Tyrios & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi miracula à Chriſto patrata vidiſſent, quòd illa miracula ipſorum ingenio congrua ac veluti attemperata fuiſſent. In maſſa perditionis „ Tyrii relicti ſunt „ & Sidonii, inquit, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti „ ſigna vidiſſent. Sed, quoniam ut crederent non eſt eis datum, etiam „ unde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipſo „ ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad „ fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen, ſi Dei altiore judicio à perditionis maſſa non ſunt „ gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta di- „ vina, vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utique talia vel „ viderent.“

Respondeo S. Doctorem eo loci non loqui de gratia interiore fidei, ſed tantùm de ſignis ad fidem exteriùs excitantibus: immò gratiam ab illis ſignis manifeſtè diſtinguere cùm ait, *quoniam ut crederent non eſt eis datum*, nimirum gratia fidei, *etiam unde crederent eſt negatum*, nempe miracula videre. De ſolis ergo dictis vel ſignis exterioribus dicit ea Tyriorum mentibus congrua futura fuiſſe; congrua, inquam, non propter prævisam voluntatis eorum determinationem, ut Congruiſtis placet, ſed propter *divinum naturaliter munus intelligentiæ* Tyriis datum; idque unum

Digitized by Google

unum vult, Chriſti prædicationem & miracula apud Judæos facta habitura fuiſſe, in genere gratiæ exterioris, vim movendi Tyrios, ſi apud ipſos fuiſſent facta, idque Deo cognitum eſſe, non per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcentis proportionem talium miraculorum cum tali munere intelligentiæ Tyriis conceſſo. Quod verò ſpectat gratiam interiorem, de qua non loquitur hoc loco S. Auguſtinus, ſatis apertè ſupponit eam propriâ ſuâ vi efficacem eſſe, cùm addit idcirco Tyrios credituros fuiſſe, Judæis non credentibus, quia *non erant ſic excæcati eorum oculi, nec ſic induratum cor eorum.* Verba retulimus ſupra.

Inſtat rurſus Daniel. „ S. Auguſtinus, lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 1, „ ſic loquitur: Qui cùm præſciret angelos quoſdam per elationem, „ quâ ipſi ſibi ad beatam vitam ſufficere vellent, tanti boni deſertores „ futuros, non eis ademit hanc potentiam, potentius & melius eſſe ju-„ dicans etiam de malis benè facere, quàm mala eſſe non ſinere." His verbis, inquit, ſupponit S. Doctor Deum directum fuiſſe per ſcientiam conditionatorum: idem quippe eſt ac ſi dixiſſet Deum, antequàm angelos creare decerneret, cognoviſſe quoſdam illorum, ſi cum libero voluntatis arbitrio crearentur, peccaturos, &, ſi peccatum illud permitteretur, multa inde bona eſſe conſecutura, hiſque prænotionibus determinatum fuiſſe ad illos creandos.

In tractatu de Efficacitate gratiæ, p. 144.

Reſpondeo textum S. Auguſtini nullomodò eſſe ad rem, & quæcunque ex eo concludit Daniel errores eſſe graviſſimos. 1°. Textus non eſt ad rem. Agimus enim de ſcientia media præcedente decretum: hîc verò loquitur S. Auguſtinus de ſcientia viſionis decretum ſupponente vel comitante, quâ Deus in ſuo decreto permiſſivo cognovit quoſdam angelos ſummi boni deſertores fore, nec tamen idcirco aut ab illis creandis, aut à peccato illorum permittendo abſtinuit, cùm ſciret utique qualia & quanta bona inde procurare decerneret. 2°. Danielis commentarius graviſſimis erroribus ſcatet. Errat graviſſimè cùm dicit Deum, antequàm Luciferum creare decerneret, cognoviſſe illum, ſi cum libertatis arbitrio crearetur, peccaturum. Quid ergo? An non poterat Deus Luciferum cum voluntatis arbitrio creare, ſimulque efficere ut liberè perſeveraret in amore ſummi boni? Si ita eſt, ut ſupponit Danielis gloſſa, cur credimus in Deum omnipotentem? Errat etiam graviſſimè cùm ait Deum, ante ullum ſuum decretum, prævidiſſe, poſito quòd peccatum Luciferi permitteret, exinde multa bona conſecutura. An ergo ex peccato bonum aliquod conſequeretur independenter à decreto Dei, qui ſolus de malis benefacere poteſt? An peccatum aliquatenus neceſſarium Deo fuit, ut majora bona in mundo exiſterent? Longè alia profectò S. Auguſtini mens fuit, ſcilicet Deum decreviſſe peccatum permittere, non quia illud impedire vel abſolutè non potuit, vel non potuit niſi adimendo liberum arbitrium, ſed quia voluit; illudque ita decreviſſe,

 ut

Digitized by Google

ut ſimul decreverit ſe multa & magna bona inde procuraturum, ſine quo peccatum fieri non permiſiſſet. Non minùs graviter errat, quando addit Deum his prænotionibus determinatum fuiſſe ad creandum. Deus quippe nullâ præcognitione futurorum determinatur ad creandum, ſed ſolâ ſuâ liberrimâ & omnipotentiſſimâ voluntate.

Objiciunt 2° pro gratia congrua. B. Joannes Chryſoſtomus, hom. 30, Tom. 7. pag. 347. aliàs 31, in Matth. ſic loquitur: „ Cur non eum Petro, Joanne & „ aliis (Chriſtus) vocavit eum (Matthæum)? Ut tunc illuc venit „ cùm ſciret homines obtemperaturos eſſe, ſic tunc Matthæum vocavit, „ cùm ſecuturum eum eſſe noverat. Proptereà etiam Paulum poſt re„ ſurrectionem piſcatus eſt. Nam qui *corda ſcrutatur, & occulta men„ tium* (Rom. VIII. 27) perſpicit, ſciebat quandonam quiſque eorum „ obſecuturus eſſet: ideòque non initio vocavit illum, cùm adhuc du„ riore eſſet animo, ſed poſt ſexcenta miracula, cùm fama ſua percre„ buiſſet, quando illum noverat ad obtemperandum aptiorem fore.“ Et Tom. 8. pag. 502. hom. 5 de Laudibus Pauli, cùm hujus Apoſtoli, qui omnibus omnia fiebat ut omnes lucriſaceret, caritatem commendaſſet: „ Et quid mi„ rum, inquit, ſi homines ad hæc ſanandi temperamenta deſcendunt, „ cùm etiam omnipotens Deus hoc ipſo medicinæ utatur modo, nec „ omnia nobis uniformiter ac directè loquatur? Quia enim ſponte nos „ vult effici bonos, non neceſſitate atque violentia, opus etiam habet „ mutatione curæ, non propter aliquam impoſſibilitatem ſuam, abſit, „ ſed propter noſtram fragilitatem. Ipſi enim licet innuere ſolùm, imò „ velle tantummodò, jamque facta ſpectare quæ voluit. Nos verò, „ qui ſemel dominatum noſtrî adepti ſumus, non in cunctis Deo ſub„ ditos eſſe nos patimur, qui, ſi traheret invitos, eriperet ipſe quod „ contulit, id eſt, arbitrii poteſtatem. Ne igitur iſtud fieret, frequen„ ti opus fuit varietate medicandi.“

Ex his locis, inquiunt, patet S. Chryſoſtomum efficaciam gratiæ in præſcientia futuri conſenſûs, & in opportuna circumſtantiarum diſpoſitione conſtituiſſe.

Reſpondeo hæc teſtimonia per ea quæ hactenus dicta ſunt explicari facilè poſſe, quàmvis, nondum natâ Pelagianâ hæreſi, paulò ſecuriùs ac minùs cautè S. Chryſoſtomus locutus ſit. Primus textus, in quo Chriſtus tunc Apoſtolos vocaſſe dicitur, quando illos obtemperaturos ſciebat, veriſſimus eſt. Quomodò verò ſciebat Chriſtus illos tunc obtemperaturos? An per ſcientiam mediam, & explorando ad quid eorum voluntas ſeſe dterminatura eſſet: an verò per ſcientiam viſionis, & quia noverat Deum ab æterno decreviſſe gratiam efficacem tunc, & non anteà, illis dare? Id non inquirit nec definit S. Doctor. Multa autem exigunt ut hoc altero ſenſu verba ejus intelligantur. Alioquin planè negaret divinam omnipotentiam, quæ ſtare nullomodò poteſt, ſi Deus Apoſtolos efficaciter vocare, niſi ademptâ illis arbitrii libertate, prius non.

non potuiſſet. 2°. Niſi mens S. Chryſoſtomi ſic accipiatur, apertè contradiceret ipſi Apoſtolo Paulo de ſeipſo ſic loquenti, Gal. I: „ Cùm „ ei placuit, qui me ſegregavit ex utero matris meæ & vocavit per „ gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, & evangelizarem il- „ lum in gentibus, continuò non acquievi carni & ſanguini.“ Nam, ut Cardinalis Toletus jam laudatus egregiè obſervat, annot. 54 in cap. 5 Lucæ, „ non dicit Apoſtolus, quando novit me obediturum, ſed quan- „ do illi placuit, qui per gratiam me vocavit. Non expectat Deus ſem- „ per arbitrium noſtrum; quia ſuâ gratiâ ipſum excitat, ipſique dat „ velle & perficere, qui etiam rebelles convertit & compellit volunta- „ tes. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit: &, ſi ante vocaſſet, „ utique reſpondiſſet & obtemperaſſet. Non ergo ratio aut tempus vo- „ cationis hujus & ſimilium referri debet in hominis arbitrium, ſed in „ Dei beneplacitum, cui ſic viſum eſt, ſicque diſpoſuit.“ Addit autem, idque reſponſionem noſtram confirmat: „ Poteſt Chryſoſtomus ſic „ intelligi, Chriſtum tunc vocaſſe diſcipulos quando ſciebat illos ob- „ temperaturos, nempe per gratiam ſuam. Sciebat enim quando ipſe „ operaturus erat in eis ut obtemperarent vocanti, & tunc vocavit. „ Niſi ſic intelligas, doctrinam non probo,“ inquit ille. 3°. S. Auguſtinus expreſſe admonet hoc ſenſu intelligi debere SS. Patres ipſo antiquiores, quoties, agendo de vocatione electorum, ad præſcientiam confugere videntur. „ Quid nos prohibet, inquit, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 19. num. 48, „ quando apud aliquos verbi Dei tracta- „ tores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, „ eamdem prædeſtinationem“ (quâ Deus præſcit non quid libero hominis arbitrio placiturum, ſed quid ipſe facturus ſit) „ intelligere.“ 4°. Ipſe S. Chryſoſtomus nullum relinquit ambigendi locum, quin obedientiam Apoſtolorum gratiæ ex ſcipſa & divinâ virtute efficaci attribuerit. Nam paulò poſt ipſius verba ex hom. 31 in Matth. objecta, hæc addit: „ Cur porro dixit ipſum ſediſſe in telonio? Vocantis vim oſten- „ dens, quòd, cùm nondum deſtitiſſet, & improbo telonio hæreret, „ ex mediis illum malis extraxerit. Quemadmodùm enim B. Paulum „ furentem & rabie percitum convertit,..... ſic & piſcatores in mediis „ operibus vocavit.“ In ſermone *De ferendis reprehenſionibus* non minùs fortiter virtutem hujus gratiæ, quâ S. Paulus converſus eſt, prædicat. En ipſius verba verè aurea: „ *Saulus autem adhuc ſpirans mina- „ rum.* Quid ſibi vult illud *adhuc*, inquit? Quid anteà fecit ut di- „ cat, *adhuc?* Nam illud *adhuc* de homine dicitur, qui anteà multa „ mala fecerit...... Videlicet illum adhuc furentem, adhuc ferocien- „ tem, adhuc vi furoris commotum, adhuc cæde ferventem attraxit „ Chriſtus. Non enim expectavit donec ceſſaret ægritudo, extingueretur morbus, manſuetiorque fieret ille ſic efferatus, & ſic illum attra- „ heret. Verùm in ipſa furoris vi ipſum cepit, ut oſtenderet poten-

Tom. 3. pag. 121.

„ tiam ſuam, quòd, in medio furore æſtuante animo, perſecutorem „ vicerit & ſubegerit.“ His in verbis gratiam per ſe efficacem, omniaque impedimenta propriâ ſuâ virtute ſuperantem quis non agnoſcat? 5°. Idem S. Doctor, hom. 4 *de Laudibus Pauli* (tom. 2. pag. 591) eamdem quæſtionem expendens, cur ſcilicet S. Paulus non priùs converſus fuerit, ad inſcrutabilia Dei judicia recurrit, dicitque idcirco illum non priùs converſum, quia vocatus non fuerat. Perſuaſum igitur habuit eum certò convertendum fuiſſe, ſi priùs fuiſſet vocatus, adeòque vocationem Dei eſſe ſeipſâ efficacem. En ipſius verba: „ Cur, inquit, „ hoc non ante factum eſt? Ne quæras iſtud, neque velis eſſe curio- „ ſior; ſed concede incomprehenſibili Dei providentiæ ſalutes hominum „ notis ſibi temporum opportunitatibus ordinare. Sic enim etiam ipſe „ (Paulus) fatebatur dicens: *Cùm autem placuit ei qui me ſegregavit de* „ *utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium* „ *ſuum in me.* Nihil tu igitur ſcruteris ampliùs, quando hæc dicit & „ Paulus: illud enim tunc utique fieri oportuit, cùm jam ſcandala ubi- „ que ſublata eſſent..... Cæterùm cur ante non credidit, cum videret „ in Chriſti nomine reſurgere mortuos, ambulare claudos, paralyticos „ roborari, dæmones effugari? Nullum enim fructum ille ex his omni- „ bus conſecutus eſt, cum tamen iſta non ignoraret, qui tam erat erga „ Apoſtolos curioſus, qui certè & cùm lapidaretur Stephanus aſtabat, „ & videbat faciem ejus tanquam faciem angeli. Cur ergo nihil inde „ lucratus eſt? Quia needum utique vocatus fuerat à Chriſto.“ Non dicit, quia tunc non congruo modo vocatus fuerat, ſed abſolutè, quia nondum vocatus; concludens nempe vocationem internam non fuiſſe, ubi ſecuta non eſt cordis converſio, converſionemque multò ante ſecuturam fuiſſe, ſi vocatio multò ante præceſſiſſet: quod certè ſyſtemati Congruiſtarum directè adverſatur.

In altero textu ab adverſariis objecto non agit Chryſoſtomus de gratia interiore, ſed de auxiliis exterioribus, quibus Deus nos ad ſe moraliter attrahit. Quis verò neget hujusmodi gratias multiformes eſſe, iisque liberum arbitrium diverſimodè conveniri? Quis etiam non fateatur libero voluntatis arbitrio omnino conſonum eſſe, ut modò his, modò illis exterioribus rebus ad bonum invitetur, utque, ordinariè loquendo, Deus in nobis intimè non operetur, niſi præmiſſis quibusdam velut occaſionibus. Sed fides docet, præter illa exteriora hortamenta, quibus, ut præclarè obſervat S. Doctor, non Dei potentia, ſed noſtra imbecillitas noſtraque naturæ conditio indiget, requiri gratiam interiorem, quâ Deus ipſum velle & perficere operetur in nobis. Quàm potenter autem in nobis operetur, declarat hoc ipſo in loco S. Chryſoſtomus, cum ait ſatis eſſe ut Deus *innuat*, imò *velit ſolummodò, & quæcunque vult ſtatim fieri.* Abſurdiſſimum profectò foret ea verba ſic interpretari, ut nihil ſit quod Deus ipſo ſuo nutu in nobis operari non poſſit, nobis ſci-

ſcilicet adimendo liberi arbitrii exercitium: quaſi verò id potentiæ, & non potiùs impotentiæ indicium ſit. Qualis, quæſo, potentiæ argumentum foret, facere nos velle invitos, naturamque liberæ voluntatis, in qua operaris, deſtruere?

Objicies 3°. Ipſe S. Auguſtinus, lib. 1 *Quæſtionum ad Simplicianum*, quæſt. 2. num. 13, gratiæ efficaciam expreſſè reponit in congruitate quadam à Deo prævisâ. Sic nempe ibi loquitur: „ An fortè illi, qui „ hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommo- „ dare fidei voluntatem, ut & illud verum ſit, *multi vocati, pauci electi;* „ ut, quàmvis multi uno modo vocati ſint, tamen, quia non omnes „ uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capien- „ dæ reperiuntur idonei, & illud non minùs verum ſit: *Igitur non vo-* „ *lentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, qui hoc modo vocavit, „ quomodò aptum erat eis qui ſecuti ſunt vocationem? Ad alios au- „ tem vocatio quidem pervenit: ſed, quia talis fuit quâ moveri non „ poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, „ ſed non electi: & non jam ſimiliter verum eſt, igitur non miſerentis „ Dei, ſed volentis & currentis eſt hominis, quoniam non poteſt effectus „ miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, „ ſi homo nolit; quia, ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vo- „ care quomodò illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, „ & ſequerentur. Verum eſt ergo: *multi vocati, pauci electi;* illi enim „ electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque „ contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quàmvis „ vocati. Item verum eſt: *non volentis, neque currentis, ſed miſeren-* „ *tis eſt Dei;* quia, etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, „ quos ita vocat, quomodò eis vocari aptum eſt ut ſequantur. Fal- „ ſum eſt autem, ſi quis dicit, *non miſerentis Dei, ſed volentis atque* „ *currentis* eſt hominis, quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus au- „ tem miſeretur, ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere, ut vo- „ cantem non reſpuat.“ Et num. 14 obſervat Nathanaëlem, auditâ propheticâ Chriſti revelatione, diſcipulos, viſo primo Chriſti miraculo, alios ejus prædicationibus, latronem Chriſti paſſionis conſpectu, S. Thomam palpatis vulnerum Chriſti cicatricibus, nonnullos, qui poſt auditos ſermones & viſa miracula Salvatoris obduruerant, Apoſtolorum prædicatione motos fidem amplexos eſſe, alios verò nec ipſâ mortuorum reſurrectione commonitos credere voluiſſe. Tum ſic proſequitur: „ Cum „ igitur alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res „ ſæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſaü ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt?“ Demum, num. 22, vocationem S. Pauli, quæ omnium efficaciſſima videtur, non alio

alio modo explicat. „ Quid volebat Saulus, inquit, niſi invadere, „ trahere, vincire, necare Chriſtianos? Quàm rabida voluntas, quàm „ furioſa, quàm cæca! Qui tamen unâ deſuper voce proſtratus, occur- „ rente utique tali viſo, quo mens illa & voluntas, refractâ ſævitiâ, „ retorqueretur & corrigeretur ad fidem, repente ex evangelii mirabili „ perſecutore mirabilior prædicator effectus eſt.“

Reſpondeo ſcriptum fuiſſe hunc librum à S. Auguſtino adhuc juniore, & in Eccleſiæ doctrina non multùm provecto. Enimverò tunc primùm ex textu Apoſtolico, *Quid habes quod non accepiſti?* intellexit fidem ipſam, non minus quàm bona opera, ex Deo eſſe; quomodò autem Deus fidem in nobis operetur, quærendo & inveſtigando potius quàm definiendo & aſſerendo, exponit, uti demonſtrant ea ipſa verba quæ nobis objiciuntur. Hanc reſponſionem confirmat Bellarminus, lib. 2 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 15. „ Auguſtinus, inquit, cum ſcripſit libros ad Simplicianum, adhuc junior erat, neque multa invenerat in hac difficillima quæſtione, quæ poſteà majori diligentiâ inveſtigavit & reperit.“ Deinde, prolatis è poſterioribus Auguſtini libris pluribus textibus, qui cum eis quæ ad Simplicianum ſcripſerat difficilè conciliari poſſunt, ſic concludit: „ Vide quàm aliter ſapiat Auguſtinus „ ſenex, quàm Auguſtinus juvenis.“ Ipſemet S. Doctor, lib. 2 Retractat. cap. 1. num. 1, declarat ſe, hos libros ſcribendo, ad id ſolum perveniſſe, ut cognoſceret fidem ipſam inter Dei dona numerari oportere. „ In cujus quæſtionis ſolutione, inquit, laboratum eſt quidem pro li- „ bero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia: nec niſi ad il- „ lud potuit perveniri, ut liquidiſſimâ veritate dixiſſe intelligatur Apoſ- „ tolus: *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?*“ Præpoſterum autem eſt, neglectis poſterioribus S. Doctoris libris, in quibus hæc materia occaſione Pelagianorum ex inſtituto ampliſſimè tractatur & definitur, ejus mentem ex aliis libris multò ante exortos Pelagianos ſcriptis, & in quibus quæſtiones in utramque partem agitantur verius quàm reſolvuntur, æſtimare velle.

Cæterùm fruſtra illo textu tanquam ſibi favente glorìantur Congruiſtæ. Non enim de gratia interiore, de qua tantùm hic agimus, loquitur ibi S. Auguſtinus, ſed de gratiis exterioribus, putà prædicatione, miraculis, revelationibus, aliiſque ſimilibus, ut ex exemplis ipſis quæ commemorat manifeſtum eſt. Quis verò dubitat gratias exteriores, quas Deus plerùmque adhibet ad vocandos electos, ejus generis eſſe quòd congruant, ſive illorum indoli, ſive affectibus ſupernaturalibus, qui tunc illis inſpirantur ad hoc ut externæ vocationi acquieſcant? Enimverò cùm fide certum ſit neminem vocationi externæ, quantùmlibet ipſius ingenio apta ſupponatur, absque interna vocatione obtemperare, certum quoque eſt vocationem externam illis tantùm congruere, qui per
Act. XVI. 14. gratiam efficacem intrinſecus vocantur, & quibus, ut de Lydia dicitur, Do-

Dominus aperit cor intendere his quæ ſibi extrinſecus proponuntur. Quid ergo adjumenti exinde cauſæ Congruiſtarum accedit? Illi contendunt gratiæ interioris efficaciam in ejus congruitate conſiſtere: contra verò S. Auguſtinus de ſola externa vocatione loquitur, nullusque textus in tot ejus voluminibus reperietur (confidenter dico), in quo vel ſemel dixerit Deum electos interiùs movere, ſicut novit eorum voluntati congruere, ut vocantem non reſpuant. Juxta illos, gratiæ congruitas fundatur in prævifione futuri conſenſûs voluntatis: contra verò, juxta S. Auguſtinum, vocatio quâ electi vocantur congrua eſt, tum ex natura ſua, tum præſertim ex gratia interiore quæ ſimul datur, ut ex hoc ipſo libro demonſtrare facillimum eſt. 1°. Namque S. Doctor expreſſè dicit „ non poſſe effectum miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, „ ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit.“ Porro ſi vocationis interioris congruitas penderet à conſenſu voluntatis, tunc effectus miſericordiæ Dei, ipſe ſcilicet conſenſus vocationi præbendus, in ſolius hominis eſſet poteſtate. 2°. Ejusdem libri num. 21 S. Auguſtinus docet, ſicut in poteſtate noſtra non eſt ut tale viſum nobis occurrat, ità etiam non eſſe in poteſtate noſtra ut tali viſo, cùm occurrerit, delectemur, ſed hoc ipſum inſpiratione divinâ in nobis effici. „ Quis habet in po„ teſtate, inquit, tali viſo attingi mentem ſuam, quo ejus voluntas „ moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum „ non delectat? Aut quis habet in poteſtate ut vel occurrat quod eum „ delectare poſſit, vel delectet cùm occurrerit? Cùm ergo nos ea de„ lectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc & præbetur „ gratiâ Dei, non nutu noſtro & induſtriâ, aut operum meritis com„ paratur; quia ut ſit nutus voluntatis, ut ſit induſtria ſtudii, ut ſint „ opera caritate ferventia, ille tribuit, ille largitur.“ Porro ſi vocationis interioris congruitas à prævifione conſenſûs futuri deſumeretur, jam in poteſtate noſtra eſſet tali viſo delectari & aſſentiri, efficaciaque gratiæ à nutu noſtro & induſtria ſtudii prævifa penderet. Ergo congruitas, de qua S. Auguſtinus, non à ſcientia media, ſed à vocationis divinæ natura in ſolidum derivatur.

Hinc facile ſolvitur quod ibidem de B. Paulo dicitur, eum converſum fuiſſe „ occurrente utique tali viſo, quo mens illius & voluntas „ retorqueretur & corrigeretur.“ Sicut enim in poteſtate noſtra non eſt ut aliquo viſo delectemur, ſic in Sauli poteſtate non fuit, neque in ipſius nutu & induſtria, ut, occurrente tali viſo, voluntas ejus retorqueretur, ſed in poteſtate gratiæ hoc ipſum *inſpirantis*, *præbentis*, *tribuentis* atque *largientis*.

Digitized by Google

Articulus Tertius.

Refellitur opinio P. Thomaſſini.

Thomaſſini opinionis circa gratiam efficacem duo ſunt capita. Primum, gratiam efficacem neceſſariam non eſſe ad ſingulos pietatis actus, ſed tantùm ad difficiliores. Alterum, gratiam efficacem non conſiſtere in auxilio peculiari, quo Deus velle & operari in nobis immediatè producat, ſed in multitudine, conſpiratione, congruitate & importunitate auxiliorum diverſi generis, quorum ſi prima effectu careant, poſtrema demum voluntatem vel alliciendo, vel fatigando ſubigunt. Porro iſta duo defendi non poſſe paucis demonſtro.

Primò quidem falſum eſt gratiam efficacem non eſſe neceſſariam ad omnes & ſingulos actus pietatis, ſed tantùm ad difficiliores.

Nam 1° aliàs oſtendimus gratiam Chriſti ad ſingulos actus requiri. Atqui gratia Chriſti eſt ſeipſâ efficax, ut Art. 5 probabitur. Ergo ad ſingulos actus pietatis requiritur gratia efficax.

2°. Si ad faciliores pietatis actus non requireretur gratia efficax, homo quoad illos actus, qui in vita chriſtiana frequentiſſimè occurrunt, ſeipſum diſcerneret ab eo qui gratiæ ſufficienti non obſequitur, hicque redeunt validiſſima argumenta, quibus Art. 1 demonſtrâvimus erroneum eſſe gratiæ efficaciam à ſolo voluntatis conſenſu repetere.

3°. Inter faciliores pietatis actus computantur oratio piaque deſideria. Atqui etiam ad orandum gratiam virtute ſuâ efficacem omnino neceſſariam eſſe poſteà oſtendemus. Quamobrem pluribus hîc ſuperſedemus.

Alterum quoque caput, nempe efficaciam gratiæ conſiſtere in aggregatione, congruitate & varietate auxiliorum ſibi invicem ſuccedentium, hominisque conſenſum ipſâ ſuâ importunitate infallibiliter tandem obtinentium, multis abſurditatibus laborat.

1°. Gratiæ efficacia poſita non eſt in varietate auxiliorum, ſi vera gratia Chriſti non ſit niſi inſpiratio divini amoris. Atqui hanc eſſe genuinam gratiæ notionem ſupra probatum eſt. Ergo &c.

2°. Quàmvis negari nequeat providentiam Dei erga electos non uniformem eſſe, ſed nunc prædicationibus, nunc ſanctorum exemplis, nunc flagellis & tribulationibus, nunc amicorum adhortationibus, nunc gehennæ formidine, nunc conſcientiæ remorſibus, denique nunc illis eventibus uti, ſive ad peccatores convertendos, ſive ad juſtos in bono confirmandos; immò cuncta quæ in mundo eveniunt, ſive proſpera, ſive adverſa, ad ſalutem electorum procurandam à Deo dirigi: in his tamen vel ſingulis, vel univerſis propriè non conſiſtit gratia Chriſti, ſed in operatione interiori Spiritûs ſancti caſtam dilectionem inſpirantis, & omnipotentiâ ſuâ facientis ut illis omnibus ſalubriter utamur, ipſum bonæ voluntatis motum in nobis producendo. Duo quippe ſunt in ſalutis nego-

Digitized by Google

negotio ſedulò diſtinguenda: ſcilicet illud quod Deus in voluntate immediatè operatur, & media externa quorum occaſione illud producit. Neutrum alteri nocet, ſed mutuâ ſuâ conjunctione ſapientiam providentiamque divinam mirum in modum commendant. Juxta conſuetum gratiæ curſum, Deus non operatur in nobis bonam voluntatem, niſi priùs immiſſis piis quibuſdam cogitationibus, conſcientiæ terroribus, aliiſque hujuſmodi: non quòd illis indigeat Omnipotens, ſed quia tum infirmitatis noſtræ, tum etiam libertatis creatæ conditio exigit, ut, quemadmodùm inter mille pericula exteriora & interiora verſamur, ſic mille motivis interioribus & exterioribus moraliter impellamur ad bonum, & à malo retrahamur. Verùm fruſtra tot ſubſidiis moralibus circumdaremur, quantùmlibet illa varia, congrua, continua, importuna ſupponantur, niſi motione internâ & efficaciſſimâ rectum illorum uſum, utendique voluntatem Deus operaretur in nobis. Sic Dei *ſapientia attingit à fine usque ad finem fortiter* efficaciâ ſuæ voluntatis, *& diſponit omnia ſuaviter* multiformi providentiæ ſuæ varietate, quâ nos omnimodis, ſicut cuique conſentaneum eſt, ad ſe allicit. Sap. VIII. 1.

Errat igitur Thomaſſinus cùm efficaciam gratiæ in illa multiplici auxiliorum copia collocat; cùm è contrario varia illa auxiliorum genera tunc tantùm ſalubria ſint, quando Deus bonam voluntatem piumque cordis motum in homine interiùs operatur. Ut enim ait S. Thomas, Quodlib. 1. art. 7, „ homo indiget divino auxilio, non ſolùm quantùm ad „ exteriora moventia, prout ſcilicet ex divina providentia procurantur „ homini occaſiones ſalutis“ (non ait cauſæ, ſed occaſiones ſalutis), „ puta prædicationes, exempla, & interdum ægritudines & flagella, ſed „ etiam quantùm ad interiorem motum, prout cor hominis movet ad bo„ num, ſecundùm illud Proverb. 21: *Cor regis in manu Domini: quòcun„ que voluerit vertet illud.*“ Et quæſt. 24 *de Veritate*, art. 14: „ Si gra„ tiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſe„ ricordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur & exteriora or„ dinat ad ſalutem, ſic nec ullum bonum homo poteſt facere ſine gratia.“

Et ſanè aggregatio illa diverſorum auxiliorum, quæ nos tandem efficaciter impellere dicuntur ad conſentiendum Deo, non ſunt ipſemet conſenſus, nec bona voluntas, ſed tantùm ſuo modo invitant, excitant, extorquent, non operantur, conſenſum; proinde hoc in ſyſtemate conſenſus, bona voluntas, amor Dei, id eſt, quod in homine præſtantiſſimum eſt, non à Deo, ſed ab homine ſolo producuntur; quod ſentire pietati maximè contrarium eſt.

3°. Tunc tantùm voluntas ad Deum verè convertitur, quando, ut ſupra probatum eſt, ex amore juſtitiæ convertitur. Porro qui, auxiliorum multitudine & importunitate oppreſſus quodammodò & fatigatus, tandem acquieſcere videtur, non ex amore juſtitiæ ad Deum convertitur, ſed vel ſupplicii formidine, vel pudore peccati, vel pacandæ conſcientiæ

deſiderio, vel alio quovis ſimili motivo, quod illum tandem domat ac ſubigit. Ergo gratia Chriſti efficax non in hujuſmodi auxiliis, quantùmvis interius & exterius multiplicentur, ſed in inſpiratione dilectionis ſeu caritatis cupiditate ſuperioris conſiſtit. Præparatur quidem & remotè diſponitur peccator ad converſionem per illa extranea motiva, quæ gratiæ Chriſti tanquam præambulum ſunt; at ſolâ dilectione Dei, ut fontis omnis juſtitiæ, cordis converſio & inchoatur & perficitur.

4°. Gratiæ Chriſti efficacis proprius effectus eſt, ut bonum delectet, libenterque ac ſuaviter fiat: huic autem ſuavitati quid magis repugnat quàm opinio Thomaſſini, juxta quem gratia conſenſum extorquet potiùs quàm elicit, & voluntas nonniſi fatigata & quaſi invita acquieſcit; ferè quemadmodùm eis contingit, qui, quod dare nollent, importunis poſtulatoribus dare tandem coguntur?

Nec dicat illam boni ſuavitatem nonniſi gratiæ habituali propriè competere, pro qua potiſſimum contra Pelagianos decertaſſe S. Auguſtinum contendit. Hanc quippe fabulam alibi refutavimus, oſtendimusque gratiam adverſùs illos hæreticos tanto ſtudio defenſam actualem eſſe, non habitualem.

5°. Hoc ſyſtema repugnat omnipotentiæ divinæ. Ut enim Deus verè dicatur & ſit omnipotens, ſibi ſufficere debet ad faciendum quidquid vult, nulliſque mediis indigere, ſed ſolo ipſo voluntatis ſuæ nutu omnia perficere. Verùm in eo ſyſtemate longè aliter ſentiendum eſt. Vult Deus hominem amplecti bonum ac converti. Sed ad id voluntas ejus nequaquam ſufficit, nec poteſt immediatè operari quod vult, quin hominis arbitrio conſentire libeat. Cogitur aſſumere media quibus cor durum ac rebelle frangat. Aſſumit unum, alterum, tertium, nec adhuc voluntas obſtinata cedit. Ad alia ergo confugere cogitur, & auxiliorum veluti grandine renitentis pertinaciam oppugnare, donec tandem homo fatigatus conſentiat id velle, quod eum velle vult Omnipotens: ferè quemadmodùm Imperator urbem munitam ac ſtrenuè defenſam, quam ſolâ ſui imperii virtute expugnare nequit, obſidione ac vallo cingit, diverſi generis machinis pulſat, ferro ac fame aggreditur, alias poſt alias belli artes excogitat, modò vi apertâ, modò inſidiis agendo, quoadusque obſeſſi januas aperire velint. Commentum tam abſurdum, tam indignum ſupremâ Dei majeſtate, qui *in cœlo & in terra omnia*
Pſalm. 113. Eccleſ. VIII. 4. Pſalm. 148. v. 5. *quæcunque voluit fecit*, cujus *ſermo poteſtate plenus eſt*, qui *dixit & facta ſunt*, *mandavit & creata ſunt*, expoſuiſſe, confutaſſe eſt.

6°. Ideò Thomaſſinus ſingularem illam opinionem peperit, ut ſcientiæ mediæ incommoda effugeret, gratiæque virtutem invincibilem cum arbitrii libertate quoquo pacto conciliaret. Neutrum autem obtinuit. 1°. Quidem non eliminat ſcientiam mediam, à qua tantoperè abhorrere videtur. Nam quando voluntas humana multiplicium auxiliorum importunâ repetitione fatigata conſentit, vel ex ſeipſa proprioque motu conſen-

Digitized by Google

ſentit, vel virtute intrinſeca poſtremi auxilii cui demum cedit. Hoc ſecundum dici non poteſt in ſententia Thomaſſini; aliàs poſtremum illud auxilium foret ſeipſo efficax, adeòque efficacia gratiæ non conſiſteret in multitudine auxiliorum, ſed in eo auxilio quod ultimò datum voluntatem domat ac ſibi ſubjicit. At ſi voluntas ex ſeipſa ac ſuopte nutu conſentit, ita ut vel ocyùs, vel ſerius conſentire in ipſius poteſtate ſit, quomodò Deus cognoſcit eam tali determinatè auxilio conſenſuram, niſi ope ſcientiæ voluntatum exploratricis?

Et certè cùm Deus ab æterno cognoſcat quidquid aliquo modo futurum eſt, ſi ante decretum divinum verum ſit voluntatem Petri, poſito quòd auxiliorum multitudine oppugnetur, tali demum auxilio ceſſuram eſſe, neceſſariò ſequitur Deum, ante omnem liberum actum ſuæ voluntatis, cognoviſſe illud conditionatè futurum. Atqui hoc ipſum eſt ſcientia media.

Non ſolùm ſcientiam mediam admittere tenetur Thomaſſinus, ſed etiam, quod valde reformidat, fateri cogitur Deum per eam dirigi in efformandis ſuis decretis. Demus ſiquidem tantam diverſorum auxiliorum copiam Deo ſuppetere, ut voluntates obſtinatiſſimas tandem compellere poſſit ad bonum amplectendum, atque adeò opus non habeat voluntates explorare priuſquàm abſolutè prædeſtinet ad ſalutem; nihilominùs, cum nullum horum auxiliorum ſeipſo efficax ſit, non repugnat voluntatem creatam vehementiùs vel debiliùs, frequentiùs vel rariùs illis conſentire, ac proinde majorem vel minorem gloriæ gradum promereri. Unde fit ut Deus neminem ad determinatum beatitudinis gradum eligere poſſit, quin priùs exploraverit quanto animi ardore gratiæ conſenſurus ſit.

2°. In eodem ſyſtemate invincibilis gratiæ virtus cum libertate arbitrii non tam conciliatur, quàm gratia efficax planè excluditur. Ut enim omittam, gratis ſupponi peccatorem in malo obſtinatum infallibiliter ceſſurum eſſe collectioni multorum auxiliorum, quorum nullum ſeipſo efficax eſſe ſupponitur, quomodo invincibilis dici poteſt gratiarum aggregatio, quarum diſtributivè ſumptarum effectus unicè pendet à conſenſu voluntatis; imò quarum univerſarum collectio non habet effectum certum & determinatum? Talis autem eſt gratia Thomaſſini. Non ſolùm enim effectus ſingulorum auxiliorum, ex quorum adunatione reſultat, à conſenſu voluntatis unicè pendet; ſed etiam collectivè ſumpta effectum non habent certò determinatum. Siquidem modò velociorem, modò tardiorem, nunc propenſiorem, nunc languidiorem conſenſum pro nutu creatæ voluntatis obtinent. Hi tertio auxilio, illi quadrageſimo, alii centeſimo acquieſcunt; & rurſus alii enixius, alii ſegniùs. Fruſtra igitur ſibi plaudit Thomaſſinus, quaſi cæterorum ſyſtematum commoda retinuerit, & incommoda devitarit. Quidquid enim incommodi effugere molitur, multò majoribus luit. Hæc ſors eorum eſt qui contradictorias opiniones, quas inter medium nullum eſt, humanis temperamentis,

quibus, ubi de religione agitur, nihil periculoſius eſt, conciliare ſe poſſe confidunt.

Opponit Thomaſſinus nubem Scholaſticorum quibus ſe conſentire affirmat. Sed fruſtra novo ſyſtemati veteres patronos adſciſcere nititur. Admittunt quidem antiqui Scholæ magiſtri multiformem gratiam, multiplicemque Dei erga electos protectionem, quam nemo ſanè non agnoſcit; ſed, ſalvâ ſemper gratiæ interioris motum ipſum voluntatis efficienter operantis eminentiâ, ſine qua quæcunque alia auxilia, cujusvis generis ſint, nihil proſunt ad ſalutem. Singulorum Scholaſticorum mentem exponere labor foret inutilis. In ſolo Doctore Angelico immorabor.

Ait quidem S. Doctor providentiam Dei nunquam non aſſequi ſuum finem, quia tot adhibet adminicula, ut, ſi ſingula deficere poſſint, univerſa non poſſint. „ Si hoc, inquit, Opuſc. 2 in Compendio Theolog. cap. 140, „ per providentiam hominis fieri poteſt, ut cauſæ, quæ deficere poteſt ab effectu, ſic ferat auxilium, ut interdum indeficienter ſequatur effectus, ſicut patet in medico ſanante, & in cultore vineæ, „ contra ſterilitatem vitis adhibendo remedium, multò magis hoc ex „ ſapientia divinæ diſpoſitionis contingit, ut, quàmvis cauſæ contin„ gentes deficere poſſint, tamen, quibusdam adminiculis adhibitis, in„ deficienter ſequatur effectus; quod ejus contingentiam non tollit.“ Non aliter prædeſtinationis infallibilem effectum explicat quæſt. 6 *de Veritate*, art. 3. Cùm enim de providentia generatim conſiderata obſervaſſet, eam certò conſequi effectum ſuum dupliciter; „ uno modo in „ quantùm una cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine divi„ næ providentiæ; alio modo, quando, ex concurſu multarum cauſarum „ contingentium & deficere poſſibilium, pervenitur ad unum effectum, „ quarum unamquamque Deus ordinat ad conſecutionem effectûs loco „ ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat, ſicut videmus quòd omnia „ ſingularia unius ſpeciei ſunt corruptibilia, & tamen per ſucceſſionem „ unius ad alterum poteſt in eis ſecundùm numerum ſalvari perpetuitas „ ſpeciei, divinâ providentiâ taliter gubernante, quòd non omnia deficiant, uno deficiente;“ de prædeſtinatione continuò hæc addit: „ Et „ hoc modo eſt in prædeſtinatione. Liberum enim arbitrium deficere „ poteſt à ſalute: tamen, in eo quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel, ſi cadat, quòd reſurgat; „ ſicut exhortationes & ſuffragia orationum, donum gratiæ & alia hu„ jusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem. Si ergo „ conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicet liberi arbitrii, „ non habet certitudinem, ſed contingentiam: reſpectu autem cauſæ „ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem.“

Verùm nihil eſt in his textibus quod Thomaſſino faveat. Non enim in illo reprehendimus quòd electis multa ad ſalutem adminicula præparata

ta eſſe contendat, quorum nonnullis deficientibus, alia non deficiant, quod nemo negabit; ſed quòd velit illa adminicula ſuâ multitudine & importunitate efficacia eſſe, independenter à ſpeciali gratiæ auxilio, quod effectum eis tribuat, ipſumque voluntatis motum operetur. Porro quantum ab hoc errore diſtet Doctor Angelicus, apparet ex innumeris ejus textibus, quos partim retulimus, agendo de præmotione phyſica, partim referemus poſteà ſuo loco. Unum duntaxat hic proferam ex Lect. 3 in cap. 9 Epiſt. ad Romanos: „ Manifeſtum eſt, inquit, quòd omne „ Dei beneficium, quod homini confert ad ſalutem, eſt divinæ prædeſ- „ tinationis effectus. Divinum autem beneficium non ſolùm extendit „ ſe ad infuſionem gratiæ, quâ homo juſtificatur, ſed etiam ad gratiæ „ uſum: ſicut etiam in rebus naturalibus non ſolùm Deus cauſat ipſas „ formas in rebus, ſed etiam ipſos motus & operationes formarum, eo- „ quòd Deus eſt principium omnis motûs, cujus operatione ceſſante à „ movendo, ex formis nullus motus vel operatio ſequitur...... Sic igi- „ tur ipſe uſus gratiæ ex gratia eſt.“

Articulus Quartus.

Refellitur opinio Malebranchii.

In mente P. Malebranchii gratia efficax à ſufficiente non differt, niſi per conſenſum voluntatis à Deo prævisum. Proinde, quidquid Art. 1 & 2 ad profligandum Moliniſmum & Congruiſmum protulimus, ejus quoque opinionem falſam eſſe demonſtrat.

Sed quoniam illud ſyſtema plurimis aliis vitiis, & quidem graviſſimis, ſcatet, peculiaribus argumentis profligandum eſt; breviter tamen, ut ad alia majoris momenti properemus.

Præcipua P. Malebranchii dogmata hæc ſunt: 1um. Gratiam Chriſti, quam in delectatione quadam indeliberata, ab amore diſtincta, collocat, ſi oppoſitâ cupiditate gradibus ſuperior ſit, certò producere amorem Dei qui ſit totidem graduum, ſed hunc amorem non eſſe liberum nec meritorium. 2um. Ut homo actu deliberato & meritorio Deum diligat, neceſſe eſſe ut progrediatur ulteriùs quàm per gratiæ delectationem impellitur. 3um. Motiva duntaxat ad amorem Dei impellentia ex Deo eſſe: conſenſum verò, quem illis præbemus, ſolius eſſe voluntatis creatæ. 4um. Non per gratiam, ſed per rationem nos propriè determinari ad bonum faciendum, malumque fugiendum. Porro illa quatuor totidem ſunt errores manifeſti.

Primò, ut taceam gratiam prævenientem immeritò reponi in delectatione neſcio qua ab amore Dei planè diſtincta (quod quidem initio hujus Libri confutatum eſt), exprimi vix poteſt quàm abſurdum, imò erroneum ſit, aſſerere amorem Dei, qui ex delectatione gratiæ ſuperiore in

in nobis naſcitur, liberum non eſſe, nec meritorium. Nam de fide eſt effectum gratiæ in nobis liberum eſſe atque meritorium; alioquin gratia neceſſitatem voluntati imponeret, quod in Luthero & Calvino damnatum fuit. Atqui amor Dei delectationem gratiæ prævenientem conſequens eſt ipſius gratiæ effectus, ut patet. Non enim eſt formaliter gratia ipſa præveniens, ſed illius excitationem ſubſequitur. Repugnat ergo hunc amorem dici neceſſarium ac minimè meritorium.

Nec dicas præter hunc effectum gratiæ, quem impedire non eſt in poteſtate liberi arbitrii, alium eſſe, ſcilicet conſenſum, qui poſteà ad voluntatis nutum ſequitur, aut non ſequitur: adeòque per gratiam nullam voluntati inferri neceſſitatem. Nam 1°, juxta Malebranchium, conſenſus non eſt effectus gratiæ, ſed ſolius liberi arbitrii, ut modò dicemus. 2°. Inauditum eſt in Eccleſia duplicem effectum unicæ gratiæ attribui, quorum unus, quia gratiæ proprius effectus eſt, non ſit meritorius; alter, quia à ſolo libero arbitrio dependet, meritorius ſit. 3°. Concilium Tridentinum definit hominem gratiæ excitanti liberè aſſentiri. Atqui amor Dei gratiam prævenientem ſubſequens eſt verus aſſenſus illi gratiæ datus. Tunc enim voluntas propriè aſſentitur gratiæ, quando, Deum amando, id facit ad quod illa excitat. Ergo, juxta definitionem Concilii, amor Dei inſpirationem gratiæ ſubſequens eſt amor liber & meritorius.

Et ſanè quid cauſæ eſt cur ille amor neceſſarius cenſeretur? Quid illi ad amoris liberi rationem deeſt? Non fit certè ſine advertentia rationis; ſiquidem in mente cognitio, in voluntate excitatio præceſſit. Neque etiam implet totam voluntatis capacitatem; ac proinde non tollit potentiam ad oppoſitum. Cur ergo non foret meritorius? Ideò, inquit Malebranchius, quia non ratione imperatur, ſed inſtinctu quodam brutali elicitur, eâque præciſè menſurâ elicitur, quâ voluntas gratiæ voluptate agitur. Neſcio an dici quidquam poſſit gratiæ magis injurioſum. Ergo amor Dei hoc ipſo merito carebit, quia gratiâ, quæ meriti radix eſt, impellente elicitur? Pro inſtinctu brutali habebitur ille caritatis motus, quem voluntas humana, Chriſto inſpirante & excitante, peperit? Talia quis patienter audiat? At, inquit, hujuſmodi motus non fit ex imperio rationis. Quomodò verò ex imperio rationis non fit, quod fit cum advertentia rationis lumine gratiæ illuſtratæ? Nunquam enim gratiæ delectatio voluntatem prævenit, quin ſimul mens illuminata percipiat quid ſibi faciendum ſit. Quin etiam, in principiis Malebranchii, ideò ſuperior gratiæ delectatio certò producit amorem Dei ſibi correſpondentem, quia illa delectatio rectæ rationi planè conſonat; cùm è contrario concupiſcentiæ ſuperiori, eoquòd rectæ rationis dictamini repugnet, ſemper reſiſti poſſit. Quonam igitur pacto voluntas ſine imperio rationis ei delectationi obſequitur, cui idcirco tantùm obſequitur, quia rationi conſentanea eſt?

Ita

Ita quidem eſt, inquit: ſed tunc ratio, ſuperiori delectatione gratiæ abrepta, ea non advertit quæ illam à conſentiendo avertere poſſent. Quid inde? Num, ut voluntatis conſenſus ſit liber, requiritur actualis advertentia ad ea per quæ poſſet actus impediri? Iſtud commentum quotidianæ experientiæ contrarium, unde nobis peccati philoſophici monſtrum, aliique contra morum regulam nefandi errores pullularunt, ſupra refellimus. Fatemur quidem, quando voluntas majore gratiæ delectatione ad bonum attrahitur, rationem tum ſæpè actu non attendere ad ea quæ illam à bono avocare nata ſunt (dico *ſæpè*, nam ſi ex oppoſito adſit actualis cupiditas, etſi minor, contrarium accidit); ſed ſemper poteſt ad illa attendere, idque ad arbitrii libertatem ſufficit: idcirco autem poteſt, quia hac in vita delectatio gratiæ nunquam tanta eſt, ut omnem intelligendi & volendi capacitatem repleat.

Adde ex hac doctrina rem omnium periculoſiſſimam conſequi, ſcilicet nobis, quoties gratiâ vehementer allicimur ad bonum, ſummo ſtudio cavendum ut non protinus, quaſi ex inſtinctu, obtemperemus, ſed, aſſenſu cohibito, ea quæ à bono avertere poſſunt primùm perpendamus; alioquin liberè non conſenſuri, meritoque cariturі. Hanc ſequelam horruiſſet profectò Malebranchius. Verùm quò ea deteſtabilior eſt, eò principium ex quo ſponte fluit perniciofius.

Demum perabſurdum eſt quod fingit Malebranchius, ex delectatione ſuperiori gratiæ certò conſequi amorem Dei neceſſarium & invincibilem; ex illo autem amore neceſſario & invincibili nihil conſequi, niſi ex nutu voluntatis. Si enim tanta vis eſt gratiæ, ut ei reſiſti non poſſit, ſed confeſtim Deus neceſſariò ametur, quomodò non major vis eſt iſtius invincibilis amoris Dei à voluntate neceſſariò eliciti?

II°. Eccleſiæ definitionibus olim adverſus Pelagianos latis, & in ſynodo Tridentina renovatis, quibus docemur merita noſtra eſſe Dei dona, apertè contradicit quod ait Malebranchius, hominem Deum diligendo non mereri, niſi ulteriùs progrediatur quàm gratiæ delectatio impellit. Hoc enim quid aliud eſt, quàm dicere eum ſolum amorem Dei eſſe donum gratiæ, qui nullius meriti ſit; qui verò præmium mereatur, non Dei donum, ſed liberi arbitrii proprium effectum eſſe? Proinde, ut priori dogmate Lutheraniſmus adſtruitur, ſic hoc poſteriori Pelagianiſmus renovatur.

Ea verba, quæ in Malebranchii ſcriptis adeò frequenter occurrunt, ut incauto excidiſſe dici nequeant, quocunque ſenſu illa dixerit, ab errore excuſare nec, ſi velis, poſſis. Si enim mens illius hæc eſt, quam verba ipſa præ ſe ferunt, hominem, ut mereatur, debere intenſiore amore Deum diligere, quàm gratiâ excitatur, hoc adeò intolerandum eſt, ut nihil magis. Id nec Molina, nec ullus Jeſuita, nec Pelagius ipſe dicere auſus eſt. Dixerunt illi quidem liberi arbitrii eſſe gratiam Dei, quæcunque ſit, efficacem vel inefficacem reddere; ſed li-

liberum arbitrium progredi debere ultra id ad quod per gratiam impellitur, ut Deum plus diligat quàm ad diligendum excitatur, id nemo hactenus ſomniaverat. Si ita eſt, non totum quod homo benè agit gratiæ adſcribi oportet; aliquis amoris Dei gradus eſt in nobis qui à gratia nullatenus procedit, ille nimirum quo gratiam prævenientem prætergredimur. Meliores, quàm à Deo facti ſumus, libero noſtro arbitrio nos efficimus, ſi, Deo inſpirante amorem ſui ut quinque, amamus ut ſeptem; habet homo à ſeipſo aliquid optimum quod non accepit, de quo proindè non in Deo, ſed in ſeipſo ſolo, jure meritò glorietur. Si homo poteſt ac tenetur aliquos divini amoris gradus eis addere quos Deus inſpirat, cur decem, viginti, centum gradus addere, ac perfectionis culmen propriâ liberi arbitrii virtute ſubitò attingere non poſſet? Si ita eſt, inſipienter dixit ſponſa Canticorum, Cap. I. 3: *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum*; cum dicere debuiſſet, juxta Malebranchium: Trahe me, ultra te curremus. Inſipienter Apoſtolus Paulus docet, 1 Corinth. XII. 11, *omnia operari unum atque eumdem Spiritum, dividentem ſingulis prout vult*, & Epheſ. IV. 7, *unicuique noſtrum datam eſſe gratiam ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Inſipienter S. Auguſtinus dixit lib. 14 *de Trinitate*, cap. 17, num 23: „ Tantùm facit homo, quantùm divinitùs adjuvatur: „ & lib. *de Perf. juſtitiæ*, cap. 19. num. 41: „ Quiſque ita diligit bonum, ſicut unicuique Deus partitus eſt „ menſuram fidei.“ Siquidem non id ſolum habebit quiſque, quod ſibi à Deo donatum eſt, ſed id etiam quod de ſuo ſuperaddidit: nec tantùm faciet quantùm adjuvatur, ſed quantùm, gratiam adjuvantem prætergrediendo, operatur. Hæc autem omnia adeò abſona atque impia ſunt, ut opinari velim hanc reipſâ auctoris mentem non fuiſſe, tametſi ejus verba alium ſenſum pati vix queant.

Si verò, ut opinari mallem & innuere alicubi videtur, cùm dicit hominem, ut mereatur, debere ultra progredi quàm delectatione gratiæ attrahitur, hoc ſenſu intellexit (quo certè nullus favorabilior ei attribui poteſt) quòd voluntas non liberè gratiæ tunc conſentiat, quando ſolius gratiæ impulſu agit, ſed ſolummodò quando, omnibus maturè perpenſis, proprio ſuo motu conſentit, cum potentia diſſentiendi etiam in ſenſu compoſito; ſi, inquam, eo ſenſu intellexit, non tantùm in eo peccat quòd efficaciam gratiæ à voluntatis conſenſu repetat, quod ſuprà in Molina confutatum eſt, ſed etiam gratiæ dignitati multùm detrahit: quaſi verò poſt motionem gratiæ alia requirantur ad benè agendum, ipſaque gratia adeò ſit libero arbitrio inimica, ut ſolâ ejus motione determinari ad bonum idem ſit, ac bonum non liberè, ſed neceſſariò amplecti.

III°. Quod addit, ſola motiva ad bonum impellentia à Deo eſſe, ipſum verò conſenſum ſolius eſſe liberi arbitrii, adeò crudum eſt, ut hæreſis notam effugere vix poſſit: quandoquidem SS. Patres ſuprà laudati una-

unanimi voce adverſùs Pelagianos ac Semipelagianos aſſerunt, tanquam fide certum & indubitatum, totum quod boni facimus, ipſumque gratiæ & liberi arbitrii bonum uſum, à Deo eſſe. Aliunde cùm ſolis motivis ad bonum impellentibus, quibus obſequi vel non obſequi ab homine ſolo pendeat, nemo fiat melior, ſolùſque conſenſus id præſtet, ſi Deus nonniſi motiva ſuppeditat, conſenſus verò ſolius voluntatis ſit, jam non Deus hominem, ſed homo ſeipſum bonum facit, multòque excellentius eſt quod homo quàm quod Deus operatur: quod ſentire non ſolùm ſacrilegæ impietatis, ſed etiam ſummæ dementiæ eſt.

Hoc incommodum minimè evitant Moliniani & Congruiſtæ, imaginando gratiam quamdam cooperantem, quæ nobiſcum ad conſentiendum paratis conſenſum noſtrum phyſicè producat. Sed ſi illi, hoc qualicunque temperamento adhibito, nihilominùs rejiciuntur, quantò inexcuſabilior Malebranchius, qui crudè contendit conſenſum noſtrum in bonum à ſolo eſſe noſtro libero arbitrio?

Fruſtra effugere nititur, dicendo voluntatis conſenſum non eſſe actum poſitivum, ſed meram quietem voluntatis bono ſibi propoſito acquieſcentis, nec ultra requirentis. Quaſi verò conſenſus in bonum non ſit amor liberè elicitus, aut amor liberè elicitus non ſit aliquid poſitivum. Certè voluntas, dum conſentit, non merè negativè ſe habet, non omnem actum ſuſpendit, non manet indeterminata, ſed oblatum ſibi bonum ſciens & volens amplectitur; quod ſine actu poſitivo concipi nullatenùs poteſt.

Verùm hunc conſenſum extenuet quantùm volet Malebranchius, hoc certum eſt, per eum nos bonos ac juſtos effici. Totum quod meremur, quod rectè agimus, quo Deo placemus, non in motivis prævenientibus & indeliberatis, ſed in ipſo conſenſu ſitum eſt. Quomodò poſitivum non eſt id per quod tanta nobis bona præſtantur? Quomodò illud quo ad amorem Dei allicimur, quàmvis nullius meriti ſit, adeò magnum eſt, ut niſi à Deo eſſe non poſſit; id verò, quo Deum liberè diligimus vitamque æternam promeremur, adeò exiguum ac pene nullum eſt, ut, Deo non donante, ex ſolo hominis arbitrio ſurgat? Aliunde quomodò conſenſus voluntatis eſt mera quies, omnis motûs & actionis expers, ſi, ut conſenſus ſit liber, neceſſe eſt ultra progredi quàm gratia impellit, ſicut auctor affirmat? Num, quæſo, merè quieſcit voluntas, quæ ultra quàm movetur progreditur? Num progreditur ultra quàm movetur, quæ merè quieſcit? Quale ſyſtema, cujus partes ſingulæ propriis vitiis laborant, ſecumque invicem tam malè cohærent!

Deniquè, juxta SS. Patres ſupra memoratos, in ſalutis negotio ac bonis operibus totum à Deo fit, & totum à libero arbitrio. Contra verò, in ſyſtemate Malebranchii, nec totum eſt à Deo, nec totum à libero arbitrio; ſed quod Deus producit, nempe delectationes & motiva, id homo non operatur. Quod verò à libero eſt arbitrio, nempe con-

 ſen-

Digitized by Google

ſenſus, nullatenus à Deo producitur; Deumque inter & creaturam talis partitio fit, ut, quod minus eſt, Deo, quod majus creaturæ attribuatur.

IV°. Si Malebranchio credamus, non gratia Chriſti, ſed ſola ratio ad bonum faciendum malumque vitandum nos determinat. Juxta illum quippe, vel delectatio gratiæ oppoſitam delectationem gradibus ſuperat, vel æqualis eſt, vel inferior. Quando gradibus ſuperat, tunc ſequitur confeſtim amor Dei, ſed neceſſarius & minimè meritorius; conſenſus verò liber aut non datur, aut, ſi datur, non virtute cœleſtis delectationis datur, ſed quia ratio, omnibus conſideratis, eum dari jubet. Quando gradibus æqualis eſt, tunc ſola ratio in quodam æquilibrio poſita decernit quid agendum ſit. Quando inferior, tunc vinci poteſt per delectationem oppoſitam. Poteſt quoque homo per illam vincere: ſed tunc non idcirco palmam gratiæ adjudicat, quia cœleſti delectatione præventus eſt, ſiquidem majore delectatione terrenâ ex adverſo affici ſupponitur; ſed quia recta ratio priùs conſulta gratiæ obtemperandum eſſe ſuadet. Proinde quoties bonum volumus, vel à malo avertimur, toties ratio primas tenet, ſola imperat, ſola quaſi è throno decernit, ſola voluntatem determinat, & niſi annuerit, gratia, quantacunque ſit, ad determinandam voluntatem nihil virtutis habet.

Porro hæc doctrina, ut ſolâ expoſitione patet, gratiam Chriſti, cujus vim & excellentiam Scripturæ & SS. Patres tantoperè commendant, humanæ rationi, cujus cogitationes timidæ & incertæ ſunt providentiæ, poſtponit; illius virtutem plusquàm dici poteſt, attenuat, hujus autem in immenſum exaggerat, & Stoïcorum typhum, nihil non rationi tribuentium, ab eaque ſola pendentium, renovat.

Pluribus non opus eſt ut quivis intelligat in quæ abrupta ſeſe conjiciant homines etiam ingenioſi, quando ſolam mentis attentionem ſibi ſufficere arbitrantur, ad detegendum circa materias quaslibet æternæ Sapientiæ reſponſa, &, neglectis Scripturâ ac Traditione, quibus continetur quidquid ad religionem ſpectat, propriæ rationis aberrationes tanquam oracula Verbi venerantur.

ARTICULUS QUINTUS.

Oſtenditur efficaciam gratiæ non aliunde quàm ab intrinſeca ejus virtute eſſe repetendam, ſeu gratiam Chriſti ſeipſâ efficacem eſſe.

Rejectis Modernorum opinionibus, ſupereſt ut, quid demum de efficacia gratiæ, juxta Scripturarum oracula & teſtimonia ſanctorum Patrum, ſentiendum ſit, in medium proferamus.

Gratiam Chriſti ab intrinſeco efficacem eſſe multa hactenus probata invictè demonſtrant.

Oſten-

Oſtendimus primùm, Deum ſpecialiter ac phyſicè præmovere voluntates ipſas creatas ad omnes & ſingulos earum actus. Porro ſi etiam ad actus naturales, quorum reſpectu natura humana per peccatum originis debilitata non fuit, admittenda eſt prædeterminatio phyſica & ſpecialis, quantò magis voluntas peccato ſauciata indiget gratiâ per ſeipſam efficace, ad omnes & ſingulos actus pietatis? Hæc illatio eſt S. Auguſtini, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 21. num. 43. Poſteà quàm multis divinorum eloquiorum teſtimoniis oſtendiſſet „ operari Deum in cordi-
„ bus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quòcunque voluerit,
„ ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eo-
„ rum," argumentationem ſuam concludit his verbis: „ Si autem po-
„ tens eſt, ſive per Angelos, vel bonos vel malos, ſive quocunque alio
„ modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quo-
„ rum malitiam ipſe non fecit, ſed aut originaliter tracta eſt ab Adam,
„ aut crevit per propriam voluntatem, quid mirum eſt ſi per Spiritum
„ ſanctum operatur in cordibus electorum ſuorum bona, qui operatus
„ eſt ut ipſa corda eſſent ex malis bona?"

Semipelagiani negare non poterant Deum, quando Saülem & poſteà Davidem reges conſtituere voluit, efficaciter inclinaſſe voluntates Iſraëlitarum ut illis ſeſe ſubderent, ſed ægrè ferebant S. Auguſtinum à fortiori probare voluiſſe, in libro *de Correptione & gratia*, gratiam ſeipſâ efficacem eſſe neceſſariam ad bonum volendum ac deſiderandum. Illorum querelâ per Proſperi & Hilarii Epiſtolas compertâ, reſpondit S. Doctor lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 20. num. 42, oſtenditque omnino abſurdum eſſe, illo priori conceſſo, hoc poſterius inficiari.
„ Fruſtra, inquit, quod Regnorum & Paralipomenon ſcripturâ teſte
„ probavimus, cùm Deus vult fieri, quod nonniſi volentibus homini-
„ bus oportet fieri, inclinari eorum corda ut hoc velint, eo ſcilicet
„ inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle,
„ ad cauſam, de quâ diſſerimus, non pertinere dixerunt. Quid eſt
„ aliud nihil dicere, & tamen contradicere? Niſi fortè, cur eis hoc
„ viſum ſit, rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in litteris
„ veſtris tacere maluiſtis. Sed quæ illa eſſe poſſit, ignoro. An fortè,
„ quia oſtendimus hoc Deum egiſſe in cordibus hominum, & ad hoc
„ perduxiſſe quorum ei placuit voluntates, ut rex conſtitueretur Saül,
„ ſive David, ideò hæc exempla cauſæ convenire non putant, quoniam
„ non hoc eſt temporaliter regnare in hoc ſæculo, quod eſt in æter-
„ num regnare cum Deo; ac per hoc exiſtimant ad regna terrena fa-
„ cienda Deum inclinare, ad regnum verò cœleſte obtinendum, Deum
„ non inclinare quorum voluerit voluntates? Sed puto propter regnum
„ cœlorum, non propter terrenum regnum, eſſe dictum: *Inclina cor*
„ *meum in teſtimonia tua......* Cogitate autem quale ſit ut credamus,
„ ad conſtituenda regna terrena, hominum voluntates operari Deum,

N 3. „ &c.

„ & ad capeſſendum regnum cœlorum, homines operari voluntates „ ſuas.“

Oſtendimus etiam gratiam interiorem Chriſti non eſſe aliquid à ſanctâ dilectione diſtinctum, atque ad eam tantummodò excitans, ſed ipſammet inſpirationem dilectionis ſeu caritatis, ſaltem inchoatæ. Atqui, omnium conſenſu, non poteſt non eſſe efficax illa operatio, quæ aliquem caritatis motum in nobis ex ſeipſâ producit.

Oſtendimus inſuper gratiam adeò neceſſariam eſſe ad benè agendum, ut ſine illa nihil boni prorſus fieri queat. Atqui hæc veritas, in Scripturis & SS. Patrum operibus, Conciliorumque definitionibus tanto ſtudio commendata & inculcata, ſtare non poteſt niſi gratia ex ſeipſa efficax ſit. Nam ſi gratia non eſt per ſe efficax, admitti neceſſariò debet aliquid ex parte hominis quo fiat efficax: illud autem, qualecunque ſit, gratiæ effectum non fore manifeſtum eſt. Unde S. Leo, Serm. 8 *de Epiphania*, num. 3, ait: „ Dicente diſcipulis ſuis Domino, *ſine me* „ *nihil poteſtis facere*, dubium non eſt hominem bona agentem à Deo „ habere & effectum operis, & initium voluntatis.“

Demum modò oſtendimus gratiæ efficaciam repeti non poſſe, ſive à conſenſu voluntatis, ſive à congruitate externa ipſius gratiæ per ſcientiam mediam præcognita, ſive à multitudine diverſorum auxiliorum ſibi continuò ſuccedentium. Reſtat ergo ut gratia propriâ ſuâ virtute effectum ſuum producat; nihil quippe medium eſt.

Tract. de Efficacit. gratiæ, q. 1. pag. 38. Et certè, fatente Daniel, „ omnes Theologi Catholici in hoc convenire debent, in gratia efficaci aliquid eſſe quo à ſufficiente diſtinguatur, etiam antecedenter ad ſuum effectum.“

Tom. 2. pag. 643. Idem lego apud Tournely in tract. *de Gratia*. „ Admittendam eſſe „ gratiam efficacem, ait, quæ certò & infallibiliter det velle & operari, „ certa eſt & indubitata fidei doctrina.“ Hoc poſito, ſic argumentor: Gratia efficax à ſufficiente diſtingui non poteſt antecedenter ad ſuum effectum, ſeu effectum ſuum certò & infallibiliter producere, niſi vel ſuâpte virtute, vel ope ſcientiæ mediæ. Atqui ſcientiam mediam omnibus SS. Patribus incognitam fuiſſe fatentur ejus patroni, & erroneam eſſe invictis argumentis probavimus. Ergo gratia ſuâpte virtute efficax eſt.

Verùm hujus quæſtionis ſumma gravitas exigit ut peculiaribus argumentis adſtruatur: neque illa deſunt, immo tanta eſt illorum copia, ut delectu imprimis ac methodo nobis opus ſit. Quamobrem præcipua tantum, eaque in varias claſſes diſtributa, depromemus.

1° Probatio. PRIMA probatio ex verbis ipſis quibus efficacia gratiæ in Scripturis & SS. Patribus exprimitur.

Auctores ſacri & SS. Patres effectum gratiæ multis verbis exprimunt, quæ eam ſeipſâ efficacem eſſe apertè ſignificant. Nam gratia dicitur 1° *convertere*, ut Pſalm. 84. v. 5: *Converte nos, Deus, ſalutaris noſter.* Quid autem eſt convertere, niſi mutare voluntatem, & à pravo affectu ad

ad bonum transferre? Quod niſi per gratiam ſeipſâ efficacem fieri nequit. Non enim poſtulat Propheta ut Deus aliquid inſpiret, ex quo ſequi poſſit converſio, ſed ut voluntatem reipſâ convertat.

2°. Dicitur *inclinare cor.* Pſalmo 118. v. 36: *Inclina cor meum in teſtimonia tua:* & lib. 3 *Regum*, cap. VIII. 57: *Inclinet* (Deus) *corda noſtra ad ſe, ut ambulemus in univerſis viis ejus.* Porro inclinare cor nihil aliud eſt quàm illud efficienter movere ac determinare. Sanè cum David dicit, Pſalm. 118. v. 112: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas*, nemo non intelligit ipſum ſeſe phyſicè determinaſſe ad ſervandum mandata. Ergo pariter, cùm orat Deum ut inclinet cor ipſius in teſtimonia ſua, confitetur Deum determinare voluntatem ad implenda mandata.

3°. Dicitur *applicare.* Jeremiæ XXX. 21: *Applicabo eum, & accedet ad me. Quis enim iſte eſt qui applicet cor ſuum, ut appropinquet mihi, ait Dominus?* Quo quidem verbo adeò perſpicuè exprimitur gratia ſeipſâ efficax, ut nullo alio frequentiùs utantur Thomiſtæ ad ſignificandam prædeterminationem phyſicam. Et ſanè nullum dubium eſt illud verbum eodem ſenſu accipi debere in utroque membro propoſitionis. Atqui in altero membro ſignificat operationem phyſicam voluntatis ſeipſam applicantis & determinantis. Ergo in priori quoque membro ſignificat operationem phyſicam Dei, voluntatem efficienter applicantis ad bonum.

4°. Dicitur *trahere.* Joann. VI. 44, Chriſtus ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Quo textu allato, S. Hieronymus ſic loquitur in Dialogo 3 contra Pelagianos, cap. 3: „Quando dicit: *nemo poteſt venire ad me*, frangit ſuperbientem arbitrii libertatem, quod, etiamſi velit ad Chriſtum pergere, niſi fiat illud quod ſequitur, *niſi Pater meus traxerit eum*, nequidquam cupiat & fruſtra nitatur. Simul & hoc animadvertendum, quòd, qui trahitur, non ſponte currit; ſed aut retractans & tardus, aut invitus adducitur." Non ſanè quòd Deus trahendo cogat voluntatem, ſed quòd faciat ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes. Unde S. Auguſtinus, lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 19. num. 37: „Trahitur, inquit, miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipſis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant." Quoniam enim, ut obſervat S. Anſelmus, lib. 1 *Cur Deus homo*, cap. 10, „voluntate quiſque ad id quod indeclinabiliter vult trahitur vel impellitur, non inconvenienter trahere vel impellere dicitur Deus, cum talem dat voluntatem; in quo tractu vel impulſu nulla intelligitur violentiæ neceſſitas, ſed acceptæ bonæ voluntatis ſpontanea & amata tenacitas." Hoc ſenſu ſponſa dicit in Cantico, Cap. I. 3: *Trahe*

Digitized by Google

he me, poſt te currèmus: & Joannis XII. 32: *Et ego, ſi exaltàtus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.*

5°. Dicitur *agere* corda ſeu voluntates hominum. Rom. VIII. 14: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Hoc textu demonſtrat S. Auguſtinus quanta ſit gratiæ Chriſti virtus & efficacia. Pelagio enim dicente *omnes voluntate propriâ regi*, hanc blaſphemiam his verbis repellit S. Doctor, lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 3. num. 5: „ Procul dubio „ plus eſt agi, quàm regi: qui enim regitur, aliquid agit, & ideò re- „ gitur ut rectè agat; qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelli- „ gitur; & tamen tantùm præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvato- „ ris, ut non dubitet Apoſtolus dicere: *quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei.*“ Non ſolùm ergo regimur per gratiam, ſed & agimur. In ſyſtemate porro Congruiſtarum dici forſitan aliquo ſenſu poſſet Deus homines regere, quatenus auxiliis congruo loco & tempore datis ſic eos gubernat, ut rectè agere velint. Sed illos agere quo demum pacto dici poſſet? Nimis certè abſurdum eſt quod ait Tournely, juxta S. Auguſti-
Tom. 2 de Gratia, pag. 650. num, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 2. num. 4, multos ſpiritu Dei agi, qui tamen ea quæ oportet non agunt. Nimis, inquam, hoc abſurdum eſt, ut in mentem tam eximii Doctoris venire unquam potuerit. En ipſius verba, ex quibus facilè quiſque deprehendet quantùm ab eo abfuerit: „ Intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut „ quod agendum eſt agant, &, cùm agunt, illi à quo agunt gratias „ agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant; & ad hoc „ eis oſtenditur quid agere debeant, ut, quando id agunt ſicut agen- „ dum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem „ quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe „ ſe gaudeant: quando autem non agunt, ſive omnino non faciendo, „ ſive non ex caritate faciendo, orent ut quod nondum habent acci- „ piant.“ Perſpicuum eſt S. Doctorem non dicere, ut ei attribuitur, multos agi ſpiritu Dei, qui ea quæ oportet non agunt, immò contrarium manifeſtè ſupponere, cùm dicit, „ aguntur enim ut agant, non „ ut ipſi nihil agant;“ ſed tantùm filios Dei non ſemper id agere quod agendum eſt, tuncque orare debere ut quod nondum habent accipiant, hoc eſt, ut ad illud agendum ſpiritu Dei agantur. Ubinam, quæſo, ſinceritas ac bona fides?

Non alium ſenſum in verbis Apoſtoli agnovit Angelicus Doctor, Comment. in hunc locum. „ Ille qui ducitur, inquit, ex ſeipſo operatur: homo autem ſpiritualis non tantùm inſtruitur à Spiritu ſancto „ quid agere debeat, ſed etiam cor ejus à Spiritu ſancto movetur. „ Ideò plus intelligendum eſt in hoc quod dicitur, *quicunque ſpiritu Dei* „ *aguntur*, illa enim aguntur quæ quodam ſuperiori inſtinctu moven- „ tur. Unde de brutis dicimus quòd non agunt, ſed aguntur, quia à

„ na-

„ natura moventur, & non ex proprio motu, ad ſuas actiones agendas.
„ Similiter autem homo ſpiritualis, non quaſi ex motu propriæ voluntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritûs ſancti inclinatur ad aliquid agendum, ſecundùm illud Iſaiæ 56: *Cùm venerit quaſi fluvius violentus quem Spiritus Dei cogit*, & Luc. 4, quòd Chriſtus *agebatur à ſpiritu in deſerto......* Non tamen per hoc excluditur quin viri ſpirituales per voluntatem & liberum arbitrium operentur, quia ipſum motum voluntatis & liberi arbitrii Spiritus ſanctus in eis cauſat.“

6°. Dicitur *præparare* voluntatem, id eſt, actum ipſum volendi producere, Proverb. VIII. 35, ſecundùm 70, *præparatur voluntas à Domino*, ἑτοιμάζεται θέλησις παρὰ Κυρίου. Notandum quippe eſt hanc vocem θέλησις non facultatem volendi, ſed *ipſam volendi actionem* apud Scapulam ſignificare. Dicitur autem voluntas ſeu ipſa volendi actio præparari, hoc eſt, produci à Deo, quemadmodùm ibidem, v. 27, Sapientia æterna dicit: *quando præparabat cœlos, aderam*, ἡνίκα ἡτοίμαζε τὸν οὐρανὸν, συμπαρήμην αὐτῷ. Hoc textu centies uſi ſunt SS. Patres ad adſtruendam effectricem gratiæ virtutem.

S. Ambroſius, lib. 1 in Luc. cap. 1. num. 10, exponens quod ait S. Evangeliſta, viſum eſſe & ſibi Evangelii hiſtoriam texere, ſic loquitur: „ Poteſt etiam non ſoli viſum eſſe, quod ſibi viſum eſſe declarat. Non enim voluntate tantùm humanâ viſum eſt, ſed ſicut placuit ei qui in me, inquit, loquitur Chriſtus, qui, ut id quod bonum eſt nobis quoque bonum videri poſſit, operatur; quem enim miſeratur, & vocat. Et ideò qui Chriſtum ſequitur poteſt, interrogatus cur eſſe voluerit Chriſtianus, reſpondere: viſum eſt mihi. Quod cùm dicit, non negat Deo viſum, à Deo enim præparatur voluntas hominum: ut enim Deus honorificetur à ſancto, Dei gratia eſt.“ Ibi S. Ambroſius gratiæ operationem, quâ præparatur voluntas hominum, fitque ut Chriſtiani eſſe velint, comparat inſpirationi divinæ, quâ S. Lucas impulſus fuit ad ſcribendum Evangelium; quam certè inſpirationem per ſe efficacem fuiſſe dubitari nequit, quin ſacrarum Scripturarum divinæ auctoritati plurimùm detrahatur.

S. Auguſtinus innumeris in locis eumdem textum ſic allegat, ut non aliter quàm de gratia per ſe efficaci intelligi poſſit; v. g. lib. *de Correptione & gratia*, cap. 8. num. 17. „ Quia, inquit, præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo (Petro) Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio.“ Abſurda profectò conſequentia, ſi voluntas præparari poteſt per gratiam non ſeipſâ efficacem. Potuiſſet enim voluntas Petri tali gratiâ conveniri, & tamen Chriſti pro illo inanis eſſe oratio. Lib. 3 *Oper. Imperf.* cap. 14: „ Præparatur, ait, voluntas à Domino, non forinſecus ſonantibus verbis, ſed ſicut, orante exauditâque Reginâ, convertit Deus & tranſtulit indignationem Regis in lenitatem. Sicut

„ enim hoc divino & occulto modo egit in hominis corde, ſic operatur „ in nobis & velle & operari pro bona voluntate.“ Et lib. 1 *Retract.* cap. 10. num. 2: „ Verum eſt omnes homines hoc poſſe (nimirum mandata ſervare) „ ſi velint, ſed præparatur voluntas à Domino, & tantum au„ getur munere caritatis ut poſſint.“ Ubi ea voluntas præparari dicitur, quæ poſtea augetur: porro motus duntaxat & affectio voluntatis, non ipſa volendi facultas augetur.

S. Proſper in Epiſtola ad Rufinum, cap. 5: „ Quis ambigat tunc li„ berum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei „ affectum credendi obediendique generaverit? Alioquin ſufficeret mo„ neri hominem, non etiam in ipſo novam fieri voluntatem, ſicut ſcrip„ tum eſt: *præparatur voluntas à Domino;* & ſicut ait Apoſtolus: *Deus* „ *eſt enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.*“ Probat S. Doctor novam voluntatem in homine à Deo fieri, ex eo quòd præparatur voluntas à Domino, & pro eodem ſumit voluntatem præparari à Deo, & Deum operari in nobis velle.

S. Fulgentius, lib. 1 *ad Monimum*, cap. 14: „ Ab ipſo præparatur „ voluntas, qui in nobis velle & perficere miſericorditer operatur.“

7°. Dicitur *facere* ut velimus, facere ut faciamus, facere ex nolentibus volentes. Ezech. XXXVI. 27: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini.* Non ergo nos conſentiendo facimus ut gratia ſit efficax, ſed gratia ſuâpte efficaciâ facit ut conſentiamus & cooperemur. Quàmobrem S. Chryſoſtomus, Hom. *in orat. Domini* (novæ edit. tom. 3, pag. 30) exponens iſtam petitionem: *Fiat voluntas tua* &c: „ Da nobis, inquit, „ Domine,..... ut ea quæ tu vis, nos etiam velimus.“ Et S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 16. num. 32: „ Cer„ tum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de „ quo dictum eſt: *præparatur voluntas à Domino;* de quo dictum eſt: „ *à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet;* de quo dic„ tum eſt: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle.* Certum eſt nos fa„ cere, cùm facimus; ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires effi„ caciſſimas voluntati, qui dixit: *faciam ut in juſtificationibus meis am„ buletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.*..... Ille facit ut facia„ mus, cui dicit homo: *pone, Domine, cuſtodiam ori meo;* hoc eſt „ enim dicere: fac ut ponam cuſtodiam ori meo; quod beneficium jam „ fuerat conſecutus, qui dixit: *poſui ori meo cuſtodiam.*“

Sanè illuſtrationes, excitationes, ſuaſiones internæ, quantùmcunque perfectæ ſint & multiplices, eſſe poſſunt in nolente & non agente. Ergo per ſolam motionem moralem non facit Deus efficaciter ut velimus & agamus; ſed aliud admittendum eſt auxilium ſeipſo efficax, per quod Deus verè efficienter faciat nos velle & operari.

8°. Dicitur *dare* bonam voluntatem, fidem, ſpem, caritatem, aliasque

que virtutes. Hoc loquendi modo nihil uſitatius eſt in Scriptura & apud omnes SS. Patres: v. g. Ezech. XXXVI. 26: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum;* hoc eſt, ut exponit S. Auguſtinus ibidem: „ Auferam cor durum unde non faciebatis (mandata), & „ dabo vobis cor obediens unde faciatis.“ Lib. 2 *Macchab.* cap. I. 3: *Det vobis* (Dominus) *cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti.* Zacharias in ſuo Cantico, Lucæ I. 73: *Jusjurandum*, inquit, *quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis, ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia coram ipſo.* Fons græcus majorem adhuc vim habet: τοῦ δοῦναι ἡμῖν ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ ἐν ὁσιότητι: hoc eſt: *daturum nobis ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum ereptos, ſervire illi in ſanctitate* &c. S. Paulus, Rom. XV. 5: *Deus patientiæ & ſolatii det vobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundùm Jeſum Chriſtum.* Porro quid expreſſius eſſe poteſt ad ſignificandam gratiam ſeipſâ efficacem, quàm iſta vox omnium Chriſtianorum ore frequentari ſolita? Si enim Deus dat nobis cor novum, fidem, aliarumque virtutum actus, hoc ipſo illa habemus, neque fieri poteſt ullomodò ut, quod homini Deus dat, homo non habeat. Porro, Scripturâ teſte, Deus non tantùm dat requiſita ad benè volendum, ad virtutes exercendas, ſed dat ipſam voluntatem bonam, cor novum, cor obediens, pietatem, & ſui religioſum ſincerumque cultum. Ergo Deus hæc omnia efficaciſſimâ virtute operatur in nobis.

Hinc concilium Carthaginenſe totius Africæ plenarium, anno 418, ſic decernit can. 5: „ Si quis dixerit eamdem gratiam Dei per Jeſum „ Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non „ peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia „ mandatorum, ut ſciamus quid appetere & quid vitare debeamus; non „ autem per illam nobis præſtari ut, quod faciendum cognoverimus, „ etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit,..... cùm ſit „ utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut „ faciamus.“ Ergo ipſamet dilectio, ſine qua nihil benè fit, à Deo datur; & quiſquis non eam ipſam, ſed quidvis aliud moraliter tantùm ad eam excitans & invitans, per gratiam dari contenderit, anathemati ſubjicitur.

9°. Dicitur *operari in nobis velle & perficere.* Philipp. II. 12, dicit Apoſtolus: *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini;* & continuò hujus ſancti & caſti timoris rationem afferens, addit: *Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Non ergo ſolam benè volendi & benè operandi potentiam in homine Deus operatur, ſed ipſummet velle & operari; neque id facit nobiſcum, quia volumus, cooperando, *ſed pro bona voluntate* ſua, id eſt, ex pura miſericordia, ut

ut exponit S. Auguſtinus: vel ſi de bona hominis voluntate intelligendum eſt, ſic intelligatur ut Deus dicatur primò operari velle, ac deinde perficere, pro bona, quam priùs inſpiravit, voluntate. „ Pro quâ „ bona voluntate, inquit S. Proſper in Epiſt. ad Rufinum, cap. 5, niſi „ quam in ipſis operatus eſt Deus, ut, quòd donaverat velle, donaret „ & facere?"

Et Hebræorum XIII. 21: *Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe.* Quidquid ergo boni facimus, Deus ipſe in nobis facit, ſicque facit ut & nos ipſi cooperando faciamus. Hoc modo Chriſtus egit in corde Petri, ut poſt lapſum converteretur, ipſum converſionis affectum producendo. „ Intus actum eſt, ait S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 45. num. 49, „ in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericordiâ „ Dominus latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratiâ ſuâ viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lacrymas movit & produxit affectum."

10°. Dicitur adeò efficienter in nobis operari, ut bona opera noſtra ipſius Dei opera ſint. Matth. X. 19 & 20, Chriſtus ait diſcipulis ſuis: *Cùm tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*, tanquàm in inſtrumentis ſibi ſubjectis. Horum quippe verborum ſenſus non eſt diſcipulos ipſos non locuturos, vel non liberâ voluntate locuturos, ſed ipſam loquendi voluntatem eorumque reſponſa à Spiritu ſancto eis tam efficaciter datum iri, ut non tam ipſi verba facturi, quàm Spiritûs ſancti interiùs loquentis organa futuri eſſent. „ Neque hoc ita „ fit de nobis, inquit S. Auguſtinus, Epiſt. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 4. num. 16, ſed adjutorium Spiritûs ſancti ſic expreſſum eſt, ut „ ipſe facere diceretur quod ut faciamus facit." Rectè etiam obſervat lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 25, „ Chriſtum non dicere, non vos „ eſtis qui dediſtis vobis poſſe benè loqui, ſed dicere, *qui loquitur in* „ *vobis*, non ſignificans poſſibilitatis profectum, ſed exprimens cooperationis effectum."

Idem aliis verbis promittit Chriſtus, Lucæ XXI. 15. *Ego*, inquit, *dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Hæcque pollicitatio manifeſtè impleta eſt in protomartyre B. Stephano, quo diſputante cum Judæis, *non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur*, ut dicitur Act. VI. 10; adeò non ipſe erat qui loquebatur, ſed Spiritus ſanctus.

Hinc S. Cyprianus, Epiſt. 10 in edit. Oxon. 1700 (edit. prior. Ep. 8): „ Non ſic eſt (Deus), ut ſervos ſuos tantùm ſpectet, ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & „ coronat pariter & coronatur."

S. Macarius Abbas Ægyptius, Hom. 19, pag. 123, gratiæ effectum deſ-

deſcribens: „ Et ita poſtà, inquit, homo ſine vi ac nullo negotio „ verè facit omnia mandata Domini; imò verò Dominus in eo ſua man- „ data implet & fructus ſpirituales verè producit.“ Hac veritate ple- nus ſanctiſſimus martyr Quirinus Epiſcopus, Tyrannum alloquens: „ Ubicunque fuerimus, ait, Dominus quem colimus ſubvenire poteſt, „ & hic mecum eſt confortans me, & ipſe de ore meo tibi reſpondet.“ In Actis Martyrum ſinceris & ſelectis, pag. 553.

Porro ſi in Chriſti Confeſſoribus liberà, voluntate fidem profitenti- bus Spiritus Chriſti loquitur, nonne conſequens eſt quibuslibet pieta- tis operibus, quibus Chriſtum verè confitemur, id applicandum eſſe, dicendumque: non vos eſtis qui agitis, ſed Spiritus Patris veſtri qui agit in vobis? Hinc Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de tribus Epiſtolis*, cap 4., affirmat „ bona opera. ſine exceptione, ita eſſe ipſius creaturæ, ut ſint „ *omnino principaliter & veraciter* opera creatoris, qui operatur in ea „ velle & perficere pro bona voluntate, & rectiſſimè tanquam VERÈ „ DIVINA, id eſt, DIVINITÙS INSPIRATA, ET GESTA, ET „ PRÆSCITA, ET PRÆDESTINATA debere intelligi.“

11°. Dicitur *creare* cor rectum & opera bona. Pſalm. L. v. 12: *Cor mundum crea in me, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* Pſalm. 101. v. 19: *Populus qui creabitur laudabit Dominum.* Pſalm. 103. v. 30: *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.*

Eccleſiaſtici I. 5 & ſeq. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis...... Unus eſt Altiſſimus creator omnipotens, & rex potens, & metuendus ni- mis, ſedens ſuper thronum illius & dominans Deus. Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto,..... & effudit illam ſuper omnem carnem, ſecundùm datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe.* Quem locum commentans doc- tiſſimus Boſſuetus (Tom. I. pag. 626), ſic loquitur: „ *In Spiritu* „ *ſancto* per creatorem illum Spiritum, quo mundum cor veraque ſa- „ pientia creatur in nobis...... *Secundùm datum ſuum*, ſecundum vo- „ luntatem ac menſuram ſuam, 1. Corinth. XII. 11, Epheſ. IV. 7. Quiſ- „ que habet quantùm dederit.“

2 Corinth. V. 17 & 18: *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova. Omnia autem ex Deo.* Epheſ. II. 10: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bo- nis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*; & Cap. IV. 24: *In- duite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanc- titate veritatis.* Galat. VI. 15: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.* Quid verò creatione effica- cius? Neque enim Deus creando moraliter invitat non exiſtentia, ut exiſtant, ſed omnipotentiſſimâ virtute facit exiſtere; dixit, & facta ſunt. Ergo à pari, creando nos in operibus bonis, quæ ab æterno præparavit, nos phyſicè determinat, illæſâ ſemper arbitrii libertate, ad benè operan-

Digitized by Google

dem. *Deus*, inquit S. Paulus, 2 Corinth. IV. 6, *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere* (dicendo: *fiat lux*, *& facta eſt lux*), *ipſe illuxit in cordibus noſtris* (imperio non minus efficaci), *ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei.* Hujus creationis vi, *qui erant aliquando tenebræ*, ſunt *nunc lux in Domino*, ut ait idem Apoſtolus, Epheſ. V. 8.

Quanta autem hujus-ce creatricis operationis virtus & efficacia ſit, Deus ipſe declarat, Iſaiæ XLIII. 7 & ſeq. ſic loquens: *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum & feci eum...... Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſalvator...... Ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat.* OPERABOR, ET QUIS AVERTET ILLUD?..... *Ego Dominus ſanctus veſter, creans Iſraël, rex veſter. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam...... Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur: utique cognoſceris ea. Ponam in deſerto viam, & in invio flumina...... Populum iſtum formavi mihi: laudem meam narrabit.* His verbis non ſolùm teſtatur Deus ſe in hominibus creare juſtitiam, ſed etiam eâdem omnipotentiæ virtute illam creare, quâ cuncta condidit & miracula patravit: imò potentiam ſuam in hac ſpirituali creatione multò magis elucere, quàm in omnibus antiquis dexteræ ſuæ virtutibus: denique operationem ſuam adeò efficacem eſſe, ut ejus effectum nemo poſſit avertere.

Virtutem etiam creatricem gratiæ Dei attribuunt quoque SS. Patres.

S. Barnabas, in Epiſtola ipſi à veteribus attributa, num. 6: „ Vobis, inquit, „ notum faciam, quomodò Deus noviſſimis diebus fecerit creationem novam (homines ſcilicet ad Chriſti fidem convertendo)...... „ Ecce igitur nos denuò formati ſumus, ſicut dicit etiam Propheta.“ Et num. 16: „ Facti ſumus novi, iterum ab integro creati.“

Clemens Alex. in *Admonit. ad Gentes*, pag. 69, dicit Chriſtianum eſſe „ novum hominem, ſancto Dei Spiritu transformatum, μεταπεπλασμένος.

Bibl. PP. Colon. tom. 4. S. Macarius Abbas Ægyptius, hom. 11: „ Prodiit ille ipſe qui corpus & animam formavit, & diſſolvit omnem everſionem ſatanæ,..... „ renovatque & format imaginem cœleſtem, & denuò creat animam.“

S. Chryſoſtomus, hom. 20. num. 3 (in nova edit. tom. 10. pag. 172) in caput 8 Epiſtolæ 1æ ad Corinthios: „ Duplici ratione, inquit, ſumus ex ipſo (Chriſto), & quòd, cùm non eſſemus, facti ſimus, & „ quòd fideles facti ſimus. Nam hoc quoque eſt creatio.“ Et hom. 5 in Epiſtolæ ad Epheſios caput 2, num. 3 (nov. edit. tom. 11. pag. 35), explicans hæc verba Apoſtoli, *ut duos condat*, (græcè, *creet*) *in ſemetipſo, in unum novum hominem*, ſic loquitur: „ Rectè ubique uſus eſt „ nomine *condat*, nec dixit, mutet, ut oſtenderet efficaciam ejus quod „ factum eſt, τὸ ἐνεργὲς τοῦ γενομένου, & quòd, etiamſi creatio cadat ſub aſ- „ pectum, illâ tamen non eſt hæc minor....., *ut duos*, inquit, *condat* „ *in ſeipſo*, hoc eſt, per ſeipſum. Non alii hoc mandavit, ſed *per ſeipſum*;

„ *ſus*; & cùm hunc & illum (Judæum & Græcum) fudiſſet & con-
„ flaſſet, unum produxit admirabilem, cum ipſe hoc primum factus eſ-
„ ſet, quod eſt majus priori creaturâ. Hoc eſt enim in ſeipſo, cùm
„ ipſe primus formam præbuerit & exemplar. Nam cùm hinc tenuiſſet
„ Judæum, & illinc Græcum, & ipſe fuiſſet medius, & eos commiſ-
„ cuiſſet, & quidquid eorum erat abalienatum deleviſſet, deſuper refin-
„ xit per ignem & aquam.“

S. Auguſtinus, lib. 8 *de Geneſi ad litt.* cap. 12. num. 27: „ Ipſius,
ait, „ ſumus figmentum, non ſolum ad hoc ut homines ſimus, ſed ad
„ hoc etiam ut boni ſimus.“ Lib. *de Spiritu & litt.* cap. 26. num. 45:
„ Quid eſt aliud, juſtificati, quàm juſti facti, ab illo ſcilicet qui juſti-
„ ficat impium, ut ex impio fiat juſtus? Si enim ita loqueremur, ut
„ diceremus, homines liberabuntur, hoc utique intelligeretur, eis qui
„ jam homines eſſent accedere liberationem. Si autem diceremus, ho-
„ mines creabuntur, non utique intelligeretur creari homines qui jam
„ erant, ſed ipſâ creatione homines fieri. Ita ſi dictum eſſet, factores
„ legis honorificabuntur, non rectè acciperemus, niſi honorem eis qui
„ jam eſſent factores legis accedere. Cum verò dictum eſt, *factores*
„ *legis juſtificabuntur*, quid aliud dictum eſt, quàm juſti juſtificabuntur?
„ Factores enim legis utique juſti ſunt.“ (Advertendum eſt S. Docto-
rem non loqui tantum de gratia habituali, quâ formaliter juſtificamur,
ſed de quacunque juſtitia inchoata, & de gratia actuali, quâ fit præ-
ceptum aliquod legis). „ Ac per hoc tantumdem eſt ac ſi diceretur,
„ factores legis creabuntur, non qui erant, ſed ut ſint.“

In Expoſitione 2 pſalmi 18, num 3: „ Non ſolùm quippe homines,
ait, „ ſed etiam juſtos, ſi tamen ſumus, ipſe fecit nos, & non ipſi
„ nos.“ Quod latiùs explicans ſermone 26 (olim 11 de Verbis Apoſ-
toli), cap. 2, ſic loquitur: „ Vidit quoſdam Spiritus ſanctus dicturos
„ quòd Deus fecerit eos homines, juſtos autem ipſi ſe faciant,..... &
„ ab hac extollentia revocavit eos dicens: *Ipſe fecit nos*, *& non ipſi*
„ *nos*. Quare enim addidit, *& non ipſi nos*, cum ſufficeret dicere, *ipſe*
„ *fecit nos*, niſi quia illam facturam voluit admonere, ubi dicunt homi-
„ nes, ipſi fecimus nos, id eſt, ut juſti eſſemus, juſtos nos liberâ vo-
„ luntate fecimus?..... Quid adhuc invocamus Deum ut juſtos nos fa-
„ ciat, quod habemus in poteſtate, ut nos ipſi juſtos faciamus?“ Ob-
ſervat deinde hominem creatum rectum ex bono malum ſe feciſſe, tum-
que addit cap. 3: „ Cum eſſet bonus, non ſe ſervavit bonum, & cum
„ ſit malus dicit, facio me bonum. Quid facis malus, qui periiſti bo-
„ nus, niſi reficiat te qui permanet bonus?“ Quibus verbis non Pela-
giani tantum arguuntur, ſed etiam quicunque gratiam ſeipſâ efficacem
negant. Si enim gratia non eſt per ſe efficax, ſed moraliter tantùm alli-
cit, jam non Deus nos juſtos facit, ſed ipſi nos, eo tantùm excitante,
juſtos facimus, juſtitiâ illâ actuali quâ benè operamur. Quàm verò hoc
ab-

Digitized by Google

abſurdum ſit. invictè demonſtrat idem S. Doctor, Serm. 61, olim 5, *de Verbis Domini*, cap. 1. num. 2, hoc pacto: „Nemo malus facit bonum. Si „ nemo malus facit bonum, homo malus" (etiamſi excitetur & alliciatur) „ quomodò ſe facit bonum? Facit de malo bonum, qui ſemper eſt bo- „ nus...... Quid mihi dicunt vani vana: Tu te ſalvum facis, ſi volue- „ ris? Sana me, Domine, & ſanabor." Sanè nemo ſibi dat quod non habet. Atqui homo, antequàm bonum velit, non habet bonam voluntatem, etiamſi excitetur vel invitetur. Non ergo eam ſibi dat.

Aliâ ratione idem demonſtrat Serm. 169; olim 15, *de Verbis Apoſtoli*, cap. 11, num. 13: „ Melius eſt, inquit, juſtum eſſe, quàm te ho- „ minem eſſe. Si hominem te fecit Deus, & tu te juſtum facis, me- „ lius aliquid facis quàm facit Deus." Et Serm. 20 in Pſalm. 58. num. 11, idem fuſiùs explicans: „ Feciſti, inquit, (Deus meus) ut „ eſſem, & tu non feciſti ut bonus eſſem? Dediſti mihi ut ſim, & po- „ tuit mihi alius dare ut bonus ſim? Si tu mihi dediſti ut ſim, & alius „ mihi dedit ut bonus ſim, melior eſt ille qui dedit mihi ut bonus ſim, „ quàm ille qui mihi dedit ut ſim. Porro quia nemo te melior, nemo „ te potentior, nemo in miſericordia largior, à quo accepi ut eſſem, „ ab illo accepi ut bonus eſſem." Dicamus pariter melius eſſe bonum velle & facere, quàm excitari tantummodò & moraliter invitari ad benè volendum & agendum. Si ergo Deus excitat tantùm ad benè volendum & agendum, noſque ſic excitati benè volumus & agimus ex libero noſtro arbitrio, melius eſt quod à nobis, quàm quod à Deo habemus. Porro, ſublatâ gratiâ per ſe efficaci, Deus excitat tantummodò & allicit voluntatem; ſed, quantùmvis congruè alliciat, conſenſum ipſum, quo ſolo boni ſumus, non Deus, ſed nos ipſi facimus.

Eodem argumento Pelagianos & quoſcunque alios gratiæ ſeipſâ efficacis adverſarios refellit Innocentius I Rom. Pontifex, in Epiſtola ad Patres concilii Carthaginenſis, num. 4. „ Quid tam iniquum poteſt „ eſſe, inquit, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam „ chriſtianis mentibus inimicum, quàm huic te negare debere quidquid „ in quotidiana gratia conſequeris, cui te ipſe confiteris debere quòd „ natus es? Ergo eris tibi in providendo præſtantior, quàm poteſt in te „ eſſe qui te, ut eſſes, effecit? Et cùm te putes ei debere quòd vivis, „ quomodò te non putas illi debere quòd, quotidianam ejus conſequen- „ do gratiam, taliter vivis?"

Inter Auguſt. Epiſt. 181, olim 91.

S. Proſper creatricem virtutem gratiæ attribuit in carmine *contra Ingratos*, cap. 14, his verbis:

Mutans intus mentem atque reformans,
Vaſque novum ex fracto fingens virtute creandi.

Auctor librorum *de Vocatione Gentium*, lib. 1. cap. 23: „ Proprium „ hoc

„ hoc habet nova creatura per gratiam, inquit, ut, qui figmentum Dei „ ſunt, ... de virtute in virtutem proficiant, per viam bonorum operum ambulando: hoc eſt enim fingi, hoc de vetere creatura novam „ fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem cœleſtis hominis „ reformari. Quod totum ille auget, ille inchoat, ille perficit, cujus „ agricultura, cujus ædificatio, cujus figmentum ſumus.“

S. Leo, Sermone 4 in Anniverſario die Aſſumptionis ſuæ, num. 1: „ Gratias, ait, agere bonorum omnium debemus auctori, quoniam ſive in naturalibus incrementis, ſive in moralibus inſtitutis ipſe fecit „ nos, & non ipſi nos. Hoc piè & fideliter confitemur, neque in nobis, ſed in Domino gloriamur.“ Et Serm. 13 de Paſſione Domini, cap. 1: „ Mirabilior eſt ſecunda hominum generatio, quàm prima conditio, quia plus eſt in noviſſimis temporibus reparaſſe Deum quod perierat, quàm à principio feciſſe quod non erat.“

S. Gelaſius, Tract. 3 adverſùs hæreſim Pelagianorum (tom. 4 Concil. pag. 1248), cùm plura laudaſſet Scripturæ teſtimonia, quibus fideles dicuntur *in Chriſto creati*, & *nova creatura*, ſic loquitur: „ Hæc utique „ creatura, quâ in Chriſto refecti ſumus, non quâ ab initio facti ſumus, de qua etiam B. Apoſtolus Jacobus ſic ait: *voluntariè genuit* „ *nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*, non illius „ creaturæ quæ in Adam condita eſt, ... ſed quæ initium ſumpſit in „ Chriſto: & hoc ipſum ideò, ne in quibuscunque ſuis bonis fideret „ humana ſubſtantia, ſed quidquid boni in ſe eſſe cognoſceret, deſurſum deſcendens eſſe perpenderet...... Hæc eſt igitur illa creatura quæ „ ſpiritaliter vivens &c.“

S. Gregorius magnus, lib. 1 in Ezechielem, hom. 8: „ Quid eſt quòd „ alarum ſonitus in ſanctis animalibus quaſi ſonus ſublimis Dei dicitur, „ niſi quòd omnipotens Deus & ipſe implet mentes ſanctorum cœleſti „ deſiderio, & ipſe exaudit impletas? Ipſe etenim *creat* in ſanctorum „ cordibus amorem, & ipſe ex amantibus cordibus precem ſuſcipit...... „ Quidquid in ſanctorum virtutibus agitur, ejus eſt gratiæ qui munera „ largitur.“

S. Bernardus in tract. *de Converſione ad Clericos*, cap. 1. num. 2: „ Vivus „ profectò eſt ſermo Dei & efficax (gratiam intellige), & vox ejus in „ magnificentia & virtute. Denique ipſe dixit, & facta ſunt: dixit, fiat „ lux, & facta eſt lux: dixit, convertimini filii hominum, & converſi ſunt.“ Quanta facundia! Quantum in pauciſſimis verbis veritatis fulgur!

Demum Drogo Oſtienſis Epiſcopus & Cardinalis, ſancto Bernardo coætaneus, in ſermone de Paſſione, ſub finem (Magnæ Bibl. PP. tom. 2, pag. 588), ſpiritualem creationem commendat, invocatque his verbis: „ Ad novum potiùs cœlum & terram novam, quæ tu modò creare te „ aſſeris, aciem mentis intendere libet. Dicis enim in Evangelio tuo, „ quia *Pater meus usque modò operatur, & ego operor:* quid, niſi no-

„ vum cœlum & novam terram? De abyſſis enim terram formas, & de „ terra cœlos. Peccator abyſſus eſt, ſed cùm de tenebris facis lucem „ ſplendeſcere, ut abjiciant opera tenebrarum, & induantur arma lu- „ cis, novam terram & novum cœlum creaſſe cognoſceris...... Invocat „ te, Domine, abyſſus mentis meæ, ut etiam de me novam terram „ & novum cœlum crees. Hoc invocabat David, & nos cum Davide „ invocamus: *Cor mundum crea in me, Deus* &c. Jam aliquid ſe fac- „ tum eſſe ſciebat; ſed novam creaturam, novum cœlum & novam „ terram fieri ſe poſcebat...... Anima mea inanis & vacua eſt, & te- „ nebræ ſuper faciem abyſſi: dic ut fiat lux, & fiet. Jam creaſti eam „ ut aliquid ſit: crea eam ut lux ſit. Dic ut fiat lux, & fiet lux." Ita ſentire & ex corde poſtulare, hic ſit nobis tot teſtimoniorum, quibus creatrix gratia prædicatur, ſalubris fructus.

12°. Dicitur nos *generare*: quod ſanè verbum non minùs efficacem & à libero noſtro arbitrio independentem operationem ſonat. Jacobi I. 18: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Hanc autem generationem à ſolo Deo pendere teſtatur B. Joannes Evangeliſta, I. 12 & 13, ubi dicit: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Igitur non ideò credimus in nomine Dei & Chriſti, quia id volumus, tametſi non niſi volendo credamus, ſed quia hoc ipſum, quod volumus & credimus, à Deo in nobis gignitur. Quàm verò efficax ſit illa generatio, teſtatur idem Apoſtolus, 1 Epiſt. III 9: *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius* (hoc eſt, *generatio Dei*, ut poſteà exponit) *in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Et cap. V. 4: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* Et v. 18: *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum.*

Scio à pleriſque interpretibus illa verba intelligi de gratia habituali, quâ in baptiſmo regenerati ſumus; ita ut ſenſus ſit eos, qui in Chriſto ſunt renati, quatenus renati ſunt, non peccare peccato mortali, quia quodlibet peccatum mortale juſtitiam expellit, nativitatemque ſpiritualem extinguit, imò non poſſe peccare in ſenſu compoſito, eoquòd habitualis gratia & mortale peccatum ſtare ſimul nequeant.

Verùm illa interpretatio non modicam vim infert verbis Apoſtoli, quibus, ut vera ſint, duplicem exceptionem ſupplere opus eſt. Nam 1° peccati vox ad ſolum mortale reſtringitur, cùm tamen S. Joannes dicat generaliter, *peccatum non facit, non peccat, & non poteſt peccare.* 2°. Subjectum etiam propoſitionis, ſcilicet, *omnis qui natus eſt ex Deo*, reſtringitur adjunctâ reduplicatione, quæ in ipſo textu nec explicitè, nec implicitè contineri videtur.

Aliunde certum eſt Scripturæ verbis, prout ſonant, ſuam conſtare veri-

rita-

Digitized by Google

ritatem, atque ad reſtrictiones recurri non debere, niſi rationes graviſſimæ compellant. Porro verum non eſt generationem Dei, ſi de ſola gratia habituali intelligatur, ita conſervare juſtos, ut non peccent, nec peccare poſſint; ſiquidem experientiâ conſtat plurimos, ex iis qui per baptiſmum renati ſunt, peccare mortaliter & à juſtitia excidere. Reſtat ergo ut nativitatis & generationis nomine non ſolùm habitualem, ſed & actualem gratiam intelligamus; ſicque Apoſtolico textui tota ſua conſtabit veritas, neque ullâ exceptione vel modificatione opus erit.

Igitur ad textûs intelligentiam, ſimulque ad ejus quod probandum ſuſcipimus completam demonſtrationem, obſervandum eſt Deum nos gignere, non ſolùm quando gratiam habitualem nobis infundit, ſed etiam quando ipſum fidei initium nobis inſpirat. Hoc ipſe B. Joannes docet, cùm dicit omnes qui credunt *ex Deo natos eſſe*, id eſt, Deum tunc eos gignere incœpiſſe, quando in nomine ejus credere incœperunt. Idem, in hac ipſa Epiſtola, cap. 2. v. 29, dicit *omnem qui facit juſtitiam*, omnem, inquam, ſine exceptione, ſive per gratiam habitualem juſtificatus ſit, ſive non, *ex Deo natum eſſe*; & cap. 4. v. 7, *omnem qui diligit*, ſive habituali & dominante, ſive actuali & inchoata dilectione diligat, *ex Deo natum eſſe*. Proinde inchoatè gignit nos Deus, quando actibus fidei, ſpei & caritatis ad juſtificationem diſponit; formaliter gignit, cùm gratiæ habitualis dona, quibus propriè filii Dei efficimur, nobis impertitur; jam juſtificatos jugi operatione & influxu gignit, quandiu juſti permanemus; demum, quoties boni aliquid operamur, in hoc ipſo nos per gratiam actualem gignit: *omnis enim qui facit juſtitiam, ex Deo natus eſt*, id eſt, hoc ipſum in eo Deus gignit.

De hac potiſſimùm generatione, quâ nos Deus gignit, ſive, ut S. Paulus loquitur, *creat in operibus bonis*, loqui videtur S. Joannes; tum quia multis aliis in locis modò allatis *ex Deo natum eſſe* ſic intelligit; tum quia aliàs ejus verba bis ac ter repetita, ut planè vera ſint, opus haberent multiplici reſtrictione. En igitur, ut mihi quidem videtur, textuum ipſius ſenſus: *Omnis qui natus eſt ex Deo*, hoc eſt, omnis quem Deus gratiâ ſuâ prævenit & movet, tunc, quando gratiâ prævenitur & movetur, *non peccat, peccatum non facit, vincit mundum, quoniam ſemen ſeu generatio Dei*, hoc eſt, gratia illa actualis, quâ gignitur ac creatur in operibus bonis, *conſervat* eum atque à peccato immunem præſtat, & non *poteſt peccare* in ſenſu compoſito, id eſt, fieri non poteſt ut tunc peccet, *quoniam ex Deo natus eſt*, hoc eſt, quoniam in actuali dilectione & operatione bona gignitur. Plana eſt hæc expoſitio, totam Apoſtolici textûs vim implet, nulla cum modificatione reſtringit, & uſitatis B. Joanni loquendi modis omnino congruit. Verùm hæc eadem expoſitio adeò diſertè probat gratiam ſeipſâ efficacem eſſe, ut nihil expreſſius deſiderari poſſit. Quid enim ex ſeipſo efficacius eâ gratiâ, quæ hominem in bonis operibus gignit, tamque potenter gignit, ut non

 modò

promitti à Deo, vel ab eo poſtulari, tanquam ab ipſo donandum. Ut e multis aliqua commemorem, Zachariæ XIII, ſic jubet Deus: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* & jubentem ſic oramus Pſalm. 79. v. 8: *Deus virtutum, converte nos;* & Pſalm. 84 v. 5: *Converte nos Deus ſalutarium noſtrorum.* Sic jubet Deus Pſalm. 93. v. 8: *Intelligite, inſipientes in populo:* ſic autem promittit Pſalm. 31. v. 8: *Intellectum tibi dabo;* eumque ſic oramus Pſalm. 118. v. 73: *Da mihi intellectum, & diſcam mandata tua.* Deus ſic jubet Pſalmo 36. v. 17: *Declina à malo, & fac bonum:* ſic verò jubentem precatur pro fidelibus Apoſtolus, 2 Cor. XIII: *Oramus Deum ut nihil mali faciatis, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis.* Jubet Chriſtus, Matth. XI. 28, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis:* & Joann. VI. 66, declarat: *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Deus jubet, Proverb. IV. 23: *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum*: & jubentem orat S. Paulus, Philipp. IV. 7, *ut cuſtodiat corda noſtra & intelligentias noſtras in Chriſto Jeſu.* Jubet Deus, Ezech. XVIII. 31: *Facite vobis cor novum & ſpiritum novum:* cap. autem XI. 19, promittit dicens: *Dabo eis cor novum, & ſpiritum novum ponam in viſceribus eorum.* Jubet Deus, Joſue XXIV. 23: *Inclinate corda veſtra ad Dominum:* & jubentem orat David, inquiens Pſalm. 118. v. 36: *Inclina cor meum in teſtimonia tua.* Jubet Deus Pſalm. 33. v. 14: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum:* & jubentem oramus Pſalm. 140. v. 3: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Jubet Deus, Iſai. LII. 2: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion:* ipſum autem liberatorem agnoſcimus Pſalm. 115. v. 16: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Dicit Paulus, 1 Cor. IX: *Sic currite ut comprehendatis:* & oramus cum ſponſa Cant. I. 3: *Trahe me, poſt te curremus:* & ſexcenta id genus. Unde S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 15. num. 31, dicit: „ Quare jubet, ſi ipſe daturus „ eſt? Quare dat, ſi homo acturus eſt, niſi quia dat quod jubet, cum „ adjuvat ut faciat cui jubet?"

Hac fide imbuti Præſules Africani in Sardinia pro confeſſione divinitatis Chriſti exules, ſic loquuntur in Epiſtola ſynodica, cap. 12: „ Jubet Deus homini ut velit; ſed Deus in homine operatur & velle: „ jubet ut faciat; ſed operatur & facere. Ideò utrumque jungit Apoſtolus Paulus dicens: *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini; Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Ut ergo cum timore & tremore ſuam quisque operetur ſalutem, opus eſt volentis hominis, ſed hoc ipſum Dominus operatur „ in ſuis." Id eſt, hoc ipſum, quod opus eſt hominis, Dei donum eſt, operantis in nobis ipſum velle & perficere.

Secundò, illud ipſum quo vitam æternam meremur, ſeu ipſa merita noſtra, ſunt dona & munera Dei. Id perſpicuè docet Scriptura, quoties vi-

vitam æternam, quæ juſtis ut præmium redditur, gratiam & miſerationem appellat. Pſalm. 102. v. 4, David ait: *Benedic anima mea Domino,..... qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Quomodò verò in miſericordia, ſi corona bonis operibus debita redditur, niſi quia & ipſa merita noſtra dona Dei ſunt, ut declarat S. Auguſtinus Serm. 13, olim 2 de Verbis Apoſtoli, cap. 8?

S. Paulus, Rom. VI. 23, cùm dixiſſet *ſtipendia peccati* eſſe *mortem*, ſtatim addit: *gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* „ Non dixit, ut rectè obſervat S. Chryſoſtomus, hom. 12 in hunc locum, num. 2, „ *vita æterna* eſt merces bonorum operum veſtrorum, ſed *gra-* „ *tia Dei;* oſtendens quòd non à ſeipſis liberati ſunt, neque debitum „ acceperunt, neque compenſationem, neque laborum remuneratio- „ nem; ſed gratiâ Dei hæc omnia facta ſunt." Quam expoſitionem egregiè evolvit B. Auguſtinus, Epiſt. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 5. num. 20 & 21. „ Cum dixiſſet Apoſtolus, ait, *ſtipendium peccati mors*, „ quis non cum congruentiſſimè & conſequenter addere judicaret, ſi di- „ ceret: ſtipendium autem juſtitiæ vita æterna? Et verum eſt, quia „ ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito „ juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna...... Sed beatus Apoſto- „ lus...... adverſùs elationis peſtem vigilantiſſimè dimicans,..... non „ à contrario retulit dicens, ſtipendium juſtitiæ vita æterna, ſed *gra-* „ *tia*, inquit, *Dei vita æterna......* Tanquam diceret: audito quòd „ ſtipendium peccati ſit mors, quid te diſponis extollere, ô humana, „ non juſtitia, ſed juſtitiæ nomine planè ſuperbia,..... & contrariam „ morti vitam æternam tanquam debitum ſtipendium flagitare? Cui de- „ betur vita æterna, vera juſtitia eſt. Si autem vera juſtitia eſt, ex „ te non eſt, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Ut haberes „ eam, ſi tamen habes eam, profectò accepiſti...... Quapropter, ô ho- „ mo, ſi accepturus es vitam æternam, juſtitiæ quidem ſtipendium „ eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt & ipſa juſtitia. Tibi enim tan- „ quam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet juſtitia cui debetur. Nunc „ verò de plenitudine ejus accepimus non ſolùm gratiam, quâ nunc „ juſtè in laboribus usque in finem vivimus, ſed etiam gratiam pro „ gratia, ut in requie poſteà ſine fine vivamus. Hoc nihil ſalubrius „ fides credit, quia nihil verius intellectus invenit." Et in *Enchiridio*, cap. 107. num. 28: „ Intelligendum eſt igitur etiam ipſa hominis „ bona merita eſſe Dei munera, quibus cùm vita æterna redditur, quid „ niſi gratia pro gratia redditur?"

Alludit S. Doctor ad illud S. Joannis Baptiſtæ teſtimonium, dicentis (Joann. I. 18) *de Chriſti plenitudine nos omnes accepiſſe, & gratiam pro gratia*, illudque ſic intelligit, quaſi dixerit S. Præcurſor nos de Chriſti plenitudine accipere merita, tanquam primam gratiam, ac deinde vitam æternam, tanquam gratiam pro gratia. „ Pro quo merito, ait Tract. 3 in

in Joann. num. 9, „ accipis vitam æternam? Pro gratia. Si enim fides „ gratia eſt, & vita æterna quaſi merces eſt fidei, videtur quidem „ Deus vitam æternam tanquam debitam reddere,..... ſed quia ipſa „ fides gratia eſt, & vita æterna gratia eſt pro gratia.“ Cum ergo coronatur meritum, gratia ipſa coronatur.

Nec obeſt quod ait Apoſtolus, 2 ad Timoth. IV. 6: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Corona certè à juſto judice redditur, ſed merita quibus redditur gratia ſunt illius, quo donante bonum certamen certatur, curſus conſummatur, fides ſervatur. Quocirca exclamat idem Auguſtinus, lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 14. num. 25: „ O beate Paule, magne gratiæ prædica- „ tor, dicam, nec timeam: quis enim mihi minùs ſuccenſebit iſta di- „ centi, quàm tu, qui ea dicenda dixiſti, & docenda docuiſti? Dicam, „ inquam, nec timeam: redditur quidem meritis tuis corona ſua, ſed „ Dei dona ſunt merita tua.“ Idem inculcat Tract. 3 in Joannem, num. 10; Serm. 297, olim 107 de Diverſis, cap. 4. num. 5; & Serm. 333, olim hom. 14 inter 50, cap. 15.

Scripturæ oraculis concinunt SS. Patrum teſtimonia, quibus expreſſè docetur merita noſtra verè ac propriè donari à Deo, ejuſque munera eſſe. Præter illa quæ modò allata ſunt, nonnulla ad probationis cumulum addemus.

S. Cyprianus, Epiſt. 77, olim 86, ad Nemeſianum: (Deus), inquit, „ adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis „ ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipſe præſtitit, & „ honorans quod ipſe perfecit. Ipſius enim eſſe quòd vincimus,..... „ declarat & docet Dominus in Evangelio ſuo &c.“

S. Chryſoſtomus, hom. 42 in Gen. „ Dominus noſter...... ſimul „ nobiſcum certat, & manum porrigit, & ſimul congreditur,..... ſa- „ tagens ut in certamine prævaleamus & vincamus, quo capiti noſtro „ immarceſſibilem imponet coronam.“ Et hom. 1 in cap. 1 Epiſt ad Titum, hæc verba exponens, *in ſpem vitæ æternæ:* „ Dixerat (Apoſto- „ lus), inquit, præſentem vitam in gratia Dei; dicit & futuram, ac „ præmia nobis proponit pro ſuis erga nos beneficiis. Quia enim cre- „ didimus & ab errore liberati ſumus ſumus, nos vult coronare. Vide „ quomodò præmium Dei beneficiis ſit refertum.“

Totus eſt in hac ſaluberrima doctrina ſtabilienda S. Auguſtinus, ut apparet ex locis jam allegatis. Sic inſuper loquitur Epiſt 194 ad Sixtum, olim 105, cap. 5. num. 19: „ Omne bonum meritum non in nobis fa- „ cit niſi gratia, & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coro- „ nat quàm munera ſua.“ Et lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 6. num. 15: „ Dicunt Pelagiani illam, quæ datur in fine, vitam æternam „ meritis noſtris præcedentibus reddi: reſpondendum eſt eis. Si enim

„ illo-

„ merita noſtra ſic intelligerent, ut etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſce„ rent, non eſſet reprobanda iſta ſententia. Quoniam verò merita huma„ na ſic prædicant, ut ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus: *Quis enim te diſcernit? Quid au„ tem habes quod non accepiſti?*..... Prorſus talia cogitanti veriſſimè di„ citur: dona ſua coronat Deus, non merita tua. Si tibi à teipſo, non „ ab illo ſunt merita tua. Hæc enim ſi talia ſunt, mala ſunt, quæ „ non coronat Deus; ſi autem bona ſunt, Dei dona ſunt..... Si ergo „ Dei dona ſunt bona merita, non Deus coronat merita tua tanquam „ merita tua, ſed tanquam dona ſua.“ Eadem docet ibidem, cap. 8 & 9; Serm. 298, olim 4 de Diverſis, cap. 5; lib. *de Correptione & gratia*, cap. 13. num. 41; lib. 13 *de Trinitate*, cap. 10. num. 14, & lib. 14. cap. 15. num. 21.

S. Papa Cæleſtinus, in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, ſive in Capitulis illi Epiſtolæ ſubjunctis & à ſede Apoſtolica approbatis, cap. 12, ſic decernit: „ Tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra „ velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, &, pro his quæ largitus eſt, „ æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis ut, quod vult, „ & velimus & agamus.“

Auctor librorum *de Vocatione Gentium*, lib. 1. cap. 23, copioſè atque ex inſtituto probat „ omne hominis bonum meritum, ab initio fi„ dei uſque ad perſeverantiæ conſummationem, donum atque opus eſſe „ divinum.“

S. Fulgentius, lib. 1 ad Monimum, cap. 10: „ Ex gratia datur non „ ſolùm juſtificatis bona vita (quâ juſti fiunt), ſed etiam glorificatis „ æterna vita (quâ glorificantur)..... Cùm Deus vitam æternam donat, „ opus ſuum, quod inchoavit juſtificans impium, perficit glorificans „ juſtum.“ In prologo dixerat: „ Ecce qualis eſt Dominus noſter, ut „ donando debeat, & quantò magis donat, tantò magis eum debitorem „ eſſe non pigeat. In quantùm enim gratis largitur, in tantùm debi„ tor invenitur: nec eum poteſt aliquis debitorem habere, niſi in eo „ quod ipſe dignatus fuerit gratuitâ largitate conferre.“ Addit lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 5, „ ideò & vitam æternam „ gratiam Dei ab Apoſtolo dici, quia gratis hominibus vita bona datur, „ cui juſtè vita æterna reddatur.“

Tom. 1 pag. 1198. S. Gregorius magnus, hom. 9 in Ezechielem, circa initium: „ Si bona „ noſtra ſic omnipotentis Dei dona ſunt, inquit, ut in eis aliquid „ noſtrum non ſit, cur nos quaſi pro meritis æternam retributionem „ quærimus? Si autem ita noſtra ſunt, ut dona Dei omnipotentis non „ ſint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus?..... Præveniente „ ergo gratiâ, & bonâ voluntate ſubſequente, hoc, quod omnipotentis „ Dei donum eſt, fit meritum noſtrum.“

S. Bernardus in Tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 13. num. 43: „ Deus,

„ Deus, ait,..... dona ſua, quæ dedit hominibus, in merita diviſit & „ præmia, ut & præſentia per liberam poſſeſſionem noſtra interim fierent „ merita, & futura per gratuitam ſponſionem expectaremus, immò ex- „ peteremus ut debita.“ Et paulò poſt: „ Dei ſunt procul dubio mu- „ nera, tam opera noſtra, quàm ejus præmia; & qui ſe fecit debitorem in „ illis, fecit & nos promeritores ex his.“ Et cap. 14. num. 51: „ Si „ voluntas à Deo eſt, & meritum: nec dubium quin à Deo ſit & velle „ & perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor eſt meriti, qui „ & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.“

S. Hildebertus Epiſcopus Cœnomanenſis, Serm. 12: „ Coronat Deus Pag. 715. „ in nobis dona ſua, ſuamque gratiam convertit in noſtrum meritum: „ unde vita æterna non ſolùm merces pro juſtitia, ſed & gratia pro gra- „ tia dicitur.“

S. Aëlredus, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 11 (Biblioth. PP. Colon. tom. 13. pag. 90. col. 2): „ Ut opus, quod in nobis, ſive per nos (Deus) „ operatur, etiam noſtrum ſit, inclinat voluntatem ut conſentiamus, „ ſicque ex ejus gratia ſit merces noſtra...... Poſtremò quia vita æterna „ bonorum operum merces eſt, ipſam dans coronat dona ſua, quæ vo- „ luit eſſe merita noſtra...... Denique reddet unicuique ſecundùm opera „ ſua (Rom. II. 6); ſed illa tantùm opera cœleſti mercede donantur, quæ „ priùs ejus munere largiuntur. Nam quòd vita æterna gratia ſit, „ idipſum iterum audi: *Stipendium enim peccati mors; gratia autem* „ *Dei vita æterna* (Rom. VI. 23).

Idem profitentur Pariſienſis multæque aliæ Eccleſiæ, in Præfatione Miſſæ pro feſto omnium Sanctorum, cùm ſic Deum alloquuntur: *Deus qui glorificaris in concilio ſanctorum, & eorum coronando merita coronas dona tua;* totaque Occidentalis Eccleſia, cùm in Proſa feſti Pentecoſtes Spiritum ſanctum his verbis precatur: *Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium.* Quibus confitetur non minùs potenti operatione Deum merita & in bono perſeverantiam largiri, quàm vitam ipſam æternam; hac tantùm cum differentia, quòd vita æterna, cùm totam intelligendi & amandi capacitatem repleat, nullam ad oppoſitum potentiam relinquat, gratia verò, quæ bona opera & perſeverantiam largitur, ſemper illam relinquat.

Demum id expreſſè definit concilium Tridentinum, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, cap. 16, ubi poſt ſanctum Cæleſtinum declarat, „ tantam eſſe „ erga omnes homines bonitatem Dei, ut noſtra velit eſſe merita quæ „ ſunt ipſius dona.“

Tot ac tanta SS. Patrum totiuſque Eccleſiæ concordiſſima teſtimonia omni prorſus veritate carerent, ſi gratia non eſſet per ſe efficax. Hoc enim poſito, Deus non dat merita, ſed tantummodò ut merita, ſi volumus, nobis comparemus; neque coronando merita noſtra dona ſua coronat, ſed bonum uſum gratiæ, quem gratia ipſa propriè non operatur;

tur; neque gratiam pro gratia largitur, ſed, pro acceptatione rectoque uſu gratiæ ex ſolo voluntatis humanæ arbitrio elicito, ſtipendium retribuit. Proinde unum eſt è duobus eligendum: vel admittenda gratia ſeipſâ efficax ad omnes pietatis actus, vel dicendum ſanctos Eccleſiæ Doctores, ſynodum ipſam Tridentinam, univerſamque Eccleſiam in ſuis precibus erraſſe, aut ſaltem fidem ſuam exaggeratâ, abſurdâ, falſâ loquendi formâ profiteri. Quod non dico dicere, ſed cogitare quis piè affectus audeat?

3a Probatio. IIIa Probatio, ex eo quòd gratia Chriſti cum ſemper conſequatur effectum quem Deus vult.

Nullum dubium eſt quin gratia ſit ſeipſâ efficax, ſi, hoc ipſo quòd Deus movet aliquem ad bonum, ſemper conſequatur effectus quem Deus vult. Id autem expreſſè docent Scripturæ & SS. Patres.

Scripturæ quidem. Jeremias, cap. XVII. 14, ſic orat: *Sana me, Domine, & ſanabor, ſalvum me fac & ſalvus ero;* & cap. XXXI. 18 & 19: *Converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus. Poſtquàm enim convertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquàm oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* Similiter Pſalm. 50: *Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Ex quibus patet neceſſariam eſſe connexionem gratiam inter & effectum à Deo intentum, eamque non in ſcientia media ac prævisione conſenſûs fundatam, ſed in efficacia divini auxilii. Quaſi diceret Propheta: fieri nequit ut ſalvus non ſit aut non convertatur, cui tu ſalutis aut converſionis gratiam tribuis. Satis eſt te velle, ſtatim fit quod vis. *Converte me* igitur, *& convertar: ſana me, & ſanabor: ſalvum me fac*, & hoc ipſo *ſalvus ero.*

In Evangelio S. Joannis, VI. 45, Chriſtus ait: *Eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Non omnis audit, & alius pro arbitrio venit, alius non venit; ſed omnis qui audit, interiùs edoctus à Patre, venit ad Chriſtum. Hunc in locum ſic loquitur eximius gratiæ vindex, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 8. num. 15: „ Quid eſt, *omnis qui audivit* „ *à Patre & didicit, venit ad me*, niſi, nullus eſt qui audiat à Patre „ & diſcat, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & „ didicit, venit, profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre nec „ didicit. Nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret. Neque enim ullus au„ divit & didicit, & non venit; ſed *omnis*, ut ait Veritas, qui audi„ vit à Patre & didicit, venit...... Quando autem Pater intus auditur „ & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum & dat cor car„ neum, ſicut, Propheta prædicante, promiſit.“ Non dicit S. Doctor, omnis qui audivit congruo loco & tempore, ſed prorſus omnis qui audivit, venit; adeò ut manifeſtum ſit aliquem interiùs doctum non fuiſſe, hoc ipſo quòd non venit. Non minùs expreſſis, imò expreſſioribus verbis idem concludit lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 14. num. 15. „ Qui er„ go, ait, non venerit, non de illo rectè dicitur: audivit quidem ſi-

„ bi-

Digitized by Google

„ bi eſſe veniendum, ſed facere non vult quod didicit. Prorſus non „ rectè dicitur de iſto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. „ Si enim, ſicut Veritas loquitur, *omnis qui didicit, venit*, quiſquis „ non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat & venire „ quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt „ eſſe ſolum, ſi non venit; non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit, „ & ſic adjutum, ut non ſolum quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit „ etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet, non per legis litteram, „ ſed per Spiritûs gratiam ita docet, ut, quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat." Capite præcedenti dixerat: „ Qui autem novit quid eſt quod „ fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed „ ſecundùm legem, non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundùm litteram."

Hac adeò perſpicua concluſione refellitur inſulſa Molinæ gloſſa, dicentis ſenſum Chriſti eſſe, omnem qui audiendo Patrem didicit, id eſt, qui pro innatâ ſuâ libertate conſentit, venire ad ſe. Mira ſanè doctrinæ cœleſtis prærogativa! Num quiſquam homo eſt, quo docente dici pariter non poſſit eum, qui audivit & conſenſit, facere quod faciendum didicit? Proinde vel *audire* & *diſcere* in textu Evangelico unum & idem ſunt, ſicut intellexit S. Auguſtinus, vel audire ad illuſtrationem intellectûs pertinet, *diſcere* ad motionem & tractum voluntatis.

Eodem textu ejuſque interpretatione non minùs refelluntur Congruiſtæ. Non enim effectûs certitudinem à circumſtantiarum opportunitate, neque à præſcientia futuri conſenſûs, ſed ab ipſa doctrinæ cælitùs immiſſæ vi atque efficacia repetunt Scriptura & SS. Patres; & quicunque ad Chriſtum non veniunt, non eos dicunt interiore quidem gratia, at non congrua edoctos, ſed nullatenus doctos à Patre, eorumque liberum arbitrium adjutum non fuiſſe, niſi per legem & litteram; quicunque verò interiùs docentur à Patre, hoc ipſo non ſolum venire poſſe, ſed abſque dubio venire. Idem clarè exprimunt hæc Chriſti verba, Joann. VIII. 47: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Non dicit, propterea non eſtis ex Deo, quia non auditis, quàmvis hoc verum ſit, ſi cauſam proximam attendas; ſed ait: *propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis:* id eſt, audiretis profectò, ſi hoc haberetis à Deo; nam quiſquis ex Deo eſt, verba Dei audit. Et Joann. XVIII. 37: *Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam:* quæ verba ſic exponit S. Auguſtinus, Tract. 115 in Joann. num. 4: „ Non ait, „ omnis qui audit meam vocem, ex veritate eſt, ſed ait: *omnis qui eſt ex* „ *veritate, audit vocem meam.* Ac per hoc non ideò ex veritate, quia „ ejus audit vocem, ſed ideò audit, quia ex veritate eſt, id eſt, quia „ hoc illi donum ex veritate collatum eſt." Non ergo ex iis, quibus hoc donatur, aliqui audiunt, aliqui non audiunt, ſed omnis cui donatur audit.

II°. Hanc doctrinam è Scripturarum fontibus hauſtam Patres magno cum conſenſu tradiderunt. Talem gratiam vi propriâ victricem, effectumque certiſſimè producentem, poſcere ſe profitebantur ſancti Confeſſores in Epiſtola ad S. Cyprianum (Epiſt. 31 edit. Oxon.). „ Pete ergo, Cypriane cariſſime, ut nos gratiâ ſuâ magis ac magis in dies ſingulos quosque uberiùs atque propenſius & armet & illuſtret, & viribus potentiæ firmet ac roboret, utque porrigat nobis arma divina, illa tela quæ neſciunt vinci, loricam juſtitiæ quæ nunquam ſolet rumpi, clypeum fidei qui non poteſt perforari, & gladium ſpiritûs, qui non conſuevit vulnerari."

S. Ambroſius, lib. 10 in Lucam, num. 89: „ Quos Jeſus reſpicit, plorant. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia etiam non reſpexerat Dominus. Negavit tertiò, reſpexit Jeſus, & ille amariſſimè flevit. Reſpice, Domine Jeſu, ut ſciamus noſtrum deflere peccatum, lavare delictum." Eamdem ſententiam verſibus exprimit in hymno, quem ferè tota Occidentalis Eccleſia canit die Dominicâ ad Laudes.

Jeſu labantes reſpice,
Et nos videndo corrige:
Si reſpicis, lapſi ſtabunt,
Fletuque culpa ſolvitur.

Satis ergo eſt Chriſtum gratiâ interiore peccatores reſpicere, ut confeſtim oculi in lacrymas pœnitentiæ converſionisque indices reſolvantu

S. Chryſoſtomus, hom. 35 in Matth. (pag. 410), cùm dixiſſet eum „ qui confitetur Chriſtum, non propriâ virtute, ſed gratiâ ſuperiore adjutum confiteri," addit: „ Nam qui negat, gratiæ patrocinio privatus negat:" concludens ex ipſa negatione, gratiæ auxilium ad confitendum non fuiſſe datum.

S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 8. num. 13: „ Hæc gratia, inquit, quæ occultè cordibus humanis divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur." Lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 10. num. 21: „ Nec aliam ob cauſam Scriptura commemorat non eſſe gravia divina præcepta, niſi ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta Domini, qualia commendantur, levia ſcilicet atque ſuavia, & oret gemitu voluntatis ut impetret donum facilitatis..... Commendantur ergo non eſſe gravia, ut, cui gravia ſunt, intelligat nondum ſe accepiſſe donum quo gravia non ſint." Quid per ſeipſum efficacius eâ gratiâ, cujus privatio, ex hoc ipſo quòd effectus deeſt, certò concluditur? Non enim concludit S. Doctor, ex eoquòd Dei mandata alicui gravia ſint, eum gratiæ non conſentire, vel gratiam ingenio ſuo congruentem non ac-

Digitized by Google

accepiſſe; ſed nondum accepiſſe donum gratiæ, neque vires neceſſarias ad implendum cum ſuavitate, hoc eſt, cum dilectione mandata. Et lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 6. num. 10, loquens de Presbyteris Maſſilienſibus: „ Nolunt, ait, ut ſcribitis, iſti fratres ita hanc perſe„ verantiam prædicari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel amitti con„ tumaciter poſſit: ubi quid dicant parum diligenter attendunt. De „ illa enim perſeverantia loquimur, quâ perſeveratur usque in finem: „ quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt usque in finem; ſi autem non eſt „ perſeveratum usque in finem, non eſt data...... Hoc ergo Dei do„ num ſuppliciter emereri poteſt; ſed, cùm datum fuerit, amitti con„ tumaciter non poteſt...... Quomodò poteſt amitti, per quod fit ut „ non amittatur etiam quod poteſt amitti?" Tam efficax ergo eſt perſeverantiæ donum, ut, quibuscunque datur, hoc ipſo perſeverent, nec poſſint illud amittere in ſenſu compoſito; qui autem non perſeverant, certiſſimum indicium eſt eis gratiam perſeverantiæ non eſſe datam. De ſingulis autem gratiæ efficacis auxiliis idem dicendum ac de dono perſeverantiæ; ſiquidem ipſa perſeverantia in ſerie quadam auxiliorum conſiſtit, quibus ad finem beatum certò perducimur. S. Doctor pergit num. 11: „ Sed ne fortè dicatur perſeverantiam usque in finem non „ amitti quidem, cùm data fuerit, id eſt, cùm perſeveratum fuerit „ usque in finem; ſed tunc amitti quodammodò, quando agit homo „ per contumaciam, ut ad eam pervenire non poſſit." Hoc ipſum eſt, quod dicunt gratiæ ſeipſâ efficacis adverſarii: quid verò huic reſponſioni Auguſtinus opponat, audiamus: „ Dicat mihi, inquit, quisquis audet, „ utrùm Deus dare non poſſit quod à ſe poſci imperavit? Hoc certè „ qui ſapit, non dico deſipit, ſed inſanit. Imperavit autem Deus ut „ ei ſancti ejus dicant orantes: ne nos inferas in tentationem. Quis„ quis igitur exauditur hoc poſcens, non inducitur in contumaciæ ten„ tationem, quâ poſſit vel dignus ſit perſeverantiam ſanctitatis amitte„ re." Hoc ſcilicet gratiâ imploratâ & obtentâ id efficaciſſimè præſtante, ut in bono perſeverare peccatumque vitare non detrectet.

S. Fulgentius, lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 6: „ Quomodò, ait, fieri poteſt ut gratiam quisque accipiat, & opera „ gratiæ, gratiâ in ſe operante, non faciat? Gratia quippe per Spiri„ tum ſanctum datur: *fructus autem Spiritûs eſt caritas, gaudium, pax,* Galat. V. 26. „ *longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modeſtia, continentia.* Quis„ igitur, acceptâ S. Spiritûs gratiâ, non oret, non vigilet, non car„ nalibus concupiſcentiis ipſius ſuffragio gratiæ atque juvamine repug„ net?" Quid diſertius dici poteſt?

Caſſiodorus, in Pſalmum 44, exponens hæc verba, *ſagittæ tuæ acutæ*, ſic loquitur: „ Verbum Dei ex ligno crucis egrediens, hoc eſt, „ gratiâ interiori munitum, & fortitudinem penetrandi habet, & velo„ citatem quò voluerit perveniendi. Supra gladium poſuit (Propheta), „ qui

Digitized by Google

„ qui proximè vulnerat; hîc *ſagittas*, quæ longè diriguntur: ſcilicet „ ut incomprehenſibilis potentia hac ſimilitudine monſtraretur. *Acutæ* „ pertinent ad transforationis celeritatem. *Potentiſſimæ*, quia nulla „ illis materia, quàmvis duriſſima, probatur obſiſtere, quando eis inſi- „ tum eſt effectum ſuæ voluntatis implere. *Populi ſub te cadent*, con- „ verſiones ſignificat hominum." Nulla hîc præſcientiæ fit mentio, ſed virtus gratiæ deſcribitur ſeipsâ efficax ad penetrandum, ſibique ſubdendum corda etiam duriſſima. Et ſanè quid majorem vim & à prævi- ſione effectûs magis independentem habet, quàm immiſſio acutiſſimæ ſagittæ, præſertim ſi eam manus potentiſſima jaculetur, quemadmodùm in alio Pſalmo (126) dicitur: *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii excuſſorum* (hebr. *juventutis*), hoc eſt, Apoſtoli?

Tom. 1 pag. 1439. S. Gregorius magnus, hom. 30 in Evangelia, gratiæ virtutem conſiderans: „ O qualis eſt artifex, ait, iſte Spiritus! Nullâ ad diſcendum „ morâ, agitur in omne quod voluerit. Mox ut tetigerit mentem, „ docet, ſolumque tetigiſſe, docuiſſe eſt. Nam humanum animum ſu- „ bitò, ut illuſtrat, immutat: abnegat hoc repentè quod erat, exhibet „ repentè quod non erat."

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2 *Sentent.* cap. 15. num. 1, dicit, „ de- „ ferente Deo, nullum pœnitere; Deo reſpiciente, ſua unumquemque „ facta videre & plangere, & unde ceciderit cogitare.

Odo Epiſcopus Cameracenſis, ſæculo XI, in libro *de Villico iniquitatis*, enumeratis plurimis locutionibus externis, quibus homines ad pœnitentiam invitantur, addit num. 15: „ Sæpè fit in ratione cujusvis „ hominis meditatio, nec ſubſequitur pœnitentiæ ſatisfactionisque con- „ gruæ, ſicut oporteret, exquiſitio; ſed CÙM HOC CONTINGIT, NON „ TUNC EI DOMINUS LOQUITUR...... LOCUTIO VERÒ DOMI- „ NI SEMPER ID AD QUOD FIT OPERATUR; & ideò quotiens ipſe „ de his malefactis corripit rationem, angor cordis & ſatisfactionis ex- „ quiſitio comitatur."

Novi Theſauri Anecdotorum pag. 865.

S. Bernardus, ſerm. 84 *in Cantica*, num. 5: „ Profectò nec non quæ- „ ſita quærere poteras, nec non quærere quæſita nunc potes." Quid brevius ſimul & luculentius? Eodem ſenſu, Epiſtola 114, Monialem quamdam, quæ priſtino tempore parum fidelis fuerat, alloquens: „ Fa- „ cis quod debes, inquit num. 3, imò quod jam olim feciſſe debueras; „ nam olim jam voveras. Sed Spiritus qui, ſicut ubi vult, ita & quan- „ do vult, ſpirat, nondum ſpiraverat." Non dicit Spiritum ſanctum & olim interius ſpiraſſe, ſed ipſius motionem eam irritam feciſſe: ſed, ex eo quòd propoſiti tenax non fuiſſet, incunctanter concludit ſpiritum gratiæ tunc interiùs non ſpiraſſe. Demum, lib. 5 *de Conſideratione*, cap. 5. num. 12, exponens quid interſit inter Angeli cuſtodis providentiam, & gratiam Spiritûs ſancti: „ Ineſt, ait, Angelus ſuggerens bo- „ na, non ingerens: ineſt hortans ad bonum, non bonum creans. Deus „ ſic

„ ſic ineſt ut afficiat, ut infundat, vel potiùs ut infundatur & participe-
„ tur. Ille (Angelus) ut contubernalis animæ ineſt, Deus ut vita. Ita-
„ que, ſicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in nari-
„ bus, in faucibus guſtat, tangit in toto reliquo corpore, ſic Deus di-
„ verſa in diverſis ſpiritibus operatur; v. g. in aliis amantem ſe exhibens,
„ in aliis cognoſcentem, in aliis alia facientem." Si operatio gratiæ non eſt per ſe efficax, non alias profectò partes in nobis agit, quàm Angelo cuſtodi S. Doctor attribuit. At quantùm actio creatoris creaturæ miniſterio præcellit! Eodem, imò multò majori imperio & efficaciâ Deus, qui, ex unanimi omnium Patrum conſenſu, animæ noſtræ vita eſt, illam movet atque in illa operatur, quàm ipſa anima corpus ſibi unitum movet. Quemadmodùm igitur quidquid fit per corpus anima operatur, ita, quidquid boni anima facit, Deus in illa & per illam operatur. Et quemadmodum, volente animâ, ſtatim oculi, aures, manus obtemperant, multò magis, Deo volente, confeſtim anima facit, & quidem liberrimè, quidquid vult.

Petrus Cellenſis Abbas, poſteà Carnutenſis Epiſcopus, Serm. 2 *de Aſcenſione:* „ Ecce, ait, qui ſine gratia, quaſi ligatis pennis & in-
„ viſcatis infectione primæ prævaricationis, volare non poterat, accep-
„ tâ gratiâ, currit viam mandatorum Dei; ut non ſit volentis, neque
„ currentis, ſed miſerentis Dei, & totum ſit de odore unguentorum,
„ quòd currimus, quòd bonum volumus, quòd bonum facimus, ne-
„ quis in ſe glorietur."

Demum S. Thomas, 1. 2. quæſt. 112. art. 3. in corpore, dicit „ præ-
„ parationem ad gratiam habitualem, quæ fit per gratiæ prævenientis
„ auxilium, poſſe conſiderari ſecundùm quòd eſt à Deo movente, &
„ tunc, inquit, habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo,
„ non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere
„ non poteſt; ſecundùm quòd Auguſtinus dicit in lib. *de Prædeſtina-*
„ *tione ſanctorum*, quòd per beneficia Dei certiſſimè liberantur quicun-
„ que liberantur. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd ho-
„ mo, cujus cor movet, conſequatur gratiam (habitualem, ad illam ſe
„ præparando), infallibiliter illam conſequitur, ſecundùm illud Joan-
„ nis VI: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.*" Audimus gratiam prævenientem ſemper operari quidquid Deus vult, hancque effectûs certitudinem fundari, non in præſcientia divina, quæ falli nequit, ſed in ipſa intentione divina quæ *deficere non poteſt.*

His addi poſſent SS. Patres benè multi, qui gratiam fidei non omnibus dari hinc probant, quòd non omnium ſit fides. Hoc quippe argumentum manifeſtè ſupponit gratiam fidei (de aliis ſimile debet eſſe judicium) per ſe efficacem eſſe, eoque ipſo demonſtrari datam illam non fuiſſe, quòd effectus non ſequatur. Omnium inſtar erit S. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 17, ſic loquens: „ Fi-
„ dem-

„ dem non omnibus dari B. Paulus aſſerit dicens: *non omnibus eſt fi-*
„ *des;* & rurſus: *non omnes obediunt Evangelio.*“

4a Probatio. IVa PROBATIO, ex eo quòd certa illa & infallibilis efficacia gratiæ repetenda ſit ab omnipotentia divinæ voluntatis, non minori cum dominio voluntates hominum, quàm cætera creata, moventis ac determinantis.

Clemens VIII, in Scripto prolixiore propriâ manu ſubſcripto, & ſub Paulo V in Congregationibus *de Auxiliis* diſcuſſo atque approbato, hunc Articulo 5 titulum præfixit: *Gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à dominio quod ſua divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut & in cætera omnia quæ ſub cœlo ſunt, ſecundùm S. Auguſtinum.* Baſtida Jeſuitarum Actor, cæteris articulis admiſſis, dixit ſe ſuosque ſocios per diverſas Provincias diſperſos, Hiſpanos, Italos, Gallos &c, quibuscum ſcriptum S. Pontificis communicaverat, cæteris articulis approbatis, quintum illum admittere non poſſe; tum quia SS. Patres non docent gratiam Dei efficacem eſſe ex omnipotentia Dei, & dominio quod habet in liberum arbitrium; tum quia particula *ſicut* denotare videtur voluntates creatas non magis liberè agere ſub dominio Dei, quàm cætera quæ ſub cœlo ſunt. Hujus cavilli ineptiam demonſtravit Lemoſius, obſervavitque vocem *ſicut* non cadere in modum agendi voluntatum liberarum, & modum agendi cæterarum creaturarum, ſed in ipſum dominium Dei, quod in voluntates creatas non minùs abſolutum & efficax aſſeritur, quàm in alia quælibet à Deo creata; ita ut, quemadmodùm Deus pro ſupremo dominio ſuo facit, ut omnia quæ ſub cœlo ſunt faciant quæcunque vult, ita, pro ſuo ſupremo dominio ſupra voluntates hominum, faciat eas velle & operari quæcunque vult, tametſi, ut docet Angelicus Doctor, Deus unumquodque moveat eo modo qui ſit ejus naturæ & conditioni conſentaneus; ita ut agentia neceſſaria agant neceſſariò, contingentia verò ac libera contingenter & liberè. Et certè eo nomine reprehendi nequit Clementis VIII articulus, quin eamdem ob cauſam reprehendatur textus ſacer Scripturæ (Proverb. XXI. 1), ubi dicitur: *Sicut diviſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quòcunque voluerit, inclinabit illud.*

Tom. 2. pag. 250. Affermet ex ordine Minorum, in opere compoſito pro defenſione Conſtitutionis *Unigenitus*, agens de 10a Propoſitione: „ Dico, inquit, „ Deum eſſe omnipotentem ſuper corda hominum in his quæ vult ab„ ſolutè; non verò reſpectu ſalutis humanæ, in cujus commodum con„ fert gratiam, cui, quantùmcunque potens ſit, de fide eſt voluntatem „ poſſe refragare.“

Non alius eſſe poteſt ſenſus hujus propoſitionis, quàm Deum poſſe quidem in cordibus hominum ea operari quæ abſolutè vult, libertatem ſcilicet hominum, ſeu actuale illius exercitium eis tunc adimendo. Quoniam verò, in eis quæ ſalutem ſpectant, libertatis arbitrium illæſum

Digitized by Google

ſum ſervare Deus decrevit, illæſum autem non ſervaretur, ſi Deus operatione ex ſe efficaci voluntatem determinaret, idcirco Deum omnipotentiam ſuam non exercere reſpectu ſalutis humanæ, nihilque ad ſalutem pertinens velle abſolutè, niſi voluntatis conſenſu priùs explorato.

Idem ſentire convincuntur, quàmvis non adeò crudè loquantur, quicunque gratiam ſeipſâ efficacem eſſe non poſſe contendunt, quin hoc ipſo liberi arbitrii exercitium excludatur. Idem quippe eſt ac ſi diceatur Deum non poſſe voluntatem creatam, illæſâ ipſius libertate, efficienter determinare, adeòque non eſſe ſub eo reſpectu omnipotentem. Proinde illis omnibus applicari poteſt quod de quibusdam dicit S. Auguſtinus, lib. *de Fide & ſymbolo*, cap. 2: „ Conati ſunt quidam perſuadere Deum Pa„ trem non eſſe omnipotentem: non quia hoc dicere auſi ſunt, ſed in „ ſuis traditionibus hoc ſentire & credere convincuntur."

Huic errori tria opponemus, quæ erunt totidem hujus quartæ Probationis partes. Primum eſt, in Scripturis & in SS. Patrum operibus, gratiæ divinæ efficaciam ab ipſius omnipotentia, & à ſupremo dominio quod habet in voluntates hominum, repeti. Alterum, gratiam in Deo conſideratam, ſive gratiam increatam, nihil aliud eſſe quàm abſolutam & omnipotentem Dei miſerentis voluntatem. Tertium, huic divinæ voluntati non modò nihil reſiſtere, ſed nec poſſe reſiſtere.

Prima hujus quartæ Probationis pars. Ex Scripturis & SS. Patribus, gratia divina efficaciam habet ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo ejus in ipſas hominum voluntates dominio.

Ex ſcripturis quidem. Sap. VII. 22: *Eſt in illa* (Sapientiâ increatâ, quæ eſt Deus) *ſpiritus...... quem nihil vetat,..... omnem habens virtutem,..... &, cùm ſit una, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, & amicos Dei & prophetas conſtituit.* Audimus homines amicos Dei fieri eâ Spiritûs omnipotentiâ, quam nihil vetat, hoc eſt, cui nihil, ac proinde nec liberum hominis arbitrium, reſiſtit.

Pſalmo 76: *Dixi, nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelſi:* ubi nullum dubium eſt quin dexteræ Excelſi nomine omnipotentia intelligatur.

Matth. III. 9, S. Joannes Baptiſta Phariſæos & Sadducæos alloquens: *Ne velitis*, ait, *dicere intra vos: patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Tanta eſt divinæ gratiæ omnipotentia.

Lucæ XI. 21 & 23, Chriſtus dicit: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.* Ibi ſermo eſt de gratia quâ peccatores convertuntur, & à poteſtate diaboli captivos eos tenentis eripiuntur: id verò non arti, non præſcientiæ, ſed fortitudini & omnipotentiæ Chriſti liberantis attribuitur.

Digitized by Google

Joannis X. 28 & 29: (*Oves meæ*), inquit Chriſtus, *non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt* (vel, ut in græco habetur: *Pater meus, qui dedit mihi, major*, ſeu potentior, *omnibus eſt*); *& nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Poteſt ne omnipotentia divina clarius aſſignari tanquam cauſa efficaciæ gratiæ & ſalutis electorum?

Rom XIV. 4: *Tu quis es qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit: ſtabit autem, potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Certè quicunque ſtat, gratiâ ſtat. Si ergo potentiâ Dei ſtet, quid manifeſtius quàm gratiæ efficaciam à divina omnipotentia provenire?

2 Corinth. IV. 7: *Habemus thezaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis*, id eſt, ut illius conſervationem, quæ excellentiſſima res eſt, non liberi noſtri arbitrii, ſed divinæ virtutis opus eſſe demonſtretur.

Epheſ. III. 7: *Factus ſum miniſter Evangelii ſecundùm donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundùm operationem virtutis ejus.* Et v. 20: *Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus, ſecundùm virtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in Eccleſia & in Chriſto Jeſu in omnes generationes ſæculi ſæculorum: amen.* Et cap. VI. 10: *Confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus*, id eſt, in ejus gratia, quæ proinde omnipotens Dei virtus eſt, operans in nobis ſupra id quod petere aut intelligere poſſumus.

1 Petri I. 5: *Qui in virtute*, ſeu omnipotentia *Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem:* & 2. Epiſt. I. 3: *Quomodò omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem, donata ſunt, per cognitionem ejus qui vocavit nos propriâ gloriâ & virtute.* In græco ſic habetur: ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ, τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν, δεδωρημένης, διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς: hoc eſt: *Quomodò divina virtus ipſius omnia nobis, quæ ad vitam & pietatem* (pertinent), *donavit, per cognitionem ejus qui vocavit nos per gloriam & virtutem.* Quidquid ergo nobis Deus donat, ſive ad vitam, ſive ad pietatem pertinens, id totum omnipotentiâ ſuâ donat; & quando nos ad Chriſtum vocat, propriâ ſuâ virtute obedientes facit.

Judæ v. 24: *Ei autem qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, ... ſoli Deo ſalvatori noſtro, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria & magnificentia, imperium & poteſtas* &c. His omnibus in locis omnia bona opera noſtra omnipotentiæ divinæ, hoc eſt, gratiæ ex omnipotentia divina efficaci, expreſſis ac perſpicuis verbis adſcribuntur.

SS. Patrum in eadem doctrina tradenda unanimis eſt conſenſus.

S. Clemens Romanus, Epiſt. 1 ad Corinth. num. 50: „Quis eſt idoneus ut in caritate inveniatur, præter eos quos Deus dignos eſſe voluerit? Oremus igitur & petamus digni haberi ut in caritate vivamus." Ergo hoc totum à divina voluntate eſt, & quoſcunque Deus dignos

dignos eſſe voluerit, in caritate vivunt. Et num. 8: „ Omnes dilectos „ ſuos volens pœnitentiæ fieri participes, omnipotente ſua voluntate „ ſtabilivit.“ S. Ignatius Antiochenus Epiſcopus & martyr, in Epiſtola 1 ad Smyrnæos, num. 4: „ Admoneo vos, inquit, pro ipſis (hæreti- „ cis) orare, ſi quomodò pœnitentiam agant, quod admodùm difficile eſt. „ Hujus autem poteſtatem habet Jeſus Chriſtus vera vita noſtra.“ Quomodò autem hoc in poteſtate habet, niſi pro ſupremo ſuo in voluntates dominio?

Tertullianus, lib. *de Anima*, cap. 21: „ Lapides filii Abrahæ fient, „ ſi in fidem Abrahæ formentur...... Hæc erit vis divinæ gratiæ, po- „ tentior utique naturâ, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberam ar- „ bitrii poteſtatem.“ In eo igitur gratiæ potentia ſita eſt, quòd liberum arbitrium ſibi ad nutum ſubjiciat.

S. Clemens Alexandrinus, lib. 2 *Pædagogi*, cap. 6: „ Quemadmo- Pag. 96.
„ dùm, ait, ſimul atque juſſerit (Deus), fiunt omnia; ita eoquòd ſo- „ lùm gratificari voluerit, ſequitur plenam eſſe gratiam...... Non enim „ unquam imbecillis eſt Deus. Sicut enim ipſius voluntas opus eſt, & „ id mundus nominatur, ſic & voluntas ipſius ſalus hominum eſt, & „ ea vocata eſt Eccleſia.“

S. Hilarius in Pſalm. 134. num. 13, 14 & 15: „ Verùm quia non „ in his tantùm“ (rebus corporeis & inanimatis) „ omnipotentia Dei „ eſt, neque in his ſolùm quæ voluit fecit in cœlo & in terra, in ma- „ ri & in abyſſis; & in his quæ corporaliter geſta memorantur ſpiri- „ tualia ſignificari meminimus: demonſtrandum eſt nunc quid ſub his „ dictis per virtutem prophetiæ intelligere debeamus...... Jam ubique „ irreligioſum ante os (hominis) religionem docet; jam pollutum ſtu- „ pris corpus continentiâ purum eſt; jam cæca quondam à cognitione „ Dei mens, Iſraël facta eſt; jam invidia in imitationem boni profecit; „ jam ebrietas in jejunia exarſit; jam odium in amorem demutatum eſt, „ jam vitia in virtutum vitam perempta ſunt. Fecit ergo Dominus „ omnia quæ voluit in cœlo & in terra, in mari & in abyſſis.“ Fecit autem quia voluit in creaturis liberis, hoc eſt, volendo fecit, ſicut in cæteris creaturis: non enim diſpar, ſed unum & idem Dei dominium atque omnipotentiæ exercitium utrobique agnoſcit Hilarius.

S. Athanaſius in Cant. (pag. 1265 nov. edit.): „ Affla me, o Ver- „ bum, & doce me eloquia tua, ac præcepta tua conſcribe in tabula „ cordis mei...... Poſſum, tuâ auxiliante gratiâ, tuâ inviſibili & omni- „ potente operante manu, & verba audire Dominica, & myſteriorum „ eſſe particeps.“

S. Baſilius, Epiſt. 38. num. 4 (tom. 3 pag. 117), al. Epiſt. 43: „ Quodcunque ad nos ex divina poteſtate bonum venerit, omnia in „ omnibus efficientis gratiæ opus eſſe dicimus, quemadmodum ait Apoſ- „ tolus: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens*

Digitized by Google

ſigillatim unicuique prout vult." Et in libro *de Spiritu ſancto*, cap. 8. num. 18: „ Quòd ſi Apoſtolus (Rom. VIII. 37) ait: „ *In his omni-*
„ *bus ſuperamus per eum qui dilexit nos*, nequaquam hac voce humile
„ quoddam miniſterium indicat Apoſtolus, ſed auxilium potiùs quod
„ per imperium ſuæ potentiæ operatur in nobis. Secundùm ipſum alli-
„ gavit fortem, diripuitque vaſa illius, videlicet nos quibus ad omnia
„ mala opera fuerat abuſus, fecitque vaſa utilia Domino, apparatos
„ ad omne opus bonum per liberi arbitrii noſtri præparationem." Al-
ludit ad textum Proverb. tam ſæpè commemoratum à S. Auguſtino: *præparatur voluntas à Domino.* Et num. 19: „ Varia quædam & omnis
„ generis auxilia, ob varietatem eorum qui beneficio juvantur, unicui-
„ que tamen congruè, juxta neceſſitatis modum, auxilia dimetitur......
„ Omnia autem facit contactu virtutis ac voluntate bonitatis operans:
„ paſcit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit. Quæ non ſunt,
„ ea facit ut ſint, condita conſervat. Hoc modo bona ex Deo per Fi-
„ lium ad nos proveniunt, majore celeritate in ſingulis operantem,
„ quàm ullus ſermo exprimere valeat ..... Nam quo tandem temporis
„ ſpatio egeat, qui *portat omnia verbo virtutis ſuæ*, quique nec corpora-
„ liter operatur, nec manuum opera ad fabricandum opus habet, ſed
„ eorum quæ fiunt naturam habet voluntate non coactâ obſequentem?
„ Sicut Judith: *Cogitaſti*, inquit, *& præſtò fuerunt tibi omnia quæ cogi-
taſti*" (Judith IX. 4). Hæc omnia dubitare non ſinunt quin, juxta S. Baſilium, gratia increata verè, phyſicè & efficienter operetur in nobis motus omnes liberæ noſtræ voluntatis.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. 18. num. 29, de æternæ vitæ conſecutione per bona opera & mandatorum cuſtodiam loquens: „ Ne-
„ que diffidendum eſt, inquit, tanquam impoſſibile id eſſet. Credere
„ enim nos oportet, non ad imbecillitatem noſtram, ſed ad illius po-
„ tentiam reſpicientes; omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum." Et Catech. 8. num. 3: „ Omnipotens ſiquidem eſt qui omnibus dominatur,
„ ſuæque habet ſubjecta poteſtati...... Qui enim habet animæ poteſta-
„ tem, corporis non habet, quâ ratione omnipotens? Qui verò in cor-
„ pora dominatur, in ſpiritus verò nequaquam, quomodò omnipotens?"

S. Joannes Chryſoſtomus, hom. 2 de ſancta Pentecoſte, num. 1 (nov. edit. tom. 2. pag. 469): „ Quemadmodùm de Patre dicit (Apoſtolus),
„ 1 Cor. XII. 11: *Deus verò eſt qui operatur omnia in omnibus*, ſic de
„ Spiritu ſancto, *hæc omnia*, inquit, *operatur unus atque idem Spiri-*
„ *tus*...... Tanta ſiquidem eſt virtus Spiritûs ſancti. Et quemadmo-
„ dùm ignis iſte qui ſenſu percipitur, ubi molle lutum ceperit, rigidam
„ illud teſtam efficit, ſic nimirum & ignis Spiritus, cùm animam pro-
„ bam occupavit, licet eam luto molliorem receperit, ferro duriorem
„ illam reddit. Etenim eum, qui paulò ante peccatorum fæce pollutus
„ erat, continuò ſole ipſo efficit clariorem.

S.

Digitized by Google

S. Hieronymus, in cap. 5 Danielis: „ Quidquid in manu Dei Patris
„ fuerit, juxta Evangelium, nullus poteſt rapere ex ea; & quicunque
„ raptus fuerit, intelligitur in manu Dei non fuiſſe.“

S. Auguſtinus lib. *de Correptione & gratia*, cap. 14. num. 43: „ Cùm
„ homines per correptionem in viam juſtitiæ ſeu veniunt, ſeu rever-
„ tuntur, quis operatur in eorum cordibus ſalutem, niſi ille qui, quo-
„ libet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbuſtulis
„ operante, *dat incrementum Deus*, cui volenti ſalvum facere nullum
„ hominis reſiſtit arbitrium? Sic enim velle, ſeu nolle, in volentis,
„ ſeu nolentis eſt poteſtate, UT DIVINAM VOLUNTATEM NON
„ IMPEDIAT, NEC SUPERET POTENTIAM. Etiam de his enim,
„ qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult.“ Et in lib. *de Gra-
tia Chriſti, cap. 24. num. 26: „ Legant ergo & intelligant, intuean-
„ tur atque fateantur, non lege atque doctrinâ inſonante forinſecus,
„ ſed internâ & occultâ, mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum
„ in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed bonas e-
„ tiam voluntates.“

S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4 in Iſaiam, Orat. 2: „ Ut lutum figu- Pag. 610.
„ lo, nos (Deo) concedimus ut quod viſum ei fuerit operetur. Trans-
„ fert enim citra laborem quòcunque voluerit quæ noſtra ſunt, & à tur-
„ pioribus ad id quod melius eſt animum transformat, corque novum no-
„ bis immittit, extirpato priori...... Quòd enim inſit ei cunctipoten-
„ tia, declarat inquiens: Ego feci terram & hominem in ea. Inven-
„ tor autem generationis humanæ, qui produxit eam ut eſſet, cùm an-
„ teà non eſſet, quomodò ad reformationem ſpiritalem inhabilis erit?
„ An non potiùs manifeſtum eſt nutu ejus, ad quamcunque ſpeciem ei
„ placuerit, naturam creaturarum transmigrare ac tranſire facilè poſſe?
„ Quid verò incredibile videatur, ſi hominis mentem pro ſuo arbitratu
„ aliter fingat, qui manu ſuâ firmavit cœlum?“

S. Proſper, Epiſt. ad Rufinum, cap. 15: „ An dicendum eſt volun-
„ tati Dei humanas obſiſtere voluntates, & tam feros & tam intractabi-
„ les horum hominum eſſe mores, ut evangelium ideò non audiant,
„ quia prædicationi impia corda non pateant?“ Hoc dicere coguntur
quicunque gratiam ſeipſâ efficacem confiteri detrectant. At quàm lon-
gè aliter ſenſit S. Proſper! „ Et quis iſtis, ait, corda mutavit, niſi
„ *qui finxit ſigillatim corda eorum?* Quis hujus rigoris duritiem ad obe-
„ diendi mollivit affectum, niſi *qui potens eſt de lapidibus Abrahæ filios*
„ *ſuſcitare?*“

S. Fulgentius, lib. 1 ad Monimum, cap. 12: „ Ideò, inquit, in
„ Dei promiſſis nulla eſt falſitas, quia in faciendis nulla omnipotenti
„ eſt difficultas. Et propterea ibi nunquam deeſt voluntatis effectus,
„ quia voluntas ipſa non aliud invenitur eſſe quàm virtus. Quidquid
„ autem vult, poteſt, qui, quantùm vult, tantùm poteſt. Propterea

„ de (eo) ſolo dicitur, *omnia quæcunque voluit fecit;* & iterum: *ſubeſt* „ *enim tibi, cùm voles, poſſe.* Ideò diximus tantam ibi eſſe virtutem voluntatis, quanta eſt voluntas ipſa virtutis; quia cui ſubeſt, cùm volet, poſſe, non eſt aliud in illo velle quàm poſſe.“ His docemur Deum promiſſiones Abrahæ ac in illo electis factas omnipotentiſſimâ ſuâ voluntate adimplere. Illas autem adimplet per gratiam. Ergo gratia eſt omnipotentiſſima Dei voluntas, adeòque efficaciam habet à divina omnipotentia.

S. Prudentius Trecenſis, lib. *de Prædeſtinatione adverſùs Scotum*, cap. 4, loquens de vocatione Matthæi ad telonium ſedentis: „ Numquid, ait, „ dicendus eſt habuiſſe velle quouſque viſus non eſt (à Chriſto)? „ Viſus eſt, & continuò voluit, quia viſio illa de gratiæ rore manabat...... In quo admiranda eſt nimirum vis ac potentia gratiæ videntis, quæ, mox ut videt, perficit. Videre illius, nullâ intercapedante morulâ, opus eſt: quæ tantâ vi penetravit mentem Publicani, „ ut ſtatim vocantem gratiam ſequeretur. Agit hoc nimirum occulto „ inſtinctu DEI OMNIPOTENTIA IN CORDIBUS HOMINUM, vel „ lenitate, vel terrore incomprehenſibili, cauſis noſtram ſcientiam latentibus, ut reſpectum ſuæ gratuitæ gratiæ, omni tarditate propulſâ, „ humiliter devotèque ſequantur.“

S. Thomas, 2. 2. quæſt. 24. art. 11. in corpore, dicit caritatem poſſe conſiderari „ ex parte Spiritûs ſancti moventis animam ad diligendum Deum: & ex hac parte, inquit, caritas impeccabilitatem „ habet ex virtute Spiritûs ſancti, qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit. Unde impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum caritatis, & quòd ipſe „ caritatem amittat peccando.“

Idem ſuis in precibus profitetur Eccleſia; v. g. in oratione quæ ad Primam dicitur: *Tuâ nos hodie ſalva virtute*, hoc eſt, tuâ omnipotentiâ, *ut ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera.* Id totum igitur omnipotentiæ divinæ donum eſt. Et in oratione pro communi Virginum Martyrum: *Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti* &c.

Hâc fide imbuti martyres, non Epiſcopi tantùm Doctoreſque Eccleſiarum, ſed & ſimplices fideles, ac ſæpè ex infima plebe omnis ætatis, ſexûs & conditionis, in tormentis conſtituti, toto corde hæc ipſa profitebant, quæ tum in Eccleſia docti fuerant, tum Spiritus ſanctus in tabulis cordis eorum inſcripſerat. Immò non ipſi loquebantur, ſed, juxta Chriſti Domini promiſſum, Spiritus ſanctus, per eorum ora, voces & ſacra veluti oracula depromebat. Sancta Felicitas Publium Præfectum alloquens (Acta Martyrum ſincera & ſelecta, pag. 21): „ Nec blandimentis tuis reſolvi potero, nec terroribus tuis frangi. Habeo enim „ Spi-

Digitized by Google

„ Spiritum ſanctum qui me non permittit vinci à diabolo; & ideò ſecura ſum.“ Sancta Dionyſia puella Lampſacena, annorum 16, eidem Tyranno turpiſſima minitanti (ibid. pag. 48.) dixit: „ Deus meus major eſt quàm tu. Ideòque minas tuas non timeo, quia potens eſt mihi dare in omnibus quæ intuleris tolerantiam.“ Montanus, Lucius, & alii martyres Africani (ibidem, pag. 234): „ Quò enim tentatio grandis eſt, eò major eſt ille qui eam vincit in nobis; & non eſt pugna, quia eſt, Domino protegente, victoria.“ Theodotus Ancyranus cauponarius, indutus virtute ex alto, Tyrannum conſtanter provocans (ibid. pag. 367): „ Tu verò, inquit, tormenta excogita, & novarum adinventiones machinarum, ut fortitudinem meam experiaris; quin potiùs agnoſce Dominum Jeſum adjuvantem me...... Ecquid adeò grande contra me excogitabis, quod poſſit reſiſtere poteſtati Domini mei Jeſu Chriſti?“ Cum Præſes Dulcetius memorandas Agapen & Chioniam ſollicitaret, ut impiis Cæſarum juſſis obtemperarent, reſpondit Agapes (ibid. pag. 423): „ His verbis mens mea non abducitur; inexpugnabilis enim illa eſt.“ Tum Præſes: „ Et tu, Chionia, quid ad hæc dicis? Mentem meam, inquit illa, nemo poteſt pervertere.“ Obtupeſcente Præſide, & quærente quiſnam hanc illis mentem dediſſet: *Omnipotens Deus*, aiunt. In Actis SS. Martyrum Tarachi, Probi & Andronici, Tarachus vir militaris (pag. 466): „ Non mihi, inquit, ſuadebis. In nihilo enim ſi omnia membra mea collidas, eo inſto fortis in eo qui me fortem fecit.“ Tam potenti fretus auxilio Andronicus Tyrannnum compellens, qui, ut ipſum juniorem falleret, fingebat Probum & Tarachum animis deſpondiſſe ac ſibi ceſſiſſe: „ Miſer, inquit (ibid. pag. 471), & mendax, quid me fallis? Non enim potes libertatem noſtram evellere, aut ſenſum noſtrum conculcare. Neque enim potuerunt Dominum negare & ſtultitiæ tuæ conſentire. Exiſtima ergo quia & me talem invenies. Armatus à Deo meo, ante te aſſiſto in fide, in virtute Domini Dei omnipotentis & Salvatoris noſtri, neque Deos tuos ſciens, neque Principes, neque Tribunal tuum metuens.“ Et iterum: „ Neque nos vincimur à ſermonibus tuis, aut tormentis aut iracundiâ tuâ, ſed adſumus in conſpectu tuo athletæ fortes, in eum qui nos confortat Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.“

Enimverò, quidquid in ordine ſalutis operatur Deus, non-niſi omnipotentiâ & voluntate ſuâ operatur. Miſericordiâ quidem ſuâ invitatur quodammodò ad benefaciendum, ſapientiâ ſuâ dirigitur; at propriè loquendo omnipotentiâ & voluntate ſuâ operatur. Quid verò operatur? Omne bonum quod eſt in homine, pias cogitationis, bonam voluntatem ſeu conſenſum, bona opera. Uno verbo *operatur*, ut ait Apoſtolus, ipſum *velle & perficere*. Ergo id totum omnipotentiâ ſuâ operatur. Omnipotentis autem operatio eſt ipſum velle ipſius: *Dixit, & facta ſunt.* Di-

Digitized by Google

Dicit: Petrus liberè conſentiat, & fit. Dicit: Faciat hunc vel illum actum, cum hoc vel illo intenſionis gradu, & utrumque fit.

Et certè ſi alia quæque opera attribuuntur divinæ omnipotentiæ, quantò magis opus omnium maximum & præcellentiſſimum eidem attribui debet? Atqui in creatis nihil eſt majus aut excellentius eo quod in juſtorum cordibus operatur. Primi hominis creatio opus eſt omnipotentiæ: quantò magis nova interioris homiois creatio, de qua ſpeciatim dicitur, Luc. I: *Fecit potentiam in brachio ſuo?*

Secunda pars probationis. Gratia in Deo conſiderata, ſeu gratia increata, nihil aliud eſt quàm abſoluta Dei voluotas, quidquid boni eſt in hominibus operans.

Sequitur hæc propoſitio ex præcedeote. Si enim gratia efficaciam ſuam trahat ab omnipotentiſſima Dei miſerentis voluntate, profectò gratia nihil aliud eſt quàm omnipotentiſſima Dei miſerentis voluntas.

Et ſanè gratia in Deo conſiderata eſt operatio ipſa divina. Atqui operatio Dei non diſtinguitur à voluntate Dei abſoluta. In Deo quippe velle & operari unum & idem ſunt, quo volente, ſtatim fit quod vult. Ergo gratia in Deo conſiderata eſt ipſa ipſius voluntas abſoluta.

Demum de fide eſt, ſicut nihil mali fit ſine permiſſione divina, ita nihil boni fieri niſi abſolutâ Dei voluntate. Ergo, quoties boni aliquid operamur, Deus abſolutè vult nos illud operari: ſi autem abſolutè vult, profectò & operatur; ſiquidem, ex dictis, abſolutè velle & operari in Deo ſunt unum & idem. Ergo operatio gratiæ in Deo conſiderata nihil aliud eſt quàm abſoluta ejus voluntas, quâ hoc vel illud bonum fieri vult. Vide quæ de gratia increata hujus Libri initio dicta ſunt.

Tertia pars probationis. Abſoluta Dei voluntas adeò ſeipſâ efficax eſt, ut non ſolùm nihil ei reſiſtat, ſed nec reſiſtere poſſit, etiam quantùm ad actus liberos & ad ſalutem æternam pertinentes. Adeò certa eſt hæc propoſitio tam ex Scripturis quàm ex Traditione, ut mirari ſatis non poſſim eam à Catholicis quibuſdam Theologis impugnari. „ An „ verò ſic volunt eſſe liberi, aiebat in ſimili caſu S. Auguſtinus, lib. „ *de Spiritu & littera*, cap. 30, ut nec Deum velint habere domi- „ num?"

Joſeph Patriarcha, ad conſolandum fratres ſuos, qui ipſum, ac ſanè libetâ voluntate, vendiderant, ſic eos affatur, Geneſ. XLV. 8: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Et cap. L. 19: *Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*

Job. XXIII. 13: *Nemo avertere poteſt cogitationem ejus* (Dei); *& anima ejus, quodcunque voluerit, hoc fecit.*

2 Paralip. XX. 6: Rex Joſaphat Deum his verbis precatur: *Tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium; in manu tua eſt fortitudo & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere.*

Eſther

Digitized by Google

Eſther XIII. 9, Mardochæus Deum ſic orat: *Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſraël. Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat Majeſtati tuæ.* Ita ille reſpectu ejus eventûs, qui à voluntate regis Aſſueri proximè & immediatè dependebat.

Iſaiæ XIV. 27: *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?*

Daniel IV. 31 & 32: *Poteſtas ejus poteſtas ſempiterna...... Juxta voluntatem ſuam facit, tam in Virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ; & non eſt qui reſiſtat manui ejus.*

Fruſtra opponeretur, in his Scripturæ textibus non agi de bonis operibus, nec de ſalute æterna, ſed de eventibus temporalibus. Nam 1°. hæc oracula generaliter & ſine ulla exceptione declarant voluntati divinæ nihil poſſe reſiſtere. 2°. Eventus illi temporales, quorum occaſione docetur neminem voluntati Dei poſſe reſiſtere, pendebant utplurimùm ab humanis voluntatibus. Ergo voluntates hominum impedire non poſſunt quin Deus in ipſis operetur quidquid vult. 3°. Si voluntati divinæ nemo reſiſtere poteſt quantùm ad eventus ipſos temporales, quantò magis quantùm ad ſalutem electorum, ad quam omnia temporalia à Deo ordinantur? 4°. SS. Patres legitimi Scripturarum interpretes, à quorum conſenſu recedere vetat Tridentina ſynodus, ſententiam illam eis ſpeciatim applicant, quæ ſalutis negotium ſpectant. Tales ſunt inter multos:

S. Clemens Rom. Epiſt. 1 ad Corinth. num. 27. „ In verbo magni„ ficentiæ ſuæ conſtituit omnia, & in verbo poteſt illa evertere. *Quis „ dicit ei, quid feciſti? Aut quis reſiſtet virtuti fortitudinis ejus?* Cum „ voluit, atque ut voluit, omnia condidit, neque quidquam ab eo „ decretum præteriit.“

Tertullianus, lib. *de Oratione*, exponens tertiam petitionem orationis Dominicæ, *fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, ſic loquitur, cap. 4: „ Non quòd aliquid obſiſtat quominùs voluntas Dei fiat, & ei „ ſucceſſum voluntatis ſuæ oremus; ſed in omnibus petimus fieri vo„ luntatem (hoc eſt, præcepta) ejus.“

S. Cyprianus, lib. *de Oratione Dominica*, in eadem verba: „Non (petimus), inquit, ut Deus faciat quod vult, ſed ut nos facere poſſimus „ quod Deus vult“ (voluntate ſigni, hoc eſt, quod præcipit). „ Nam „ Deo quis obſiſtit, quominùs quod vult faciat? Sed...... petimus ut „ fiat in nobis voluntas Dei“ (id eſt, ut mandata ejus faciamus): „ quæ „ ut fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope ejus & protec„ tione.“ Idipſum eſt quod aliis verbis dicit S. Auguſtinus, Enchiridii cap. 103. num. 27. „ Ideò rogandus eſt Deus ut velit, quia neceſſe eſt „ eſſe, ſi voluerit.“ Ex S. Martyris verbis patet *opem & protectionem*,

ſeu gratiam Dei eſſe ipſiusmet voluntatem, cui nemo obſiſtit quominùs faciat quod vult.

S. Gregorius Thaumaturgus, Orat. panegyr. ad Origenem (edit. Mogunt. 1604, pag. 191): „ Neque enim quidquam eſt quod reſiſtere „ Deo poſſit, qui rex omnium & eſt & futurus eſt."

S. Methodus Patarenſis Epiſcopus, in lib. *de Reſurrectione* (edit. cum Amphilochio à Combefis, 1644, pag. 302): „ Nec quidquam immor- „ tali tuo imperio & virtuti reſiſtit. Omnia ſiquidem è nihilo creaſti. „ Quare etiam omnia, cùm tua ſint, ut libuerit, in formam aliam ra- „ tionemque evertis & mutas, qui ſolus Deus exiſtis." Nihil prorſus excipit, & eo principio nititur, quod ad quaslibet res creatas ex æquo pertineat.

S. Hilarius, Tract. in pſalm. 134. num. 10: „ Soli Deo congruit om- „ nia facere quæ velit. Sola enim perfecta virtus in nullo impeditur, „ quominùs quod velit faciat, & ei, ex quo omnia ſunt, nihil diffi- „ cultatis occurrit."

S. Chryſoſtomus, hom. 63 in Gen. de Joſeph Patriarchæ hiſtoria diſſerens: „ Attende, ait, quomodò, quandocunque voluerit providus „ Deus opere complere quæ ſibi viſa fuerint, nihil eorum, quæ in me- „ dio obſtare videntur, impedire poſſit."

S. Chromatius Epiſcopus Aquileienſis, Concione 1 in cap. 5 & 6 Matthæi, ad hæc verba, *fiat voluntas tua*, ſic dicit: „ Non quiſquam „ eſt qui obſiſtere aut contradicere Deo poſſit, ne quod velit faciat, „ cùm voluntate ejus & in cœlo & in terra cuncta conſiſtant; ſed, ut „ in nobis voluntas ejus fiat, oramus:" hoc eſt, ut ſubjungit „ ut „ hæc, quæ fieri præcepit, impleamus." Bibl. PP. Colon. tom. 4. pag. 844.

S. Auguſtinus, in Serm. *de Symbolo ad Cathecumenos*, cap. 1. num. 2: „ Omnipotens Pater facit quidquid vult: ipſa eſt omnipotentia...... „ Nemo reſiſtit omnipotenti, ut non quod vult faciat." Lib. 1 *Oper. Imperf.* cap. 93: „ Abſit ut impediatur ab homine omnipotentis & cunc- „ ta præſcientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vel ei excogi- „ tandæ non ſufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, „ &, homine infirmo impediente, non poſſe." Et lib. *de Correptione & gratia*, cap. 14. num. 45: „ Non eſt itaque dubitandum voluntati „ Dei, qui *cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit*, & qui etiam „ illa quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, „ quominùs faciat ipſe quod vult; quandoquidem etiam de ipſis homi- „ num voluntatibus quod vult, cum vult, facit."

In Liturgia S. Baſilii, quam penè univerſus Oriens frequentabat, teſte Petro Diacono in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos, cap. 6, hæc habetur oratio: „ Dona, Domine, virtutem ac tutamentum: malos, quæſu- „ mus, bonos facito, bonos in bonitate conſerva; omnia enim potes,

&

„ & non eſt qui contradicat tibi: cùm volueris, ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.

S. Sophronius Archiepiſcopus Hieroſolymitanus, Orat. 1 in Chriſti Natalitia, de juſtificationis & ſalutis opere loquens: „ An non, inquit, „ hæc omnia præſtitit, modoque diviniſſimo implevit & conſummavit? „ Utique: nec enim contingit Deum propoſito ſuo fruſtrari. Nam „ quid animo concipi poteſt, quod Deus, ſi velit, non efficiat?" (Aliquid tamen concipere ſibi videntur adverſarii, nempe hominem, illæſâ ipſius libertate, Deum convertere non poſſe in illis circumſtantiis, in quibus prævidet eum obſtinatâ voluntate gratiæ refragaturum). „ Aut quis eſt qui omnipotenti efficaciſſimæque ejus voluntati ſuâ vo- „ luntate, ut maximè id contendat, obſiſtere valeat? Tom. 2 magnæ Bibl. PP. Pariſ. col. 257.

Petrus Damiani, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, in Oratione 1: „ Scio, Domine, inquit, quia in voluntate tua cuncta ſunt poſita, & „ non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Si enim decreveris ſalvare „ nos, continuò liberabimur." Tom. 4. pag. 1.

S. Bernardus, Serm. 9. in Pſalmum *Qui habitat*, num. 6: „ Verbo „ omnia poteſt. Quid facilius dictu? Attamen hujusmodi dictum intel- „ ligas volo. Si decreverit ſalvare nos, continuò liberabimur. Si vi- „ vificare placuerit, vita in voluntate ejus eſt. Si præmia æterna lar- „ giri, licet ei quod vult facere."

S. Thomas, 1 part. quæſt. 19. art. 8. in corp. „ Nullus defectus „ cauſæ ſecundæ impedire poteſt quin voluntas Dei effectum ſuum „ producat."

S. Laurentius Juſtinianus, in Serm. de Converſione B. Pauli: „ Nul- „ lus ſanè mortalium mutandi liberum arbitrium ſibi valet vindicare po- „ tentiam, niſi tu, Deus, in cujus ditione univerſa ſunt poſita; & non „ eſt qui tuæ queat reſiſtere voluntati." Edit. Baſil. 1560. Pag. 612.

His omnibus accedit Facultatis Theologicæ Lovanienſis judicium, in Juſtificatione Cenſuræ ſuæ, cap. 4, quod ſic ſe habet: „ Sive per ſeip- „ ſum aliquid Deus facere decreverit, ſive per cauſas ſecundas fieri vo- „ luerit, non poteſt voluntas ejus & operatio impediri, quin ſuum ſor- „ tiatur effectum. Quàmvis enim ſecundarum cauſarum operationes, „ quatenus ab ipſis immediatè procedunt, impediri poſſint, tamen, in „ quantùm ad Dei voluntatem & operationem, tanquam ad cauſam, „ referuntur, impediri non poſſunt. Non enim ſimul hæc duo conſiſ- „ tunt, ut ſimpliciter aliquid Deus velit, & tamen non ita fiat ut vo- „ luit. Fatemur ergo bona hominis opera, quâ ratione ab ipſo fiunt, „ impediri poſſe, quia cauſa ipſa impedibilis eſt; quâ verò ratione à Dei „ voluntate & diſpoſitione procedunt, impediri non poſſe, quia Dei vo- „ luntas inimpedibilis eſt. Sicut tamen quod per ſeipſum facere vo- „ luit, non neceſſariò, ſed liberè factum eſt, quanquam impediri non „ potuerit; ita quod in bonis operibus producendis per hominem vult

„ facere, non neceſſariò, ſed liberè fit, ſive ab ipſo, ſive ab homine, „ quàmvis ne fiat, poſitâ Dei voluntate, impediri non poſſit."

Reverâ verbum *reſiſtere* in propria ſua ſignificatione importat quamdam renitentiam, quâ effectus intentus vel impeditur, vel retardatur. Qui enim alteri propriè reſiſtit, habeat oportet æqualem aut majorem potentiam. Porro nullum creatum arbitrium potentiam habet majorem vel æqualem omnipotentiæ divinæ. Ergo repugnat liberum arbitrium creatum Deo ſeu voluntati ejus abſolutè reſiſtere.

Dices: Poteſt homo id non facere quod Deus vult voluntate etiam abſolutâ. Atqui poſſe non facere id quod Deus vult, eſt poſſe voluntati Dei reſiſtere. Ergo homo poteſt voluntati Dei etiam abſolutæ reſiſtere.

Nego minorem. Cùm enim Deus non tantùm velit nos quidpiam facere, ſed etiam illud liberè facere, cum potentia non faciendi, nedum poſſe id non facere quod Deus vult, ſit poſſe reſiſtere voluntati Dei, è contrario illam implere eſt. „ Hoc ipſo enim, ait Angelicus Doctor 1 part. q. 19. art. 8, „ quòd nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur „ quòd non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contin„ genter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult." Aliud eſt igitur poſſe non facere actum quem Deus fieri vult, qui actus eſt ex ſe planè contingens, nec cum naturali voluntatis humanæ inclinatione neceſſariò connexus, aliud poſſe reſiſtere voluntati divinæ, quæ eſt cauſa univerſalis, omnipotens & ſemper invicta. „ Niſi fortè, ut ait S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 14. num. 45 (ut ex multis aliqua commemorem), „ quando voluit Deus Saüli regnum dare, ſic erat in poteſtate „ Iſraelitarum ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere, quod uti„ que in eorum erat poſitum voluntate, ut etiam DEO VALERENT „ RESISTERE. Qui tamen hoc non fecit niſi per ipſorum hominum „ voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium quò placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem."

Illa duo enucleatè conciliat Lemoſius, tom. 3 *Panopliæ*, part. 1. t. 4. cap. 14. num. 137. „ Certum eſt, ait, in Scriptura quòd voluntati Dei „ abſolutæ & efficaci, quæ noſtras antecedit voluntates, nec in noſtra „ poteſtate eſt, non poteſt homo reſiſtere, licet poſſit abſolutè aliud „ operari, vel aliud facere. Magna enim differentia eſt inter poſſe aliud „ efficere, & poſſe reſiſtere Dei efficaci voluntati." Et cap. 18. num. 180: „ Non eſt idem, inquit, non poſſe Dei voluntati reſiſtere, & non poſſe „ aliud velle...... Illæ propoſitiones, de reſiſtere vel diſſentire (voluntati Dei), negandæ ſunt: illæ autem è contrario, de poſſe aliud vel„ le & aliud operari, concedendæ ſunt. Non omnibus, inquit, appa„ ret magna iſta diverſitas, cùm plerique pro eadem utraſque confun„ dant...... Quòd ſi quis diligenter advertat, magna inter propoſitio„ nes illas differentia eſt, quam S. Thomas ſatis apertè inſinuavit." Et pro-

prolatis aliquibus teſtimoniis: „ Ex quibus, ait, ſit manifeſtum quòd, „ per hoc quòd homo contingenter & liberè operatur, cum potentia vi- „ delicet ad aliud volendum, non reſiſtit Dei voluntati, imò Dei vo- „ luntati conſentit, quæ vult quòd homo operetur, & liberè, ſeu cum „ potentia ad aliud volendum operetur. Cùm ergo illa potentia ad „ aliud volendum confirmetur in homine ex efficaci illa voluntate Dei, „ & illi ſit conformis, neceſſe eſt dicere quòd talis potentia ad aliud „ volendum non reſiſtat divinæ voluntati, cui potiùs conformatur, nec „ ſit potentia ad reſiſtendum propriæ voluntati Dei, ſed potiùs ſit po- „ tentia ad obediendum divinæ voluntati & ei conſentiendum.

Dices 2°. Tridentina ſynodus definit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum...... poſſe diſſentire, ſi velit. Porro poſſe diſſentire & poſſe reſiſtere Deo, unum & idem eſt.

Reſpondet Alvarez, lib. *9 de Auxiliis*, diſp. 93. num. 3, verba diſſentire & reſiſtere, ſi propriè accipiantur, inſigniter differre in hoc, quòd poſſe diſſentire, dicatur comparatè ad actum ſeu conſenſum liberè eliciendum; poſſe autem Deo reſiſtere, dicatur comparatè ad cauſam exteriorem & efficaciſſimam, cujus effectum à voluntate creata impediri repugnat: „ proinde ex hoc, quòd liberum arbitrium poſſit diſſentire, „ ſi velit, non ſequi quòd poſſit Deo reſiſtere, aut ejus voluntati effi- „ caci; ſed potiùs inferri quòd exequatur divinam voluntatem, ſecun- „ dùm modum quem eidem arbitrio creato conſtituit.

Aliter reſpondet Maſſouliæus, Differt. 2 quæſt. 9. art. 9, cenſetque Pag. 458. diſſentire & reſiſtere Deo idem ſignificare, atque idcirco dici poſſe aliquo ſenſu liberum arbitrium divinæ voluntati poſſe reſiſtere, *non quidem ſecundùm reſiſtentiam ad agentem*, ſcilicet Deum, *ſed ſecundùm impedimentum effectûs.* Verùm, quàmvis doctus ille Theologus quoad doctrinæ ſubſtantiam cum Scriptura & SS. Patribus conſentiat, in loquendi tamen modo procul ab eis recedit. Inauditum quippe eſt tum apud Auctores ſacros, tum apud Eccleſiæ Doctores, hominem voluntati Dei abſolutæ poſſe reſiſtere: è contrario verò certiſſimum eſt, ut modò oſtendimus, neminem illi poſſe reſiſtere. Multò itaque rectiùs docent Lemoſius & Alvarez, ſicut neminem Deo reſiſtere, ita nec diſſentire poſſe.

Quamobrem reſpondeo, falſò ſupponi in minore liberum arbitrium, juxta Tridentinos Patres, poſſe Deo diſſentire. Nequaquam id dicit ſynodus, ſed tantummodò liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit, hoc eſt, poſſe non aſſentiri, ſi velit, motioni & excitationi internæ quam in ipſo Deus producit; quia videlicet motio illa & excitatio non talis eſt ut tollat potentiam ad oppoſitum, & totam voluntatis capacitatem repleat.

An non idem eſt, inquies, poſſe voluntati divinæ reſiſtere, & poſſe non obſequi motui interno quem Deus producit?

Prorſus non idem eſt. Voluntas quippe divina eſt Deus ipſe, cui poſſe reſiſtere idem foret ac ſupremum ejus dominium effugere poſſe. Motus verò à Deo impreſſus, in ſe conſideratus, eſt aliquid creatum & virtutis finitæ, cui proinde liberum arbitrium poſſe non aſſentiri nihil vetat.

Inſtabis. Si liberum arbitrium non faceret actum quem Deus fieri vult, Deo reipſà reſiſteret. Ergo, ſi poteſt non facere, poteſt conſequenter Deo reſiſtere.

Nego conſequentiam, & dico argumentum eſſe merum ſophiſma. Si homo non faceret quod Deus abſolutè vult eum facere, Deo reipſà reſiſteret, quia quod decrevit Omnipotens, homine impediente, non fieret. Quòd verò homo, dum facit quod Deus vult eum facere, retineat potentiam ad oppoſitum, adeò non eſt potentia reſiſtendi Deo, ut è contrario divinæ voluntatis effectus ſit, quandoquidem, ut jam dictum eſt, Deus vult non tantùm ut homo illud faciat, ſed etiam liberè, & cum potentia non faciendi, ſi velit.

Inſtabis 2°. De fide eſt hominem poſſe gratiæ reſiſtere. Atqui, ex dictis, gratia eſt ipſamet voluntas & operatio Dei. Ergo divinæ voluntati poteſt homo reſiſtere.

Diſtinguo minorem. Gratia increata eſt ipſa voluntas & operatio Dei, concedo: gratia interior & creata, nego. Gratia interior & creata conſiſtit in ſanctis cogitationibus, & piis motibus, quos Deus, qui eſt gratia increata, in nobis producit. His piis motibus hominem hac in vita ſemper poſſe reſiſtere, fide catholicâ indubitatum eſt. Gratiæ verò increatæ, ſeu abſolutæ Dei voluntati neminem poſſe reſiſtere, conſtantiſſima eſt Scripturæ ſacræ omniumque SS. Patrum doctrina. Audiamus quid hac de re doceant, in ſuæ doctrinæ Expoſitione anno 1720 promulgata, centum Galliarum Epiſcopi. Sic illi loquuntur, articulo 3: „ Abſolutæ voluntatis Dei proprius caracter eſt, quòd infallibiliter impleatur, eique, juxta loquendi modum Scripturæ, homo non poſſit reſiſtere. Sed de fide eſt hominem ſemper poſſe reſiſtere gratiæ, etiam validiſſimæ, quæ unus eſt è præcipuis hujus voluntatis effectibus: " gratiæ ſcilicet interiori & creatæ.

Dices 3°. Scripturæ ſacræ teſtantur homines Deo ſæpè reſiſtere. Act. VII. 51, S. Stephanus Judæos increpans: *Vos*, inquit, *ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut patres veſtri, ita & vos.* Pſalmo XVI. 8: *Qui ſalvos facis ſperantes in te, à reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me.* Rom. XIII. 2: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

Respondeo in nullo horum textuum ſermonem eſſe de voluntate Dei abſoluta, neque etiam de gratia interiori.

Verborum S. Stephani ſenſus eſt, Judæos ſemper reſtitiſſe Spiritui ſancto, hoc eſt, multimodis gratiis exterioribus, quæ figuratâ locutione dicun-

Digitized by Google

cuntur Spiritus ſanctus, ſumendo cauſam pro effectu, dum ſcilicet, lege divinitùs datâ, innumeris prodigiis & oſtentis ſub eorum oculis patratis, ad eos ſive ab Ægyptiaca captivitate liberandos, ſive in terram Chanaan introducendos, plurimisque ad eos miſſis Prophetis invitati ut Deo piè deſervirent, in cordis duritia ſemper permanſerunt. „ Non ergo ſignificatur ibi, ut ait Sylvius, *de Motione primi motoris*, part. 4. „ art. 1, quòd Judæi gratiæ, ſeu Deo intrinſecus moventi ſic reſtiterint, ut effectum gratiæ & motionis divinæ impedirent; ſed ſignificatur quòd Prophetis, quos Spiritus ſanctus mittebat, & per quos „ ipſe loquebatur, reſtiterint, partim occidendo, partim prædicationes „ eorum impediendo." Suam hanc eſſe mentem ſatis declarat S. Protomartyr, cùm continuò ſubjungit: *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?..... Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.*

V. Eſtium in hunc locum.

Alter textus ex fonte hebræo ſic verti poteſt: *Tu, qui ſalvas dexterâ tuâ eos qui ſperant* (in te), *ab inſurgentibus* (in eos) *cuſtodi me* &c. At, retentâ noſtræ Vulgatæ verſionis lectione, manifeſtum eſt *reſiſtentes dexteræ* Dei ibi eos intelligi, qui nitebantur Davidem regnandi ſpe & vitâ privare, ſed fruſtra, cùm in eorum poteſtate ſic eſſet Davidi ſe ſubdere vel non ſubdere, ut Deo non valerent reſiſtere, quemadmodum dicit S. Auguſtinus.

V. Expoſitionem D. Duguet.

Ultimus textus nihil aliud enuntiat, niſi eos, qui poteſtatibus à Deo conſtitutis reſiſtunt, reſiſtere non abſolutæ Dei voluntati, ſed illius mandatis, ordinemque divinâ providentiâ inſtitutum, quantùm in ipſis eſt, perturbare. Id verò quis negat?

Vª Probatio, ex eo quòd operatio gratiæ maximis divinæ omnipotentiæ operibus ac miraculis comparetur, imò tanquam multò majoris virtutis argumentum commendetur. 5ª Probatio.

Negare nemo poteſt operationem, quâ mortui ſuſcitantur, aliaque miracula patrantur, ſeipſâ efficacem eſſe. Hac omnipotenti operatione *imperabat* Chriſtus *ventis & mari*, & fiebat *tranquillitas magna*. Summâ illâ *poteſtate & virtute etiam immundis ſpiritibus imperabat, & exibant.* Illâ Leproſo ſic deprecanti, *ſi vis potes me mundare*, reſpondit: *volo, mundare, & confeſtim mundata eſt lepra ejus.* Illâ Lazarum quatuor diebus ſepultum ad vitam redire juſſit, clamando: *Lazare, veni foras, & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus.* Summam illam poteſtatem profitebatur ille gentilis Centurio, cujus fidem, quam in Iſraël non invenerat, tantis laudibus extulit ipſius auctor ac donator Chriſtus: *Tantùm dic verbo*, inquiebat, *& ſanabitur puer meus.*

Matth. VIII, 26.
Marci I, 27, & Luc. IV, 36.
Matth. VIII, 2 & 3.
Joann. XI, 43 & 44.
Matth. VIII, 8.

Nemo etiam negare poteſt, ſicut variæ infirmitates morsque ipſa corporis ſunt typus & imagines morborum animæ mortisque ſpiritualis, ita etiam miracula viſibilia, quibus corpora vel morbida ad ſanitatem, vel mortua ad vitam revocavit Chriſtus Dominus, fuiſſe imagines ac veluti

ti pignora miraculorum inviſibilium, quibus mentes diverſis affectas peccatorum morbis ſanaturus, vel in morte jacentes ad vitam revocaturus erat; ideòque illum, dum in terris mortalem vitam agebat, tot languorum genera ſolo imperii ſui nutu à corporibus depuliſſe, ut in illo potentiæ ſuæ ſpecimine intueremur, quantâ eum virtute ac facilitate languoribus animarum vitiisque dudum inveteratis medelam efficacem allaturus eſſet, qui, animarum æquè ac corporum creator, æquale habet utrorumque dominium. Hoc documentum tradidit ipſemet Chriſtus, Matthæi capite nono, ubi, cùm Paralytico ad ſe adducto peccata remiſiſſet, atque inde Phariſæi occaſionem illum criminandi arriperent, dixit illis, v. 4 & ſeq. *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula? Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Idcirco igitur tot miracula ſuper ægros patravit Salvator noſter, ut intelligeremus eum non minori poteſtate peccatores, quandu vult, ſolâ ſuâ juſſione immutare ac convertere; quandoquidem remiſſio peccatorum ſine prævia actuali converſione cordis in adultis fieri nequit.

Hinc, Joannis V. 24 & 25, converſionem gentium, gratiæ ſuæ virtute paulò poſt ſecuturam, tanquam veram reſurrectionem prænuntians: *Amen, Amen*, inquit, *dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me,... tranſiit à morte in vitam. Amen, Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent.* Non enim ibi agitur de generali corporum reſurrectione, quam in fine ſæculi Chriſtianorum fides expectat, & quæ paulò poſt, verſu 28, commemoratur, ſed de ſpiritali reſurrectione per fidem, ut exponunt plerique interpretes, poſt S. Auguſtinum Tract. 22 in Joannem, ubi dicit, num. 7, „ tranſitum de morte ad vitam quoti„ die fieri, quando infidelis tranſit ab infidelitate ad fidem, ab injuſti„ tia ad juſtitiam, à ſuperbia ad humilitatem, ab odio ad caritatem." Et num. 3: „Totum hoc fit, inquit, non moto corpore de morte „ ad vitam, ſed moto corde in melius, reſurrectione æquè mirabili, nec minùs mirabili Dei gratiâ & potentiâ, quàm fit ea quâ corporaliter mortui reſuſcitantur.

Idem confirmat Apoſtolus Paulus, Epheſ. II. 5 & 6, ubi recèns ad fidem converſos ſic alloquitur: *Cùm mortui eſſemus peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratiâ eſtis ſalvati, & conreſuſcitavit* &c.

Quantâ verò potentiâ Deus ſpiritualem animarum reſurrectionem operetur, ſublimi comparatione declarat idem Apoſtolus. Docet Deum eâdem virtute & omnipotentiâ operari in nobis fidem (de cæteris virtutum actibus idem ſentiendum eſt), quâ Chriſtus ſuſcitatus eſt à mortuis. *Det vobis* (Deus), inquit ibid. cap. 1. v. 17, *ſpiritum ſapientiæ & revela-*

lationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans eum à mortuis. Unde S. Chryſoſtomus ait: „ Eâ igitur potentiâ, quâ „ Chriſtum (Deus) ſuſcitavit, nos quoque ad ſe traxit.“ (Hom. 3 in illam Epiſt.). Hi ergo dicant gratiam fidei, quæ omnium prima eſt & norma cæterarum, ſeipſâ efficacem non eſſe, qui contendere audebunt Chriſtum operatione verſatili, nec ſuâpte virtute efficaci, à mortuis ſuſcitatum. Quibus verò verbis gratia per ſe efficax exprimi poteſt, ſi illis, quæ Doctor gentium hìc accumulat, non exprimitur? Et ſanè quid nobis opus eſſet ſpiritu ſapientiæ ac revelationis, & cordis oculorum illuminatione, quæ Epheſiis apprecatur, ad cognoſcendam virtutem illius gratiæ, cujus effectus ex conſenſu liberi arbitrii totus penderet?

Nullus ferè eſt SS. Patrum qui in miraculis Chriſti morbos verbo depellentis, mortuosque ad vitam revocantis, non agnoverit expreſſam imaginem miraculorum longè præſtantiorum, quæ in animis hominum ſumma cum facilitate, cui nihil reſiſtere poteſt, operatur. Aliquos tantùm hujus veritatis teſtes appellabimus.

S. Clemens Alexandrinus in *Admonit. ad Gentes*, pag. 4: „ Vide, „ inquit, quantum potuerit novum canticum“ (gratiam Chriſti hoc nomine intelligit): „ homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris. „ Hi autem, qui erant alioqui ut mortui, qui ejus, quæ verè eſt vita, „ non erant participes, poſtquàm cantici ſolùm fuerunt auditores, re- „ vixerunt.“ Intelligit vocem internam Filii Dei, quam qui ſpiritualiter mortui audierint, vivunt.

S. Athanaſius in Epiſtola 1 ad Serapionem, num. 9 (edit. Pariſ. 1627, pag. 183), cùm dixiſſet nos per Spiritum ſanctum interiùs renovari, Pneumatomachos ſic debellat: „ Si, quia omnia per Verbum facta ſunt, „ rectè ſentitis Filium non eſſe rem creatam, an non itidem impium eſt „ vos Spiritum ſanctum, in quo Pater per Verbum omnia perficit & „ renovat, contendere rem eſſe creatam?“ Evaneſcit vis argumenti, ſi interior renovatio per gratiam non eſt opus omnipotentiæ, ac ipſa rerum creatio.

S. Ephrem in confeſſione, ſeu precatione ad Deum, edit. Voſſ. pag. 195 col. 1: „ Qui aperuiſti oculos cæci, aperi quoque oculos mentis „ meæ, ut in tuum decorem ſemper eos defixos habeam, & qui aperuiſ- „ ti os jumenti, os quoque meum ad laudem tuam & gloriam gratiæ tuæ „ aperi. Qui ſolo verbo oris tui poſuiſti terminos maris, pone etiam „ oſtium cordi meo per gratiam tuam, ut non declinet in dexteram vel „ in ſiniſtram à pulchritudine tua.“

S. Baſilius, hom. 20, aliàs 22, tom. 2 (edit. Pariſ. 1618 tom. 1. pag. 550): „ Quemadmodum Petrus, cùm in pelago mergeretur, per Chriſ- „ ti dexteram erutus eſt, ita in ſcandali procella ob incredulitatem in

„ pereundi periculum veniens, Chriſti virtute ſervatus eſt.“ Eadem ergo utrobique potentia operata eſt.

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 40, p. 662: „ Tu magnam hanc „ vocem, *Lazare, veni foras*, in ſepulchro jacens audiſti, & pro- „ diiſti, non quatriduo, ſed multis diebus mortuus, cum tridua- „ no illo ſimul ad vitam rediens, atque funebribus vinculis ſolutus „ es. Cave ne rurſus emoriaris.“ Et in Carmine 1 Chriſtum orat ut omnia miracula, quæ in corporibus olim edidit, & in corde ſuo patrare dignetur.

Priſcaque nunc in me facilis miracula profer:
Dic, & ſiſtatur profluvio fœda cruoris:
Et, grege porcorum ſtimulis furialibus acto,
Proruat in pelagus legio, procul atque faceſſat.
Excute deformem lepram, cæcisque recurrat
Lux oculis, rurſusque meas vox intret in aures.
Arentesque extende manus, & vincula linguæ
Solve, pedumque malos firma, Rex maxime, greſſus.
Nec veluti ſterilem jubeas areſcere ficum.
Præſidiis aliis alii, Deus optime, fidunt:
. . . .
At ſoli tibi ſolus ego ſum, Chriſte, relictus,
Imperio qui cuncta tenes: in te mihi robur
Grande ſitum eſt, in te fiducia tota ſalutis.

S. Gregorius Nyſſenus, hom. 5 in Cantica Canticorum, Serm. 1, pag. 543, hiſtoriam paralytici verbo Chriſti ſanati myſticè explicans, obſervat verbi potentiam non id ſolùm effeciſſe, ut paralyticus lecti ſui pondus ſuſtinuerit, ſed etiam ut ambulaverit. Virtutem autem verbi, gratiæque efficaciam ſic deſcribit: „ Non ſolùm efficit verbum ut tollat „ onus illud lecti, ſed etiam ipſum jubet ambulare. Quo mihi vide- „ tur Scriptura per tranſeuntis motum ſignificare progreſſum & augmen- „ tum in bono. *Surge*, inquit, & *ambula*. O vis juſſûs & imperii! „ Eſt reverâ vox virtutis, vox Dei, ut inquit Pſalmiſta, quoniam ec- „ ce dabit vocem ſuam, vocem virtutis: & ipſe dixit, & facta ſunt, „ ipſe mandavit & creata ſunt. Ecce nunc quoque dicit jacenti: ſurge „ & veni, & ſtatim ad opus deducitur quod jubetur. Nam ſimul at- „ que accepit vim verbi, ſtat & aſſiſtit, & ad lumen propè accedit.“

S. Macarius Abbas Ægyptius (tom. 4 Bib. Patrum Colon. pag. 52. col. 2), hom. 4: „ Quòd ſi difficile nobis videatur, & etiam impoſſibile, nos „ magnâ peccatorum multitudine præoccupatos converti,..... in men- „ tem revocemus ac perpendamus quonam pacto Dominus, cùm inter „ homines verſaretur, bonitate ſuâ fecit cæcos videre, curavit paralyti- „ cos,

Digitized by Google

„ cos, morbos omnes ſanavit &c. Quantò magis animam ad ipſum con-
„ verſam atque ab eo miſericordiam implorantem, ejusque indigentem
„ auxilio, diriget, & ad lætam affectionum vacuitatem, ſtatumque om-
„ nis virtutis & mentis renovationem reducet?"

S. Chryſoſtomus, hom. 1 de Cruce & Latrone, tom. 2. pag. 404:
„ Ut crucifixi virtutem ediſceres, in cruce hoc perpetrat miraculum,
„ quod ejus maximè virtutem demonſtrat. Non enim cùm mortuum
„ ſuſcitaret, non cùm ventos ac mare increparet, non cum dæmones
„ fugaret; ſed crucificus, clavis perforatus, contumeliis, ſputis, con-
„ viciis, opprobriis oneratus, improbum latronis animum mutare po-
„ tuit, ut ex omni parte virtutem ejus videas. Creaturam quippe to-
„ tam commovit, petras ſcidit, ſed petrâ duriorem latronis animam
„ attraxit."

Idem, hom. 3 in Epiſt. ad Eph. Tom. X. pag. 18: „ Eſt longè admi-
„ rabilius perſuaſiſſe animis, quàm ſuſcitaſſe mortuum. Et quomodò?
„ Ego tentabo hoc vobis perſuadere. Audi enim: Chriſtus dixit mor-
„ tuo: Lazare, veni foràs, & ſtatim obediit. Petrus dixit Tabithæ:
„ Surge; & non contradixit. Ipſe dicet in die ultimo, & omnes reſur-
„ gent, & cum tanta celeritate, ut qui adhuc vivunt non ſint præventuri
„ eos qui dormierunt; adeò ut omnia fiant in momento, in ictu oculi.
„ In credendo autem non ita fit...... Eſt enim multò difficilius hu-
„ manis rationibus perſuadere libero arbitrio, quàm operari naturam.
„ Cauſa eſt autem, quoniam ipſe ſic vult nos noſtrâ ſponte fieri bonos.
„ Sic meritò dixit: *Supereminens* magnitudo virtutis ejus in nos qui
„ credidimus."

Idem, Serm. 1 in illud: *Saulus adhuc ſpirans minas*, tom. 3. pag. 104,
cùm Chriſti divinitatem ac potentiam ex ipſius miraculis demonſtraſſet,
addit: „ Quod enim majus hoc cerni poſſit miraculum, quod in Paulo
„ contigit? Nam viventem quidem illum Petrus negavit: at mortuum
„ Paulus confeſſus eſt. Porro mentem Pauli pellexiſſe atque expugnaſſe,
„ majus ſignum fuit quàm umbrarum operâ mortuos ſuſcitaſſe. Nam
„ illic quidem ſequebatur natura, neque imperanti contradicebat. Hic
„ verò in poteſtate liberi arbitrii ſitum erat ut perſuaderetur, vel non
„ perſuaderetur. Unde magna virtus ejus qui perſuaſit oſtenditur. Multò
„ quippe majus fuit voluntatem convertiſſe quàm naturam correxiſſe."

S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalm. 67. num. 8: „ Mulieris, quam
„ alligaverat ſatanas per decem & octo annos, jubendo vincula ſolvit,
„ & Lazari mortem clamando ſuperavit. Qui facit hæc in corporibus,
„ poteſt mirabiliora facere in moribus." Tract. 17 in Joannem, num. 1:
„ Mirum eſſe non debet à Deo factum miraculum...... Plus eſt quòd
„ vitia ſanavit animorum, quàm quòd ſanavit languores corporum mo-
„ riturorum." Et tract. 72, exponens hæc verba Salvatoris: *Qui credit
in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet*, dicit:

 „ Num-

„ Numquidnam omnium operum Chriſti majora facit, qui cum timore „ & tremore ſuam ipſius ſalutem operatur; quod utique in illo, ſed „ non ſine illo Chriſtus operatur? Prorſus majus hoc eſſe dixerim, „ quàm eſt cœlum & terra, & quæcunque cernuntur in cœlo & in terra...... Numquid etiam his operibus majora facit, qui, operante „ in ſe Chriſto, cooperatur æternam ſalutem ac juſtificationem ſuam? „ Non hîc audeo præcipitare ſententiam: intelligat qui poteſt, judicet „ qui poteſt, utrùm majus ſit juſtos creare quàm impios juſtificare. „ Certè ſi æqualis eſt utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ.“ Si gratia non eſt ſeipſâ efficax, Deus excitat tantummodò interiùs voluntatem, voluntas autem excitata & invitata, ſi vult, conſentit; ſi non vult, gratiam repellit. Quid in hoc tantoperè mirandum eſt? Quid, quod operationi cœli & terræ creatrici præponi, aut etiam æquari poſſit? Si verò in converſione peccatoris atque operatione ſalutis magnum miraculum agnoſcere velint adverſarii, ſic illud agnoſcant, ut præcipuam ejus gloriam non dexteræ Excelſi, quæ ſolummodò invitavit, ſed libero arbitrio, quod ſola vera & efficiens illius cauſa eſt, deferant.

S. Proſper in Carmine adverſus Ingratos, cap. 16.:

Deus ergo ſepultos
Suſcitat, & ſolvit peccati compede vinctos.
Ille obſcuratis dat cordibus intellectum
Ille ex injuſtis juſtos facit, indit amorem
Quo redametur amans, & amor quem conferit ipſe eſt.
Hunc itaque affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda niteſcunt,
Quo ſtulti ſapere incipiunt, ægrique valeſcunt,
Nemo alii dat, nemo ſibi.

Alcuinus in Vita S. Vedaſti, cap. 3, ſic loquitur: „ Sicut Dominus Jeſus cuidam cæco ad ſe clamanti lumen reddidit oculorum, ut „ per corporale illius cæci lumen ſpiritualiter multorum illuminarentur „ pectora, ita & Vedaſtus ſanctus, Deo Chriſto donante, per cujusdam illuminationem cæci, fidem, quam verbo prædicavit, in corde Regis miraculo confirmavit, ut Rex ipſe intelligeret tam ſibi eſſe „ neceſſarium cordis lumen, quàm cæco oculorum illuſtrationem: &, „ quod divina operata eſt gratia per preces ſamuli ſui in oculis cæcâ „ morte caligatis, hoc per ſermones ejuſdem famuli, EADEM OPERANTE POTENTIA, per ſpiritalis intelligentiam lucis in ſuo pectore „ perficeretur.“

S. Anſelmus, dialog. *de Libero arbitrio*, cap. 10. pag. 121: „ Majus „ miraculum exiſtimo, cùm Deus voluntati deſertam reddit rectitudinem, quam cùm mortuo vitam reddit amiſſam.“

S.

Digitized by Google

S. Bernardus in Vita S. Malachiæ, cap. 25. num. 54, narrat quamdam mulierem admodùm iracundam, ideòque omnibus exoſam, à filiis ſuis, quibus etiam ob animi ferocitatem intolerandam ſe præbuerat, ad ſanctum Malachiam adductam fuiſſe. Qui eam ad peccatorum ſuorum confeſſionem hortatus, „ oranſque ſuper eam ut Dominus omnipotens „ daret ei ſpiritum manſuetudinis, in nomine Domini Jeſu, ne ultra „ iraſceretur, juſſit.“ Secuta eſt „ tanta manſuetudo, ut omnibus pate„ ret non eſſe aliud quàm admirabilem mutationem dexteræ Excelſi.“ „ Ego, addit S. Bernardus, iſtud ſuperiori ſuſcitatæ mortuæ miraculo (quod ante narraverat) „ cenſeo præferendum, quòd exterior quidem „ ibi, hic verò interior revixerit homo.“

Sed quid in congerendis ſingulorum Patrum teſtimoniis immoremur, cùm tota Eccleſia ritu antiquiſſimo, quem commemorat Origenes, Hom. 5 de Diverſis, hoc ipſum intra Miſſarum quotidie ſolemnia profiteatur, quando, immediatè ante communionem, Chriſtum præſentem affatur his verbis Centurionis: *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.* Hac enim precatione adeò ſolemni, terque repeti ſolitâ, quid aliud ſacerdotes & fideles omnes proteſtantur, niſi eamdem ſe in Chriſto omnipotentiſſimam facilitatem, ad ſanandas mutandaſque, quando & ubi voluerit, voluntates, agnoſcere ac venerari, quam pius ille Centurio ad ſanandam pueri ſui paralyſim agnovit? *Tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.* Quaſi dicamus: Tibi volenti, Domine, nihil eſt difficile. Tuum velle, feciſſe eſt. Omnipotenti voluntati nihil reſiſtit, nihil poteſt reſiſtere. Si velis, ſi jubeas, hoc ſolo ſanabitur anima mea. Edit. Baſil. anni 1571 tom. 2, pag. 411.

In ſecreta Miſſæ pro feſto S. Remigii, die 1 Octobris, juxta Miſſale Pariſienſe, oratur Deus ut, *quâ virtute immutaturus eſt dona oblata, eâdem immutet ac reflectat ad ſe corda noſtra.* Et in alia ſecreta, ad poſtulandam caritatem, dicimus: *Qui ſacris altaribus adeſt, oblata dona converſurus in carnem & ſanguinem Unigeniti tui, Domine, corda noſtra convertat Spiritus tuus omnipotens.* Porrò quid efficacius, quid admirabilius eâ virtute, quâ panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti verè, realiter & ſubſtantialiter convertuntur? Eâdem, juxta iſtas orationes, corda noſtra per gratiam immutantur & convertuntur.

Demum tota occidentalis Eccleſia, in collecta pro Dominica 10 poſt Pentecoſten: *Deus*, inquit, *qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* Atqui tunc Deus parcere & miſereri incipit, quando gratiâ ſuâ corda tangit & convertit. Ergo, Eccleſiâ ipſâ docente, quòd ad Deum convertimur, divinæ omnipotentiæ non opus ſolùm, ſed & inſigne argumentum eſt.

VI^a Probatio ex promiſſionibus & figuris gratiæ. 6ª Probatio.

Deus gratiâ ſuâ id verè & propriè operatur in homine, quod operaturum ſe olim promiſit. Hoc quippe diſtat prædictionem inter & promiſ-

 ſio-

ſionem, quòd Deus prædicat aliqua quæ non ipſe facit, peccata ſcilicet, non autem promittat niſi quod ipſe facturus eſt. Atqui Deus non prædixit tantummodò, ſed etiam promiſit omnes gentes in ſemine Abrahæ benedicendas, hoc eſt, in Chriſtum credituras, daturum ſe cor novum, ablaturum cor lapideum, donaturum cor carneum. Ergo reverâ id ipſe verè, propriè & efficienter operatur, adeòque per gratiam ſeipſâ efficacem.

Et ſanè Deus non promiſit tantummodò daturum ſe gratiam, quâ ſi homines benè uti voluerint, benedictionem Abrahæ conſecuturi ſint; ſed abſolutè promiſit homines credituros, benè operaturos & in bono perſeveraturos. Ergo quòd homines volunt credere, benè operari & in bono perſeverare, donum Dei eſt, id, ſicut pollicitus eſt, in eis ipſâ & veriſſimè operantis. At verò ſi gratia moraliter tantùm excitat ad bonum, conſenſus autem ſolius creatæ voluntatis eſt, jam quod Deus promiſit, non ab ipſo Deo, ſed ab homine impletur; quod abſurdum eſt, Deoque injurioſum.

Sed audiamus quid hac de re Apoſtolus Paulus & SS. Patres doceant.

Apoſtolus, Rom. IV. 16 & ſeq. de fide Abrahæ & promiſſionibus à Deo illi factis loquens: *Ideò ex fide* (hæredes ſunt), inquit, *ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrûm (ſicut ſcriptum eſt, quia patrem multarum gentium poſui te) ante Deum cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundùm quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum. Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens quia, quæcunque promiſit, potens eſt & facere.*

Ad horum verborum intelligentiam, obſervandum eſt duplicem promiſſionem Abrahæ factam eſſe: unam temporalem, ſcilicet ipſi jam longævo filium ex Sara ſterili & longæva naſciturum, qui maximæ filiorum multitudinis populique numeroſiſſimi pater futurus eſſet; illum populum poſſeſſurum eſſe terram Chanaan; alias quoque potentes gentes ex ipſius Abrahæ ſemine orituras: alteram ſpiritalem, nempe fore ut Meſſias ex ipſius ſemine naſceretur, ut in ipſo omnes gentes benedicerentur, ut fidem regnumque cœlorum terrâ Chanaan multò præſtantius hæreditate poſſiderent. Utrumque credidit Abraham, *pleniſſimè ſciens quia, quæcunque promittit* omnipotens, quantùmvis ardua aut etiam impoſſibilia videantur, *potens eſt & facere;* quippe *qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Credidit, inquam, in ſpem contra ſpem ex Sara filium ſibi naſciturum, futurumque in gentem magnam, quæ poſſeſſura eſſet totam regionem Chanaan: ſimul etiam cre-

credidit Meſſiam ex ſemine ſuo quondam naſciturum, omneſque gentes terræ, per fidem in ipſum benedicendas, regni cœleſtis hæredes futuras. Credidit utrumque ipſius divinæ promiſſionis virtute certò eventurum, Deo nimirum, quod promittebat, omnipotentiſſimâ ſuâ voluntate impleturo.

Id ergo ſibi vult quod ait Apoſtolus: Hæreditatem Abrahæ & ipſius ſemini ſpirituali promiſſam, nimirum juſtitiam & juſtitiæ præmium vitam æternam, non per legem conſequimur, quam implere vel non implere in ſolius hominis arbitrio ſitum eſt, ſed per fidem quâ juſtitiam à ſolo Deo expectamus ac petimus; idque omnino neceſſarium eſt, tum ut promiſſionis gratuitas demonſtretur, tum ut ipſa promiſſio certum & immotum effectum habeat in omnibus, ſive ex Judæis, ſive ex Gentilibus, qui Abrahæ tanquam veræ juſtitiæ hæredi promiſſi ſunt. (*Ut firma ſit promiſſio omni ſemini*). Si enim per legem homo juſtitiam aſſequitur, jam non Deus juſtitiæ auctor eſt, ſed homo ipſe, propriis ſuis viribus legem implendo, eam ſibi comparat; ac proinde promiſſio divina non foret gratuita. Rurſus ſi promiſſio Abrahæ facta per legem implenda eſſet (vel per gratiam verſatilem & ſeipſâ non efficacem), illius impletio, ut pote à libero hominum arbitrio potiſſimùm dependens, nutare poſſet, nec eſſet firma. Cùm verò per fidem ſupplicem juſtitia ab ipſo Deo expectatur ac petitur, tanquam ipſius gratiæ ſeipſâ efficacis donum, tunc & promiſſio planè gratuita eſt, homine ſcilicet nihil ex ſe conferente; & non poteſt non eſſe firma & certa, ſiquidem omnipotenti nihil eſt difficile. Hoc credidit Abraham, nec conſideravit cauſarum ſecundarum infirmitatem, nec voluntatum humanarum pravitatem, ſed promittentis omnipotentiam, *& confortatus fide, pleniſſimè* convictus fuit *quia, quæcunque promiſit, potens eſt & facere.* „ Quando ergo, ut ait S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 10. num. 19. „ promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gentium,..... unde dicit Apoſtolus, *ideò ex fide ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini*, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines: quia, & ſi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipſe faciat quod promiſit. Alioquin, ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ. Non autem ſic credidit Abraham; ſed credidit *dans gloriam Deo, quia, quæ promiſit, potens eſt & facere.* Non ait prædicere, non ait præſcire, nam & aliena facta poteſt prædicere atque præſcire; ſed ait, *potens eſt & facere*, ac per hoc facta, non aliena, ſed ſua "

In eadem Epiſtola, Cap. IX. v. 7. 8 & 9, S. Paulus cùm dixiſſet maximo dolore ſe angi, quòd plerique Judæorum evangelium Chriſti repellerent,

lerent, ſtatim præoccupans objectionem quæ moveri poterat, videlicet promiſſionem Dei deficere, ſi illi non credant: *Non autem*, inquit, *quòd exciderit verbum Dei.* Id eſt: quod dixi me vehementer dolere conditionem fratrum meorum à Deo reprobatorum, non ita accipiendum eſt, quaſi per eorum incredulitatem promiſſio Dei irrita facta ſit. Cur autem non ideò promiſſio effectu ſuo fruſtretur, continuò declarat dicens: *Non* enim *omnes qui ſecundùm carnem ſunt, ii ſunt Iſraelitæ* (ſecundum ſpiritum), *neque qui ſemen ſunt Abrahæ* (ſecundùm carnem), *omnes filii* ſunt ei repromiſſi; alioqui poſteri quoque Iſmaël & Cethuræ, ex ſemine Abrahæ orti, cenſerentur filii Abrahæ in Chriſto benedicendi, & promiſſionis ſpiritalis participes; quod nec ipſi Judæi admitterent. Sed Abrahæ dictum eſt, Gen. 21: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen; id eſt, non qui filii carnis* per inſitam fecunditatem ex Abrahamo nati ſunt, *hi ſunt filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis*, id eſt, qui, ſicut Iſaac, non vi fecunditatis naturalis, ſed virtute ſupernaturali promiſſionis divinæ naſcuntur, *æſtimantur in ſemine* (græcè, εἰς σπέρμα, *in ſemen* reputantur). Id autem ut ampliùs demonſtraretur, cùm Iſaac *ex uno concubitu* de Rebecca uxore ſua duos filios genuiſſet, Eſaü & Jacob, non ambo promiſſionis participes facti ſunt, *ſed antequàm nati fuiſſent, & aliquid boni egiſſent aut mali,..... non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Ex hac Apoſtoli argumentatione apertè liquet gratiam novi teſtamenti ſeipſâ efficacem eſſe; ſiquidem filii ſpirituales Abrahæ, hoc eſt, omnes fideles & juſti dicuntur *filii promiſſionis*, non aliquâ naturæ virtute, ſed ſolâ vi atque efficaciâ divinæ promiſſionis à Chriſto geniti; quemadmodùm Iſaac, non parentum virtute naturali, ſed miraculo divinæ potentiæ matrem ſterilem & nonagenariam fecundante, conceptus ac natus eſt. Unde S. Evangeliſta Joannes, cap. 1, dicit eos *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo*, divinæ ſcilicet omnipotentiæ operatione, *natos eſſe.* Eam ob rem S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 24. num. 40, Eccleſiam appellat „ domum „ filiorum promiſſionis, non domum operum propriorum, ſed beneficio„ rum Dei. Hoc enim, inquit, Deus promittit, quod ipſe facit. Non „ enim ipſe promittit, & alius facit; quod non eſt promittere, ſed præ„ dicere.“ Quid autem promiſit Abrahæ Deus, niſi gentes credituras, & in fide per dilectionem operante perſeveraturas? Ergo ipſam credendi, benè operandi & perſeverandi voluntatem Deus verè & propriè operatur in ſanctis.

Idem argumentum tractat Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas, IV. 22 & 23 *Abraham*, inquit, *duos filios habuit, unum* (Iſmaëlem) *de ancilla* (Agar), *& unum* (Iſaac) *de libera* (Sara). *Sed qui de ancilla, ſecundùm carnem natus eſt*, id eſt, ſecundum generandi virtutem naturæ inſitam; *qui autem de libera, per repromiſſionem*, ſupra omnem naturæ virtutem, &

& ſolâ divinæ promiſſionis efficaciâ: *quæ ſunt per allegoriam dicta; hæc enim ſunt duo teſtamenta* &c. En rurſus teſtatur S. Paulus gratiam novi teſtamenti, quâ, juxta promiſſiones Abrahæ factas, homines ad fidem convertuntur, non minùs gratuitam, nec minùs efficacem eſſe, quàm miraculoſam Iſaaci generationem. „ In Iſaac quippe, qui Abrahæ „ promiſſus eſt filius, ait S. Auguſtinus, lib. 2 Op. imperf. cap. 153, „ hi præfigurati ſunt, non qui ſeipſos juſtos, ſed quos Deus fuerat ip- „ ſe facturus...... Propter quod & filii promiſſionis vocantur...... Quod „ itaque Deus promiſit, Deus facit."

Adeò manifeſtis Scripturarum teſtimoniis non mediocrem lucem addunt interpretationes SS. Patrum.

S. Auguſtinus, cujus nonnullos textus jam protulimus, hoc argumento ſæpiſſimè preſſit Pelagianos, & quicunque, illorum imitatione, gratiam tantùm poſſibilitatis admittunt, quam effectus non certò conſequatur. „ Neque enim propterea eos promiſit Abrahæ, inquit, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 12. num. 36, „ quia præſcivit à ſeipſis futu- „ ros bonos. Nam ſi ita eſt, non ſuum, ſed eorum eſt quod promi- „ ſit." Attamen ſi gratia non eſt ſeipſâ & ab intrinſeco efficax, jam non à gratia, quæ illa in hypotheſi poſſibilitatem tantùm donaret vel adjuvaret, ſed à ſeipſis gratiæ conſentientibus boni ſunt ac benè operantur, quicunque boni ſunt ac benè operantur. „ Non autem ſic credidit „ Abraham: ſed non infirmatus eſt fide, dans gloriam Deo, & ple- „ niſſimè ſciens quia quæ promiſit potens eſt & facere. Non ait, quæ „ præſcivit potens eſt & promittere, aut quæ prædixit potens eſt oſ- „ tendere, aut quæ promiſit potens eſt præſcire," ſed, *quæ promiſit*, „ *potens eſt & facere*. Ipſe igitur eos perſeverare facit in bono, qui „ facit bonos." Hoc, velim, attendant Congruiſtæ, qui gratiam ex præſcientia efficacem eſſe contendunt, Deumque nihil circa liberos hominum actus quidquam poſſe decernere, ac proinde nec promittere, niſi quod ante præſciverit conditionatè futurum. In illo quippe ſyſtemate dicere debuiſſet Apoſtolus: quod præſcivit Deus, potens eſt promittere, & quod promiſit, potens eſt, circumſtantias opportunas eligendo, obtinere ut homo illud impleat. Et lib. 2 Operis imperf. cap. 154: „ Di- „ cite nobis, o vani, non defenſores, ſed inflatores liberi arbitrii,..... „ dicite, inquam, nobis: ſi gentes noluiſſent credere juſtèque vivere" (quod profectò ſupponi poteſt, ſi gratia non ſit ſeipſâ efficax, quod etiam de nonnullis hominibus fateri coguntur Congruiſtæ), „ evacua- „ retur promiſſio quæ facta eſt ad Abraham? Non, inquies. Ergo, „ ut Abraham ob ſtipendium fidei conſequeretur dilatationem ſeminis, „ præparata eſt gentium voluntas à Domino; & ut vellent quod & nol- „ le potuiſſent, ab illo factum eſt, qui ea quæ promiſit potens eſt „ & facere." Vide etiam ejuſdem libri cap. 157 & 158, & lib. 1 cap. 141; lib. de *prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 2 num. 5, & cap. 10. num. 20;

Digitized by Google

20; Epiſt. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 8. num. 36; Concione 13 in pſalm. 118. num. 1; Serm. 26, olim 11 de Verbis Apoſtoli, cap. 8. num. 9; & ſerm. 168, olim hom. 17 inter 50, cap. 1.

Idem canit S. Proſper, Epigrammate 45, his verbis:

Quæ Deus omnipotens promittit, perficit ipſe,
Nec proprium externis viribus implet opus.
Hinc ſecura fides ſperat quod credit, amatque
Auctorem qui, quod ſpondet, & efficiet.
Nam ſi, quæ Dominus promittit, non operatur,
Sed ſolùm humanum prævidet arbitrium,
Non hæc dona ejus, ſed ſunt prædicta vocanda,
Ceu quiſquam ex proprio ſit bonus, absque Deo.
Quod quia non recipit pietas, veroque repugnat,
Gratia nos reparet, gratia juſtificet:
Quæ ſic in cunctis implet ſua dona vocatis,
Ut, quorum dux eſt, fiat & ipſa comes.

Non minùs egregium huic veritati teſtimonium perhibet celebris auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 9, ubi, recenſitis promiſſionibus novi teſtamenti, quæ in Iſaiæ & Jeremiæ vaticiniis continentur, hæc addit: „ Si ergo impoſſibile eſt iſta non fieri, quia nec „ incerta præſcientia Dei eſt, nec mutabile conſilium, nec inefficax vo„ luntas, nec falſa promiſſio, omnes iſti, de quibus hæc prædicta ſunt, „ ſine cujuſquam exceptione ſalvantur...... Omnes hi, à puſillo uſque „ ad magnum, cognoſcunt Deum, quia, ut venirent ad Chriſtum, à „ Patre audierunt atque didicerunt. Omnes educti ab errore dirigun„ tur in viam vitæ; omnibus, corde mutato, recta ſapere & recta velle „ donatur; omnibus timor, quo in mandatis Dei erudiantur, inſeri„ tur...... Si autem, ut Apoſtolus loquitur, *hominis confirmatum teſ-*
Galat. III. 15. „ *tamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat*, quomodò fieri poteſt ut ulla „ ex parte promiſſio divina reſolvatur? Manet prorſus & quotidie im„ pletur quod Abrahæ Dominus SINE CONDITIONE PROMISIT, „ SINE LEGE DONAVIT...... Et illi quidem, qui audito Evange„ lio credere noluerunt, inexcuſabiliores facti ſunt, quàm ſi nullum „ præconium veritatis audiſſent. Sed certum eſt eos apud præſcientiam „ Dei Abrahæ filios non fuiſſe, nec in illorum ſorte numeratos, de „ quibus dictum eſt: *Benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ.* „ Credituros enim promiſit, qui dixit: *Et non docebit unuſquiſque proxi*„ *mum ſuum*,..... quia omnes cognoſcent me...... Reconciliandos „ promiſit, qui dixit: *Propitius ero iniquitatibus illorum*...... Obedi„ turos promiſit, qui dixit: *Dabo eis viam alteram & cor aliud, ut ti*„ *meant me omnes dies.* Perſeveraturos promiſit, qui dixit: *Timorem meum*

„ *meum dabo in cor eorum, ne recedant à me.*" Igitur iſta omnia Deus verè, propriè atque efficienter operatur in omnibus qui filii ſunt promiſſionis.

His addamus & S. Fulgentium, qui lib. 1 ad *Monimum*, cap. 12, commemorato textu Apoſtolico, *quæcunque promiſit, potens eſt & facere*, ſic pergit: „ Ideò ergo in Dei promiſſis nulla eſt falſitas, quia in fa-„ ciendis nulla omnipotenti eſt difficultas." Non ait S. Doctor, quia falli non poteſt cuncta explorantis præſcientia, ſed quia omnipotenti nihil eſt difficile. „ Et propterea ibi nunquam deeſt voluntatis effectus, „ quia voluntas ipſa non aliud invenitur eſſe quàm virtus." Et cap. 13: „ Quia ergo Deus nulla neceſſitate compellitur, ut aliquid nolens pro-„ mittat, nullius utique adverſitatis impeditur obſtaculo, quo id quod „ promiſit, aut minùs quàm vult, aut tardiùs faciat." Opus ergo non habet, ut Congruiſtæ ſentiunt, temporibus, locis, aliiſque circumſtantiis opportunis ut, quod promiſit, non ipſe, ſed homines exequantur.

Et ſanè ejus eſt qui aliquid promittit, hoc ipſum quod promiſit, non aliud quodlibet, facto perficere. Porro ſi gratia non eſt ſeipſâ efficax, Deus non hoc ipſum perficit quod promiſit. Hortatur quidem, excitat, invitat, allicit, ſuppeditat etiam, ſi velis, circumſtantiarum opportunitatem mediaque ingenio attemperata: at conſenſum ipſum voluntatis, quem tamen abſolutè promiſit, non operatur.

Præterea certum eſt non omnes homines eſſe promiſſionis filios, nec ejus beneficia ad univerſos extendi. Porro, juxta illos Theologos, qui gratiam ſeipſâ efficacem eſſe negant, gratia à Deo promiſſa omnibus datur, ſemperque data eſt. Conſenſus verò voluntatis, quo ſolo fideles & juſti ab infidelibus & injuſtis diſcernuntur, proprius liberi arbitrii effectus eſt, & ſicut à Deo non propriè datur, ita nec veraciter promitti potuit. Ergo promiſſionum Dei veritas & certitudo, niſi admiſſâ gratiâ per ſe efficaci, ſtare prorſus nequeunt.

II°. Non verbis tantùm Deus promiſit fidem ac juſtitiam ſe daturum, ſed & diverſarum figurarum apertiſſimis ſignificationibus declaravit. Conſtat ſiquidem pollicitationes temporales Abrahæ factas, eorumque in ejus carnali poſteritate impletionem, typum, figuram ac veluti pignus fuiſſe pollicitationum ſpiritualium in myſticis ejuſdem filiis implendarum. Proinde ſi Deus illas operatione per ſe efficaci complevit, has quoque gratiâ per ſe efficaci ad effectum perduci nullum dubium eſſe debet; cùm utrobique & promiſſionum verba æquè abſoluta ſint, & virtus promittentis haud abſimilis.

Jam verò temporales promiſſiones Abrahæ factas operatione per ſe efficaciſſimâ impletas fuiſſe, tota teſtatur veteris Teſtamenti hiſtoria. De miraculoſa Iſaaci conceptione ac nativitate jam diximus: nunc, cæteris omiſſis, de eductione Iſraëlitarum ex Ægypto, de Chananæorum expugnatione, de introductione populi Dei in terram promiſſionis quibus, ex conſenſu omnium SS. Patrum, cordis converſio, liberatio à peccato,

Digitized by Google

victoria tentationum, virtutum quibus ad regnum cœlorum pervenitur operatio, allegoriceè adumbrantur, paucis dicturi ſumus.

Primum quidem non proprio ſuo labore vel induſtriâ, ſed divinâ virtute Iſraëlitæ educti ſunt de ergaſtulo Ægyptiorum. Innumeris portentis & flagellis coactus eſt Pharao illos tandem dimittere. Propterea Deus ſæpè teſtatur ſe in manu forti & brachio extento hoc opus dudum promiſſum peregiſſe. Hinc Pharaonem ſic alloquitur Exodi IX. 16: *Idcirco poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Hinc Judæos ad recolendum illud omnipotentiæ ſuæ beneficium paſſim revocat. Num, quæſo, operatione minùs efficaci ſpirituale ſemen Abrahæ de poteſtate tenebrarum eripit, qui ideò in liberando populo carnali tantam virtutem demonſtravit, ut in eo veluti ſpeculo intueremur quanta cum potentia peccati ac diaboli ſervos in libertatem filiorum Dei aſſerturus eſſet?

Quos adeò potenter eduxerat de terra Ægypti, eoſdem, quando ſibi viſum eſt, in terram promiſſionis introduxit eâ quoque virtute cui nihil reſiſtere potuit. Enimverò cum exploratores, à Moyſe miſſi ad con-
Num. XIII. ſiderandam terram Chanaan, retuliſſent eam reverâ fluere lacte & melle, ſed urbes habere grandes atque muratas, habitatoreſque fortiſſimos & proceræ ſtaturæ, quibus comparati quaſi locuſtæ videbantur, tunc univerſus populus deſpondens animo malebat redire in Ægyptum, quàm tanto ſe diſcrimini exponere: profectò non imprudenter, ſi propriâ ſuâ virtute, non autem divinâ operatione cum Chananæis decertaturi fuiſſent; at planè infideliter, eoquòd Deus promiſiſſet atque etiam juraſſet ſe illos introducturum, & pro ipſis pugnaturum. Quamobrem Joſue & Caleb pleni fide, ſciſſis veſtimentis ſuis, animos eorum erigere, atque ad fir-
Num. XIV. 9. mam fiduciam in Deo ponendam exhortari conati ſunt. *Nolite*, inquiebant, *rebelles eſſe contra Dominum, neque timeatis populum terræ hujus, quia, ſicut panem, ita eos poſſumus devorare. Receſſit ab eis omne præſidium: Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere.* Sed & iratus Dominus
Ibid. v. 11. dixit ad Moyſen: *Uſquequò detrahet mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi, in omnibus ſignis quæ feci coram eis?* Juravitque neminem illorum, *qui viderant* ſigna quæ fecerat in Ægypto & in ſolitudine (ſolis exceptis Joſue & Caleb, qui omnipotentiam ipſius prædicaverant), viſurum terram illam optimam; ſed poſtquàm omnes in deſerto mortui fuiſſent, tunc demum filios eorum in eam intraturos. Expletis autem quadraginta annis, omnibuſque qui Deo detraxerant vario mortis genere de medio ſublatis, tunc Moſes eorum poſteros ſic allocutus eſt, Deut. VII. 17 & ſeq: *Si dixeris in corde tuo, plures ſunt gentes iſtæ quàm ego; quomodò potero delere eas? Noli metuere, ſed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni & cunctis Ægyptiis, plagas maximas quas viderunt oculi tui, & ſigna atque portenta, manumque robuſtam & extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus: ſic faciet cunctis populis*

quos

Digitized by Google

quos metuis. Inſuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque diſperdat, qui te fugerint & latere potuerint. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis. Ipſe conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes,..... dabitque eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, & interficiet illos, donec penitus deleantur...... Nullus poterit reſiſtere tibi, donec conteras eos. Reverà narratur in libro Joſue quo pacto Deus ipſe expugnaverit Chananæos, urbeſque ipſorum Iſraelitis tradiderit; adeò ut perſpicuum ſit totas eorum dimicationes & victorias brachio Dei in eis dimicantis & per eos vincentis adſcribendas. Id commemorans Dominus, enumeratis aliis potentiæ ſuæ beneficiis Iſraeli collatis, addidit per os Joſue: *Pugnaverunt contra vos Amorrhæus, & Phereſæus, &* xxiv. 11. 12 *Chananæus, & Hethæus, & Gergeſæus,* & *Hevæus, & Jebuſæus, &* & 13. *tradidi illos in manus veſtras...... Et ejeci eos de locis ſuis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo, dedique vobis terram in qua non laboraſtis, & urbes quas non ædificaſtis, ut habitaretis in eis, vineas & oliveta quæ non plantaſtis.*

Hæc & innumera alia ejuſdem generis Scripturæ loca, quæ hic proferre longum ac ſuperfluum foret, dubitare non ſinunt quin Deus præpotenti & per ſe victrici operatione temporales promiſſiones Abrahæ factas compleverit. Cùm ergo promiſſiones ſpirituales multò præſtantiores ſint, & non niſi ad eas adumbrandas figurandaſque illæ præceſſerint, quis æquus rerum æſtimator non certò concludet gratiâ per ſe efficaci homines peccati victores & juſtitiæ hæredes effici? Quid enim abſurdius, quàm invictum Dei brachium in umbris & figuris veteris teſtamenti agnoſcere, ipſam autem rerum veritatem in novo teſtamento exhibitam gratiæ verſatili, & quoad effectum à libero hominum arbitrio dependenti, attribuere?

VIIa PROBATIO ex diſcrimine legis & gratiæ. 7a Probatio.

In lege veteri, quàmvis in ſe bona, ſancta & juſta, quinque defectus ad præſentem quæſtionem pertinentes obſervabimus. Primus eſt, quòd doceret tantummodò & invitaret ad bonum, bonam autem voluntatem non daret. Secundus, quòd, docendo quid agere oporteat, non admoneret mandatorum obſervationem eſſe donum Dei. Tertius, quòd non ad veram internamque, ſed tantùm ad externam & falſam juſtitiam perduceret. Quartus, quòd veram juſtitiam per legem comparari repugnet promiſſioni divinæ. Quintus, quòd hominum vitio occaſio fuerit graviùs peccandi, ut pote quæ ſemper violata aut nunquam rectè impleta fuerit.

Ad ſupplendos illos defectus *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* (Joann. I). Quamobrem, ſi aliter ſuppleri non poſſent quàm per gratiam ſeipsâ efficacem, neceſſariò ſequitur gratiam ſanguine Chriſti promeritam, non verſatilem, ſed ſuâpte virtute efficacem eſſe. Hoc autem ita eſt.

Ac 1° quidem non niſi per gratiam ſeipſâ efficacem ſuppleri poteſt defectus legis docentis tantummodò ac ſuadentis bonum. Gratia quippe, quæ ſeipſâ efficax non foret, moraliter tantùm attraheret ad bonum, interiùs monendo, excitando, invitando, ſicut lex exteriùs; adeòque, quantùm ad operandi modum, hujusmodi gratia non differret à lege & doctrina. Id ſæpè demonſtravit S. Auguſtinus refellens Pelagium, qui, ut Eccleſiæ illuderet, adjutorium gratiæ in illuſtrationibus & excitationibus internis collocabat. „ Quid manifeſtius, ait S. Doctor, lib. *de Gratia* „ *Chriſti*, cap. 10. num. 11, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus „ in nobis operatur velle quod bonum eſt, quàm legem atque doctrinam? „ In lege namque & doctrina ſanctarum Scripturarum futuræ gloriæ & „ præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam „ quòd ſapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet cùm ſuadetur omne „ quod bonum eſt. Etſi inter docere & ſuadere, vel potiùs exhortari, „ diſtare aliquid videatur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibusque ſermonibus vel litteris continetur. Nam & „ ſanctæ Scripturæ & docent & exhortantur, & poteſt eſſe in docendo „ atque in exhortando etiam hominis operatio.“ Et ſanè quidquid eſt in homine antequàm velit, quocunque nomine appelletur, non poteſt niſi ad cognitionem agendorum referri, ac proinde ad legem pertinet.

Hinc idem S. Doctor ex differentia gratiæ & legis concludit gratiam ſuâpte virtute efficacem eſſe. „ Non ſicut facit doctor homo, inquit, lib. 2 *Oper imperf.* cap. 157, „ docendo & hortando, minando & promittendo in ſermone Dei; quod fruſtra fit, niſi Deus operetur & vel- „ le per inveſtigabiles vias ſuas. Cùm enim verbis doctor plantat & „ rigat, poſſumus dicere: fortè credit, fortè non credit auditor. Cùm „ verò incrementum dat Deus (largiendo gratiam), SINE DUBIO „ CREDIT ET PROFICIT. Ecce quid intereſt inter legem & promiſ- „ ſionem, inter litteram & ſpiritum.“

Hanc fuiſſe conſtantiſſimam S. Auguſtini doctrinam obſervat Petavius, lib. de Hæreſi Pelag. & Semipelag. cap. 8. „ Declinatio illa cordis, inquit (quam Pelagius admittebat in Epiſt. ad Demetriadem), „ aliquid „ eſt ab externa prædicatione ac lege diſtinctum, & in intimo divinæ „ inſpirationis illapſu ac mentis excitatione verſatur. At hoc ipſo ge- „ nere gratiæ non eſt contentus Auguſtinus, ſed aliam prætereà requi- „ rit, quæ non doceat ſolùm quid ſit faciendum, ſed etiam nobiſcum „ & in nobis faciat, quæ operetur velle & perficere, quæ voluntatem „ noſtram moveat quò vult, & impellat, non alliciendo ſolùm ac pro- „ ponendo, quæ metaphorica commotio dicitur,..... ſed etiam ipſam „ voluntatis actionem in nobis operando. Ejusmodi gratiam, inquam, „ Auguſtinus neceſſariam exiſtimat: de hac contendit una: hâc unicâ „ exceptâ, leves, cæteras ac nullius ad inſtitutam de gratia contro- „ verſiam momenti eſſe judicat. Quod profectò non faceret, ſi eatenus

„ in

„ in nobis operari Deum, ac bonam voluntatem & dilectionem efficere „ ſtatuiſſet, quòd mentem noſtram inſpiratione ſuâ & illuſtratione actu, „ ut aiunt, impelleret. Id enim fatebatur ultro Pelagius; Semipelagia- „ ni verò multò ampliùs.“

S. Proſper, eisdem veſtigiis inſiſtens, gratiam in eo legi præcellere docet, quòd illud ipſum, quod lex præcipit, operatur in nobis. Sic ille loquitur in carmine contra Ingratos, cap. 14:

Non hoc conſilio tantùm hortatuque benigno
Suadens atque docens, QUASI NORMAM LEGIS HABERET
GRATIA; *ſed mutans intus mentem atque reformans*,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.

2°. Lex per ſe non admonebat obſervationem mandatorum eſſe donum Dei dantis quod jubet, ſed dicendo ſolummodò, *qui fecerit ea vivet in illis*, hominem ſibi dimittebat ad implenda mandata. Eam ob cauſam Apoſtolus fidem legi perpetuò opponit, non illam fidem merè ſpeculativam quâ Deo loquenti credimus, hæc enim Judæis ſub lege conſtituris non deerat, ſed eam quâ credimus in Deum, atque in eo tanquam auctore juſtitiæ confidimus. *Juſtus*, inquit, Galat. III. 11 & 12, *ex fide vivit: lex autem non eſt fide;* ea nimirum de qua dicit ibidem, V. 5: *Nos autem ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus.*

Arqui eodem defectu laborat eorum opinio, qui gratiam ſeipſâ efficacem negant. Docendo quippe gratiam ſufficientem nemini deeſſe, qui autem gratiæ conſenſerit, victurum vitâ ſpiritali & æternâ, non tantùm non admonent (ſicut lex non admonebat) conditionem ex qua juſtitia ſaluſque dependent, obſervationem ſcilicet mandatorum, à ſolo Deo expectandam; ſed etiam poſitivè aſſerunt (quod lex bona & ſancta minimè faciebat) iſtam conditionem à libero cujuſque arbitrio pendere, gratiæ ſcilicet, quæ ſemper præſtò eſt, aſſentiente vel diſſentiente. Fides ergo, prout legi opponitur, vera non eſt, niſi quæ certò credens ipſum bonæ voluntatis motum dari à Deo, nihil prorſus à ſeipſa, ſed totum à gratuita Dei voluntate expectat.

Tertium in lege defectum oſtendit Apoſtolus, nempe quòd ſi qua justitia ex lege comparari poteſt, ea non vera & interna, ſed merè externa, falſa & ſuperba ſit. Poſtquàm enim dixit, Philipp. III. 6, ſe, priusquàm in Chriſtum crederet, *ſecundùm juſtitiam quæ in lege eſt converſatum fuiſſe ſine querela*, addit: *Sed, quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta,..... ut inveniar in illo, non habens meam juſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.* Duplicem juſtitiam hic diſtinguit Apoſtolus, unam quam reprobat, quam ſuam eſſe dicit, hoc eſt, non

à

Digitized by Google

à Deo donatam, ſed proprio ſuo labore & conatu partam; alteram, quam magni æſtimat, quam declarat non eſſe ſuam, *ſed ex Deo per fidem Chriſti Jeſu.* Illam per legem acquiri poſſe agnoſcit, hanc ſoli gratiæ Chriſti attribuit. Ideòque hanc ſæpè appellat *juſtitiam Dei*, *juſtitiam ex Deo*, id eſt, quam Deus in nobis facit. Rom. I. 17: *Juſtitia Dei in eo* (Evangelio) *revelatur ex fide in fidem.* Cap. III. 21 & 22: *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à Lege & Prophetis: juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti.* Cap. X. 3: *Ignorantes juſtitiam Dei, & ſuam volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.*

Quare autem juſtitiam, quam ſolâ lege commoniti ex propriis operamur, noſtram, ideòque reprobandam, dicit egregius gratiæ commendator? Quare *non ex Deo*, aiunt SS. Alypius & Auguſtinus, Epiſt. 186, olim 106, ad Paulinum, cap. 3. num. 9, „ quaſi lex non ſit ex Deo? „ Quis hoc niſi impius ſenſerit? Sed, quia lex per litteram jubet, non „ per ſpiritum juvat.“ Idcirco igitur ea juſtitia dicitur humana, quia, quando homo ſolâ lege, quæ tamen Dei eſt, conventus & commonitus conſentit & obtemperat, de ſuo facit aliquid, addit ſupra id quod à Deo accepit, nimirum ipſam legis obedientiam. Porro de gratia quacunque interiori, quæ per ſe non ſit efficax, idem dici debet. Illa quidem ex Deo eſt, ſed qui illi conſentit, non virtute ipſi gratiæ intrinſecâ, ſed proprio voluntatis ſuæ motu conſentit, aliquid de ſuo addit, nempè conſenſum & juſtitiam: ſi quam habet, non à Deo datam, ſed ſtudio & labore partam habet; ac proinde ejusmodi gratia, quoad operandi modum, non differt à lege & doctrina.

Qualis ergo gratia agnoſci debet, ut à legis adjutorio reipſâ differat? Talis profectò ut juſtitia quæ per illam habetur non noſtra ſit, ſed Dei; id eſt, gratia ſic confitenda eſt ut credatur Deum in nobis operari, non aliquid excitans tantummodò & invitans ad juſtitiam, atque ab ea diſtinctum, quo ſi rectè uti velimus, juſtitiam nobis comparemus; ſed ipſammet juſtitiam, ſive ipſummet pium voluntatis conſentientis motum. Hanc autem gratiam per ſe efficacem eſſe manifeſtum eſt. Proinde qui illam non confitentur, quemadmodùm de Judæis dicitur, ignorantes juſtitiam Dei, & eam, quam Apoſtolus arbitrabatur ut ſtercora, *volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti:* Rom. X. 3.

4°. Idem Apoſtolus legem promiſſioni divinæ ſemper opponit. „ *Si enim*, inquit, *qui ex lege, hæredes ſunt* (Rom. IV. 4), *exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.* Et Galat. III. 18: *Si ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione: Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.* Quorum verborum hic ſenſus eſt: Deus abſolutè & absque ulla conditione promiſit Abrahæ gentes in ejus ſemine benedicendas, & ad ſalutem perventuras. Atqui ſi per legem obtineretur ea benedictio, jam non obtineretur ex virtute gratuitæ & abſolutæ promiſſionis Dei. Quòd enim homo

homo legi ſibi propoſitæ, jubentique & hortanti tantummodò obtemperat, non legiſlatoris munus, ſed liberi arbitrii opus eſt. Ergo per legem non obtinetur benedictio quin promiſſio evaneſcat.

Evidens eſt idem argumentum applicari poſſe gratiæ cuilibet verſatili, cujus effectus à libero hominis arbitrio quoquo modo pendeat, ut in præcedente probatione demonſtravimus. Igitur ſola gratia per ſe efficax ſupplere poteſt iſtum legis defectum.

5°. Ultimus legis defectus eſt quòd ejus littera occiderit, quòd occaſio fuerit graviùs peccandi, quòd violata ſemper fuerit, ſive apertis prævaricationibus, ſive fallaci juſtitiâ. Proinde, ut gratia verè opponatur legi, neceſſe eſt ut gratia ſemper vivificet, aliquod ſaltem vitæ ſpiritualis initium operando, ut ſemper effectrix ſit alicujus boni, ſaltem inchoati. Utrumque docet S. Paulus paucis, ſed expreſſis verbis, 2 Corinth. III. 6: *Littera*, inquit, *occidit*, *ſpiritus autem vivificat:* litteræ nomine legem gratiâ deſtitutam, ſpiritûs nomine gratiam ipſam intelligens. Iſtud gratiæ & legis diſcrimen in Libro præcedente latiùs expoſuimus, atque oſtendimus veteris teſtamenti caracterem hunc fuiſſe, quòd violatum fuerit; novi autem, quod propriè gratia Chriſti eſt, præſtantiam in eo conſiſtere, quòd nunquam omni effectu careat.

Porro hæc differentia, in Scripturis & Traditione certiſſima, ſtare omnino nequit, niſi gratia ſit per ſe efficax. Nam alioqui ſpiritus non certò vivificaret, ſed, quemadmodùm lex, quandoque occideret, quoties nimirum voluntas creata illi non acquieſceret, & gratia novi teſtamenti, perinde ac littera veteris legis, per liberi hominum arbitrii reſiſtentiam irrita & caſſa fieret. Contra verò, ſi gratia ſit per ſe efficax, ſemper aliquod ſaltem deſiderium boni in voluntate operatur, ſemper aliquod vitæ & ſanitatis initium producit, ſemper adverſùs carnem, ſi nondum illam ſuperat, aliquatenus caritatis debili motu concupiſcere facit. Igitur ex multiplici differentia legis & gratiæ manifeſtè demonſtratur gratiam ſuâpte virtute efficacem eſſe.

VIIIa Probatio, ex eo quòd per gratiam Chriſtus in nos, tanquam caput in membra & tanquam vitis in palmites, influat.

Nemo Chriſtianus dubitat quin Chriſtus Eccleſiæ caput ſit, non ſolùm dignitate & eminentiâ, ſed etiam influxu non minus reali, quàm quo caput in corpore humanò vitam ac motum in ſingula membra, per immiſſionem ſpirituum, ut vocant, animalium, diffundit. Teſtatur S. Chriſti Præcurſor, Joann. I. 16, *de plenitudine ejus nos omnes accepiſſe.* Idem docet S. Paulus, Rom. XII. 5 & 6: *Multi*, inquit, *unum corpus ſumus in Chriſto*, *ſinguli autem alter alterius membra; habentes autem donationes ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis differentes.* Epheſ. I. 22: *Ipſum* (Chriſtum Deus) *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*, *quæ eſt corpus ipſius*, *& plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur.* Et IV. 15 & 16: *Creſcamus in illo per omnia*, *qui eſt caput Chriſtus*, *ex quo totum*

Digitized by Google

tum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem, in menſuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate. Idem repetit in Epiſtola ad Coloſſenſes, II. 19.

Ex hoc inconcuſſo dogmate ſequitur 1° eâdem gratiâ, proportione ſervatâ, nos per fidem membra Chriſti fieri, quâ ille per unionem naturæ humanæ cum Verbo caput noſtrum factus eſt. „ Quâ enim gratiâ, ait S. Auguſtinus, lib. 1 *Operis imperf.* cap. 138, „ homo ille ab ini- „ tio factus eſt bonus, eâdem gratiâ homines, qui ſunt membra ejus, „ ex malis fiunt boni." Et cap. 140: „ Eâ gratiâ fiunt juſti homines „ qui renaſcuntur in Chriſto, quâ gratiâ juſtus homo natus eſt Chriſ- „ tus. Sicut ergo exemplum eſt vitæ, ut eum imitando juſtè agamus, „ ita eſt etiam EXEMPLUM gratiæ, ut, in eum credendo, inde nos
1 Corinth. I. 30. „ ſperemus fieri juſtos per ipſum, unde factus eſt ipſe, *qui factus eſt* „ *nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio; ut,* „ *quemadmodùm ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quoſ- „ cunque itaque (addit, Pelagianos alloquens) dente mortifero momor- „ diſtis, hunc juſtum intueantur, & ſanabuntur; id eſt, inde ſe cre- „ dant accipere juſtitiam, unde Chriſto eſt innata juſtitia; & ideò non „ in ſuo arbitrio, nec in ſuo merito, ſed in Domino glorientur." Lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 15. num. 30: „ Eſt etiam, ait, præ- „ clariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe Salvator, ipſe Me- „ diator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus." Quod exponens num. ſeq. ſic proſequitur: „ Appareat itaque nobis in noſtro Capite ipſe „ fons gratiæ, unde, ſecundùm uniuscujusque menſuram, ſe per cuncta „ ejus membra diffundit. Eâ gratiâ fit ab initio fidei ſuæ homo qui- „ cunque Chriſtianus, quâ gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt „ Chriſtus."

Luc. I. 35. Porro operatione Spiritûs ſancti per ſe efficaciſſimâ, & virtute Altiſſimi obumbrante, Chriſtus in utero Mariæ conceptus eſt, atque ab initio ſuo factus eſt non ſolùm bonus ac juſtus, ſed etiam Filius Dei. Ergo pariter gratiâ per ſe efficaci membra Chriſti efficimur, non quidem ſine cooperatione noſtra, ſed ita ut ipſa cooperatio noſtra gratiæ donum ſit.

Fruſtra autem iſta comparatio reſtringeretur ad gratiam habitualem. Nam S. Auguſtinus eam manifeſtè applicat illi gratiæ, quâ homines ex malis boni fieri incipiunt, & quâ ipſum fidei initium inſpiratur; quæ gratia ſine dubio actualis eſt.

Sequitur 2° Deum non minùs potenter movere membra Chriſti ad volendum & faciendum bonum, quàm ipſum Caput noſtrum Chriſtum determinat ad omnes & ſingulos ejus ſanctæ humanitatis actus. Quis enim exiſtimabit homines infirmos, atque ad omne malorum genus proclives, minùs indigere præpotenti adjutorio Dei ad obſervanda mandata, quàm humanitatem Chriſti ſanctam, innocentem, impollutam, ſegre-

gregatam à peccatoribus, & perſonæ Verbi hypoſtaticè unitam? Porro humana natura Chriſti in omnibus ſuis actibus movebatur ac determinabatur à perſona Verbi, tanquam inſtrumentum activum ac liberum à ſe aſſumptum; eoque nomine omnes illius actiones erant Theandricæ, ſeu Dei-viriles, quia nihil volebat & operabatur, quod Verbum divinum per illam non vellet & operaretur. „ Quidquid fuit in humana natura „ Chriſti, ait S. Thomas, 3 part. quæſt. 18. art. 1. ad 1, movebatur „ nutu voluntatis divinæ. Non tamen ſequitur quòd in Chriſto non „ fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ (ut Monothelitæ „ ſentiebant), quia etiam aliorum ſanctorum piæ voluntates moventur „ ſecundùm voluntatem Dei, qui operatur in eis velle & perficere.“ Et quæſt. 19. art. 1. in corp. „ Sicut in homine puro corpus movetur „ ab anima, & appetitus ſenſitivus à rationali, ita in Domino Jeſu „ Chriſto natura humana movebatur & regebatur à divina.“ Ergo pariter, exceptâ tamen ſingulari prærogativâ unionis & motionis hypoſtaticæ, Deus voluntates hominum efficaciſſimè movet ac determinat ad quælibet opera bona.

Sequitur 3°, quidquid boni fit à fidelibus, fieri per operationem Chriſti, qui, tanquam caput corporis Eccleſiæ, influit vitam piosque motus in ſingula membra, eo ferè modo quo in corpore humano caput influit in cætera membra. Aliàs non verè nec propriè Chriſtus diceretur caput corporis Eccleſiæ. Hoc docet S. Thomas, Lect. 5 in caput 4 Epiſtolæ ad Epheſios, exponens iſta verba: *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* „ A capite Chriſto, inquit, in membris, ut „ augmentetur ſpiritualiter, influitur virtus actualiter operandi. Unde „ dicit (S. Paulus): *ſecundùm menſuram uniuscujusque membri.* Quaſi „ dicat: non ſolùm à capite noſtro Chriſto eſt membrorum Eccleſiæ „ compactio per fidem, nec ſola connexio vel colligatio per mutuam „ ſubminiſtrationem caritatis; ſed certè ab ipſo eſt actualis membro„ rum operatio, ſive ad opus motio, ſecundùm menſuram & competen„ tiam cujusque membri...... Unde, Iſai. 26: „ *Omnia opera noſtra* „ *operatus es in nobis. Idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus*, „ ut dicitur 1 Corinth. 12.

Hic autem influxus, qui fit potiſſimùm per ſubminiſtrationem Spiritûs ſancti moventis, atque, ut loquitur Apoſtolus, agentis filios Dei, adeò efficax eſt, ut SS. Patres non dubitent dicere ſpiritum Chriſti animam eſſe Eccleſiæ, eâque virtute operari in omnibus & ſingulis fidelibus, quâ anima humana agit in corpore ſibi conjuncto. „ Videte, ait S. Auguſtinus, Serm. 267, olim 186 de Tempore, cap. 4, „ quid faciat ani„ ma in corpore. Omnia membra vegetat. Per oculos videt, per aures „ audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, „ per pedes ambulat: omnibus ſimul adeſt membris, ut vivant; vitam „ dat omnibus, omnia ſingulis. Non audit oculus, non videt auris,

X 2 „ non

„ non videt lingua, nec loquitur auris & oculus, ſed tamen vivit. Vi-„ vit auris, vivit lingua: officia diverſa ſunt, vita communis. Sic eſt „ Eccleſia Dei. In aliis ſanctis facit miracula; in aliis ſanctis facit ve-„ ritatem; in aliis ſanctis cuſtodit virginitatem; in aliis ſanctis cuſtodit „ pudicitiam conjugalem; in aliis hoc, in aliis illud: ſinguli propria „ operantur, ſed pariter vivunt. Quod autem eſt anima corpori homi-„ nis, hoc eſt Spiritus ſanctus corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia. Hoc „ agit Spiritus ſanctus in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus „ membris unius corporis.“ Et Serm. 268. num. 2: „ Officia membro-„ rum diſpertita ſunt, ſed unus ſpiritus continet omnia. Multa juben-„ tur, multa fiunt: unus jubet, uni ſervitur.“ Imperio animæ quid efficacius ad movendum corporis membra? Eadem eſt efficacia Spiritûs ſancti ad movendum fideles ut voluerit. Quid per ſe efficacius quàm patratio miraculorum? Eâdem efficaciâ, juxta S. Auguſtinum, Spiritus ſanctus cuſtodiam pudicitiæ aliarumque virtutum in ſanctis operatur, quâ per nonnullos miracula patrat. Uno verbo, quidquid verum in Eccleſia dicitur, quidquid boni agitur, quidquid virtutis exercetur, quidquid officii impletur, non ſolùm fit ex imperio Spiritûs ſancti, ſed etiam à Spiritu ſancto faciente ut fiat; quemadmodùm, quidquid per corpus deliberatè fit, anima ipſa facit per corpus ſibi ſubjectum. Imò efficacia Spiritûs Chriſti in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, multò major eſt quàm animæ in corpore humano. Nam ſi qua ſint membra in corpore humano per interruptionem liquidorum fluxa & arida, illa vivificare anima non poteſt. Spiritus verò ſanctus non ſolùm viva Chriſti membra movet ad nutum, ſed & mortuis vitam ac motum, quando & ubi vult, reſtituit.

Quod corpori humano caput atque anima, hoc palmitibus vitis præſtat. Propterea Chriſtus vitem ſe dixit, nos palmites. *Sicut palmes*, inquit, Joann. XV. 4, *non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Quis unquam ſomniavit influxum vitis in palmites ex cooperatione palmitum efficacem fieri? Quis non intelligit hoc ipſo palmitem vivere & fructum ferre, quòd per ſuccum vitis nutritur, vegetatur & fecundatur? Numquid influxus vitis ſpiritualis, quæ Chriſtus eſt, minùs efficax erit ad producendum in palmitibus quos ſibi inſeruit fructum bonorum operum? „ Quodcunque habet palmes, inquit Oroſius in fine *Apologetici de arbitrii libertate*, „ ſcilicet de vite habet. „ Non enim, inquit Apoſtolus, *tu radicem portas, ſed radix te.* Quid „ ergo ſe extollit in fructibus qui videntur in eo, cùm totum pertineat „ ad vitem, non ſolùm ut poſſit, verùm etiam ut ſit? Non enim pal-„ mes, ſed vitis poteſt; & quod vitis poteſt, palmes oſtendit.“

Confirmatur hæc probatio ex comparatione ab Apoſtolo inſtituta Chris-

Digitized by Google

Chriſtum inter & Adamum, quem appellat à contrario *formam futuri*, id eſt, ſecundi Adami. In eo quippe ſtat comparatio, quòd Chriſtus, tanquam caput & parens Eccleſiæ, non minùs, imò multò magis valeat ad bonum, quàm Adamus caput & parens generis humani valuit ad malum. *Non ſicut delictum*, inquit, Rom. V. 5 & ſeq., *ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit...... Si enim unius delicto mors regnavit per unum*, MULTÒ MAGIS *abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Atqui de fide eſt Adamum fuiſſe cauſam per ſe efficacem peccati, quod omnes ex illo per generationem carnalem contrahimus. Ergo, à fortiori, Chriſtus per generationem ſpiritualem cauſa eſt per ſe efficax juſtitiæ & bonorum operum, quibus liberamur à ſervitute peccati.

Hinc Pelagiani, qui gratiam omnis boni operatricem eſſe negabant, conſequenter negarunt peccatum originale, dixeruntque Adamum exemplo duntaxat, non autem peccati propagatione ſuis poſteris nocuiſſe. E contrario S. Auguſtinus aliique Patres demonſtrabant, primum hominem non exemplo tantùm cauſam fuiſſe peccati, ſed verâ ac reali peccati in omnes ejus poſteros tranſmiſſione, ex eoquòd noviſſimus Adam Chriſtus, non exemplo tantùm ſuæ virtutis, ſed gratiæ interioris dono ad juſtitiam & vitam nos reparet. Porro ſi gratia medicinalis non eſt per ſe efficax, ſed conſiſtit ſolummodò in excitationibus & ſuaſionibus internis ad bonum allicientibus, nullatenus inſervire illa poteſt ad probandam veram ac realem peccati originalis exiſtentiam. Quid enim, quæſo, frigidius, quid ineptius iſto argumento: Chriſtus gratiâ interiori, non tamen per ſe efficaci, ſed quam efficacem vel inefficacem reddere in liberi arbitrii poteſtate ſitum eſt, ad benè agendum nos allicit; ergo Adamus non tantùm peccandi exemplum poſteris ſuis tradidit, ſed peccatum ipſum in eos verè ac propriè tranſfundit? Igitur ut comparatio Apoſtoli integra ſtet, & SS. Patrum adverſus Pelagianos argumento robur ſuum maneat, confitendum eſt Chriſtum per gratiam non minùs efficacem quàm generationem carnalem, per quam peccatum in omnes homines tranſit, bonam voluntatem bonaque opera in nobis gignere.

Confirmatur iterum eadem probatio ex eo quòd Chriſtus non minùs potenter ſalvator ſit adultorum qui convertuntur, quàm parvulorum qui in ipſo regenerantur. Ut enim ait S. Fulgentius, & cum eo tota Synodus Præſulum Africanorum pro fide divinitatis Chriſti relegatorum, in lib. *de Incarnat. & gratia Chriſti*, cap. 30: „ Certiſſimè credendum „ eſt, & fiducialiter confitendum, unam eamdemque Dei gratiam in

„ majoribus ſalvandis operari bonæ voluntatis initium, quæ in parvulis „ ſine voluntate operatur ſalvationis effectum. Ipſa gratia infantes neque „ volentes neque nolentes redimit, quæ majores illuminando volentes ex „ nolentibus facit. Et hoc in parvulis ſalutis opus ſine propriæ voluntatis aſſenſu, cùm Dei gratia operatur, perficitur, quod bonæ voluntatis „ exordio divinitùs dato in majoribus inchoatur, ut opere ſolius gratiæ voluntas quæ mala fuit bona fiat, & deinceps gratiæ ſecum operanti ſervitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.“ Atqui vel ipſi Moliniani, imò & Pelagiani coguntur fateri gratiam, quâ parvuli renaſcuntur in Chriſto, ſeipſâ efficacem eſſe, & de illis dici non poſſe, ut loquitur S. Auguſtinus, Epiſt. 190, olim 157, ad Optatum, cap. 3. num. 10, „ quòd libero diſcernuntur arbitrio ab illis infantibus, qui ſine hac „ gratia in ipſius maſſæ damnatione moriuntur.“ Ergo & gratia, quâ majores convertuntur, ſuâpte virtute victrix eſt, ejusque efficacia non pendet à libero hominis arbitrio.

Nec dicas plurimùm differre parvulos inter & adultos: illos quippe, ut pote rationis uſu nondum potientes, per gratiam habitualem ſine actuali conſenſu propriæ voluntatis renaſci; hos verò rationis ſuæ compotes per gratiam actualem, nec ſine libera ſua cooperatione converti. Id profectò non ignorabat B. Fulgentius, & tamen eamdem vim & efficaciam gratiæ utrobique agnovit. Imò gratia actualis, quæ adultos *volentes ex nolentibus facit*, & ſuî *ſolius opere* præſtat *ut voluntas quæ mala fuit bona fiat*, dici poteſt multò plus virtutis habere quàm gratia habitualis, quæ parvulis in baptiſmo infunditur, eosque nec volentes, nec nolentes regenerat. Quanquam ſi accuratè loqui velimus, utraque gratia facit ex nolentibus volentes, illa habitu, hæc actu. Et ſanè qualiscunque vera juſtitia, ſive habitualis, ſive actualis, ſive parva, ſive magna, æqualiter procedit à fonte omnis juſtitiæ, qui Deus eſt, nec in nobis eſſe poteſt ſine aliquo voluntatis noſtræ conſenſu, vel habituali ſi juſtitia ſit habitualis, vel actuali, ſi actualis. Quid in infante operatur gratia regenerationis, niſi caritatem habitualem, quâ, ex habitualiter nolente & à Deo averſo, fit habitualiter volens & ad Deum converſus? Similiter quid in adulto operatur gratia actualis converſionis, niſi actualem Dei amorem, quo, ex actualiter nolente, fit actualiter volens & conſentiens? Igitur utrobique eadem gratiæ virtus eſt, idem potentiæ divinæ beneficium: utrobique gratia operatur velle & amare, eo modo qui ſit uniuscujusque captui accommodatus.

9a Probatio.

IXa PROBATIO, ex diſcrimine gratiæ in præſenti naturæ ſtatu requiſitæ, & gratiæ naturæ innocentis.

Ea tractando quæ ſtatum innocentiæ ſpectant, oſtendimus angelum & hominem, etiam ante peccatum, titulo dependentiæ à cauſa prima eguiſſe applicari & prædeterminari ad ſingulos actus bonos, totumque diſcrimen illius ſtatûs à præſenti naturæ corruptæ ſtatu in eo ſitum fuiſſe,

quòd

quòd homo innocens opus non habuerit delectatione præveniente & determinatè movente ad hunc aut illum actum, quâ nunc homo lapſus & infirmus indiget. Inde autem duo conſequuntur: primum gratiam interiorem in hocce naturæ ſtatu eſſe delectationem ſeu dilectionem juſtitiæ cœlitùs immiſſam, quæ ſuâ virtute certò movet ac determinat voluntatem ad ſingulos actus pietatis: alterum, admitti inſuper debere operationem Dei phyſicè præmoventem ac prædeterminantem ad omnes & ſingulos actus bonos; adeòque in præſenti naturæ ſtatu gratiam ſeipſâ efficacem duplici titulo neceſſariam eſſe, dependentiæ ſcilicet atque infirmitatis.

Sed quoniam ea tantùm ibi tractata ſunt, quæ pertinent ad ſtatum primigeniæ integritatis, neceſſe eſt hìc exponere quibus verbis S. Auguſtinus gratiæ, quâ nunc indigemus, vim atque efficaciam deſcripſerit in libro *de Correptione & gratia*, ubi de gratiæ in duplici naturæ humanæ ſtatu differentia copioſè diſſerit.

Imprimis duo adjutoriorum genera diſtinguit. „ Aliud eſt, inquit, cap. 12. num. 33, „ adjutorium ſine quo aliquid non ſit, & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit." Primi generis eſt alimentorum adjutorium. „ Nam ſine alimentis, ait, non poſſumus vivere, nec tamen, „ cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit." Secundi generis eſt adjutorium beatitudinis, „ quæ, cùm data fuerit, continuò fit (homo) beatus. Adjutorium eſt enim non ſolùm ſine quo „ non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc „ adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit; quia & ſi data fuerit „ homini beatitudo, continuò fit beatus, & ſi data nunquam fuerit, „ nunquam erit." Hâc adjutoriorum diſtinctione poſitâ, S. Doctor ſtatui quidem innocentiæ adjutorium *ſine quo*, ſtatui vero naturæ corruptæ adjutorium *quo* aſſignat. „ Tale erat, inquit, cap. 11. num. 31, „ adjutorium (hominis innocentis), quod defereret cùm vellet, & in quo „ permaneret, ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam: ſed hâc potentior eſt in ſecundo „ Adam. Prima eſt enim quâ fit ut homo habeat juſtitiam, ſi velit: „ ſecunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit ut velit, & tantùm velit tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem „ voluntate ſpiritûs vincat. Nec illa quidem parva erat...... Hæc autem tantò major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur ut „ velit." Et num. 32: „ Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam, „ in bono recipiendo & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe quod „ volumus, ſed etiam velle quod poſſumus." Capite 12, num. 34, ſic proſequitur: „ Primo itaque homini...... datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum

„ ar-

Digitized by Google

„ arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei „ per gratiam Dei prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.“ Num. 35 rationem exponit, propter quam in iſto tentationis ſtatu major efficaciorque gratia neceſſaria ſit. „ Major quippe libertas, inquit, neceſſaria eſt adverſùs tot & „ tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, „ erroribus ſuis vincatur hic mundus.“ Et num. 37: „ Nunc verò, „ poſteaquàm eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.“ Num. 38 pergit his verbis: „ Nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus ſanctos in viribus ſuis, ſed *in ipſo gloriari*, qui eis non ſolùm dat adjutorium „ quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint, „ ſed in eis etiam *operatur & velle:* ut, quoniam non perſeverabunt, niſi „ & poſſint & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt, ideò ſic „ velint, quia Deus operatur ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate „ vitæ hujus...... ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio „ Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec „ Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes „ infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent „ infirmitate voluntatis ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia INDECLINABILITER & INSUPERABILITER ageretur, & ideò, quàmvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur...... Fortiſſimo quippe „ dimiſit atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit ut, ipſo „ donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.“

Advertamus quantâ verborum copiâ, quantâ ſermonis perſpicuitate, quanto veritatis robore S. Doctor aſſerat gratiam in hocce infirmitatis ſtatu per ſe victricem eſſe; non poſſibilitatem tantùm, ſed voluntatem ipſam perſeverandi, eamque invictiſſimam, donare; indeclinabiliter atque inſuperabiliter agere voluntates noſtras: adeò ut non modò ſine illa perſeverare non poſſimus, ſed cum illa nonniſi perſeverantes ſimus. Unde liquet adjutorii gratiæ Chriſti duos eſſe caracteres: unum, quòd ſit abſolutè neceſſarium, eſt enim adjutorium *ſine quo* id non ſit, propter quod datur; alterum quòd ſit ſeipſo efficax, eſt enim inſuper adjutorium *quo*, nec minoris efficaciæ quàm ipſa beatitudo, quæ cùm datur homini, continuò ſit beatus.

Plu-

Plurimùm ſe torquent adverſarii, ut hujus argumenti vim planè indeclinabilem, inſuperabilem, invictiſſimam quoquo pacto declinent, nec unicum eſt illorum effugium.

Fenelonius Cameracenſis Archipræſul, & nonnulli alii reſpondent adjutorium *quo*, in mente S. Auguſtini, non eſſe gratiam interiorem ad ſingulos actus neceſſariam, ſed perſeverantiam finalem, per quam fit homo finaliter perſeverans, ipſam ſcilicet mortem cum ſtatu gratiæ conjunctam, quâ homo juſtus omnibus vitæ hujus periculis ſubtrahitur, & in felici termino collocatur: negari autem non poſſe hujusmodi donum indeclinabile & inſuperabile eſſe. Reſponſionem illam inde munire conantur: 1°. Quòd S. Doctor de illa perſeverantia loquatur, quâ perſeveratur usque in finem. „ De illa perſeverantia loquimur, inquit, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 6. num. 10, „ quâ perſeveratur usque in finem: quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt usque in finem; ſi autem non „ eſt perſeveratum usque in finem, non eſt data. 2°. Loquitur de perſeverantia quæ amitti non poteſt. „ Hoc donum Dei, ait ibidem, cùm „ datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. Cùm enim perſeveraverit quisque usque in finem, neque hoc donum poteſt amittere, „ nec alia quæ poterat ante finem.“ Quod ſanè ſolius finalis formalisque perſeverantiæ proprium eſt. 3°. Quòd loquatur de adjutorio electis & in regnum prædeſtinatis proprio, cùm è contrario gratia interior communis ſit electis & reprobis. 4°. Quòd ſæpiſſimè probet perſeverantiam eſſe donum Dei, ex eo quòd Deus parvulos electos hujus vitæ tentationibus immaturâ morte nonnunquam præripiat. Cenſuit igitur, inquiunt, donum perſeverantiæ, quod appellat *adjutorium quo*, eſſe ipſummet mortis beneficium tunc immiſſæ quando homo juſtus eſt. Inſtr. Paſt. Lettres 9. 10 & 11.

Verùm hæc reſponſio adeò inſulſa eſt, ut mirum eſſet eam viris ingenio præditis in mentem venire potuiſſe, niſi experientiâ conſtaret quanta anticipatarum ſemel opinionum vis ſit. Nam 1° in toto libro *de Correptione & gratia*, ubi hoc argumentum fusè pertractatur, nullum veſtigium detegi poteſt, ex quo eam S. Auguſtini mentem fuiſſe appareat. An, quæſo, diſertiſſimo Doctori verba deerant, quibus doctrinam ſuam clarè ac dilucidè exponeret? 2°. *Adjutorium quo* perpetuò opponit *adjutorio ſine quo* naturæ innocentis. Atqui illud fuit adjutorium interius. Ergo iſtud.

3°. Per mortem opportunam juſtus non roboratur contra tentationes & pericula hujus vitæ, ſed eis penitus ſubtrahitur. Atqui S. Auguſtinus non loquitur de adjutorio quo juſti eripiuntur de hujus vitæ tentationibus, ſed de adjutorio invictum adverſùs tentationes robur præbente, *ut cum omnibus ſuis amoribus, terroribus, erroribus vincatur hic mundus;* quo *majoribus donis adjuvatur infirmitas;* quo fit ut voluntas, *quàmvis infirma, non deficiat, nec adverſitate aliquâ vincatur.* Non ergo de morte opportunè procurata, dum homo juſtus eſt, ſed de gratia in-

 terio-

teriore, juſtitiam contra tentationes fortiter muniente atque firmante, in toto illo libro agitur.

4°. Non modò dicit S. Doctor per adjutorium *quo* donari ipſam perſeverantiam, ſed etiam ſine illo adjutorio inter tot & tanta vitæ hujus diſcrimina hominem perſeverare non poſſe. Atqui adjutorium mortis (ſi tamen adjutorium dici poteſt quod non adjuvat ad perſeverandum, ſed perſeverantiæ finem imponit) non eſt abſolutè neceſſarium ut homo perſeveret in juſtitia, ſiquidem per ſolam gratiam interiorem Deus præſtare poteſt ut nullis tentationibus adverſitatibusve dejiciamur: alioquin non eſſet omnipotens. Igitur adjutorium *quo* non eſt beneficium mortis, ſed gratia interior ſeipſâ efficax.

5°. Adjutorium *quo*, ut S. Doctor in textu allato ſæpiſſimè repetit atque inculcat, facit ut velimus, operatur velle, perſeverandi poſſibilitatem & voluntatem firmiſſimam donat, eoque diſtinguitur ab adjutorio *ſine quo* Adamo innocenti attributo. Atqui beneficium mortis non facit nos velle, ſed mori, ut patet.

6°. Si præſtantiſſimum perſeverantiæ donum conſiſteret imprimis in conjunctione mortis cum ſtatu juſtitiæ, finalis quoque impœnitentia conſiſteret præſertim in conjunctione mortis cum ſtatu peccati: ac proinde, cùm Deus juſtos & peccatores ex hac vita quando vult pariter eripiat, non minùs impœnitentiæ finalis quàm finalis perſeverantiæ auctor dici deberet: quod dicere aut ſentire quis audeat?

Quæ ex adverſo opponuntur leviſſima ſunt. Ad 1um fateor S. Auguſtinum loqui de perſeverantia quâ perſeveratur usque in finem, & meritò ſanè; ſiquidem non aliam fideles omnes in omnibus ſuis orationibus poſtulant. Sed non idcirco loquitur præciſè de illa finali perſeverantia, quâ juſtus in gratia decedit. Aliud quippe eſt perſeverare in fine, aliud, acceptâ ſemel juſtitiâ, perſeverare usque in finem. Illud fit ſemel & quaſi in inſtanti, conſiſtitque in ultima gratia, ſive interiore, ſive exteriore, quâ mors cum ſtatu juſtitiæ feliciter conjungitur. Hoc verò non momentaneum eſt, ſed toto eo tempore durat, quod à juſtificatione ad mortem usque intercedit; conſiſtitque in ſerie quadam plurimorum auxiliorum interiorum, quibus electi adverſùs omnes tentationes muniuntur & roborantur. Porro S. Doctor non loquitur de perſeverantia quæ habetur in fine, ſed de integra perſeverantia usque in finem vitæ, ac proinde de gratia interiori, quâ juſtus perſeveranter ſtat in juſtitia usque ad mortem. Diſcrimen autem hujus perſeverantiæ ab illa temporali, qua vel breviori, vel longiori tempore perſeveratur, ſed non usque ad vitæ finem, non oritur præciſè à majore vel minore efficacia gratiæ interioris, ſed ab inſcrutabili altitudine judiciorum Dei, alios ad tempus duntaxat, alios ad mortem usque in juſtitia conſervantis, & à peccato mortali præſervantis.

Ad 2um dico reverâ quidem perſeverantiam usque in finem, cùm data ſue-

rit, amitti non poſſe, quia juſtum perducit usque ad introitum beatitudinis, unde excidere nemo poteſt. At quandiu hìc vivitur, nec tota donata eſt, remanet ſemper potentia excidendi a juſtitia per mortale peccatum, quàmvis fieri nequeat ut electi, quos Deus abſolutâ voluntate vult perſeverare usque in finem, & quibus idcirco perſeverantiæ adjutorium gratuitâ miſericordiâ usque ad vitæ finem impertitur, ad finem usque non perſeverent.

Ad 3[um] reſpondeo gratiam quidem interiorem in ſe ſpectatam electis & nonnullis reprobis dari, ſed eam ſeriem auxiliorum efficacium, ex quibus coaleſcit perſeverantia usque in finem, ſolis electis propriam eſſe.

Ad 4[um] fateor S. Auguſtinum non ſemel probaſſe perſeverantiam eſſe donum Dei gratuitum, ex eo quòd nonnulli ex hac vita rapiuntur dum juſti ſunt, alii verò quando in ſtatu peccati verſantur; quod ſanè argumentum eſt peremptorium. At ſine errore dici non poſſet, nec S. Auguſtinus unquam dixit, adjutorium, quo electi perſeverant usque in finem vitæ, in hoc opportunæ mortis beneficio conſiſtere.

Daniel & alii cum eo reſpondent verba iſta S. Auguſtini, *indeclinabiliter, inſuperabiliter, invincibiliter*, non cadere in adjutorium gratiæ, ſed in ipſam hominis voluntatem, quæ beneficio gratiæ firma ſtat & inconcuſſa adverſùs omnes dæmonis aſſultus ac mundi hujus illecebras; idque probare nituntur tum ex eo quod, in eodem lib. cap. 8. num. 17, vis illa invicta, non ipſi gratiæ, ſed volnntati gratiâ adjutæ attribuatur. „ Quando rogavit (Chriſtus), ait S. Doctor, ne fides (Petri) „ deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, for„ tiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?..... Volun„ tas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ po„ tiùs libertatem, &, ut perſeveret, delectabilem perpetuitatem, & in„ ſuperabilem fortitudinem.“ Tum ex eo quòd gratia interior dici non poteſt indeclinabilis, inſuperabilis; ſiquidem fide certum eſt in poteſtate voluntatis ſemper eſſe gratiæ cuilibet, ſi voluerit, diſſentire ac reſiſtere. Voluntas autem perſeverandi, inquiunt, quæ ineſt electis, eo ſenſu invincibilis dicitur, qno dux exercitûs dicitur habere virtutem invictam, non quia vinci omninò non poteſt, ſed quia nunquam victus eſt, ac difficillimè vinci poſſet.

Traité de l'efficacité de la grace, tom. 2. cap. 2. art. 4. pag. 80.

Verùm hi quoque à S. Auguſtini mente longè aberrant. Quiſquis enim textus modò allatos attento nec præoccupato animo legerit, ultro fatebitur S. Doctorem ipſimet gratiæ primariò attribuiſſe illam, de quâ loquitur, indeclinabilitatem & inſuperabilitatem, eoque in loco totum eſſe ut adſtruat, non voluntatis humanæ gratiâ præventæ inſuperabilem fortitudinem, ſed ipſius gratiæ invictam virtutem, quâ fieri docet ut electi invictiſſimè quod bonum eſt velint, & hoc deſerere invictiſſimè nolint. Subventum eſt, ait, infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. Non dicit, ut voluntas

gratiâ præventa *indeclinabiliter & inſuperabiliter ageret*, ſed ait, ut divinâ gratiâ *indeclinabiliter ageretur:* quibus verbis inſuperabilem agendi vim ipſi gratiæ manifeſtè attribuit. Neque ideirco concludas gratiâ Dei neceſſitatem agendi voluntati imponi. Non enim de gratia creata hoc loco loquitur, ſed de gratia increata, id eſt, de voluntate ipſa divina, quæ, quantò indeclinabilior & inſuperabilior eſt, tantò magis id præſtat, ut non ſolum fiant quæ fieri vult, ſed etiam ut fiant liberè & cum potentia non faciendi, quæ liberè fieri decrevit, quemadmodùm ſæpiſſimè docet S. Thomas.

Ultro fatemur S. Auguſtinum agnoſcere in electis *voluntatem in fide inviciſſimam, & inſuperabilem fortitudinem.* Sed ea voluntas non ex ipſis eſt, nec eſſe poteſt gratiâ tantùm verſatili præventis, ſed tota, quanta eſt, donum Dei eſt illam verè & propriè producentis. Ut enim ait S. Doctor: „ Fortiſſimo (Adamo) dimiſit atque permiſit facere quod „ vellet: infirmis ſervavit ut, ipſo donante, inviĉtiſſimè quod bonum „ eſt vellent, & hoc deſerere inviĉtiſſimè nollent.“ Neque hoc tantùm ſenſu invincibilis dicitur illa electorum voluntas, quòd non vincatur, vel non niſi difficilè vincatur, ſed quòd vinci omnino nequeat; non quidem quatenùs ipſorum voluntas eſt (ſub eo quippe reſpectu certum eſt eam vinci ac deficere ſemper poſſe); ſed quatenus donum eſt divinæ voluntatis, immotum prædeſtinationis propoſitum per illam exequentis.

Quid autem ineptius, quàm voluntati electorum attribuere illam invincibilitatem & inſuperabilitatem, quam ipſi gratiæ deneges? Undenam fuit in Petro & in martyribus inviĉtiſſima voluntas perſeverandi, & inſuperabilis fortitudo? An à gratia? Eſt ergo ipſa gratia invincibilis, quæ voluntati robur inviĉtiſſimum præbet. An à ſeipſis? Quis verò, niſi Pelagianus, hoc dixerit?

Ibid. & Defenſe de S. Auguſtin. Hinc idem P. Daniel aliique Congruiſtæ huic reſponſioni parum confiſi ad aliam confugiunt, dicuntque adjutorium *quo* non conſiſtere præciſè in motione actuali & præveniente gratiæ interioris, ſed in ſpeciali providentia erga electos, quâ inter varios hujus vitæ caſus ſic gubernantur, ut demum ad felicem exitum perveniant; eoque ſenſu motionem gratiæ dici poſſe indeclinabilem & inſuperabilem, quia videlicet in illis circumſtantiis datur, in quibus eam effectum infallibiliter habituram eſſe Deus præſcivit. Quòd enim adjutorium gratiæ non ſit ſuâpte naturâ invincibilis, patuit, inquiunt, in S. Petro, qui poſteà quàm Chriſtus pro ipſo oravit, ut fides ejus non deficeret, nihilominùs Dominum ter negavit.

Verum quàmvis negari nequeat in dono perſeverantiæ, præter gratiam interiorem, includi ſpecialem providentiam & protectionem erga electos, quâ fit ut non tententur ſupra id quod ferre poſſunt, atque ut in ſtatu juſtitiæ vitam hanc finiant, tamen omnino falſum eſt nomine illius

Digitized by Google

illius adjutorii, quod S. Auguſtinus indeclinabile atque inſuperabile appellat, non gratiam ipſam interiorem, ſed externam illam providentiam debere intelligi. Nam de illo adjutorii genere ibi agitur, de quo cum Pelagianis & Semipelagianis perpetua fuit concertatio. Porro cum illis hæreticis concertatio nunquam fuit de externa Dei providentia, ſed de gratia interiore ad omnes pietatis actus neceſſaria. 2°. Nomen ipſum *adjutorii* denotat illud gratiæ genus, quod robur ac vires intus ſuppeditat: id verò ſola gratia interior præſtat. 3°. Externa providentia & protectio non faciunt ut velimus; quod tamen proprius effectus eſt adjutorii de quo loquitur S. Auguſtinus. 4°. Ad declarandam invictam illius adjutorii virtutem, in exemplum producit S. Doctor martyrum conſtantiam, & contra ſævitiam perſequentium inſuperabilem fortitudinem. Atqui hæreticum foret victricem hanc fortitudinem externæ protectioni, non ipſi gratiæ interiori, adſcribere. 5°. Ex Epiſtola Hilarii ad S. Auguſtinum, num. 6, apparet Semipelagianos hunc quem tractamus locum intellexiſſe de gratia interiore actuali, eamque ob cauſam objeciſſe *quamdam deſperationem inde exhiberi.* Horum querimoniæ ſatisfacere facillimum erat in opinione quam refellimus, dicendo nimirum non gratiæ ipſius operationem, ſed exteriorem ſolummodò providentiæ ordinem indeclinabilem eſſe. At nedum ita reſponderit S. Auguſtinus, è contrario illud ipſum, quo Maſſilienſes offendebantur, confirmavit, & de gratia interiore disertè expoſuit. „ Poſt caſum hominis, inquit, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. num. 13, „ non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad eum, neque niſi ad gratiam ſuam „ voluit pertinere ut homo non recedat ab eo.“ Et num. 14: „ Manus ergo Dei eſt iſta, non noſtra, ut non diſcedamus à Deo.“

Inter Auguſt. Epiſtolas 226.

Falſum quoque eſt S. Doctorem, quando dicit voluntatem noſtram divinâ gratiâ *indeclinabiliter & inſuperabiliter* agi, nihil aliud voluiſſe niſi motionem gratiæ infallibiliter conſequi ſuum effectum, eoquòd tunc detur quando voluntas conſenſura prævidetur. Quis enim non videt quantum diſtet inter iſta duo, infallibiliter ſortiri effectum, & agere *indeclinabiliter & inſuperabiliter?* Quibus verbis gratia per ſe efficax exprimi poteſt, ſi his non exprimitur? Demum iſto caractere S. Auguſtinus adjutorium naturæ lapſæ diſtinguit ab adjutorio naturæ innocentis. Atqui adjutorium naturæ innocentis poterat pariter habere infallibiliter effectum prævisum per ſcientiam mediam. Ergo, in mente S. Doctoris, indeclinabilitas & inſuperabilitas gratiæ in præſenti naturæ ſtatu, non à præſcientia divina, ſed ab intrinſeca ipſius virtute deſumenda eſt.

Nec obſtat quòd S. Petrus tempore paſſionis Dominum negaverit. Tunc enim nondum acceperat *illam liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam & perſeverantiſſimam voluntatem*, quam poſteà accepit, cùm die ſacro Pentecoſtes indutus eſt virtute ex alto. Hæc reſponſio eſt S. Auguſtini, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 17. num. 33. „ Ipſam

Digitized by Google

„ caritatem, inquit, (quâ martyres magna illa mandata moriendi pro „ Chriſto fecerunt) Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore „ ter Dominum negavit.“

1er Memoire ſur la grace. Demum Thomaſſinus fatetur adjutorium, de quo agitur in lib. *de Correptione & gratia*, ſeipſo efficax eſſe independenter à ſcientia media; ſed contendit illud non requiri ad ſingulos actus pietatis, ſed tantùm ad difficiliores, ac præſertim ad converſionem & finalem perſeverantiam: utque id probet, profert verba S. Auguſtini modò relata. „ Poſt caſum „ autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere ut ho- „ mo accedat ad eum, neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere ut „ homo non recedat ab eo.“

Neque hoc temperamentum ullatenus poteſt admitti. Nam S. Auguſtinus in lib. *de Correptione & gratia* duo tantùm adjutoriorum genera diſtinguit, *ſine quo*, & *quo*, hoc eſt, ſeipſo efficax. Illud ſoli naturæ innocenti, hoc lapſæ aſſignat; ac proinde auxilium *ſine quo* ad nullam pietatis actionem producendam homini lapſo ſufficere cenſuit. Prætereà S. Doctor hanc auxiliorum diſtinctionem ſtatuit occaſione illorum Monachorum, qui, ſub obtentu neceſſitatis gratiæ efficacis, nolebant delinquentes corripi. Porro correptio locum habet non ſolùm ubi de converſione & finali perſeverantia agitur, ſed in quibuscunque peccatis. Ergo ad omnem pietatis actum, & contra quodlibet peccatum, opus eſt efficaci gratiæ adjutorio.

Quod verò dicit S. Doctor, nonniſi ad gratiam Dei pertinere quòd homo accedit ad eum, & quòd non recedat ab eo, totum ſalutis opus omnesque chriſtianæ vitæ actiones comprehendit. Quidquid enim ante integram juſtificationem benè agitur, ad converſionem pertinet, quâ acceditur ad Deum; quidquid verò boni operis juſtificationem ſequitur, ad perſeverantiam pertinet, quâ non receditur à Deo.

Inſiſtit Thomaſſinus in eo quòd S. Auguſtinus neceſſitatem adjutorii *quo* repetat ab infirmitate voluntatis, & à difficultate perſeverandi inter tot & tantas tentationes quibus mortalis hæc vita eſt obnoxia. Porro, inquit, infirmitas voluntatis in juſtis per gratiam habitualem magna ex parte ſanata eſt, imò in nonnullis major forſitan caritas eſt quàm fuit in Adamo innocente: multæ ſunt etiam piæ actiones, à quibus faciendis nullâ prorſus tentatione ac nullâ actuali concupiſcentiâ retrahimur. Igitur adjutorium *quo* non ad omnes & ſingulos, ſed tantùm ad difficiliores pietatis actus neceſſaria eſt.

Reſpondeo voluntatem hominis etiam juſti ſemper hac in vita infirmam eſſe, quia concupiſcentiæ vulnus nunquam omni ex parte ſanatum eſt; quo fit ut nullus juſtus, etiamſi majorem, quàm habuit Adamus, caritatem habere ſupponatur, ad eam ſanitatem unquam perveniat, quâ primus homo ante peccatum potiebatur. Quamobrem quisquis efficaci Dei adjutorio deſtituitur etiam in actibus facillimis, ſibique ipſi dimit-

dimittitur, continuò peccat, vel non faciendo, vel ſui ipſius amore, aut ex vana complacentia ſubrepente faciendo quod facere debet. Ut enim ait Gonetus in *Manuali Thomiſtarum*, tom. 4. tract. 7. cap. 6. pag. 235: „ Sicut, licet calor aquæ bullientis ſuperet ejus frigiditatem, quia „ tamen non eſt in ſubjecto ſibi connaturali, ſtatim à frigore expelli- „ tur: ſic etiam, quia gratia in nobis viatoribus non eſt in ſubjecto „ ſibi proportionato, ſed multùm infirmo & indiſpoſito, licet ipſa for- „ tior ſit concupiſcentiâ, ab ea tamen ratione ſubjecti, ſi auxilio Dei „ ſpeciali deſtituatur, ſuperatur & corrumpitur. Et hæc ſanctis cauſa „ eſt tremendi atque metuendi, inquit S. Leo, Serm. 8 in Epiphania, „ cap. 2, ne ipſis operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ, & rema- „ neant in infirmitate naturæ." Et S. Gregorius, lib. 3 *Curæ Paſtora-* „ *lis*, admonit. 34: Qui vanè elati BONI MINIMI cuſtodiam ſuis vi- „ ribus tribuunt, juſtè derelicti culpis majoribus obruuntur, & caden- „ do diſcunt non fuiſſe proprium quòd ſteterunt." Quantum ergo peri- culum incurrunt, qui, ut Thomaſſinus, ſibi perſuadent vires hominum juſtificatorum ipſis ſufficere ſine gratia efficaci ad implenda faciliora legis mandata?

Xa PROBATIO ex converſione Gentium ad fidem Chriſtianam, & ex futura populi Judaici ad Chriſtum converſione. 10a Probatio.

Quid aliis teſtimoniis opus eſt, ubi facta ipſa clamant quales erant Apoſtoli, antequàm induerentur virtute ex alto? Timidi, carnales, infirmi. Poſt deſcenſum autem Spiritûs ſancti, quid eiſdem firmius, quid ſanctius, quid ad difficillima quæque pro Chriſto ſuſcipienda vel tolleranda promptius? Una voce Chriſti, interiore magis quàm exteriore, Saulus, adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, ſubitò perculſus exclamat: *Domine, quid me vis facere?* Factusque ex hoſte miles, ex lupo agnus, ex perſecutore ardentiſſimus fidei prædicator, totum ſe Chriſto devovet. Petrus nihil veritus Chriſti reſurrectionem Judæis palam annuntiat, & convertuntur ſtatim uno die tria virorum millia, & altero die quinque millia. Fructificat evangelium per totum orbem, omneſque gentes ſibi ſubjicit eâ potentiâ quæ omnia vincit, eâ celeritate quam nihil retardat. Quis ea enumerare valeat quæ Ethnicos ab amplectenda fide Chriſtianiſque moribus induendis deterrere nata erant? Doctrinæ novitas, præceptorum ſublimitas, dogmatum apparens ſtultitia, prædicantium infirmitas, inopia, ignobilitas, obſiſtentium verò potentia, opes, crudelitas, dudum inveterata ubique morum pravitas, inaudita tormenta credentibus certò impendentia. Fruſtra frendet idololatria; fruſtra Imperatores & Reges naſcentem Eccleſiam opprimere moliuntur; fruſtra Philoſophi & docti obnituntur; fruſtra latè funditur ſanguis Chriſtianorum: omnia ſuperat divinæ gratiæ virtus. Quò plures metuntur fideles, eò plures exurgunt, ſanguiſque martyrum ſemen eſt Chriſtianorum. Cedit tandem duodecim hominibus egenis, illitteratis, Gali-

Digitized by Google

Galilæis, omni ope ac præſidio humano deſtitutis, Deum crucifixum prædicantibus, nulli vitio parcentibus, nulla terrena commoda, nulla bona, niſi in altera vita, pollicentibus, cedit, inquam, divitum faſtus, Philoſophorum ſupercilium, Romanorum ſuperbia, potentium arrogantia. Mutantur paſſim hominum mores: voluptati abſtinentia, ſuperbiæ humilitas, impudicitiæ caſtimonia, ambitioni honorum fuga, divitiarum immenſæ cupiditati terrenorum contemptus bonorumque inviſibilium deſiderium ſuccedunt. In tanta voluntatum mutatione quis dexteram Excelſi non miretur? Quis gratiam ſeipſâ victricem non agnoſcat? Hinc dicebat Apoſtolus Paulus, 2 Cor. X. 4: *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*

Jam verò ſi modum conſideremus quo tantum opus effectum eſt, quantùm in eo elucebit omnipotens Dei virtus ac ſapientia, Deo videlicet omnia ſic ordinante, ut nemo gloriari poſſit in conſpectu ejus, ſed crucis Chriſti inſuperabile robur emineat? Id obſervat idem Apoſtolus, 1 Cor. I. 17: *Non in ſapientia verbi*, inquit, *ut non evacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus ſtultitia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? Ubi ſcriba? Ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam: quia, quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Videte enim vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*

An verò per gratiam verſatilem nec per ſe efficacem tam ſtupenda rerum mutatio facta eſt? Si ita eſt, Eccleſiæ per totum orbem ædificatio humanum potiùs quàm divinum opus fuit, erraruntque inſigniter doctiſſimi Chriſtianæ religionis Apologiſtæ, qui Chriſti divinitatem, cœleſtemque Chriſtianiſmi originem ex hoc, ut exiſtimabant, miraculo omnium maximo demonſtrare aggreſſi ſunt.

Erravit, ſi ita eſt, Origenes, qui lib. 3 *contra Celſum*, ſub finem, (edit. Eraſmi tom. 2. pag. 697) inde probat ſummam gratiæ chriſtianæ

næ efficaciam. „ Doctrina, inquit, eorum qui primi laboraverunt in „ conſtituendis Eccleſiis, ipſaque prædicatio, habuit quidem ſuadelam, „ at non qualem profeſſores ſapientiæ, aut alterius hominis nihil ſupra „ humanam naturam habentis; ſed fuit Apoſtolorum Jeſu *perſuaſio data* „ *divinitùs per fidem inſpiratam efficax*. Quapropter celerrimè cucurrit „ eorum prædicatio, *vel potiùs Dei* eorum miniſterio, *transformans* „ *multos naturâ peccatores* & aſſuetudine, quos nemo hominum mutaſ- „ ſet pœnis quantiſlibet. At verbum Dei *recudit eos formatos juxta* „ *voluntatem ſuam*.“

Erravit, ſi ita eſt, S. Athanaſius qui, in Serm. de Paſſione & Cruce Domini, ſoli per ſeipſam victrici morti Chriſti, atque inde defluenti gratiæ, virtutum illud inſigne opus adſcribit. „ Quid enim, inquit, „ neceſſe eſt nos loqui de cognitione Dei in omnes & ubique facta, cùm ex his quæ (etiamnum) fiunt quisque convinci poſſit? „ Nam nulla dies præterlabitur, in qua non aliqui idola relinquant, „ ſuisque & patriæ legibus renuntient, & ad Deum confugiant, & „ Chriſti leges recipere ambiant, *incredibili miraculo* in eum credentes. „ Adhuc enim idololatræ, & Chriſtum ut hominem vilipendentes, eumdem poſteà Deum cognoſcentes, idola derelinquunt, & quos priùs in „ idolis metuebant dæmones, eos, cognito Domino, contemptui habent & ab aliis expellunt: & voluptatem, quam, dum idololatræ eſſent, „ reverebantur, in Chriſto nunc aſpernantur: & peccatum, quod ipſos „ vincebat, jam ſigno crucis vincunt habentque ludibrio: & qui virginitati fidem nullam habebant, dicebantque impoſſibile eſſe eam virtutem in hominibus reperiri, ubi ſemel Servatori ex Virgine nato credidere, non ſolum eam agnoſcunt, ſed & ſervant, qui adhuc idololatriæ ſerviunt id planè non credentibus...... Quis verò in idololatria „ verſantes ita compungit, niſi Dominus? Aut quis eos inde abducit, „ niſi Chriſtus, qui dixit: *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum?* Hoc quippe *pro ingenti miraculo habendum eſt*, quòd idolis adhuc ſervientium mens aperiatur, ut intelligant eos, quos hactenus „ Deos putabant, ligna & lapides eſſe; quem verò crucifixum irridebant, hunc, non ut hominem, ſed ut Deum agnoſcant...... O creator & conditor omnium, Verbum Patris, tu nos denuo reformaſti, „ tuaque factura ſumus, creati in operibus bonis:..... Verè virtus, & „ brachium, & dextera Patris.“ Tom. 1. pag. 1020 & ſeq.

Erravit, ſi ita eſt, S. Joannes Chryſoſtomus, cùm, hom. 47 in Matthæum, num. 2, exponens (tom. 7. pag. 483 & 484) parabolam fermenti, ſic loquitur: „ Ubi ſunt Gentiles? Chriſti virtutem ediſcant, „ rerum veritatem conſpicientes, & hac utraque de cauſa illum adorent, & quòd rem tantam prædixerit, & quòd illam impleverit. Nam „ ipſe eſt qui vim fermento indit. Ideò multitudini admiſcuit eos qui „ in ſe credebant, ut infideles fidei credentium adhærerent...... Ac

Digitized by Google

„ quemadmodùm ſcintilla, cùm in ligna incidit, combuſta in flammam „ convertit, & ſic alia invadit, ita & prædicatio (gratiâ interiori ſuf- „ fulta). Non dixit tamen ignem, ſed fermentum: quare? Quia ibi „ non totum ab igne oritur, ſed ſimul etiam à lignis incenſis: hic ve- „ rò fermentum per ſe totum efficit.“ Et in lib. *Quòd Chriſtus ſit Deus, adverſùs Judæos & Gentiles*, num. 13 (in nova edit. tom. 1. pag. 576): „ Hæc dicendo, inquit, (Apoſtoli) perſuadebant, & ſic Eccle- „ ſiam ædificabant. Quo pacto & quâ ratione? Virtute jubentis: ipſe „ namque viam parabat, ipſe omnia difficilia facilia reddebat. Niſi enim „ divina quædam virtus hæc perpetraſſet, ne vel principium quidem aut „ exordium hæc habuiſſent. Quo enim id modo fieri potuiſſet? Verùm „ is qui dixerat, *fiat cœlum*, & opus exhibuit; & *fundetur terra*, & „ ejus ſubſtantiam produxit; & *luceat ſol*, & aſtrum oſtendit; quique „ omnia verbo operatus eſt, ille etiam has Eccleſias plantavit, & ver- „ bum illud, *ædificabo Eccleſiam meam*, hæc omnia operatum eſt.“ Ubi videmus eâdem omnipotentiâ Deum gentes adduxiſſe ad fidem, quâ cœlum & terram ac cætera omnia creavit. Idem argumentum non minore cum facundia tractat in pſalmum 109, ad hæc verba: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuo- rum;* in pſalm. 46, ad iſta verba: *Rex magnus ſuper omnem terram* &c.

Erravit, ſi ita eſt, diſertus auctor librorum *de Vocatione gentium*, qui, lib. 2, cap. 15, illum gratiæ victricis triumphum his verbis cele- brat: „ Fremebant gentes, iraſcebantur populi, ſæviebant gentiles, & „ poteſtates contradicebant, ſuperſtitiones & totius mundi reluctaban- „ tur errores. Sed de reſiſtentibus, furentibus, perſequentibus popu- „ lum ſuum Chriſtus augebat, ac per vincula, aut ſupplicia morteſque „ ſanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque univerſum „ mundum Dominicæ ſegetis multiplicabatur ubertas. Tanta enim deſu- „ per præbebatur conſtantia fidei, fiducia ſpei, fortitudo tolerantiæ, ut „ ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus ſanctus ac- „ cenderat, nullomodò ab opprimentibus poſſet extingui, cùm & qui „ cruciabantur vehementiùs ardeſcerent, & qui ſæviebant eamdem, „ quam perſequebantur, flammam ſæpè conciperent, quâ B. Apoſtolus „ Paulus ignitus fidenter ferventerque dicebat: *Quis nos ſeparabit à* „ *caritate Chriſti?* Hæc caritas diffuſa per Spiritum ſanctum fecit ut „ mundus fidelium mundum vinceret impiorum.“

Erravit, ſi ita eſt, S. Leo Rom. Pontifex, qui eamdem gratiæ virtu- tem admirans ſic exclamat, Serm. 7 in Nativitate Domini, cap. 2: „ Quæ hanc gratiam valet lingua narrare? Redit in innocentiam iniqui- „ tas, & in novitatem vetuſtas; in adoptionem veniunt alieni, & in „ hæreditatem ingrediuntur extranei. De impiis juſti, de avaris benig- „ ni, de incontinentibus caſti, de terrenis incipiunt eſſe cœleſtes. Quæ „ eſt autem iſta mutatio, niſi dexteræ Excelſi?“

Erra-

Digitized by Google

Erraverunt denique omnes Chriſtiani primorum ſæculorum, qui, dum, orantibus martyribus, perſecutores ipſos & carnifices ſubitò ad fidem converti cernebant, Dominicæ potentiæ miracula mirabantur. Sic, ut alia exempla taceam, cùm S. Theodoritus, Antiochenſis Eccleſiæ presbyter, fidem confeſſus eſſet coram Juliano Comite apoſtata & Juliani apoſtatæ avunculo, elevans inter tormenta oculos ad cœlum, ſignum à Deo petiit & impetravit. „ Domine, Deus omnipotens, inquit, (Acta Martyrum ſincera & ſelecta, p. 660) „ qui feciſti cœlum & terram, & „ omnia quæ in eis ſunt,..... iniquis oſtende tuam virtutem, ut co- „ gnoſcant omnes quoniam gratiam timentibus te præſtas, & tormen- „ ta denegantibus te, ut glorificetur nomen tuum quod eſt benedic- „ tum in ſæcula.“ Annuit Deus: ſignum datum eſt. Carnifices Chriſti fidem ſubitò amplexi martyrio coronati ſunt. Miſer verò Comes Julianus, immiſſo divinitùs horribili morbo, poſt biduum conſumptus eſt.

Non eſſet profectò unde in hoc tam grandi opere gratiæ virtutem tantoperè demiremur, ſi gratia ſit verſatilis. Quid enim? Omnibus qui evangelium audiebant, & miracula fieri cernebant, præſtò erat gratia interior, quâ excitabantur & alliciebantur ad fidem. Qui ex illis credebant, ideò convertebantur quia volebant, non quia præventi erant gratiâ, ut pote quæ cæteris in infidelitate remanentibus pariter data fuerat. Suo igitur proprio conſenſu credentes à non credentibus ſeſe diſcernebant. Cur in his prædicaretur efficacia gratiæ, quæ eadem prorſus in illis omni effectu caruit? Prædicemus potiùs eorum docilitatem, qui ſuâ ſponte evangelio & gratiæ Chriſti ſe ſubdiderunt. Laudemus, non divinam potentiam corda ferocia ſibi ſubjicientem, ſed promptiſſimam tot Ethnicorum atque ipſorummet carnificum voluntatem, jugum evangelii, ſimulque tormenta ſibi præparata maximo cum affectu amplectentium, quàmvis non majori gratiæ auxilio præventi eſſent, quàm illi qui in idololatria & Chriſtianorum odio perſeverabant.

Nec putent ſe tantum illud incommodum vitare, qui gratiæ efficaciam in congruitate per ſcientiam mediam præviſa collocant. Eſto; laudetur in eo ſyſtemate ſagacitas & induſtria divina, quæ tot millibus infidelium eas circumſtantias ſolerter adinvenerit & procuraverit, in quibus eos ultro conſenſuros præviderat. Cur verò omnipotentia laudaretur, quæ tam præclari operis cauſa efficiens minimè fuit, in eorum opinione, qui efficaciam gratiæ ab omnipotentia Dei derivari nolunt?

Si divinæ gratiæ operatio in eo efficacem ſe demonſtravit, quòd gentes à Deo penitus averſas mirabili potentiâ ad pietatem converterit, non minùs efficax apparebit in Judæorum converſione per Prophetas & Apoſtolos clarè prænuntiata. Hoc *myſterium* gentiles ignorare noluit S. Paulus, ut non ſint ſibi ipſis ſapientes, *quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael* (hoc eſt, ex parte, & quidem maximâ, Iſraelitarum), *donec plenitudo Gentium intraret, & ſic* (non pars eorum aliqua, ſed) *omnis Iſ-* Rom XI. 25 & ſeq.

 rael

rael ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob, & hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum. Nam *ſecundùm evangelium quidem*, ait, *inimici* (ſunt) *propter vos* (gentiles); *ſecundùm electionem autem, cariſſimi propter patres.*

Nemo ignorat quantum animis Judæorum inſit Chriſti nominiſque Chriſtiani odium, quàm excæcatam mentem & obduratum cor gerant, quàm pertinaciter, omnibus gentibus ad fidem evangelii converſis, in ſua patrumque incredulitate perdurent, ita ut miraculi inſtar habeatur, ſi quando eorum unus aut alter ſincerè convertatur. Quid ergo potentius, quid ſeipſo victricius concipi poteſt eâ gratiâ, quæ auferet ab illis cor lapideum & dabit cor carneum; quæ fidem eis inſpirabit, ut credant
Zachar. XII. & *aſpiciant ad eum quem confixerunt*, doleantque ſuper eum, *ut doleri ſolet in morte primogeniti*; quæ demum eos tam ferventi chriſtianæ fidei zelo replebit, ut, ex infenſiſſimis hoſtibus, ardentiſſimi prædicatores evadant? Et ſanè ſtupendam illam animorum mutationem, tanquam inſigne divinæ omnipotentiæ argumentum, Prophetæ paſſim cecinerunt. Sic apud Iſaiam, cap. 43, loquitur Deus: *Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni, da, & auſtro, noli prohibere: affer filios de longinquo, & filias meas ab extremis terræ; & omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum & feci eum,..... ut ſciatis & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipſe ſum...... Ego ſum Dominus,..... & ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat. Operabor, & quis avertet illud? Creans Iſrael Rex veſter,..... populum iſtum formavi mihi.* Quis ſanæ mentis in tam inſigni & evidenti miraculo verſatile tantùm, non verò per ſe efficaciſſimum adjutorium agnoſcat?

Si adverſariis credimus, Judæi à ſeptemdecim ſæculis non ita derelicti ſunt, quin ipſis defuerit gratia verè ac propriè ſufficiens, quâ poſſent, ſi vellent, in Chriſtum credere, &, quando convertentur, ea, quam tunc habebunt, gratia, non à ſeipſa, ſed ab ipſorum conſenſu efficax erit. Non ergo tunc potentiori auxilio prævenientur quàm hactenus præventi ſunt; ſed cordis aurem tunc veritati aperient, quam nunc pertinaciter occludunt. Ergo iſtud ſæpè promiſſum, tamdiuque expectatum miraculum (ſi miraculum dici poteſt quod ab humana voluntate pendet), non divinæ potentiæ, ſed liberi arbitrii effectus erit, gratiam, quam hactenus reſpuit, tunc unanimi omnium conſenſu accepturi. Talia paradoxa expoſuiſſe, confutaſſe eſt.

11ª Probatio. XIª PROBATIO, ex calumniis à Paganis & Hæreticis, occaſione doctrinæ de gratia efficaci, in Eccleſiam conjectis.

Quid de gratiæ Chriſti efficacia Eccleſia à primis ſæculis ſenſerit, concludi facilè poteſt ex objectionibus Paganorum & Hæreticorum. Quàmvis enim hujuſmodi objectiones calumnioſæ fuerint, nitebantur tamen utplurimùm aliquo Eccleſiæ dogmate malè intellecto, & nonnullo veriſi-

riſimilitudinis fuco obducebantur. Porro Pagani Chriſtianis objiciebant non propriâ voluntate, ſed ſolâ electione divinâ, ac veluti ſorte & fato quodam, juxta ipſos, homines Chriſtianos fieri. Id ipſis exprobrabat Cæcilius in Minucii Felicis Octavio. „ Culpam, inquiebat, vel inno- „ centiam fato tribui, ſententiis plurimorum etiam veſtra conſenſio eſt. „ Nam quidquid agimus, ut alii fato, ita vos Deo addicitis. Sic ſectæ „ veſtræ non ſpontaneos cupere, ſed electos. Igitur iniquum judicem „ fingitis, qui ſortem in hominibus puniat, non voluntatem.“ Nullum dubium eſt quin iſta criminatio fundata fuerit in dogmate pravè intellecto de efficacia gratiæ ad amplectendam fidem neceſſariæ. Nullus quippe tam atrocis calumniæ color fuiſſet, ſi Chriſtiani gratiam tantùm verſatilem, cujus effectus à propria cujusque voluntate pendeat, admiſiſſent.

At ne fortè dicas Chriſtianorum dogmata Paganis parum comperta fuiſſe, certè Pelagiani non ignorabant quid de gratiæ natura ac virtute Catholici profiterentur. Atqui illi hæretici gratiam à Catholicis aſſertam eodem nomine impugnabant, quòd ſcilicet libertatem omnino tolleret, quòd fatum quoddam induceret, quòd deſperationem afferret, quòd nullum merito & demerito locum relinqueret, quòd, eâ amiſſâ, non noſtra voluntas, ſed divinum auxilium in nobis coronandum eſt. Sic loquebatur ipſe Pelagius apud S. Hieronymum, in Epiſt. ad Cteſiphontem, cap. 3: „ Si nihil ago absque Dei auxilio, & ſi per ſingula „ opera ejus eſt omne quod geſſero, ergo non ego qui laboro, ſed Dei „ in me coronabitur auxilium.“ Et in Dialogo 1 contra Pelagianos, cap. 1, fidem Eccleſiæ ſic aggrediebatur ſub nomine Critobuli: „ Si „ absque Deo, & niſi per ſingula ille me juverit, nihil poſſum agere, „ nec pro bonis me juſtè operibus coronabit, nec affliget pro malis, ſed „ in utroque ſuum vel recipiet, vel damnabit auxilium.“ Idem objicit in tertio Dialogo.

Decem & octo Epiſcopi Pelagiani, in Epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem, de doctrina Catholicorum, quam S. Auguſtinus adverſùs eos defendebat, ſic loquuntur: „ Sub nomine gratiæ ita fatum aſſerunt, „ ut dicant quia, niſi Deus invito & reluctanti homini inſpiraverit bo- „ ni, & hujus imperfecti, cupiditatem, nec à malo declinare, nec bo- „ num poſſit arripere.“ Apud S. Auguſt. lib. 2 contra 2 Epiſt. Pelagian. cap. 8. num. 17.

Julianus, illorum Epiſcoporum coryphæus, præcipuusque Pelagianiſmi patronus, id ipſum S. Auguſtino Eccleſiæ partes agenti objicere non deſtitit. Sic, lib. 4 S. Doctoris contra ipſum, cap. 8. num. 40 & 41, eum calumniatur, quaſi doceret *bonos fieri homines fatali neceſſitate*, ... & *nihil ſtudii expectari ab humana voluntate debere*: & lib. 1 Operis imperfecti totus eſt in eadem calumnia refricanda, à cap. 70 usque ad 100. Sic inter alia loquitur cap. 97, ubi S. Auguſtino, hoc eſt, catholicæ fidei, quam ille propugnabat, Manichæiſmi notam affingit: „ Mani- „ chæus dicit voluntatem malam ab ea inſpirari natura, quæ bonum

 „ velle

„ velle non poteſt; voluntatem verò bonam ab ea infundi natura, quæ „ malum velle non poteſt: ita utique naturis ſingularum rerum imponit „ neceſſitatem, ut propriæ voluntates non poſſint velle contraria. In- „ ter nos & illum certè grande cahos eſt: videamus nunc quantùm ab „ eo tu receſſeris. Dicis eſſe liberam voluntatem, ſed ut malum tan- „ tummodò faciat; non autem eſſe in hoc liberam, ut malum deſiſtat „ operari, niſi fuerit ei impoſita neceſſitas volendi bonum ab ea natu- „ ra, quæ, ut tuis utar ſermonibus, malum non poteſt velle...... Per „ quod abſolutè pronuntias humanam naturam unum ſemper cupere „ quod malum eſt, & velle non poſſe contrarium: naturam autem Dei „ malum velle non poſſe, & ideò, niſi neceſſitatis ſuæ participem fece- „ rit malam hominum naturam, bonum in ea actionis eſſe non poſſe.“ En quibus coloribus ille Pelagianorum Patriarcha B. Auguſtini catholicam doctrinam adumbrabat.

Inter Auguſtinianas 225 & 226. Non minùs atris eam coloribus pingebant Semipelagiani, ut patet ex Epiſtolis Proſperi & Hilarii ad S. Auguſtinum, nec non ex Reſponſionibus Proſperi ad calumnias Gallorum & Vincentii. Teſtatur generatim S. Proſper in Epiſtola ad Rufinum, cap. 3, eos „ſcripta B. Auguſtini, „ quibus Pelagianorum error impugnatur, infamaſſe, dicentes eum li- „ berum arbitrium penitus ſubmovere, & ſub nomine gratiæ neceſſita- „ tem prædicare fatalem.“ Reverâ Fauſtus Reienſis, illorum princeps, Catholicos Auguſtinianæ doctrinæ defenſores ſub Prædeſtinatianorum nomine criminatur his verbis, lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 3: „ Dicunt ergo ad cultum Dei atque famulatum, etiam poſt baptiſmi „ ſalutare donum, devotæ ſervitutis obedientiam non requiri, ſed ſo- „ lam per ſe gratiam effectum humanæ ſalutis operari. Totum, in- „ quiunt, ſolius gratiæ eſt.“ Et cap. 17: „ Hoc loco attracti ſalutem „ attrahentis putat eſſe violentiam...... Numquid, velut inſenſibilis „ & inepta materies, de loco ad locum movendus eſt & trahendus?“

Quisquis iſtas tum Paganorum, tum Hæreticorum, uno veluti ore adverſùs Eccleſiæ doctrinam conſpirantium, criminationes attentâ mente conſideraverit, dubitare profectò non poterit quin Eccleſiæ doctrina, tametſi ab illis blasphemiis longiſſimè remota, talis tamen ſit contra quam hujusmodi objectiones cum aliqua probabilitatis umbra fieri poſſint. Porro nonniſi abſurdiſſimè & ineptiſſimè fieri potuiſſent, ſi Eccleſia gratiam prædicaſſet, quæ ſeipſâ efficax non ſit. Ecquis enim ita mente captus eſt, ut Molinæ vel Congruiſtarum placita tanquam libertatis inimica, fatum inducentia, neceſſitatem ac violentiam voluntati importantia proſcindat? Profectò ſi quis adeò deſiperet, ridendum ſe omnibus præberet, non refellendum. E contrario Moliniani & Congruiſtæ Thomiſtarum Auguſtinianorumque de gratia per ſe efficaci doctrinam eisdem objectionibus, veriùs dicam, calumniis impetere non ceſſant. Inde ſic argumentor: Ea doctrina vera & Apoſtolica eſt, quæ ſola

Digitized by Google

ſola iiſdem objectionibus & criminationibus exponitur, ac priſca fides Eccleſiæ contra hæreticos defenſa: illæ verò ſpuriæ & rejiciendæ, quæ illis criminationibus nullatenus ſunt obnoxiæ, immò quarum aſſertores eadem objicere non deſinunt, quod olim Pelagiani Catholicis objectabant. Atqui, ex omnibus doctrinis de quibus in Eccleſia controvertitur, ea, quæ Thomiſtarum & Auguſtinianorum eſt, gratiam ſcilicet eſſe per ſe efficacem, ſola eſt quæ eiſdem objectionibus oppugnetur, ac priſca fides Eccleſiæ contra calumnias Pelagianorum olim defenſa: cæteræ verò nedum illis objectionibus oppugnari poſſint, qui illas tuentur contra gratiam ſeipſâ efficacem eadem perpetuò allegant, quæ illi hæretici contra dogma catholicum allegabant. Ergo doctrina gratiæ per ſe efficacis eſt vera, ſincera & Apoſtolica Eccleſiæ fides; aliæ verò opiniones recèns invectæ, tanquam ſpuriæ & extraneæ, ac veluti Pelagianiſmi ſurculus, reſpuendæ & eliminandæ ſunt.

Et ſanè ſi quarto ſæculo, quando Pelagiani exorti ſunt, Eccleſia gratiam non ſeipſâ efficacem, ſed ad liberi arbitrii nutum flexibilem profeſſa fuiſſet, nihil omnino habuiſſent illi hæretici quod in ejus circa illud caput fide reprehenderent. Quomodò namque gratiæ verſatilis profeſſio eos oſtendiſſet, quam ipſi poſtmodùm ad declinandam invidiam excogitaverunt? Hoc unum videlicet in votis habentes, ut hominis ſors in ipſius manu collocaretur, nec refugientes quodlibet gratiæ tum exterioris, tum interioris genus agnoſcere, modò in arbitrii poteſtate ſit illam efficacem vel inefficacem reddere. Reverâ ultro fatebantur homines tentationibus externis internisque ad malum impelli, ſalvâ remanente arbitrii libertate; nec adeò obtuſi erant, ut non intelligerent gratiam interiorem, cujus effectus à voluntate pendeat, non magis nocere poſſe libertati, quàm vehementiſſimas tentationes quæ ſæpè nimiùm occurrunt. Igitur ſi gratiam nonniſi verſatilem & ſeipſâ non efficacem Eccleſia tunc agnoviſſet, nullus fuiſſet hæreſi Pelagianæ locus, aut certè brevi ac ſine gravi diſſidio extincta fuiſſet. Erupit tamen, & Catholicorum omnium conſenſu damnata eſt. Ac proinde doctrina gratiæ, ab Apoſtolis Eccleſiæ tradita, doctrina eſt gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis.

Hoc argumentum confirmat ipſe Molina, cùm confidenter dicit admodum probabile eſſe Pelagianam hæreſim nunquam fuiſſe exorturam, ſi ratio ab ipſo tradita conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præſcientia & prædeſtinatione, eo tempore data & explanata fuiſſet. In Concord. q. 23. art. 4 & 5. diſp. 1. memb. ult.

XIIª Probatio, ex precibus Eccleſiæ. 12ª Probatio.

Nullo argumento compendioſiùs devicta eſt Pelagiana & Semipelagiana hæreſis, quàm eo quod ex perpetuis Eccleſiæ precibus deducitur. Id quippe Deus in nobis operari ſemper creditum eſt, quod ut operetur ſemper ab eo poſtulavit Eccleſia; certumque eſt gratiam ſeipſâ efficacem eſſe, ſi hujuſmodi gratiam nunquam non popoſcit Eccleſia. Videamus igi-

igitur quid petere debeamus, quid eccleſia univerſa ſemper à Deo petierit, inde certò cognitur qualis & quanta ſit gratiæ efficacia.

1°. Quidem, Eccleſiâ ipſâ duce ac magiſtrâ, petimus à Deo non ſolùm poſſibilitatem bonorum operum, ſed voluntatem ipſam & effectum. Sic Dominicâ 5 poſt Pentecoſten: *Infunde cordibus noſtris tui amoris affectum.* Dominicâ 13: *Da nobis fidei, ſpei & caritatis augmentum, &, ut mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Et in Poſtcommunione: *Quæſumus, Domine, ut & voluntate piè rectèque vivendi, & virtute atque efficaciâ perficiendi nos jugiter donare digneris.* Dominicâ 16: *Tua nos gratia ſemper & præveniat & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Dominicâ 22: *Præſta ut, quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur.*

Eadem reperiuntur in antiquiſſimis Eccleſiæ orationibus. In Conſtitutionibus Apoſtolicis, lib. 8. cap. 6, invocatur Deus pro Catechumenis, „ ut inferat in eis caſtum ac ſalutarem timorem ſuum, ut aperiat „ aures cordis eorum...... Da eis, inquit Epiſcopus, cor novum, & „ ſpiritum rectum innova in viſceribus eorum, ut cognoſcant & faciant „ voluntatem tuam in corde magno & animo volente.“ Ibid. cap. 10, pro iis qui foris ſunt oratur Dominus, ut illos convertat. Ibid. lib. 7. cap. 45, pro recèns initiatis hæc præſcribitur precatio: „ Deus „ omnipotens,..... da mihi cor mundum, mentem vigilem, cognitio„ nem non errantem.“

In Liturgia S. Baſilii (apud Goar in Euchol. Græc. pag. 173): „ Pa„ cem tuam & dilectionem tuam largire nobis, Domine Deus noſter; „ omnia enim nobis dediſti: & da nobis uno ore & uno corde glorifi„ care & laudare venerandum & magnificum nomen tuum.“

In Liturgia S. Chryſoſtomi (apud eumdem Goar, ibid. pag. 70): „ Largire, Deus, etiam iis qui nobiſcum unà precantur, profectum vitæ „ & fidei,..... ut à potentia tua jugiter cuſtoditi tibi gratias refe„ ramus.“

In Liturgia Jacobitarum (ibid. pag. 19): „ Præſta ut cum puritate „ cordis operemur opera juſtitiæ...... Da nobis obſervatores eſſe man„ datorum tuorum.“

Oratio ipſa Dominica apertiſſima eſt gratiæ ſeipſâ efficacis teſtificatio. Cùm divini numinis ſanctificationem petimus, quid aliud petimus quàm ut piè ſanctèque vivamus? Nam, ut ait S. Gregorius Nyſſenus (Orat. 3 *de Orat. Dominica*, tom. 1. pag. 735) „ qui in oratione dicit, „ *ſanctificetur nomen tuum*, vi verborum hæc orat: Auxilii tui præſidio „ atque adjumento fiam irreprehenſibilis & inculpatus, juſtus, pius; „ abſtineam ab omni malo facinore, loquens id quod verum, faciens „ quod juſtum ſit, in rectitudine ambulans, temperantiâ illuſtris, inte„ gritate decoratus, ſapientiâ atque prudentiâ ornatus, ad ſupera aſpi„ rans, terrena deſpiciens, inſtitutis angelicæ vitæ clareſcens. Hæc &

„ ejus-

Digitized by Google

„ ejuſmodi brevis hæc petitio continet...... Non enim aliter per homi-
„ nem Deus glorificari poteſt, niſi virtus ejus teſtetur divinam poten-
„ tiam atque virtutem eſſe cauſam bonorum."

Cum petimus ut fiat voluntas Dei, quid aliud petimus quàm obediendi firmam efficacemque voluntatem? Quaſi diceremus, inquit idem S. Doctor, Orat. 4 (ibid. pag. 743): „ Quoniam voluntas tua temperan-
„ tia eſt, ego verò carneus ſum, venditus ſub peccatum, virtute tuâ
„ hæc bona mihi voluntas contingat: ita juſtitia, pietas, à vitiis alie-
„ natio. Nam voluntatis (Dei) vocabulum generaliter omnes virtutes
„ in ſe comprehendit."

Cùm oramus ne intremus in tentationem, quid aliud profitemur, quàm donum Dei eſſe quòd peccato non conſentimus? Hinc S. martyr Cyprianus, lib. *de Oratione Dominica:* „ Quando rogamus, inquit, ne
„ in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis
„ noſtræ, dum ſic rogamus ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi
„ ſuperbè atque arroganter aliquid aſſumat,..... ut, dum præcedit
„ humilis & ſubmiſſa confeſſio, & totum datur Deo, quidquid ſuppli-
„ citer cum timore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur." Quibus verbis commemoratis, S. Auguſtinus addit, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. num. 13: „ Si alia documenta non eſſent, hæc Dominica oratio
„ nobis ad cauſam gratiæ quam defendimus ſola ſufficeret, quia nihil
„ nobis reliquit in quo tanquam in noſtro gloriemur: ſiquidem, & ut
„ non diſcedamus à Deo, non oſtendit dandum eſſe niſi à Deo, cùm
„ poſcendum oſtendit à Deo." Et in Epiſt. 177, olim 95, ad Innocentium Rom. Pontificem, quam unà cum quatuor aliis Africæ Epiſcopis ſcripſit, num. 4: „ Qui orat & dicit, *ne nos inferas in tenta-*
„ *tionem*, non utique id orat ut homo ſit, quod eſt naturâ, neque id
„ orat ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit cùm crearetur
„ ipſa natura,..... neque orat ut accipiat mandatum, (neque ut gra-
„ tiâ poſſibilitatis præveniatur): ſed planè orat ut faciat mandatum. Si
„ enim in tentationem inductus fuerit, hoc eſt, in tentatione defecerit,
„ facit utique peccatum, quod eſt contra mandatum. Orat ergo ut non
„ peccet, hoc eſt, ne quid faciat mali; quod pro Corinthiis orat
„ Apoſtolus Paulus dicens: *Oramus autem ad Deum ne quid faciatis*
„ *mali*...... Ipſa igitur oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio."

Uno verbo, „ orationibus ſanctorum ea petuntur à Domino, quæ
„ præcipiuntur à Domino, ut ait idem S. Doctor, Epiſtolâ 179, olim 252, ad Joannem Jeroſolymitanum, num. 13. Atqui non poſſibilitas mandatorum, ſed quod noſtrum eſt, ſcilicet voluntas implendi mandata, & eorumdem obſervatio, præcipitur à Deo. Ergo illud ipſum quod noſtrum eſt petitur à Deo, ac proinde donum Dei eſt.

2°. Petimus a Deo ut voluntates noſtras rebelles ac contumaces compellat, frangat, ſubjiciat. In ſecreta Dominicæ 4 poſt Pentecoſten: *Ad*

te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates. In antiqua oratione pro feſto S. Pauli: *Noſtrarum, quæſumus, ejusdem gratiæ virtute frange contumaciam voluntatum.* In hymno ejusdem feſti multis in Eccleſiis cani ſolito:

O celſa cedrorum, Deus,	*Tu, Paſtor, infenſas tuo*
Qui voce vertis culmina!	*Vires ovili contere,*
O qui potenti ſubjicis	*Et noſtra, ſi quid devium,*
Mentes ſuperbas gratiæ!	*Ad te reflecte pectora.*

Inter antiquas Preces à Georgio Caſſandro collectas ita legitur: *Ad obſequendum ſpiritui mentem meam compelle, rebellemque juventutem meam ad capeſſendum ſuave jugum tuum inflectas. Trahe me poſt te, & ſicuti tu vis. Domine, duc me quò non volo: da quod jubes, & jube quod vis, &, ſecundùm beneplacitum voluntatis tuæ, compelle me vivere in fide per dilectionem efficaci, ut ſalvus fiam.*

3°. Petimus ut Deus bonam voluntatem ac bona opera verè, propriè, & efficienter operetur in nobis ipſo gratiæ ſuæ dono. Sic in oratione quæ œcumenicis aliiſque Conciliis jampridem recitari conſuevit, ac poſtremò in Tridentino quotidie dicebatur, Patres Spiritum ſanctum his verbis alloquuntur: *Dignare illabi cordibus noſtris. Doce nos quid agamus, quò progrediamur oſtende, quid efficiamus operare...... Eſto ſolus & ſuggeſtor & effector judiciorum noſtrorum...... Non in ſiniſtrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum vel perſonæ corrumpat: ſed junge nos* EFFICACITER TIBI SOLIUS GRATIÆ TUÆ DONO, *ut ſimus in te unum, & in nullo aberremus à vero.* Quomodò iſta cordium junctio in Deo, quæ ſine voluntatum conſenſu utique non fit, ſolius gratiæ opus dicitur, niſi quia ſola gratia efficit ut voluntas liberè conſentiat, illam movendo & efficaciter determinando, tanquam cauſa prima & primaria?

4°. Iſta precando, non Dei præſcientiam, ſed omnipotentiam reſpicimus, corda noſtra in ſua poteſtate habentem, eaque, ut & cæteras creaturas, quò, quando & quomodò voluerit, moventem, flectentem atque inclinantem. Dominicâ 4 Adventûs: *Excita, Domine, potentiam tuam*, & *veni*, & *magnâ nobis virtute ſuccurre.* Dominicâ 2 poſt Epiphaniam: *Omnipotens, ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice, atque ad protegendum nos dexteram* (ſeu potentiam) *tuæ Majeſtatis extende.* In oratione ad poſtulandam caritatem: *Da cordibus noſtris inviolabilem tuæ caritatis affectum, ut deſideria de tua inſpiratione concepta nullâ poſſint tentatione mutari.*

In Liturgia S. Baſilii in tota penè Orientali Eccleſia olim recepta, & à Petro Diacono, lib. *de Incarn. & gratia*, commemorata: „ Malos, „ quæſumus, bonos facito; bonos in bonitate conſerva. OMNIA ENIM

„ PO-

Digitized by Google

„ POTES, ET NON EST QUI CONTRADICAT TIBI. CÙM VOLUERIS SALVAS, ET NULLUS RESISTIT VOLUNTATI TUÆ.“

In antiquiſſima Jacobitarum Liturgia (in Liturgiis Orientalibus Renaudot, tom. 2. pag. 8): „ Domine, Deus omnipotens, qui ſecundùm „ divinam voluntatem tuam omnia regis, omnia enim tibi ſubdita „ ſunt, ... aufer à nobis dolum & invidiam, & ſpiritu tuo nos ſanctifica, ut digni auditores & factores ſimus Evangelii Chriſti tui.“

In Liturgia S. Chryſoſtomi (apud Goar in Euch. Græcorum, pag. 58): „ Emitte, Domine, manum tuam de excelſo habitaculo tuo, & confirma me ad propoſitum miniſterium tuum, ut inculpatè tuo tremebundo tribunali adſtans, incruentum ſacrificium peragam.“

In Præparatione ad Miſſam S. Ambroſio attributa, pro feria 3: „ Quis „ dignè hoc ſacrificium celebrare poterit, niſi tu, Deus omnipotens, „ offerentem feceris dignum? ..... SCIO ET VERACITER EX TOTO „ CORDE CREDO, ET ORE CONFITEOR, QUIA TU POTES ME FACERE DIGNUM, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine. PER HANC OMNIPOTENTIAM TUAM te rogo, „ Deus meus, ut concedas mihi hoc ſacrificium celebrare cum timore „ ac tremore, cum cordis puritate & lacrymarum fonte &c.“

In Liturgia Æthiopum ſeu Cophtarum, quæ S. Cyrillo Alexandrino attribuitur: „ Mitte Spiritum ſanctum tuum paracletum, ... qui li- „ berè propriâ poteſtate operetur, ſecundùm voluntatem tuam, purita- „ tem in iis quos diligis.“ Hinc Eccleſia pleraſque orationes ſuas inchoat hiſce verbis: *Omnipotens, ſempiterne Deus*, vel, *Omnipotens & miſericors Deus*, idque ex veteri conſuetudine quam teſtatur Origenes, hom. 9 in Jerem. „ Frequenter, inquit, in oratione dicimus: *Da, omnipo-* „ *tens,*“ ut ſcilicet admoneamur virtutes, quas poſtulamus à Deo, expectandas eſſe ab ipſius omnipotentia. Hinc etiam, ut fidem omnipotentiæ divinæ, quâ nos exauditum iri confidimus, potentiùs in nobis excitet Eccleſia, in memoriam nos ſæpè revocat miraculorum olim à Deo patratorum; quando v. g. cum Davide dicit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Atque in hoc Apoſtolos imitatur, qui, auditis Judæorum minis, *unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt...... Et nunc, Domine, reſpice in minas eorum, & da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſancti Filii tui Jeſu.* Actor. IV. Quibus verbis profitebantur eâdem omnipotentiâ produci in cordibus conſtantiam invictamque fiduciam, quâ cœlum & terra creata ſunt, & quâ miracula viſibilia fiunt. Quantùm autem accepta Deo fuerit illa precatio, teſtatur eventus. *Cùm enim oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Vide ſupra Probationem 4am.

Digitized by Google

Certè ſi mentem noſtram verbis, ac verba menti conſona eſſe oportet, tunc maximè quando Deum oramus. Certè Eccleſia non aliud ſentit, aliud precibus ſuis exprimit. Si abſque fuco ſponſa ſponſo loquitur, quantò magis ſponſa veritatis ipſi veritati ſponſo? Debent igitur preces Eccleſiæ abſolutè accipi pro ut ſonant, ac proinde, quod orando petimus, illud ipſum à Deo dari firmâ fide credendum eſt, eâque virtute dari, quâ ut nobis detur oramus: ipſos ergo virtutum actus, ipſam bonam voluntatem, ipſa opera bona donari à Deo, ſiquidem ea ipſa nobis donari poſtulamus. Ergo credendum eſt rebelles, repugnantes, contumaces voluntates ſummâ facilitate compelli, domari, immutari, ſibi ſubjici ab eo quem, ut id faciat, precamur. Ergo credendum eſt Deum id totum per ſuam omnipotentiam operari, eâdemque virtute quâ cœlum & terram è nihilo creavit; quandoquidem, cùm oramus, ſolam ejus ad quem confugimus miſericordiſſimam omnipotentiam & omnipotentiſſimam miſericordiam attendimus. Sic affectum eſſe oportet, qui precaturus accedit; aliàs Deum labiis tantum honorat. Id verò quod poſtulat certiſſimè impetrabit, qui veraciter dicere poteſt cum Ambroſio: „ Scio, & veraciter ex toto corde credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo „ conceptum ſemine."

Noſtra non eſt iſta concluſio, ſed SS. Patrum adverſùs gratiæ inimicos pugnantium, qui ex Eccleſiæ precibus gratiæ non tantùm neceſſitatem, ſed etiam virtutem ſeipſâ efficacem demonſtrarunt.

S. Auguſtinus præſertim hâc petrâ altitudinem omnem extollentem ſe adverſus gratiam Dei validiſſimè contrivit. „ Prorſus, ait lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. num 15, „ non operoſas diſputationes expectet Ec„ cleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat ut increduli cre„ dant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat ut credentes perſeverent: „ Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem." Ibidem, cap. 2. num. 3: „ Cur autem perſeverantia iſta poſcitur à Deo, ſi non datur „ à Deo? An & iſta irriſoria petitio eſt, cum id ab eo petitur, quod „ ſcitur non ipſum dare, ſed, ipſo non dante, (ſed excitante tantum„ modò) eſſe in hominis poteſtate: ſicut irriſoria etiam eſt illa gratia„ rum actio, ſi ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod ipſe non donavit, „ nec fecit...... Nolite errare, inquit Apoſtolus, *Deus non irridetur.* „ O homo, non verborum tuorum tantùm, verùm etiam cogitationum „ teſtis eſt Deus. Si aliquid à tanto divite fideliter ac veraciter poſcis, „ ab illo, à quo poſcis, te accipere crede quod poſcis. Noli eum labiis „ honorare, & ſuper eum corde te extollere, credens à teipſo tibi eſſe „ quod ab illo te fingis orare." Egregia profectò verba atque omni attentione digna.

Rurſus, cap. 23, num. 63: „ Non oraret Eccleſia ut daretur infide„ libus fides, niſi Deum crederet & averſas & adverſas hominum ad ſe „ con-

„ convertere voluntates: nec oraret Eccleſia ut perſeveraret in fide „ Chriſti, non decepta vel victa tentationibus mundi, niſi crederet „ Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bonum, quod non „ tenemus niſi propriâ voluntate, non tamen teneamus niſi Deus in „ nobis operetur & velle. Nam ſi hæc quidem ab ipſo petit Eccleſia, „ ſed à ſeipſa ſibi dari putat, non veras, ſed perfunctorias orationes „ habet; quod abſit à nobis. Quis enim veraciter gemat, deſiderans „ accipere quod orat à Domino, ſi hoc à ſeipſo ſe ſumere exiſtimet, non „ ab illo?" Idem inculcat cap. 8. num. 15 & 19, & cap. 20. num. 41.

Vitalem Carthaginenſem, exiſtimantem *operari Deum, quantùm in ipſo eſt, ut velimus, cùm nobis nota fiunt ejus eloquia, ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos, ut operatio ejus nihil in nobis proſit, efficere*, eodem inviċtiſſimo argumento ad fidem catholicam, gratiâ ipſâ quam aſſerebat aſpirante, feliciter revocavit. Sic illum alloquebatur in Epiſtola 217, olim 107, cap. 2. num. 6: „ Inaniter igitur, & perfunctoriè potiùs quàm „ veraciter, pro eis (infidelibus) Deo fundimus preces, ut doctrinæ cui „ adverſantur credendo conſentiant, ſi ad ejus non pertinet gratiam con- „ vertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias hominum voluntates. Ina- „ niter etiam, & perfunctoriè potius quàm veraciter, magnas cum exul- „ tatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, ſi hoc in „ eis ipſe non facit." Et num. 7: „ Non fallamus homines; nam „ Deum fallere non valemus. Prorſus non oramus Deum, ſed orare „ nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum, credimus facere quod oramus. „ Prorſus non gratias Deo agimus, ſed agere nos fingimus, ſi, unde „ illi gratias agimus, ipſum facere non putamus. Labia doloſa ſi in „ hominum quibuſcunque ſermonibus ſunt, ſaltem in orationibus non „ ſint. Abſit ut, quod facere Deum rogamus oribus & vocibus noſtris, „ eum facere negemus cordibus noſtris,..... &, dum apud homines „ volumus defendere liberum arbitrium, apud Deum perdamus oratio- „ nis auxilium, & gratiarum actionem non habeamus, dum veram non „ agnoſcimus gratiam."

Eadem dici poſſunt (atque utinam tam fauſto exitu!) omnibus qui gratiam ita admittunt, ut per ſe efficacem negent. Illi quippe, quemadmodum Vitalis, aliquid boni agnoſcunt in homine, quod non à Deo datur, illud ſcilicet quo gratia redditur efficax, quæ alioquin effectu careret: nec animadvertunt illud ipſum imprimis poſtulari à Deo, à quo quid aliud petimus, niſi ut gratia ipſius in nobis vacua non ſit, ut velimus, ut conſentiamus, ut ex nolentibus volentes efficiamur?

Idem argumentum iterum urget S. Doctor in eadem Epiſtola, cap. 3. num. 8, & cap. 7. num. 26, 27 & 28; lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 14. num. 29; lib. 6 *Operis imperfecti*, cap. 10; in Enchiridio, cap 39. num 9.

Nec tantum in ſcriptis adverſùs Pelagianos, ſed in aliis quoque ea-

dem obſervat. Sic in libro *de Sancta Virginitate*, cap. 41. num. 42: „ Teſtes ſunt, inquit, voces piarum deprecationum in Scripturis, qui- „ bus oſtenditur ea ipſa, quæ præcipiuntur à Deo, non fieri niſi dante „ atque adjuvante qui præcipit. Mendaciter enim petuntur, ſi ea, non „ adjuvante ejus gratiâ, facere poſſemus. Quid tam generaliter maxi- „ mèque præcipitur, quàm obedientia quâ cuſtodiuntur mandata Dei? „ Et tamen hanc invenimus optari...... Quòd ſi peccatum fuerit, præ- „ cipitur ut pœniteat...... Etiam hoc à Deo petitur, ut intelligatur non „ fieri, niſi eo præſtante à quo petitur...... Si ergo & obedientia quâ „ mandata ejus ſervamus, & pœnitentia quâ peccata noſtra non excu- „ ſamus, ſed accuſamus, optatur & petitur, manifeſtum eſt quia, cùm „ fit, illo dante habetur, illo adjuvante completur." Vide eumdem, lib. *de Bono Viduitatis*, cap. 17. num. 21.

S. Cæleſtinus Rom. Pontifex, in Capitulis ipſius ad Galliarum Epiſcopos Epiſtolæ ſubjunctis, eodem argumento ex precibus Eccleſiæ petito Semipelagianos refellit. „ Præter beatiſſimæ atque Apoſtolicæ Sedis in- „ violabiles ſanctiones, inquit cap. 11, quibus nos piiſſimi Patres, „ peſtiferæ novitatis elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia, & „ incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeve- „ rantiam ad Deum referre docuerunt, obſecrationum quoque ſacerdo- „ talium ſacramenta reſpiciamus, QUÆ AB APOSTOLIS TRADITA „ IN TOTO MUNDO ATQUE IN OMNI CATHOLICA ECCLESIA „ UNIFORMITER CELEBRANTUR, UT LEGEM CREDENDI LEX „ STATUAT SUPPLICANDI. Cum enim ſanctarum plebium Præſules „ mandatâ ſibimet legatione funguntur, apud divinam clementiam hu- „ mani generis agunt cauſam, &, TOTA SECUM ECCLESIA INGE- „ MISCENTE, poſtulant & precantur ut infidelibus donetur fides, ut „ idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis, ablato „ cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei „ perceptione reſipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiritum redivivæ caritatis acci- „ piant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Cathe- „ chumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cœleſtis miſericordiæ „ aula reſeretur." (Omnes illæ orationes etiam nunc feriâ 6 majoris Hebdomadæ ſolemni ritu quotannis celebranrur). „ Hæc autem non „ perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat „ effectus; quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dig- „ natur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in „ regnum Filii caritatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ."

Idem argumentum tractat egregiè auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 12, & locupletiſſimè Illuſtriſſimus Boſſuetus in Defenſione Traditionis & SS. Patrum, lib. 10. cap. 9 & ſeq., & lib. 12. cap. 21 & ſeq.

Obſervandum autem Eccleſiam à precando non deſiſtere, quandiu quod

enixè

Digitized by Google

enixè oravit nondum conſecuta ſit, nec exauditam ſe credere, quandiu aut infidelis, aut peccator, aut hæreticus in ſua pravitate permanet. Attamen ſi gratia non eſt ſeipſâ efficax, oratio Eccleſiæ potuit eſſe exaudita, tametſi ille pro quo rogatur non ſit converſus. Ut quid ergo importunis clamoribus ſponſum ſuum interpellat pia mater? Fecit ille quod in ſe fuit: peccatorem, pro quo exoratus eſt, gratiâ ſuâ prævenit, excitavit, invitavit, imò prævenire, excitare, invitare non ceſſat; ſed ille conſentire renuit, aureſque ſuas obturat, ut non exaudiat vocem ſuaviter ac ſapienter incantantis. Non ergo jam ad Deum recurrendum eſt, ſed ad peccatorem ipſum preces dirigendæ ſunt, ut gratiam ſibi abundè ſubminiſtratam efficacem reddere velit, idque conſentiendo faciat quod Deus fruſtra vult, niſi ipſe annuat. Verùm ab Eccleſia abſit adeò blaſphema cogitatio. Firmiſſimè credit, id quod poſtulat, in ſuprema Dei eſſe poteſtate; requiri quidem peccatoris conſenſum, ſed, ſi omnipotens velit, illum ſtatim affuturum. Pro certo etiam tenet nondum ſe exauditam, quamdiu non ſit quod petiit; ideò petere non ceſſat, donec petitionis ſuæ effectum conſecuta ſit. Inde autem ſic argumentor: Ea gratia eſt per ſe efficax, ſuâque naturâ cum effectu conjuncta, quæ hoc ipſo non donata demonſtratur, quòd effectus non ſequatur. Atqui Eccleſia certò concludit gratiam converſionis v. g. peccatori datam non eſſe, ex eo quòd peccator ille non ſit converſus. Ergo Eccleſia pro certo habet gratiam ſuâpte naturâ conjunctam eſſe cum effectu.

Advertendum eſt inſuper iſto argumento non probari tantummodò dari aliquam gratiam ſeipſâ efficacem, verùm etiam hujuſmodi gratiam eſſe abſolutè neceſſariam ad omnes & ſingulas actiones chriſtianæ pietatis. Nullam quippe facere tenemur, pro qua facienda Deum orare non debeamus: porro eam tantùm gratiam poſtulare jubemur, quæ nobis ad benè agendum eſt neceſſaria.

XIII[a] PROBATIO, ex gratiarum actionibus Eccleſiæ. 13[a] Probatio.

Orationem inter & gratiarum actionem ea connexio eſt, ut, quod illa donari expoſcit, de ejus conſecutione hæc non niſi in Domino glorietur. Per illam manum quodammodò porrigimus ad accipiendum: per hanc, quæ de omnium bonorum largitoris beneficentia accepimus, ad ipſum referimus. Illa, quatenùs omne bonum, quod ad ſalutem confert, à ſolo Deo expectat, profitetur illud totum per gratiam ſeipſâ efficacem produci: hæc, quatenus nullum opus bonum, nullamve boni operis partem excipit, unde gratias non agat Deo, quidquid boni eſt in hominibus gratiæ ſeipſâ effectrici deputandum eſſe oſtendit. Nam perfunctoriè profectò magis quàm veraciter gratiæ Deo aguntur, ſi id, de quo gratiæ aguntur, non cum reipſâ feciſſe credatur. Porro gratias agere debemus Deo, non propterea tantum quod poſſumus bonum operari, ſed multò magis propterea quòd bonum reipſâ volumus & operamur, quòd infideli

infideli fidem, peccatori ſinceram cordis converſionem, juſto bonorum operum affectum & effectum inſpiraverit. Ergo, ut hoc religionis debitum ritè perſolvamus, credere indubitanter debemus hoc ipſum, quòd bonum volumus & operamur, quòd infidelis credit, quòd peccator convertitur, quòd juſtus bonis operibus ſtudet, à Deo fieri. Hoc autem quid eſt, niſi gratiam ſeipſâ effectricem confiteri? „ Gratias Deo non immeritò agimus, aiebat S. Auguſtinus, Epiſt. 217 ad „ Vitalem, cap. 6. num. 24, „ de iis quibus non ei credentibus, & „ ejus doctrinam voluntate impiâ perſequentibus, miſericordiam præ„ rogavit, eosque ad ſeipſum OMNIPOTENTISSIMA FACILITATE „ CONVERTIT, AC VOLENTES EX NOLENTIBUS FECIT. Ut „ quid inde ei gratias agimus, ſi hoc ipſe non fecit? Utquid tantò „ magis eum magnificamus, quantò magis nolebant credere, quos „ crediſiſſe gaudemus, ſi gratiâ divinâ voluntas in melius non mu„ tatur humana?“ Idem S. Doctor Julianum Pelagianum alloquens, lib. 2 Oper. imperf. cap. 230: „ Surde, inquit, audi Apoſtolum gratias „ agentem Deo, quòd ejus doctrinæ ex corde obedierunt, quandoqui„ dem non dixit, gratias Deo, quia prædicata eſt vobis doctrina ejus „ (neque quia vobis data eſt obediendi potentia), ſed quia obediſtis. „ Non enim omnes obaudiunt evangelio, ſed quibus datum eſt ut obau„ diant...... Non ergo ex corde, hoc eſt, ex voluntate obediſſent, ſi non „ præpararetur voluntas à Domino: alioquin mendaciter ei de hac re Apos„ tolus gratias agit, ſi hoc ipſe non fecit.“ Quid autem eſt fidem ſive obedientiam facere, niſi conſenſum ipſum voluntatis operari, quo creditur & obeditur; quod profectò fieri nequit niſi per gratiam propriâ virtute effectricem?

Sanctus quoque Papa Cæleſtinus, in Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum, cap. 11, poſt verba in præcedente Probatione allata ſtatim addit: „ Quod adeò totum divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo, „ videlicet infidelium, idololatrarum, Judæorum, hæreticorum, ſchis„ maticorum, aliorumque peccatorum converſionem, gratiarum ſemper „ actio laudisque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referantur.“ Igitur, ſummo illo Pontifice ipſo judice, gratiarum actio demonſtrat Deum ab univerſa Eccleſia agnoſci ut cauſam efficientem conſenſûs voluntatis, in quo propriè converſio conſiſtit.

2°. Non aguntur Deo gratiæ pro conceſſa gratia converſionis vel bonorum operum, niſi poſteaquàm peccator reipſâ converſus eſt, vel bona opera facta ſunt. Ergo perſuaſum ſemper habuit Eccleſia gratiam ad bonum agendum neceſſariam datam non eſſe, quandiu effectus non apparet. Iſtud autem verum non eſſet, ſi gratia ad benè agendum neceſſaria non eſſet ſeipſâ efficax, & cum effectu propriâ virtute connexa. In ea quippe hypotheſi fieri optimè poteſt, ut homo acceptam à Deo habear

Digitized by Google

beat gratiam omnem requiſitam ad converſionem & ad bona opera, & tamen non convertatur nec benè operetur. Ergo Eccleſiæ fides eſt gratiam neceſſariam ad benè agendum eſſe ab intrinſeco efficacem.

3°. E duobis peccatoribus, quorum unus convertitur, alter non convertitur, pro illo gratiæ Deo aguntur, pro iſto non aguntur. Id porrò à ratione alienum foret, ſi gratia non eſſet per ſe efficax. Hoc quippe ſuppoſito, utrique Deus largitus eſt gratiam requiſitam & ſufficientem ut converteretur; non minùs munificè ſe geſſit erga unum quàm erga alterum, imò forſitan majoribus gratiæ auxiliis ille præventus eſt, qui averſus manet, quàm ille de cujus converſione Deus laudatur. Cur ergo non æqualiter pro utroque gratiæ Deo agerentur? Sanè, ſi conſequenter agere velint adverſarii, Deum laudent quòd ambobus gratiam liberaliter indulſerit ad benè agendum neceſſariam, ac de ipſa converſione illum ſolum laudent, qui ab altero non diſpari gratià prævento ſeipſum diſcrevit.

4°. Non ſolùm pro difficilioribus pietatis actibus, ſed etiam pro facilioribus debemus Deo gratias agere, juxta illud Apoſtoli, Epheſ. V. 20: *Gratias agentes ſemper pro omnibus*, & 1 Theſſal. V. 17 & 18: *Sine intermiſſione orate: in omnibus gratias agite; hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis.* Id facit nosque facere admonet Eccleſia, cum dicit in Præfatione Miſſæ: *Gratias agamus Domino Deo noſtro. Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare*, NOS TIBI SEMPER ET UBIQUE GRATIAS AGERE, *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus.* Proinde confiteri debemus nos, quemadmodùm ad actus difficiliores, ita & ad faciliores gratià per ſe efficaci ſemper indigere.

XIVᵃ PROBATIO, ex connexione hujus doctrinæ cum præcipuis Chriſtianæ vitæ officiis. 141 Probatio.

Supra oſtendimus doctrinam æquilibrii, & gratiæ ex conſenſu voluntatis aut ex ſcientia media efficacis, totius moralis chriſtianæ ruinam ſecum trahere: nunc paucis oſtendendum eſt doctrinam gratiæ per ſe efficacis fundamenti loco eſſe præcipuis chriſtianæ vitæ virtutibus, convellique illam non poſſe, quin hæ ſimul in præceps ruant.

1°. Doctrina gratiæ per ſe efficacis includitur in fide chriſtiana, quam legi opponit Apoſtolus, cùm dicit, Galat. III. 12: *Lex non eſt ex fide, ſed* (dicit tantummodò) *qui fecerit ea* (mandata), *vivet in illis.* In hoc igitur ſita eſt fides propria Chriſtianorum, ut firmiſſimè credant obſervationem mandatorum, quâ pervenitur ad regnum cœleſte, donum Dei eſſe per Jeſum Chriſtum, atque ab ipſo ſolo, non à viribus & conatu liberi arbitrii, expectandam. Unde dicit idem Apoſtolus ibidem, V. 5: *Nos autem ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus.* Propterea, ſicut Judæus ſub lege poſitus pollicetur ſacturum ſe omnia quæ præceperit Dominus, ita è contrario Chriſtianus fide eruditus nihil pollicetur ex ſeipſo, ſed Deum orat ut in ipſo operetur & velle.

2°. Eadem doctrina fide concepta ſpem chriſtianam gignit. Docendo quippe nihil noſtrum eſſe, niſi Deo in nobis efficaciter operante, monet nos ſoli Deo & potentiæ virtutis ejus innitendum eſſe, ad faciendum quodcunque bonum, & à quocunque malo abſtinendum, in quo præcipuè ſpes chriſtiana conſiſtit.

3°. Firmam conſequendæ ſalutis fiduciam inſpirat. Enimverò quis peccator animo non deſpondeat, ſi converſionem ſuam à propria voluntate peccato mancipata expectare compellatur? Quomodò, quando ex ſeipſo volet quod hactenus noluit, quod non amat, quod valde reformidat? Gratia, inquies, illi non deerit. At qualis, quæſo, gratia? Quæ hactenus non defuit, quam inutilem hucusque reddidit, quæ, ut effectum habeat, ab ipſius voluntate expectat? Quis etiam juſtus, dum recogitat tot ac tantas hujus vitæ tentationes propriamque infirmitatem, confidere audeat ſe ad finem usque perſeveraturum? *Qui verò habitat in adjutorio Altiſſimi*, illud ſeipſo efficax reputans ad ſalvandum, *in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino: ſuſceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus, ſperabo in eum.* Sperat ſe in tentationibus non defecturum, quia *Pater* cœleſtis, à quo ſe Chriſto datum eſſe confidit, *major omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu ejus.* Non timet mundum, ſive blandientem, ſive terrentem, ſive ſævientem, quia Chriſtus *vicit mundum:* neque metuit diabolum, *quia major eſt qui in nobis eſt, quàm qui in mundo.* Demum *fiduciam talem habet per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficiens ſit cogitare aliquid* à ſeipſo, tanquàm ex ſeipſo; *ſed* quia *omnis ſufficientia* ejus *ex Deo eſt.* Sanè multò *tutiores vivimus*, ut ait S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 6. num. 12, *ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

Pſalm. XC.
Joann. X. 28.
Ibid. XVI. 33.
1 Ep. S. Joann. IV. 4.
2 Corinth. III. 4. & 5.

4°. Eadem doctrina timorem ſalubrem ac piè ſollicitum, quo fiducia à præſumptione immunis ſervatur, in fidelibus excitat. Cur enim *cum timore ac tremore ſalutem noſtram nos operari* vult Apoſtolus, Philipp. II, niſi quia *Deus eſt qui operatur velle & perficere?* Cur Propheta Regius juſtos admonet ut *ſerviant Domino in timore, & exultent ei cum tremore*, niſi, ut ſtatim ſubdit, *ne quando iraſcatur Dominus, & pereant de via juſta*, Deo ſcilicet juſto judicio auxilium gratiæ ſubtrahente, quâ juſtè vivitur?

Pſalm. 2.

5°. Vigilantiæ chriſtianæ neceſſitatem commendat. Si enim ſalus noſtra in manu Dei eſt illam operantis per gratiam ſeipſâ efficacem, quam in torporis ac negligentiæ pœnam juſtè ſubtrahere poſſit, quanto ſtudio nobis ſatagendum eſt ut cautè ambulemus, ut ne in aliquo Deum offendamus, ut vel minimas culpas ſummâ curâ evitemus, ut de admiſſis doleamus ac deprecemur, ne deſerentes Deum ab eo deſeramur, & periculum amantes in eo pereamus.

6°. Nutrix eſt humilitatis, quæ in eo tota ſtat, ut, *qui gloriatur, in Do-*

Digitized by Google

Domino glorietur. Unde S. Clemens Romanus Pontifex, Epiſt. 1 ad Corinthios, num. 31: „ Sit laus noſtra à Deo, inquit, non à nobis „ ipſis.“ Et num. 34: „ *Gloriatio noſtra & fiducia in eo ſit.*“ Hanc autem virtutem in Scripturis tantopere commendatam parit ac fovet doctrina gratiæ ex ſe efficacis, quâ perſuaſum habetur nihil prorſus noſtrum eſſe quod non accepérimus, & unde in nobiſmetipſis jure gloriari poſſimus. Quamobrem S. Auguſtinus, Serm. 333, olim hom. 14 inter 50, cap. 6, cùm oſtendiſſet, quidquid in nobis boni eſt ipſaque merita noſtra, non eſſe niſi Dei dona, hæc præclarè addit: „ Hanc fidem ve„ ramque pietatem, ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis ope„ ribus,..... hanc, inquam, fidem veramque pietatem nullæ argumen„ tationes humanæ evellant de cordibus veſtris. Servate quod accepiſ„ tis.“ Quid enim habetis quod non accepiſtis? Hoc eſt Deo confiteri, „ dicere quod ait Apoſtolus Paulus: *Nos autem non ſpiritum hujus mundi* „ *accepimus.* Spiritus hujus mundi facit ſuperbos, facit inflatos, facit ut „ ſe putet quiſque aliquid eſſe cùm nihil ſit. Sed contra ſpiritum hujus „ mundi quid ait Apoſtolus? Contra ſpiritum hujus mundi inflatum, „ ſuperbum, tumidum, elatum, non ſolidum, quid ait? *Nos non ſpi-* „ *ritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt.* Unde pro„ bas? *Ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.*“ Hoc ſpiritu inſpiratus David dicebat, Pſalm. 33: *In Domino laudabitur anima mea.* „ Quod qui intelligunt, ait idem S. Auguſtinus, Serm. 283, olim 42 *de Diverſis*, cap. 1, „ non ſuperbiunt, cum timore petunt, cum gau„ dio accipiunt, perſeverant, jam non amittunt.“

7°. Ad amorem Dei, quo nihil in vita chriſtiana capitalius eſt, mirum in modum eadem doctrina accendit. Creſcente ſiquidem in Deum gratitudine, amor quoque creſcat neceſſe eſt. Quid verò eam gratitudinem magis excitat, quàm certò credere, quidquid benè volumus & agimus benè, Deum in nobis efficaciter operari, atque ipſam dilectionem noſtram ab ipſo nobis inſpirari? *Diligamus*, inquit B. Joannes, 1 Epiſt. IV. 7, *quia caritas ex Deo eſt, & omnis qui diligit ex Deo natus eſt.* „ Sanè ſi neceſſe eſt ut parum diligat qui non ab illo, ſed à „ ſeipſo bonum ſe arbitratur effectum, ait S. Auguſtinus, Epiſt. 140, olim 120, ad Honoratum, cap. ultimo, è contrario ille vehementer excitatur ad amandum, qui firmiſſimè credit ſe non libero ſuo arbitrio gratiâ tantùm verſatili prævento, ſed gratuito Dei munere, gratiâque omnium ſuorum meritorum effectrice, bonum ſe velle & operari, quando vult & operatur bonum.

Demum eâdem doctrinâ diſcimus diligere proximum quomodò diligendus eſt, nimirum in Deo & propter Deum, ita ut non ipſe proximus, ſed Deus ſit ultimus noſtræ dilectionis terminus. Proximum autem diligimus, aut quia bonus eſt, aut vel optando & orando ut bonus ſit, vel ut ex bono fiat melior. Atqui neutro modo poteſt proximus in

Digitized by Google

Deo & propter Deum veraciter diligi, niſi ſuppoſitâ doctrinâ gratiæ per ſe efficacis. Cùm enim id ſolum in Deo veraciter diligi queat, quod ex ipſo eſſe creditur, ſi conſenſus voluntatis, quo quiſque bonus eſt, non ſit à Deo efficienter illum operante, hujuſmodi conſenſus, adeòque voluntatis bonitas, in Deo, à quo non procedit, diligi non poteſt; ſed diligendo proximum, in quantùm bonus eſt, non Dei, ſed propriæ voluntatis opus in eo diligimus; & eidem optando ut bonus ſit, vel ex bono melior, non divinum munus ei adprecamur, ſed cooperationem, quæ liberi arbitrii proprius effectus ſit, ab eo adjungi cupimus. Si verò gratia per ſe effectrix eſt ipſiuſmet conſenſûs, quidquid in proximo rectè diligitur, quidquid eidem optatur, dona Dei in illo diliguntur, & ut illa augeat Deus rogatur.

Ultima Probatio

XVa ET ULTIMA PROBATIO, ex eminentia quam doctrina gratiæ per ſe efficacis etiamnum in Eccleſia ſibi vindicat.

Quamvis huic doctrinæ graviſſima vulnera à centum & ampliùs annis inflicta fuerint, tamen nec adverſariorum artes obſtare potuerunt quominus illa, non dico palam ac liberè, ſed etiam maximo cum plauſu, atque apertâ approbatione SS. Pontificum ac plerorumque Epiſcoporum, doceatur; ita ut manifeſtum ſit novella ſyſtemata tolerari duntaxat, hanc verò propriam Eccleſiæ doctrinam eſſe.

Hæc adverſam ſibi novitatem, in Leſſii & Hamelii dictatis naſcentem, proſcripſit graviſſimis Cenſuris Lovanienſi ac Duacenſi, conſentientibus univerſis Belgii Epiſcopis. Quas quidem Cenſuras à Jeſuitis multoties Sedi Apoſtolicæ delatas, non modò Conſultores Romani nunquam notarunt, quin etiam unanimibus votis approbaverunt.

Hæc Molinæ commenta erroris convicit, ac Pelagianiſmi damnavit in celebribus Congregationibus *de Auxiliis*.

Huic victoriæ palmam detulit Clemens VIII in 6° Scripto, quod Conſultoribus examinandum tradidit, in quindecim diſtributum articulis, quorum præcipui ſunt: 5us jam commemoratus. „ Hæc gratia habet „ ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à dominio quod ſua divina „ Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia quæ „ ſub cœlo ſunt, ſecundum Auguſtinum.“ 6us. „ Per hanc gratiam, „ ſecundum Auguſtinum, agit Deus omnipotens in cordibus hominum „ motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex re„ pugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes.“ 9us. „ Hæc „ gratia efficax, ſecundùm S. Auguſtinum, eſt prævia, non pediſſe„ qua; datur enim, non quia volumus, ſed ut velimus: atque adeò „ per ipſam efficit Deus, nedum ut operemur, ſed etiam ut velimus.“ 10us. „ Effectus hujus gratiæ efficacis, ſecundum S. Auguſtinum, eſt „ certus & infallibilis.“ 12us. „ Hæc gratia efficax cur uni detur & „ non alteri, occultioris judicii Dei eſt.“ 13us. „ Hæc Dei gratia ne„ ceſſaria eſt ad ſingulos actus.“

Hanc

Digitized by Google

Hanc ſanam & certiſſimam eſſe multoties declararunt ſubſecuti Rom. Pontifices Innocentius X, Alexander VII, Innocentius XI, Innocentius XII, Clemens XI, Innocentius XIII, Benedictus XIII, Clemens XII, Benedictus XIV & Clemens XIII. Alexander VII & Innocentius XII Lovanienſibus Doctoribus huic doctrinæ addictiſſimis ſuum, pro tuendis *B. Auguſtini certiſſimis & inconcuſſis dogmatibus*, ſtudium gratulati ſunt. Illos etiam ſuperavit Benedictus XIII in Litteris ſeu Brevi ad univerſos Fratres ordinis Prædicatorum, ubi eos hortatur ad defendendum fortiter, contemptis adverſariorum calumniis, doctrinam prædeſtinationis gratuitæ, necnon gratiæ ſeipſâ efficacis. 6 Novemb. 1724. „ Magno igitur animo contemnite, Dilecti „ Filii (verba ſunt S. P. Pontificis), calumnias intentatas ſententiis „ veſtris, de gratiâ præſertim per ſe & ab intrinſeco efficaci, ac de gra- „ tuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla prævisione meritorum, quas „ laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Au- „ guſtino & Thoma ſe hauſiſſe, ut verbo Dei, ſummorumque Pontifi- „ cum & Conciliorum decretis, & Patrum dictis conſonas, Schola veſ- „ tra commendabili ſtudio gloriatur.“ Hoc autem Breve expreſſè renovavit in Conſtitutione quæ incipit: *Pretioſus*, quâ, ad remunerandum illius Ordinis ſtudium in tuendis illis dogmatibus, omnia à ſuis deceſſoribus ei indulta privilegia confirmat. „ Ut autem, inquit Art. 41, „ turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Eccleſiæ perturbatores deſinant „ orthodoxam S. Thomæ doctrinam calumniari;..... ſub divini inter- „ minatione judicii, iterumque ſub canonicis pœnis omnibus & ſingu- „ lis Chriſti fidelibus mandamus, ne doctrinam memorati S. Doctoris, „ ejusque inſignem in Eccleſia ſcholam, præſertim ubi in eadem ſchola „ de divina gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita præ- „ deſtinatione ad gloriam ſine ulla meritorum prævisione agitur, ullate- „ tenus dicto vel ſcripto contumelioſè impetant.“ Poſt emiſſum ab ore Apoſtolico adeò illuſtre teſtimonium, quid reſtat, niſi ut, contrariis de gratia Chriſti opinionibus abſolutè reprobatis, hæc ſola doctrina omnibus fidelibus tenenda præſcribatur? Equidem Clemens XII, in Brevi menſis Octobris 1733, non vetat quominus aliæ Scholæ diverſa ſentientes opiniones ſuas tueri pergant; at nullis eas encomiis commendat: laudes verò Thomiſticæ doctrinæ à ſuis deceſſoribus delatas approbat & renovat. „ Quas laudes, inquit, Thomiſticæ ſcholæ delatas iterato noſ- „ tro judicio comprobamus & confirmamus:“ ita ut pateat alias opiniones tolerari duntaxat ante ultimum Eccleſiæ judicium; doctrinam verò gratiæ ab intrinſeco efficacis & gratuitæ prædeſtinationis, ut verbo Dei, Conciliorum & SS. Pontificum decretis, & Patrum dictis conſonam, opprobandam eſſe.

Quantum pro illa ſtudium geſſerit Benedictus XIV, conſtat tum ex ipſius Brevi ad Hiſpanum Inquiſitorem pro vindicanda Cardinalis Noriſii memoria, tum ex juſſu dato Laurentio Berti ut doctrinam ſuam, con-

 tra

Digitized by Google

tra duorum Galliæ Archipræſulum aliorumque calumnias, editâ apologiâ, aſſereret.

Quem zelum pro hac cœleſti doctrina præ ſe fert ordo S. Dominici, eumdem non ſemel profeſſi ſunt Religioſi ordines celeberrimi. Inter alios ordo Auguſtinienſium, in Capitulo generali celebrato in Pentecoſte anno 1679, definitione 13, juſſit omnes Religioſos „ ſequi ac tueri inconcuſſam doctrinam S. Auguſtini, præſertim.... de noſtra gratuita „ electione ac prædeſtinatione in Chriſto, etiam ad gloriam, independen-„ ter à prævifione noſtrorum meritorum, nec non de gratia Chriſti per „ ſe efficaci, quâ Deus operatur in nobis velle & perficere."

E contrario, qui hanc doctrinam erroris arguere auſi ſunt, ſuæ temeritatis pœnas non ſemel retulerunt. Unicum exemplum hic proferam. Anno 1693 S. Officium cenſurâ confixit Epiſtolam cujusdam Adriani van Wick Miſſionis Hollandiæ Presbyteri, qui hoc crimen incurrerat. „ Unanimi voto judicamus, inquiunt Conſultores, illam „ (Epiſtolam) eſſe manifeſtè transgreſſivam decretorum S. Sedis Apos-„ tolicæ, graviſſimè cenſurando SENTENTIAM COMMUNEM SS. PA-„ TRUM ET THEOLOGORUM de gratuita prædeſtinatione & gratia per „ ſe efficaci." Fruſtra dictus van Wick, ad ſe purgandum, ſupplicationem obtulit Cardinalibus & ſupremis Inquiſitoribus, illa quoque damnata eſt.

Solvuntur objectiones è Scripturis petitæ.

Objectiones è Scripturis.

Ubi ſemel alicujus doctrinæ veritas ex Scriptura & conſtanti Eccleſiæ traditione manifeſtè demonſtrata eſt, ſicuti modò invictis argumentis demonſtravimus gratiam Chriſti ad omnes pietatis actus neceſſariam ſeipſâ efficacem eſſe, morari non debent, ſi quæ forſitan difficultates ex adverſo opponantur, juxta receptiſſimam ubique regulam, non eſſe neganda certa & inconcuſſa propter quædam obſcura. Ad pleniorem tamen veritatis elucidationem, videamus quid contra propoſitionem à nobis aſſertam objiciatur.

Objiciunt 1° nonnulla Scripturæ loca, ex quibus ſequi contendunt in hominis poteſtate eſſe gratiam vel efficacem vel inefficacem reddere. Proverb. I. 24: *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum. & increpationes meas neglexiſtis.* Iſaiæ LXV. 2: *Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Matth. XXII. 3: *Miſit ſervum ſuum vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.* Rom. II. 4 & 5: *An divitias bonitatis ejus* (Dei), *& patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* 2 Corinth. VI. 1: *Adjuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Apocal. III. 20: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam &*

Digitized by Google

& aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.

Reſpondeo ex illis Scripturæ textibus, etiamſi de gratia interiore Chriſti intelligendi eſſent, concludi ad ſummum poſſe hominem gratiæ excitanti ſæpè reſiſtere, non faciendo illud bonum ad quod illa excitat, vel faciendo malum à quo revocat. Id verò quis negat? Ultro confitemur hominem ſibi ipſi ſufficere ut gratiæ excitanti non obtemperet, neque hîc quærimus undenam repetenda ſit illius gratiæ inefficacia, quam ex ſola voluntatis pravitate provenire apud omnes Catholicos in confeſſo eſt; ſed unde gratiæ, quæ totum ſuum effectum ſortitur, efficacia deſumenda ſit. Porro catholica fides docet malum quodlibet, ſub quo comprehenditur quòd gratia privetur effectu ad quem excitat, voluntatis creatæ vitio, & bonum quodlibet, ſub quo ſanè comprehenditur effectus gratiæ, Deo aſcribi oportere. Verùm plerique illi textus à quæſtione prorſus alieni ſunt, ut pote in quibus de gratia interiori nequaquam agitur.

Primus Proverbiorum exponi commodè poteſt de vocationibus, exhortationibus & increpationibus externis, quibus Deus manum ſuam quodammodò extendit docendo, minando, terrendo, puniendo, beneficia quædam largiendo. Hujuſmodi autem vocationi hominem renuere, quid mirum eſt, aut quid inde contra gratiam ſeipſâ efficacem concludi poteſt?

In 2° expanſio manuum non ſignificat gratiam interiorem Judæis datam, ſuoque effectu fruſtratam, ſed Chriſti prædicationem, miracula, beneficia, mortemque ipſam crucis, quibus ipſius divinitas Judæis ſatis manifeſtè declarata eſt, ut eſſent inexcuſabiles. Sic illam exponit Apoſtolus S. Paulus, Rom. X. 19 & 21: *Sed dico*, inquit, *numquid Iſrael non cognovit* (verbum Chriſti)?..... *Iſaias...... ad Iſrael dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Hanc expoſitionem confirmat S. Hieronymus in illa verba Iſaiæ, alteramque addit. „ Poſſumus, ait, expanſas manus & in largitate donantis „ accipere, quòd nihil eis petentibus denegarit, ſed ſtatim roganti leproſo „ reddiderit ſanitatem, & cæcus à nativitate acceperit oculos &c." Tertiam ſuggerit Eccleſia Lugdunenſis, lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 15; nimirum Chriſtum in cruce manus expandiſſe ad populum Judaicum, qui priùs incredulus fuerat, meritoque paſſionis & orationis ſuæ cor eorum, qui ex Judæis electi erant, ad ſe traxiſſe. „ Similiter, inquit, „ & illud, quod in Iſaia ex ipſius Domini perſona intelligitur „ dictum, *expandi* &c, eodem ſenſu accipiendum eſt, quòd perpeſſus „ ſit ac ſuſtinuerit illum populum ſemper ſibi non credentem & con- „ tradicentem, ita ut clamaret, *crucifige, crucifige eum*,..... donec in „ cruce exaltatus expanderet manus, tanquam virtute paſſionis ſuæ omnia „ tracturus ad ſe, etiam populum non credentem & contradicentem, in re- „ li

Mauguin, tom. 2. pag. 227.

„ liquiis ſcilicet quæ ex illo per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.
„ Hoc ita futurum eſſe prædixerat, quando ad eos ante paſſionem ſuam,
„ tanquam ad populum non credentem & contradicentem, dicebat:
„ Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.
„ Non credendo namque & contradicendo ad hoc pervenerunt, ut exal-
„ tarent Filium hominis in ligno crucis: & tunc virtute paſſionis &
„ gratiâ orationis ejus illuminati cognoverunt eum, quem ante non cre-
„ dentes crucifixerant." Duæ primæ interpretationes doctrinæ gratiæ per ſe efficacis non adverſantur, tertiam verò illam diſertè adſtruit.

Vocatio, de qua ſermo eſt in tertio textu, Matth. XXII, merè externa eſt, ea ſcilicet quæ fit per *ſervos* Dei, per Prophetas, Apoſtolos, aliosque prædicatores; non verò illa interna, quâ Deus per ſemetipſum cor alloquitur, ut ex verbis ipſis patet. De hac autem interna quid ſentiendum ſit, declarat Chriſtus, Joann. VI, ubi ait: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

Quartus locus duplici ſenſu intelligi poteſt. Primus, quem tradit Eſtius, eſt, „ vocari peccatores ad pœnitentiam communi & generali
„ vocationis modo, qui conſiſtit tum in externis beneficiis, quæ pluri-
„ ma præſtita fuerant populo Judaico, ut lex, doctrina, Prophetæ,
„ Meſſias promiſſus atque exhibitus; tum, quantum ad omnes, in obvia
„ Dei cognitione ex creaturis;..... denique in lege naturæ omnium
„ animis impreſſa. Verùm, pergit doctiſſimus Eſtius, toto hoc voca-
„ tionis genere, niſi ſpecialis & efficax accedat vocatio, homines abu-
„ tuntur, etiam ad magis peccandum." Hic ſenſus planè litteralis eſt, nec ullomodò favet adverſariis, ut patet *benignitatis* nomine. Idem ſignificat Apoſtolus vocibus *patientiæ* & *longanimitatis* ibidem adhibitis. Nam patientia & longanimitas non indicant gratiam interiorem, ſed iſ-
Sapient. XI. 24. tam Dei bonitatem quâ *diſſimulat peccata hominum* propter pœnitentiam, & impii vitam diutiùs, quod miſericordiæ tempus eſt, prorogat. Hoc igitur ſenſu divina benignitas peccatores ad pœnitentiam adducere dicitur, quòd eos non citò, ut merentur, puniat, ſed inducias largiatur, quibus poſſent, ſi vellent, à malo reſipiſcere. Quomodò dicitur, Job. XXIV. 23: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.*

Alter ſenſus eſt, omnes qui pœnitentiam agunt, per benignitatem Dei ad eam agendam adduci, cùm ipſi, ſi ſibi relinquerentur, non miſericordiam ſibi theſaurizarent, ſed iram. Sic textum illum exponit S. Auguſtinus. Juliano quippe illum objicienti ſic reſpondet, lib. 5 contra ipſum, cap. 4. num. 14: „ Verum eſt: conſtat" (bonitatem Dei ad pœnitentiam adducere). „ Sed quem prædeſtinavit, adducit; quàmvis
„ ipſe ſecundùm duritiam ſuam & impœnitens cor, quantùm ad ipſum
„ attinet, thezaurizet ſibi iram in die iræ...... Quantamlibet enim præ-
„ beat (Deus) patientiam, niſi ipſe dederit, quis agit pœnitentiam?

Atque

Digitized by Google

Atque huic expoſitioni non parum favet verbum *adducit*, græcè, *ἄγει*, *agit*, quo hîc utitur Apoſtolus, ſicut Rom. VIII, ubi dicit, *qui ſpiritu Dei aguntur, eos eſſe filios Dei.* Aliud quippe eſt invitare ad pœnitentiam, aliud ad eam adducere. Fieri enim poteſt ut qui invitantur, maximè ſi exteriùs tantùm inviteatur, pœnitentiam agere nolint. At qui adducuntur ad pœnitentiam, eam procul dubio agunt.

Quintum textum eruditiſſimi interpretes, ut Cajetanus, Eſtius & alii, exponunt, non de gratia interiori, ſed de myſterio reconciliationis per Chriſtum peracto, & ab Apoſtolis prædicato, de quo anteà immediatè locutus fuerat S. Paulus, dicuntque ſenſum hunc eſſe: Exhortamur vos, tanquam coadjutores Chriſti, pro quo legatione fungimur, ne tantum beneficium vobis non modò annuntiatum, ſed & impenſum (quippe quod credendo recepiſtis), in vacuum receperitis, ſive in fide non perſeverando, ſive malè vivendo; vel, ut interpretatur Menochius, „ ne „ fruſtra & abſque fructu Dei gratiam & cœleſtem vocationem ad fidem „ percepiſſe videamini.“

Intelligi quoque poteſt de gratia habituali, necnon de gratia actuali efficaci, quæ in vacuum receptæ meritò dicuntur, quando quis in bono quod inchoavit non perſeverat, & gratiam abjicit, cui priùs conſenſerat.

Demum ſi intelligatur de gratia interiore actuali, quæ hîc & nunc detur, tunc Apoſtolus Corinthios hortatur ne in vacuum illam recipiant, nec illi reſiſtant, ſed cooperentur. Nimis enim frequenter contingit gratiam prævenientem hominis culpâ privari eo effectu, ad quem excitat voluntatem, & cujus deſiderium quoddam inſpirat. Inde autem non ſequitur ex induſtria & ſtudio hominis provenire quòd gratia ſit efficax. Cum enim, ut ait Auguſtinus, lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 10. num. 23, nihil in Scripturis ſanctis à Domino jubeatur „ propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari „ ab ejus bonitate, vel poſci propter adjutorium gratiæ demonſtran„ dum,“ idcirco & homines hortandi ſunt ne in vacuum gratiam Dei recipiant, & hoc ipſum gratiæ efficacis donum eſſe credendum eſt.

Verùm duæ priores expoſitiones videntur magis eſſe ad mentem Apoſtoli. Loquitur enim de gratia à Corinthiis accepta, monetque ut non in vacuum illam recipiant. Porro gratia quæ effectum ad quem tendit non conſequitur, propter reſiſtentiam voluntatis, ſub eo reſpectu conſiderata propriè non recipitur, ſed abjicitur.

Demum ſextus textus, Apocal. 3, minimè eſt ad rem. Non enim ibi ſermo eſt de gratia interiore, ſed de propinquitate & incertitudine mortis. Audiendus eſt Eſtius in hunc locum. „ Re benè conſideratâ, inquit, „ videtur his verbis id ſignificari, quod in Evangelio, Matth. „ XXIV & XXV, Marc. XIII & Luc. XII, ubi ex ſimilitudine ſervi „ vigilantis ad Domini ſui adventum, ut, cùm venerit, confeſtim ape-

„ riat ei, Chriſtus adhortatur omnes fideles ut ſemper vigilent in bo-
„ nis operibus, ut, Domino ad judicium veniente, cujus incertus eſt
„ dies, ſemper inveniantur parati, atque ita mereantur cum illo diſcum-
„ bere & cœnare, id eſt, æternâ requie & gaudio frui.“ Sic, Luc. XII. 37, dicitur: *Beati ſervi illi quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen, dico vobis quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Hanc interpretationem confirmat Eſtius aliis ſimilibus exhortationibus in illo ipſo & in præcedenti capite Apocalypſis contentis. Sic Angelo Smyrnenſis Eccleſiæ dicitur: *Eſto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et Angelo Thyatirenſis Eccleſiæ: *Qui vicerit, & cuſtodierit usque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem* &c. Et Angelo Philadelphiæ: *Venio citò, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et cap. XVI. 15: *Ecce venio ſicut fur, beatus qui vigilat.* Similiter Jacobi V. 9: *Ecce judex ante januam aſſiſtit.* „ Sic ergo, ait Eſtius, & Angelo Laodiceæ dicitur: *Ecce ſto ad*
„ *oſtium* &c; id eſt, jam jam veniam ad judicium, pulſaturus oſtium,
„ more Domini redeuntis. *Si quis audierit* &c; id eſt, ſi quis paratus
„ fuerit & vigilaverit ad meum adventum per bona opera, *intrabo ad*
„ *illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*; id eſt, particeps erit gau-
„ diorum atque bonorum meorum.“ Confirmatur etiam ex S. Gregorio magno, hom. 13 in Evangelia, ubi ſic loquitur: „ Venit quippe Do-
„ minus cùm ad judicium properat: pulſat verò cùm jam per ægritudi-
„ nis moleſtias mortem vicinam eſſe deſignat. Cui confeſtim aperimus,
„ ſi hunc cum amore ſuſcipimus.“ Ex his rectè concludit Eſtius „ nihil
„ facere hunc locum pro gratia Dei pulſantis & expectantis, & quoad
„ effectum dependentis à noſtra acceptione; quam gratiam, inquit,
„ ſana doctrina non recipit.“

Solvuntur objectiones ex SS. Patribus.

Objectiones ex SS. Patribus.

Non immorabor in ſingulis SS. Patrum Pelagianâ hæreſi antiquiorum textibus, in quibus nihil aliud dicitur niſi culpam hominis eſſe cum peccat, vel hominem poſſe facere bonum ſi velit: hæc enim veriſſima ſunt, tametſi, ut velint, præparetur voluntas à Domino, qui operatur in nobis velle. Eos tantùm referam qui difficultatem aliquam candidatis faceſſere poſſent.

Objiciunt 1° Tertullianum, lib. *de Orat.* cap. 3. „ Cùm dicimus, inquit, „ *ſanctificetur nomen tuum*, id petimus ut ſanctificetur in nobis
„ qui in illo ſumus; ſimul & in cæteris quos gratia Dei expectat.“ Ergo gratia expectat voluntatis humanæ conſenſum.

Nego conſequentiam. De illis enim loquitur Tertullianus, quos Deus ſuo tempore ad fidem adducere decrevit. Duplici quippe ſenſu dici poteſt gratia homines expectare: vel ſecundùm beneplacitum voluntatis hu-

humanæ, ſeu quoadusque homines velint; vel ſecundùm tempus beneplaciti voluntatis divinæ, de quo dicitur Pſalm. LXVIII. 14: *Tempus beneplaciti, Deus, in multitudine miſericordiæ tuæ*, ſeu usque ad illud tempus quo decrevit Deus illorum miſereri. Hoc autem poſteriori ſenſu intelligenda eſſe Tertulliani verba inde manifeſtum eſt, quòd doceat nos Deum orare debere pro illis quos adhuc gratia expectat. Ad quid enim Deus eos expectat, niſi ut ipſius nomen in illis ſanctificetur, ſicut & in nobis qui in illo ſumus? Hoc autem Dei donum eſſe confitemur hoc ipſo, quòd Deum ut id faciat oramus.

Objiciunt 2°. S. Joannes Chryſoſtomus, Serm. in illud, *Saulus adhuc ſpirans minas*, num. 5 (tom. 3 nov. edit. pag. 104), ait: *In poteſtate liberi arbitrii* (Sauli) *ſitum erat ut* (gratiâ, quâ Deus cor ejus tangebat) *perſuaderetur vel non perſuaderetur.* Ergo, juxta Chryſoſtomum, gratia Chriſti per ſe non efficit ut velimus, ſed penes hominem eſt eam efficacem vel inefficacem reddere.

Nego conſequentiam. Docet quidem fides Chriſtiana hominem, ſub motione gratiæ Chriſti actualis & interioris, poſſe conſentire vel diſſentire, ſi velit. Verùm ex hac orthodoxa doctrina cave concludas gratiæ efficaciam à ſolo voluntatis conſenſu deſumi. Si enim gratia per ſe efficax conſentiendi & diſſentiendi potentiam extirparet, vel quia coactionem, vel quia neceſſitatem inferret voluntati. Neutrum dici poteſt. Non primum; nam gratia ſuâpte virtute efficax non cogit, ſed inclinat voluntatem & ſuaviter movet, ut liberè juſtitiam diligat. Non alterum; tota enim voluntatis amplitudo in hac vita divino amore non adimpletur, & ideò, quàmvis gratia ad actum virtutis illam efficaciſſimè impellat & moveat, hæc motio ſpecialis non impedit quominùs ad actus oppoſitos ſeſe determinare poſſit, ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Quòd verò S. Chryſoſtomus non cenſuerit Paulum gratiâ tantùm verſatili fuiſſe præventum, ex eo quòd *in poteſtate liberi* ejus *arbitrii ſitum erat ut perſuaderetur vel non perſuaderetur*, liquet ex ipſiſmet verbis textûs de quo controverſia movetur. „ Mentem Pauli pellexiſſe atque expugnaſſe, ait S. Doctor (ibid.), majus ſignum fuit quàm umbrarum operâ mortuos ſuſ„ citaſſe. Nam illic quidem ſequebatur natura, neque imperanti con„ tradicebat: hîc verò in *poteſtate liberi arbitrii ſitum erat ut perſuade„ retur vel non perſuaderetur.* Unde magna virtus ejus qui perſuaſit „ oſtenditur. Multò quippe majus fuit voluntatem convertiſſe, quàm „ naturam correxiſſe.“ Ibi perſpicuè deſignatur gratia virtute ſuâ efficax. Porro hanc præpotentem gratiam non auferre libertatem arbitrii, haud ambiguè declarat S. Doctor his verbis: *In poteſtate liberi arbitrii ſitum erat ut perſuaderetur vel non perſuaderetur.* Nam, ut ait, majus miraculum eſt voluntatem humanam convertere, quàm mortuos ſuſcitare & mutare naturam, quæ hâc poteſtate ad oppoſitum non potitur, nec imperanti contradicere poteſt. Attamen, quàmvis homo poſſit obtem-

Digitized by Google

perare vel refragari, infallibiliter obtemperat, ut exemplo Pauli perſpicuum ſit, ſi Deus ſalvare decreverit, *quia magna virtus ejus*, *in medio ipſo furore*, reſiſtentiam voluntatis frangit. „ Paulum, inquit (Serm. *de Ferendis reprehenſionibus*, num. 4, tom. 3. pag. 123), adhuc furen-„ tem, adhuc ferocientem, adhuc vi furoris commotum, adhuc cæde „ ferventem attraxit Chriſtus. Non enim expectavit donec ceſſaret „ ægritudo, extingueretur morbus, manſuetiorque fieret ille ſic efferatus, & ſic illum attraheret. Verùm in ipſa furoris vi ipſum cepit, „ ut oſtenderet potentiam ſuam, quòd, in medio furore æſtuante animo, perſecutorem vicerit & ſubegerit. Etenim medicum tunc admiramur, quando febrim invaleſcentem & ferventem in ſummo fervore „ extinguere & penitus ſedare poteſt. Quod & in Paulo factum eſt. „ In ipſa quippe flammæ vehementia vox Domini, ceu ros ſupernè manans, ipſum morbo penitus liberavit."

Et verò gratia, quam laudat S. Chryſoſtomus ac neceſſariam prædicat ut divina ferventur mandata, ea eſt quæ *ſibi ſubjicit potentiam* liberi arbitrii, & *nos trahit eâdem potentiâ quâ Chriſtum Deus ſuſcitavit* (hom. 14 in Ep. ad Rom. n. 2, & hom. 3 in Epiſt. ad Eph. n. 1): ea eſt cujus *virtus inexpugnabilis mores transformat ac transmutat*, & *animam petrâ duriorem cerâ molliorem efficit* (hom. 33, al. 34, in Matth. n. 2; hom. 23 in Acta Apoſt. n. 3, & hom. 2 *de Cruce & Latrone*, num. 2): ea eſt quæ non meram agendi potentiam, ſed etiam *propenſionem voluntatis ipſamet dat & operationem*; quæ non tantùm ſuadet omne quod bonum eſt, ſed etiam *perſuadet*, & cujus *vis perſuadendi non aliunde eſt quàm ab ipſa Dei potentia* (hom. 8 in Epiſt. ad Philip. n. 1, & hom. 8 in 2 ad Cor. n. 4): ea eſt quæ *aperit cor ad fidem*, quæ *caritatem erga Deum indit & erga proximum*; quæ *dat cor contritum & humiliatum*, *animum vigilem*, *temperantem*, *continentem*, *pœnitentem*, *compunctum*. *Hæc* etenim *Dei dona ſunt* (hom. 2 in Ep. 2 ad Cor. n. 6; hom. 2 in Ep. 2 ad Tim. n. 2, & hom 6 in Matth. num. 7). Atqui gratia his characteribus inſignita non habet à voluntatis humanæ conſenſu quòd ſit efficax, ſed à ſeipſa effectum ſuum conſequitur. Nec dicant adverſarii hunc effectum certò & infallibiliter ab interna & propria virtute ipſiusmet gratiæ non profluere, ſed à circumſtantiis congruis & opportunis, in quibus Deus prævidit voluntatem gratiæ verſatili eſſe conſenſuram. Addit quippe S. Doctor Deum, quando vult & quomodò vult, rebelles hominum voluntates, *etiamſi ferinis eſſent moribus*, *repentè mutare*, *ac in medio furore*, *in ipſa furoris vi*, *in ipſa flammæ vehementia illas convertere atque flectere*. In pſalm. 46. n. 5, & Serm. *de Ferendis reprehenſionibus*, n. 4.

Præthereà, ſi gratia ad rectè agendum requiſita à libero penderet arbitrio, ut ſuum obtineret effectum, bonum opus partim hominis eſſet, partim Dei, tanquam aliud eſſet noſtrum, aliud Dei. Atqui, ex S. Chry-

Chryſoſtomo (lib. *de Virginitate*, cap. 36, & hom. 6 in 2 Ep. ad Cor. n. 2), opus bonum à gratia proveniens *non partim eſt hominis, partim Dei, tanquam aliud eſſet noſtrum, aliud Dei*, ſed *totum Dei eſt, totum Deo adſcribendum eſt. Omnium enim bonorum fons eſt & auctor* (hom. 36 in Gen. & 8 in Matth.). *Quid habes quod non accepiſti?* (ait Apoſtolus. Igitur) *ſi quid habeo, accepi: ſi autem accepi, non meum, ſed ejus qui dedit donum eſt. Nihil ergo*, concludit S. Doctor, *tuum eſſe dixeris, ſed in omnibus in Deo glorieris, & ipſi ſoli gratias age, ut qui ipſe omnia operetur.* Hom. 5 in Ep. 1 ad Cor. n. 3, & hom. 1 in 1 Epiſt. ad Theſſ.

De Regreſſu de Aſia. Tom. 3. pag. 412.

Inſtant. Illa gratia ſeipſâ non eſt efficax, ſed à ſolo voluntatis conſenſu pendet, quam homo, cùm vult, effectu privat, & caſſam ac inefficacem reddit. Atqui, ex S. Chryſoſtomo, homo, cùm vult, gratiam Chriſti effectu privat, & caſſam ac inefficacem reddit. Sic enim loquitur (hom. 34 in Epiſt. ad Heb. n. 2 & 3, tom. 12. pag. 316): „ Ne eam (gratiam) repellamus: eſt enim in noſtra poteſtate ut ea & „ maneat & recedat." Et in pſal. 144. num. 4, tom. 5. pag. 473: „ Quòd „ ſi qui, ex iis qui jacent, non ſurgunt, non in cauſa eſt is qui vult „ erigere, ſed qui nolunt ſurgere. Nam Judam quoque, cùm cecidiſſet, „ voluit erigere, & ut ſurgeret *nihil non fecit*, ſed ille noluit." Et hom. 83 in Matth. n. 4: „ Magnum hìc dogma accipimus, non ſuffi- „ cere hominis fervorem, niſi ſuperna adſit gratia; itemque nihil nos „ à ſuperna gratia juvari, niſi voluntatis ſtudium adſit." Et Serm. *de Ferendis reprehenſionibus*: „ Id verò jam volo vos id probè noſſe, Deum „ nempe non vim inferre nolentibus, ſed volentes trahere; ideò namque „ dicit: *nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Qui verò tra- „ hit, volentem trahit, humique jacentem & manum porrigentem. „ Et ut diſcatis ipſum nemini vim ferre, & ſi, ipſo volente, nos no- „ limus, quæ ad ſalutem noſtram ſpectant peſſum ire; non quod ejus „ voluntas infirma ſit, ſed quòd nemini velit neceſſitatem inferre &c."

Reſpondeo ex his textibus S. Chryſoſtomi, & aliis benè multis qui ſimiliter opponi poſſent, id unum ſequi, nempe homines virtutem colere poſſe ſi velint, reluctantibus Deum rectè agendi neceſſitatem non inferre, nec eos qui convertuntur invitos ad Chriſtum trahi. His dogmatibus ſacris in oraculis & SS. Patrum ſcriptis ſæpiſſimè traditis toto pectore ſubſcribimus.

Obſervandum tamen eſt omnes textus S. Doctoris, quos opponunt adverſarii, ad gratiam Chriſti actualem & interiorem minimè ſpectare. Nonnulli de gratia habituali & ſanctificante apertè loquuntur, aut de auxiliis exterioribus, quæ moraliter tantùm alliciunt ad bonum, & culpâ hominis ſemper ſuo fruſtrantur effectu.

1°. Hæc verba ſanctiſſimi Præſulis: „ Ne eam (gratiam) repellamus; „ eſt enim in noſtra poteſtate ut ea & maneat & recedat," de conſerva-

vatione vel amiſſione gratiæ ſanctificantis indubitanter intelligenda ſunt, nec in alium ſenſum, niſi terminis manifeſta vis inferatur, detorqueri queunt, ut oculis omnium patebit, ſi verbis præcedentibus & ſubſequentibus attendant. Integrum textum audiamus: „ Quomodò eſt gratia „ nobiſcum? Si non probro & contumelia afficiamus beneficium, ſi non „ ſimus ſocordes adverſus donum. Quid eſt gratia? Remiſſio peccatorum, purgatio. Ipſa enim nobiſcum eſt. Quis enim, qui probro „ affecerit & contumeliâ, poteſt cuſtodire gratiam, & non eam perdit? „ Ut putà condonavit tibi peccata. Quomodò erit tecum gratia, aut „ bona exiſtimatio, aut Spiritûs operatio, niſi per bonas actiones eam „ attraxeris? Hoc enim eſt cauſa omnium bonorum, quòd in nobis „ ſemper maneat gratia Spiritûs. Ea enim eſt nobis dux ad omnia; ſicut, quando ea à nobis avolaverit, nos perdit & deſertos reddit. *Ne* „ *eam ergo repellamus; eſt enim in poteſtate noſtra ut ea & maneat &* „ *recedat.* Illud enim fit quando cogitamus cœleſtia; hoc verò, quando ea quæ ad hanc vitam pertinent.“ Gratia igitur, de qua dicit Chryſoſtomus, *eſt in poteſtate noſtra, ut ea & maneat & recedat*, ipſo judice, eſt gratia quæ condonat peccata, & animam purgat & ſanctificat. Talis autem gratia non movet nec impellit ad actum, ſed per modum habitûs remanet in anima, ſi bonis operibus nutriatur, aut recedit, ſi peccato mortali divina diſſolvatur amicitia.

2°. De auxiliis exterioribus, aut mentem duntaxat interiùs illuſtrantibus, quæ infirmitate aut pravitate voluntatis humanæ ſuo ſemper fruſtrantur effectu, verba facit S. Chryſoſtomus in ſecundo textu quem objiciunt, cuique plures alii non abſimiles adjungi poſſent. Si verò Judam in exemplum affert & dicit: „ Cùm cecidiſſet (Judas), illum „ Chriſtus voluit erigere, & ut ſurgeret *nihil non fecit*, ſed ille noluit,“ ſuam mentem aperit S. Doctor, & hanc Chriſti benevolentiam inter gratias merè exteriores ipſemet annumerat. Sic enim ait (hom. 80, al. 81, in Matth. n. 3): „ Chriſtus præſciebat Judam nunquam „ emendandum fore, & tamen non deſiſtebat *ſua facere*“ (non quidem gratiâ potenti cor ejus efficaciter tangendo, ſed) „ monendo, comminando, & miſerum dicendo.“ Et hom. 82, al. 83, in eumdem, n. 1: „ Ideò ante & poſteà frequenter Judam monuit ac retinuit ver„ bis, operibus, timore, minis, honore & cultu; ſed nihil eum à „ tam gravi morbo reduxit.“ Nec mirum. Exteriores gratiæ, ſi deeſt interior, morbum oſtendere poſſunt, non ſanare, cor excitare, non emollire. Illis Judas indeſinenter obſiſtebat, & hac pertinaci reſiſtentia, quæ ex ſola ejus pravitate deſcendebat, magis ac magis „ indurabatur & „ inemendabilis fiebat. Unde Chriſtus dimiſit eum“ (hom. 71 in Joan.). Non ideò perſuaſum habuit S. Chryſoſtomus Deum ad bonam frugem Judam revocare non potuiſſe eâdem facilitate & efficaciâ quâ Paulum convertit, quâ „ Davidem, cùm cecidiſſet, erexit & firmum reddidit,“

quâ

Digitized by Google

quâ „ Petrum, cùm eſſet caſurus, retinuit " (in pſal. 144. n. 4). At, juſto & occulto judicio, Judæ tantùm impertivit auxilia, quibus eum abuſurum eſſe prævidebat. Nec propterea excuſari poterat diſcipulus infidelis & proditor; ejus enim duritiei cauſam abſentia gratiæ, *quæ vincit omnia*, non afferebat, ſed improbitas, quâ remedia, quibus ſanari potuiſſet, ſi tantâ non laboraſſet malitiâ, reſpuebat. Unde ait S. Doctor (ibid.): „ Si remedium Judas reſpuit, non medici vitium eſt, ſed „ languentis."

3°. In duobus aliis textibus objectis de gratia Chriſti actuali & interiori ſermonem eſſe, perlibenter fatemur. Supponunt hi textus huic gratiæ aliquando reſiſti; quod eſt de fide. Numquid idcirco dicendum erit gratiam, juxta Chryſoſtomum, eſſe verſatilem, & ex liberi arbitrii aſſenſu vel diſſenſu ex æquo pendere, ut ſit efficax vel non efficax? Abſit. Ut enim fuſiùs oſtendetur, gratia Chriſti actualis & interior ſaltem quemdam boni affectum operatur in cordibus noſtris; quæ operatio efficax aut inefficax dicitur relativè ad gradus cupiditatis actualis, qui majorem vel minorem obicem objiciunt. Ponamus, exempli cauſâ, gratiam eſſe tantùm ſex graduum virium in voluntate, quæ ſeptem vel octo habet cupiditatis gradus. Tunc renitetur voluntas, & gratia non erit ſimpliciter efficax. Si verò ſint quinque graduum cupiditatis vires, motusque gratiæ ſex aut ſeptem graduum, voluntas plenè aſſentietur, & gratia erit ſuâ vi efficax & victrix: eadem enim gratia in duobus hominibus inæqualiter affectis poteſt eſſe in uno efficax, inefficax in altero, relativè ad majores vel minores eorum cupiditatis gradus. Porro etſi gratiæ, cùm eſt inefficax, reſiſtitur, eoquod cupiditatis renixu omnem effectum, ad quem naturâ ſuâ tendit, non aſſequatur, nihilominùs hæc gratia virtute ſuâ in voluntate quidquid vult Deus operatur, ita ut, cùm motiones ejus miſericordiâ divinâ ſæpè ſæpiùs iterantur, paulatim minuatur cupiditas, tandemque eadem gratia, quæ primùm gradibus inferior erat, ſuperior evadat, *duritiem cordis* penitus frangat, illudque *cerâ molliorem efficiat*. Ergò ex eo quòd gratiæ Chriſti interiori aliquando reſiſtatur, minùs probè judicatur hanc gratiam imperio voluntatis ita ſubjici, ut eam pro arbitratu ſuo reddat efficacem, vel omni fraudet effectu. Falſa hæc doctrina ex textibus S. Chryſoſtomi in objectione prolatis nullatenus conſequitur.

Urgent iterum. S. Chryſoſtomus, locis citatis, docet Deum non poſſe hominem nolentem ac reluctantem convertere, niſi eum cogat & vi compellat ad bonum. „ Si, Deo volente, inquit (ſupra), nos noli-„ mus, quæ ad ſalutem ſpectant peſſum (eunt); non quòd ejus volun-„ tas infirma ſit, ſed quòd nemini velit neceſſitatem inferre." Ergo gratiam per ſe efficacem à coactione non ſecernit S. Doctor, nedum eam admittat.

Nego antecedens. Nam conſtat ex dictis S. Chryſoſtomum planè & con-

conſtanter docuiſſe, tanquam inconcuſſum dogma, Deum poſſe rebelles peccatorum voluntates, illæſâ eorum libertate, *etiamſi ferinis eſſent moribus*, & *in ipſa furoris vi, in ipſa flammæ vehementia repentè mutare atque flectere.* Verum hac doctrina nonnulli ad perniciem abutebantur, ſuis pravis cupiditatibus indulgentes, ac dicentes: *Si Deus voluerit, perſuadebit mihi, & convertar.* Id ad verbum animadvertit S. Doctor. Nam ubi primum dixerat: „ Si, Deo volente, nos nolimus, quæ ad ſalu„ tem noſtram ſpectant peſſum (eunt); non quòd ejus voluntas infirma „ ſit, ſed quòd nemini velit neceſſitatem inferre," ſic proſequitur: „ Hanc rem diſquirere neceſſe eſt, quoniam multi ſæpè in ſegnitiei ſuæ „ obtentum hac futili utuntur defenſione, ſæpèque moniti ut vitæ in„ ſtitutum commutent, aliaque ſimilia opera bona exequantur, tunc „ illi pigritantes & refugientes ita reſpondent: *Si Deus voluerit, per„ ſuadebit mihi & convertar.* Sanè non criminor eos, ait S. Chryſoſto„ mus, ſed admodùm approbo quòd ad voluntatem Dei confugiant." Agnoſcebat igitur S. Doctor Deum poſſe omnes impios, illæſâ eorum libertate, efficaciter convertere & immutare; ſed valde improbabat, & meritò, eos qui, hanc ſanam doctrinam in ſenſum pravum detorquentes, ex illa inferebant inutiles aut impoſſibiles eſſe conatus ad virtutem; & ideò homines in vitiis & peccatis, donec Dei gratiâ ad bonum trahantur, immorandos eſſe. „ Volo, inquit (ibid.), ut ea quæ penes ip„ ſos ſunt afferant, & ſic dicant: *Si Deus voluerit.* Nam ſi te ſomno „ & ſegnitiei dedens non coneris bona edere opera, ſed Dei tantùm vo„ luntatem objeceris, nihil eorum quibus opus habes adipiſceris un„ quam. Nam, ut dicebam, neceſſitate aut vi neminem unquam adigit „ Deus.... Nemini neceſſitatem inducit...... Nemini vim infert...... „ Reſilientes nunquam cogit, nec vi adigit."

Ut autem genuinus S. Chryſoſtomi ſenſus magis ac magis deprehendatur, notandum eſt ſtatuiſſe Deum, ad velandam internam gratiæ ſuæ operationem, ut quædam externa media, quæ omnibus præſtò ſunt, & juxta beneplacitum Dei gratiam habent comitem, amplectamur; nempe orationes, pias lectiones, periculorum fugam, actus fidei, ſpei, contritionis &c. Hunc igitur ordinem à Deo præſcriptum illi perturbant, qui ad defenſionem ſuæ ignaviæ hæc ſalutis media negligunt, & in vitiorum barathro pertinaciter immorari delectantur, hoc vano innixi prætextu quòd gratiâ careant. „ Si te ſomno ac ſegnitiei dedens, reſpondet Chryſoſtomus, „ non coneris bona edere opera, ſed Dei tantùm „ voluntatem objeceris, nihil eorum quibus opus habes adipiſceris un„ quam." Vis ergo ut te cogat Deus, & ad virtutem colendam quaſi fatali neceſſitate te adducat? Plurimùm falleris: *Deus nemini neceſſitatem inducit.* Et verò ſi omnia in negotio ſalutis, ut illi quos redarguebat S. Doctor autumaſſe videntur, neceſſariò & quaſi forte obvenirent; ſi tanquam ſtipites à Deo moveremur, ſi voluntaria non eſſet converſio, falſa

Digitized by Google

falſa foret & inanis, virtutum opera ad laudem fallaciter imputarentur; uno verbo, operatio gratiæ cogeret homines facere quod nollent, nec locus eſſet merito. Hoc ſolo & unico ſenſu, non autem ad eliminandam doctrinam gratiæ ſuâ vi efficacis, quæ liberum ſanat arbitrium, nedum illud lædat, dicit S. Chryſoſtomus ac multoties inculcat: *Neceſſitate aut vi neminem unquam adigit Deus...... Nemini vim infert...... Reſilientes nunquam cogit, nec vi adigit.*

Objiciunt 3°. S. Auguſtinus, lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 68. num. 5, ſic loquitur: „ Quoniam nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus & „ vocatus, ſive intrinſecus ubi nullus hominum videt, ſive extrinſe- „ cus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia, efficitur „ ut etiam ipſum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim cœ- „ nam, quam dicit Dominus in Evangelio præparatam, nec omnes qui „ vocati ſunt venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire poſ- „ ſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui ve- „ nerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, de- „ bent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati „ erant in libera voluntate. Vocatio itaque ante meritum voluntatem „ operatur. Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit quòd venit vocatus, „ non poteſt ſibi tribuere quòd vocatus eſt. Qui autem vocatus non „ venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, ſic inchoat „ meritum ſupplicii, cùm vocatus venire neglexerit."

Et lib. 1 Quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 2. num. 10: „ Nemo „ itaque credit non vocatus, ſed non omnis credit vocatus." Et poſteà: „ Noluit ergo Eſaü, & non cucurrit; ſed, & ſi voluiſſet & cucurriſſet, „ Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præ- „ ſtaret, niſi, vocatione contemptâ, reprobus fieret. Aliter enim „ Deus præſtat ut velimus, aliter præſtat quod voluerimus. Ut veli- „ mus enim, & ſuum eſſe voluit & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum „ ſequendo. Quod autem voluerimus ſolus præſtat, id eſt, poſſe benè „ agere & ſemper beatè vivere." His in locis, inquiunt, videmus velle noſtrum fieri à Deo, non per gratiam prædeterminantem aut per ſe efficacem, ſed per vocationem moraliter inclinantem & impellentem, cui conſentire aut diſſentire nonniſi noſtrum eſt.

Lib. 12 *de Civitate Dei*, cap. 6, hanc hypotheſim proponit S. Doctor: „ Si aliqui duo, æqualiter affecti animo & corpore, videant u- „ nius corporis pulchritudinem, quâ viſâ, unus eorum ad illicitè per- „ fruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, „ quid putamus eſſe cauſæ ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas „ mala?" Reſpondet autem hujus differentiæ cauſam non eſſe pulchritudinem corporis, ut pote ambobus obviam; neque affectionem corporis & animæ, ſiquidem ambo corpore & animo æqualiter affecti ſupponuntur; neque ipſam tentationem. „ Nam... ſi eâdem tentatione ambo

Digitized by Google

„ tententur, inquit, & unus ei cedat atque conſentiat, alter idem qui „ fuerat perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum „ noluiſſe à caſtitate deficere? Unde, niſi propriâ voluntate, ubi eadem „ fuerat in utroque & animi & corporis affectio? Amborum oculis pari- „ ter viſa eſt eadem pulchritudo, ambobus pariter inſtitit occulta ten- „ tatio: propriam igitur in uno eorum voluntatem malam quæ res fe- „ cerit ſcire volentibus, ſi benè intueantur, nihil occurrit.“ Igitur ipſa voluntas hominis unica cauſa eſt quòd unus tentationi conſentiat, alter non conſentiat, neque ulteriùs recurri poteſt: è contrario autem, ſuppoſitâ gratiâ per ſe efficaci, cauſa hujuſmodi diſcriminis eſt quòd uni gratia per ſe efficax detur, alteri non detur.

Demum, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 33. num. 58, iſtâ quæſtione propoſitâ, *unde ſit nobis voluntas credendi*, ſic reſpondet: „ Priùs igi- „ tur illud dicamus, & videamus utrùm huic ſatisfaciat quæſtioni, „ quòd liberum arbitrium, naturaliter attributum à creatore animæ „ rationali, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari „ ad infidelitatem poteſt. Et ideò nec iſtam voluntatem, quâ credit „ Deo, dici poteſt homo habere quam non acceperit, quandoquidem, „ vocante Deo, ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cùm crea- „ retur, accepit.“ Et num. 60: „ Hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi „ ſolvendæ ſufficit, ſufficiat. Si autem reſpondetur cavendum eſſe ne „ quiſquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per li- „ berum arbitrium, ſi, in eo quod dicitur, *quid habes quod non acce- „ piſti?* proptereà etiam voluntas, quâ credimus, dono Dei tribuitur, „ quia de libero exſiſtit arbitrio, quod, cùm crearemur, accepimus; „ attendat & videat non ideò tantùm iſtam voluntatem divino muneri „ tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter con- „ creatum eſt, verùm etiam quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus ut „ velimus & ut credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortatio- „ nes, ... ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate quid ei ve- „ niat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. „ His ergo modis quando agit Deus cum anima rationali ut ei credat „ (neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſua- „ ſio vel vocatio cui credat), profectò & ipſum velle credere Deus ope- „ ratur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; con- „ ſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ „ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat quod dictum eſt: „ *quid autem habes quod non accepiſti?* verùm etiam confirmat. Acci- „ pere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, „ niſi conſentiendo. Ac per hoc quid habeat & quid accipiat, Dei eſt; „ accipere autem & habere, utique accipientis & habentis eſt.“ Tria hic exponit Auguſtinus, inquiunt. Primum, velle bonum eſſe à Deo, non ſolùm quia liberum arbitrium eſt à Deo, ut concedebant Pela-

gia-

Digitized by Google

giani, ſed quia liberum arbitrium divinâ gratiâ prævenitur. Deinde dicit illam gratiam eſſe ſuaſionem, vocationem, viſorum immiſſionem. Denique conſenſum æquè ac diſſenſum, non virtuti ipſius gratiæ, ſed propriæ voluntati attribuit.

Reſpondeo hos textus, ſi cum eorum, quos ſupra ex S. Auguſtino retulimus, copia & perſpicuitate comparentur, nullius eſſe momenti.

Primum textum dictabat anno 388, dum adhuc verſaretur in eo errore quem poſteà adverſus Semipelagianos confutavit, nondumque advertiſſet fidem ipſam eſſe donum Dei. Nec obſtat quòd ibi intrinſecam vocationem, quæ fit per gratiam, admittere videatur. Jam enim ſæpè obſervavimus hujusmodi gratiam interiorem, cujus effectus ex libero voluntatis arbitrio pendeat, errori Semipelagianorum nequaquam repugnare.

Illum errorem deponere quidem cœpit S. Doctor anno circiter 397, dum ſcribebat libros ad Simplicianum, ex quibus depromitur altera objectio. ,, Pleniùs ſapere cœpi, inquit ipſemet lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 20. num. 52, in ea Diſputatione, quam ſcripſi ad B. memo-
,, riæ Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, in mei Epiſ-
,, copatûs exordio, quando & initium fidei donum Dei eſſe cognovi &
,, aſſerui.“ Sic tamen in primo illorum librorum agnovit fidem ipſam donari à Deo, ut quæſtionem priùs in utramque partem agitaverit, multaque dixerit quæ Semipelagianis non diſplicerent. Unde lib. 1 Retract. cap. 1. num. 1: ,, In cujus quæſtionis ſolutione, inquit, labora-
,, tum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei
,, gratia.“ Porro manifeſtum eſt verba quæ nobis objiciuntur eſſe laborantis adhuc pro libero arbitrio contra gratiam; ſed pauló poſt gratiæ palmam detulit, cùm addit num. 12: ,, Illud manifeſtum eſt, fruſtra
,, nos velle niſi Deus miſereatur: illud autem neſcio quomodò dicatur,
,, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur,
,, etiam volumus; ad eamdem quippe miſericordiam pertinet ut veli-
,, mus. Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle & operari pro
,, bona voluntate. Nam ſi quæramus utrum Dei donum ſit voluntas
,, bona, mirum ſi negare quiſquam audeat.“

In 2° textu, ex lib. 12 *de Civitate Dei*, quæſtio non eſt de cauſa bonæ voluntatis, quam S. Doctor centies aſſeruit eſſe ipſammet gratiam operantem in nobis & velle, ſed de cauſa voluntatis malæ; meritòque reſpondet S. Doctor non aliam ejus cauſam eſſe quàm voluntatem ipſam è nihilo creatam, atque ex ſeipſa deficientem; in quo certè nihil eſt quòd adverſariorum doctrinam adjuvet, vel noſtræ obſit.

Sed, inquiunt, ſupponit ibi S. Auguſtinus, è duobus hominibus animo & corpore æqualiter affectis, & æquali tentatione tum externâ, tum etiam internâ tentatis, unum ſuccumbere, alterum in juſtitia perſeverare; aitque illa in hypotheſi nihil aliud apparere, *niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere*: inde verò legitimè infertur, inquiunt,

propriam voluntatem eſſe cauſam, ſicut in illo peccati, ita in hoc victoriæ peccati.

Reſpondeo ambos illos homines ſupponi quidem æqualiter affectos & æqualiter tentatos, ſed non ſupponi æqualiter adjutos, quod tamen ſupponi deberet ut inde aliquid contra gratiam ex ſeſe efficacem rectè concludi poſſet. Idcirco autem gratiæ mentionem non fecit eo loci S. Auguſtinus, quia ad malam voluntatem, cujus unius cauſam ibi inveſtigabat, gratia non eſt neceſſaria, ſed tantùm ad bonam voluntatem, de qua tunc non agebatur. Veriſſimum autem eſt *unum voluiſſe à caſtitate deficere, alterum noluiſſe*, quia, ſicut peccatum, ſic etiam fuga peccati ſine propria voluntate non fit; cum hoc tamen diſcrimine, quòd ad peccatum, quod eſt mera defectio, voluntas creata ſibi ſufficiat, ad benè autem volendum non ſibi ſufficiat, ſed indigeat cœleſti adjutorio motum ipſum bonæ ac piæ voluntatis operante.

Et ſanè ſi è duobus hominibus non tantùm æqualiter affectis & æqualiter tentatis, ſed etiam pariter affectis & æqualiter adjutis, unus caderet, alter in juſtitia perſtaret, ſeipſum homo diſcerneret ab altero, haberetque aliquid eximium à Deo non acceptum, de quo proinde in ſeipſo abſque ulla culpa gloriari poſſet; quod quantùm Apoſtolicæ S. Auguſtini doctrinæ repugnet, dici vix poteſt.

Ad ultimum textum petitum ex libro *de Spiritu & littera*, dico manifeſtum eſſe grandem illam quæſtionem ibi ventilari duntaxat, non autem definiri. Id patet ex verbis ipſis quibus ſolutionem à ſe propoſitam exprimit S. Doctor. „ Videamus, inquit, utrùm huic ſatisfaciat quæs„ tioni &c.“ Et poſteà: „ Hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſuf„ ficit, ſufficiat.“ Sic enim loqui ſolent qui alicui ſolutioni non fidunt. Et ſanè ſi huic reſponſioni ſtandum eſſet, nec altiorem voluntatis credendi cauſam inquiri oporteret, ſequeretur ſolam vocationem externam ſufficere ad credendum, quod eſt hæreticum, vel ad ſummum requiri internam mentis illuſtrationem; ſiquidem liberam alterutrius optionem dare videtur S. Auguſtinus, cùm ait: „ Viſorum ſuaſionibus agit Deus „ ut velimus & ut credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhorta„ tiones,..... ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat „ in mentem.“ Hoc autem admiſſo, vel ipſe Pelagius catholicè ſenſiſſet.

Notandum tamen reſponſionis ibi propoſitæ nihil ſubeſſe falſi, licet non omne verum exprimat. Verum quippe eſt hominem accepiſſe à Deo liberum arbitrium, quo Evangelio conſentire, vel ab eo diſſentire poteſt. Verum eſt Deum illuſtrationibus, tum externis, tum internis nobiſcum agere ut velimus credere. Verum eſt propriæ voluntatis eſſe his illuſtrationibus conſentire vel non conſentire. Vera igitur eſt illa ſolutio; ſed non ſufficit. Supereſt quippe ulteriùs inquirendum an motus ille voluntatis, quo Evangelicæ prædicationi conſentimus, donum Dei ſit, an ſurgat ex ſolo libero arbitrio exteriùs vel interiùs commonito & præ-

Digitized by Google

prævento. Id intelligens S. Doctor immediatè poſt verba objecta hæc ſubdit, quibus ſatis apertè declarat quæſtionem minimè ſolutam à ſe fuiſſe. „ Jam, inquit, ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam „ nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur, illi autem non „ ita, duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat: *O altitudo divitiarum!* Et: *Numquid iniquitas apud Deum?* Cui reſponſio iſ- „ ta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores."

Objiciunt 4°. S. Thomas, 1 part. q. 62, art. 3. ad 2, ſic loquitur: „ Dicendum quòd omnis forma inclinat ſuum ſubjectum ſecundùm „ modum naturæ ejus. Modus autem naturalis intellectualis naturæ eſt, „ ut liberè feratur in ea quæ vult. Et ideò inclinatio gratiæ non im- „ ponit neceſſitatem, ſed habens gratiam poteſt eâ non uti & peccare." Certè, aiunt, ſi homo poteſt non uti gratiâ, gratia non eſt per ſe efficax.

Reſpondeo (quàmvis verè dici queat hominem poſſe non uti gratiâ actuali efficaci, eamque gratiam non imponere agendi neceſſitatem, eoquòd, ut ſæpiſſimè docet Angelicus Doctor, Deus moveat unumquodque modo illius naturæ conſentaneo, agentia neceſſaria neceſſariò, libera liberè) ſermonem ibi non eſſe de gratia actuali, de qua hîc agimus, ſed de gratia habituali, quâ reverâ homo juſtificatus aliquando utitur, aliquando non utitur. Id patet non ſolum quia S. Thomas illam vocat *formam & inclinationem*, ſed etiam quia in objectione ſibi propoſita de illa gratia manifeſtè agitur. En objectio: „ Gratia inclinat creaturam „ rationalem in Deum: ſi igitur Angelus in gratia creatus fuiſſet, nul- „ lus Angelus fuiſſet à Deo averſus." Reſpondet autem Angelum, tametſi creatum in gratia habituali, peccare potuiſſe, quia gratia habitualis, cùm in ſtatu viæ totam voluntatis capacitatem non repleat, perſeverandi neceſſitatem non imponit, ideòque per peccatum amitti poteſt.

Solvitur objectio ex concilio Tridentino, & ex comparatione doctrinæ noſtræ cum hæreſi Lutherana & Calviniana.

Opponunt prætereà vocabulum gratiæ *per ſe efficacis* à Calvino primùm invectum fuiſſe, doctrinamque ipſam non differre ab errore Lutheri & Calvini, ac damnatam eſſe à concilio Tridentino, Seſſ. 6. cap 5, ubi declarat „ ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Je- „ ſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus „ vocatione, quâ, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, ut, „ qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adju- „ vantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, „ eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, diſponantur, ita ut, „ tangente Deo cor hominis per Spiritûs ſancti illuminationem, neque „ homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe „ qui & illam abjicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe

Objectio ex Concilio Tridentino.

„ ad juſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit.“ Et can. 4: „ Si „ quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, „ nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad ob- „ tinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe „ diſſentire ſi velit, ſed, velut inanime quoddam, nihil omnino age- „ re, merèque paſſivè ſe habere; anathema ſit.“ Sancta ſynodus, inquiunt, loquitur de gratia efficaci cui cooperamur, & de qua controverſia erat cum hæreticis contendentibus per eam tolli libertatem arbitrii. Porro illa non eſt per ſe efficax. Nam, juxta ſynodi definitionem, poteſt homo eam abjicere, & liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poteſt diſſentire ſi velit. Non autem poſſet eam abjicere, nec diſſentire, ſi gratia eſſet à ſe ſeu ab intrinſeco efficax. Ergo doctrina gratiæ ſeipſâ efficacis reprobata eſt à concilio Tridentino.

Reſpondeo mirandum non eſſe quòd, qui Pelagianam hæreſim magna ſaltem ex parte exſuſcitant, eorum etiam calumnias imitentur. Sicut enim gratiæ ſeipſâ efficacis inimici nos Calviniſmi accuſant, ſic Pelagiani S. Auguſtinum aliosque gratiæ Chriſti deſenſores Manichæos appellabant. Optimè quòd eisdem nunc artibus oppugnemur, quibus catholica veritas olim oppugnata eſt.

Etiamſi verum eſſet, quod neſcio utrùm probari poſſit, Calvinum primum eſſe qui gratiæ per ſe efficacis vocabulo uſus fuerit, nihil inde concludi poſſet. Nonne Paulus Samozatenus primus auctor fuit vocis ὁμοουσιος, quam poſteà Concilium Nicænum ac tota Eccleſia ad exprimendam fidem catholicam conſecravit? Eadem vox in pravo Samozateni ſenſu accepta meritò damnata eſt: at poſteà recto ac proprio ſenſu intellecta catholicæ contra Arianos fidei veluti teſſera evaſit. Idem dicendum eſt de voce gratiæ per ſe efficacis. Illam, ſi velis, Calvinus primus uſurpaverit; quid inde conſequitur? Certè doctrinam ipſam, quam illâ exprimimus, à Chriſto & Apoſtolis Eccleſiæ concreditam, & continuâ traditione conſervatam eſſe, invictè demonſtrant immunera monumenta ſuperius allata. Parum intereſt utrùm hâc, an illâ voce utaris, modò doctrinam ipſam, quæ inconcuſſa & eadem ſemper & ubique eſſe debet, retineas. Non dixerunt quidem conceptis verbis SS. Patres gratiam eſſe ex ſeipſa efficacem, ſed plurima dixerunt quæ non minorem vim habent. Dixerunt gratiam ſe ſolâ effectum ſuum producere: ſic S. Proſper adverſus Ingratos, cap. 14:

> *Ut tamen his ſtudiis auditor promoveatur,*
> *Non doctor, neque diſcipulus, ſed* GRATIA SOLA
> *Efficit.*

Dixerunt Patres concilii Toletani 4, in oratione quæ in ſingulis conciliorum ſeſſionibus legi dudum conſuevit: „ Junge nos tibi efficaciter „ ſo-

„ ſolius gratiæ tuæ dono.“ Dixit S. Auguſtinus voluntatem hominis
divinâ gratiâ agi *indeclinabiliter* & *inſuperabiliter*. Dixit S Baſilius mag-
nus in Serm. *de Lib. arbitrio* gratiam eſſe *inſuperabilem potentiam Dei*, & Tom. 1. p. 631.
lib. *de Spiritu ſancto*, cap. 8, „ illam eſſe auxilium quod per imperium Tom. 2. pag.
„ ſuæ potentiæ operatur in nobis.“ Cæteri Patres aliis atque aliis lo- 159.
quendi modis uſi ſunt, quibus non alia quàm per ſe efficax gratia aper-
tiſſimè ſignificatur.

Quantùm ad Lutheri & Calvini hæreſim attinet, conſtat ex illius expoſitione in Libro primo à nobis præmiſſa, eam toto cœlo diſtare à catholica gratiæ per ſe efficacis doctrina. 1°. Lutherus & Calvinus nomen ipſum liberi arbitrii, tanquam ſuperbum & faſtuoſum, rejecerunt. Catholici non ſolùm nomen retinent, ſed rem ipſam palam confitentur, & cum ſynodo Tridentina, ſeſſ. 6. can. 5, anathematizant eum *qui dixerit liberum arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum aut extinctum eſſe, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re.* 2°. Lutherus docuit voluntatem hominis omni prorſus activitate in bonis operibus deſtitui, ac merè paſſivè ſe habere. Catholici hunc errorem cum Patribus Tridentinis anathemate percellunt. 3°. Calvinus, quàmvis aliquam in voluntate activitatem admiſerit quantùm ad materiale bonorum operum, planè negavit hominem cooperari gratiæ quantùm ad formale, contenditque omne quod ab humana voluntate, etiam per gratiam mota, procedit, pravum eſſe, ut pote corruptâ origine vitiatum. Catholici è contrario corde credunt, & ore confitentur, *hominem gratiæ excitanti atque adjuvanti liberè cooperari, aſſentiendo Deo vocanti*, ut definivit Tridentinum concilium. 4°. Lutherus & Calvinus docuerunt nullam eſſe in homine boni vel mali electionem, gratiamque adeò eſſe irreſiſtibilem, ut homo illâ præventus diſſentire non poſſit. Catholici verò gratiam ſeipſâ efficacem ſic admittunt, ut credant & confiteantur nullam per eam neceſſitatem voluntati inferri, hominemque, dum illi aſſentitur, poſſe diſſentire, eamque abjicere, ſi velit. 5°. Uterque docuit Deum mala æquè ac bona opera hominum ab æterno prædeſtinaſſe & in eis operari. Catholici hanc doctrinam tanquam impiam & blaſphemam execrantur. Quid ergo cum illis Hæreſiarchis commune habent Catholici gratiæ ſeipſâ efficacis defenſores, qui, quæcunque in illis Eccleſia damnavit, apertè & ſine ullis verborum involucris deteſtantur & anathematizant?

Jam verò, ut ad ſynodum Tridentinam veniamus, certum eſt eam doctrinæ gratiæ per ſe efficacis non modò non adverſari, verùm etiam non obſcurè ſuffragari.

Quòd illi non adverſetur, inde manifeſtum eſt, quòd Patribus Tridentinis id unum fuerit propoſitum, ut Lutheri ac Calvini errores, non verò ut Theologorum, ac præſertim ſcholæ Thomiſticæ tunc florentiſſimæ doctrinam damnaret.

Quid

Quid enimverò Synodus definivit? Hæc quatuor dogmata: Primum, hominem non merè paſſivè ſe habere, recipiendo inſpirationem Dei, neque, velut inanime quoddam, nihil omnino agere. Secundum, eumdem per excitantem atque adjuvantem gratiam diſponi ad juſtificationem. Tertium, ad illam diſponi liberè aſſentiendo atque cooperando eidem gratiæ. Quartum, poſſe hominem abjicere inſpirationem Dei, ſeu liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe disſentire ſi velit. Atqui nullus Catholicorum eſt, qui quatuor iſtis dogmatibus ab hæreticis abjectis non toto animo ſubſcribat. Ergo decretum Synodi ſolos novatores eorumque aſſeclas damnat.

At, inquiunt, gratiæ, quæ ſit ſeipſâ efficax, liberum arbitrium disſentire nequit. Hoc quidem dicunt adverſarii, ſed Concilium nunquam dixit, & deſenſores gratiæ per ſe efficacis omnino negant; oſtenduntque per ejusmodi gratiam effici tantummodò ut homo non diſſentiat, non autem ut diſſentire non poſſit. Verùm de concordia gratiæ per ſe efficacis cum libero voluntatis arbitrio poſteà ex inſtituto dicemus.

Quod verò Synodus ſuffragetur doctrinæ gratiæ ex ſeipſâ efficaci, multa demonſtrant. 1°. In citato canone duo decernit ſancta Synodus, ſcilicet liberum arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari, & ſic illud cooperari, ut poſſit diſſentire ſi velit. Porro ſi liberum arbitrium à Deo motum cooperatur, ergo gratia ſemper ſortitur effectum ad quem producendum immediatè à Deo ordinatur: & ſi cooperando poteſt diſſentire, ergo gratia, quæ ſemper ſortitur effectum à Deo intentum, non tollit potentiam diſſentiendi. In his autem duobus capitibus doctrina gratiæ per ſe efficacis tota conſiſtit.

2°. Notandus eſt loquendi modus à Patribus Tridentinis conſultè adhibitus, *liberum arbitrium à Deo motum*, quo indicant Deum non movere tantummodò mentem ſeu voluntatem conſideratam ut naturam, ſed ipſum liberum arbitrium à Deo moveri, ac proinde illius determinationem produci. Nec dicas iſtum loquendi modum Patribus non ſatis attendentibus excidiſſe. Lemos quippe, Panopliæ tom. 1. part. 1. tract. 6. cap. 1, & tom. 4. part. 1. cap. 20, teſtatur in Actis Concilii, quæ Romæ in arce S. Angeli aſſervantur, & quæ, ipſo permittente Paulo V, legerat, referri Lainez & Salmeron Jeſuitas, illo canone propoſito, poſtulaſſe ut ſic reformaretur: ſi quis dixerit mentem humanam à Deo motam. „ Quod, inquit, cùm Patribus diſplicuiſſet, Epiſcopus quidam „ dixit illam ſententiam, quam proponebat P. Lainez, eſſe Pelagia- „ nam, nolentem Deum agere & movere hominis arbitrium, ſeu libe- „ ram voluntatem, ſed tantùm intellectum & mentem.“

3°. Quando Concilium iſtam Calvini propoſitionem damnavit: *Liberum arbitrium à Deo motum non poteſt diſſentire*, eam procul dubio damnavit in ſenſu ipſo Calvini. Porro Calvinus eam intelligebat de motione per ſe efficace & phyſicè prædeterminante, quam ſolam agnoſcebat. Ergo

Digitized by Google

Ergo in hoc eodem ſenſu damnata eſt propoſitio; adeòque fatendum eſt gratiâ per ſe efficace, juxta Tridentinos Patres, non lædi arbitrii poteſtatem, nec tolli potentiam ad oppoſitum; quod & nos contendimus.

Et ſane Calvinianus error eodem principio nitebatur, quo nituntur Moliniani, aliique gratiæ ſeipſâ efficacis impugnatores; videlicet gratiam per ſe efficacem ſtare non poſſe cum libertate arbitrii, atque omnino excludere potentiam ad oppoſitum. Ex falſo illo principio ſic argumentabatur Calvinus: Admittenda eſt gratia ſeipſâ efficax; ergo liberum arbitrium per gratiam à Deo motum non habet diſſentiendi potentiam. Ex eodem principio ſic inferunt è contrario Moliniani: Homo ſub gratiæ motione habet potentiam diſſentiendi; ergo gratia non eſt per ſe efficax. Inter duo illa extrema media incedit catholica gratiæ ſeipſâ efficacis doctrina. Negat principium Calvino & Molinæ commune, Calvinumque ſimul & Molinam refellit. Duobus videlicet modis oppugnari poteſt Calviniana hæreſis circa libertatem arbitrii: vel admittendo gratiam eſſe per ſe efficacem, ſed negando per illam lædi libertatem arbitrii & potentiam ad oppoſitum, ſicque Calvinum expugnant omnes gratiæ ſeipſâ efficacis Catholici aſſertores: vel concedendo gratiam per ſe efficacem ſtare non poſſe cum arbitrio voluntatis & cum potentia ad oppoſitum, ſed negando gratiam eſſe à ſeipſa efficacem. Hanc viam ſequuntur Molinæ ſequaces. Attendamus nunc quam ex his duobus viam inierunt Patres Tridentini. Si primam, vicimus Molinianos: ſi alteram, vicerunt Moliniani. Porro vel ex ſola canonis lectione patet Calvinum non idcirco damnatum fuiſſe, quòd vellet gratiam ſeipſâ efficacem eſſe, ſed quia ſub gratiæ motione (quam per ſe efficacem admittebat) negaret remanere potentiam diſſentiendi. Ergo in Calvino non noſtra, ſed adverſariorum potius doctrina damnata eſt.

Uno verbo, vel Concilium cenſuit ex doctrina gratiæ ex ſeſe efficacis ſequi ruinam liberi arbitrii, ut contendebat Calvinus; vel cenſuit ſub motione gratiæ ſeipſâ efficacis integram remanere arbitrii libertatem. Si primum, gratiæ per ſe efficacis aſſertores damnare debuit tanquam arbitrii libertati adverſos, non verò illos qui negant ſub motione gratiæ voluntatem poſſe diſſentire, ſi velit. Hos tamen, non illos, damnavit. Ergo cenſuit doctrinam gratiæ per ſe efficacis non repugnare cum libero arbitrio; quod & nos quoque dicimus.

4°. Quis melior Concilii Tridentini interpres deſiderari poteſt, quàm *Catechiſmus ad Parochos*, juſſu ejuſdem concilii à viris doctiſſimis compoſitus, à Cardinali Sirleto, qui Synodo interfuerat, recognitus, SS. Pontificum Pii V & Gregorii XIII curis in lucem editus, à plurimis Conciliis Provincialibus, in quibus plures è Tridentinis Patribus ſedebant, ſummoperè approbatus ac commendatus; à quinque Mediolanenſibus, ſub S. Carolo Borromæo, annorum 1565, 1569, 1573 & 1579, à Beneventano anno 1567, à Ravennatenſi anno 1568, à Salisburgenſi

in Germania anno 1569, à Genuenſi anno 1574, à Clero Gallicano in Conventu Melodunenſi, à Concilio Rothomagenſi anni 1581, à Burdegalenſi anno 1582, à Turonenſi anno 1583, à Remenſi eodem anno, ab Aquenſi in Gallia anno 1585, à Toloſano anno 1590, ab Avenionenſi anno 1594, & Aquileienſi anno 1596. Porro percelebris ille Catechismus expreſſè docet Deum omnia operari motione phyſicâ, prævià & ſpeciali. „ Non ſolùm, inquit, Deus univerſa quæ ſunt providentiâ „ ſuâ tuetur atque adminiſtrat; verùm etiam, quæ moventur & agunt „ aliquid, intimâ virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut, „ quàmvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat „ tamen; cùm ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat, &, quemadmodùm Sapiens teſtatur, attingat à fine uſque ad finem fortiter & „ diſponat omnia ſuaviter.“ Ergo, nedum dici poſſit Concilium Tridentinum damnaſſe aut improbaſſe doctrinam gratiæ ſeipſâ efficacis, nullum dubium eſt quin illi patrocinatum ſit.

Multa inſuper ex ratione opponuntur contra doctrinam gratiæ per ſe efficacis, nimirum illâ torporem induci, correptiones inutiles reddi, deſperationem gigni, & alia id genus. Verùm quia hæc eadem objiciuntur contra gratuitam prædeſtinationem, eorum ſolutionem ad quintum Librum remittimus.

CAPUT SECUNDUM.

An de gratia per ſe efficaci rectè dici poſſit ac debeat hominem nihil boni ſine illa facere poſſe.

NONNULLI ſunt qui, quàmvis non ægrè ferant admitti gratiam ſeipſâ efficacem, dici tamen nolint hominem nihil boni ſine illa agere poſſe; imò qui hanc propoſitionem, præſertim ubi de juſtis ſermo eſt, hæreſeos notare non dubitent. Sub illo prætextu Doctores Pariſienſes, plurimis ac doctiſſimis ex eadem Facultate repugnantibus, damnarunt anno 1656 iſtam Antonii Arnaldi Propoſitionem: *SS Patres nobis in Petro exhibent hominem juſtum, cui gratia, ſine qua nihil poſſumus, defuit.*

Hujus quæſtionis ſenſus non eſt, utrum homo ſine gratia efficaci habeat potentiam benè agendi & vitandi peccatum; hanc enim potentiam in homine gratiâ efficaci deſtituto nullus Catholicus non admittit: neque utrùm ea potentia ſit proxima, completa & expedita; quod expendemus in ſequente Diſſertatione, ubi de gratia excitante ſeu ſufficiente tractabimus (quanquam nonnulli utramque quæſtionem confundere ament).

ament). Sed ſenſus eſt utrùm, abſtrahendo à viribus quas habet vel non habet voluntas humana gratiâ efficaci deſtituta, & ſolâ hujus gratiæ neceſſitate conſideratâ, rectè & catholicè dici queat hominem nihil boni ſine ipſa facere poſſe.

P R O P O S I T I O.

Uſitatus eſt in Scripturis, SS. Patribus ac Theologis Catholicis loquendi modus, hominem nihil boni facere poſſe ſine gratia à ſe efficaci; hæeque propoſitio erroris argui nequit, niſi convulsâ, quam modò aſſeruimus, neceſſitate gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus.

PROBATUR I° è Scripturis.

Cùm Chriſtus, Joann. VI. 44, dicit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, loquitur de gratia ſine qua nemo poteſt ad ipſum venire. Atqui gratiam illam efficacem eſſe patet: 1° ex verbo ipſo, *traxerit*, ſignificante efficaciam gratiæ, quæ nullomodò fruſtratur effectu ad quem à Deo dirigitur, ut exponit Pererius Jeſuita in hunc locum, diſp. 17. num. 55. „ Quemadmodùm enim, inquit, qui „ trahitur, non poteſt & non moveri quò trahitur ab alio, ita qui effica- „ citer à Deo movetur ad Chriſtum, neceſſariò (neceſſitate conſe- „ quentiæ & infallibilitatis, ut ſtatim exponit) ad eum venit, & ab „ eo juſtificabitur." Patet 2° ex verſu immediatè ſequente: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me;* quo expreſſè docetur gratiam illam certò conſequi effectum. Patet 3° ex verſu 66, ubi Chriſtus eamdem ſententiam inculcans ait: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt: propterea dixi vobis quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Nam profectò gratia, quâ datur à Patre ut veniatur ad Filium, eſt efficax. Atqui, Chriſto ipſo docente, ſine illa gratia nemo poteſt venire, hoc eſt, credere in ipſum.

Sapient. VIII. 21, Auctor ſacer dicit: *Ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det,..... adii Dominum, & deprecatus ſum illum* &c. En rurſus gratia quâ Deus dat quod jubet, & quam ſancti implorant ad implenda mandata, id eſt, gratia utique efficax. Aſſeritur tamen neminem ſine illa continentem ſeu participem ſapientiæ eſſe poſſe.

Joannis XV. 4 & 5: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis,..... quia ſine me*

 nihil

nihil poteſtis facere. Hic etiam agitur de gratia efficaci, quæ comparatur influxui vitis in ſuos palmites. Hinc SS. Patres, omnesque S. Thomæ diſcipuli, gratiæ efficacis neceſſitatem ex hoc textu aliisque ſimilibus unanimi conſenſu adſtruunt, ut obſervat Maſſoulié, Differt. 3. quæſt. 1. art. 3. Atteſtatur tamen ipſa Veritas ſine illa nihil poſſe fieri.

1. Corinth. XII 3: *Nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu; & nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.* Eadem gratia eſt, quâ fit ut nemo malè loquatur de Jeſu, & ſine qua nemo poteſt piè dicere, *Dominus Jeſus.* Porro gratia, quâ fit ut nemo de Jeſu malè loquatur, procul dubio efficax eſt. Ergo ſine gratia efficaci nemo poteſt piè invocare Dominum Jeſum.

Probatur II° ex Conciliis.

Concilium Carthaginenſe 214 Epiſcoporum, ſub Zozimo, anno 418, can. 4 decernit per gratiam Dei nobis præſtari *ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus & valeamus:* quibus verbis apertè ſignificatur gratia efficax. Et canone ſequente, de eadem illa gratia loquens, anathemate percellit eum qui dixerit nos, *etſi ea gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſe etiam ſine illa implere divina mandata;* eamque definitionem adſtruit his Chriſti verbis: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Concilium Arauſicanum II, can. 7: „ Si quis per naturæ vigorem „ bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut „ expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, evangelicæ prædicationi „ conſentire poſſe confirmat, absque illuminatione & inſpiratione Spiri- „ tûs ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo „ veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evan- „ gelio dicentis: *Sine me nihil poteſtis facere.*" Sine dubio gratia, quæ per *inſpirationem Spiritûs ſancti dat ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati*, eſt gratia ſeipſâ efficax. Porro, juxta hujus Concilii ab univerſa Eccleſia recepti definitionem, ſine illa eligi non poteſt bonum, eoque ſenſu intelligenda ſunt iſta Chriſti verba: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Sic etiam decernit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. can. 22: „ Si quis „ dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia per- „ ſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit." Loquitur procul dubio ſancta ſynodus de auxilio efficaci, quod idcirco appellat ſpeciale auxilium. Definit tamen ſine hujusmodi auxilio juſtificatum perſeverare in juſtitia non poſſe.

Probatur III° ex SS. Pontificibus.

Inter Auguſt. 181. Innocentius I in Epiſtola ad Patres Carthaginenſes, num. 7: „ Quotidiana, inquit, præſtat (Deus) remedia, quibus niſi freti confiſique „ nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt „ enim ut, quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur."

Digitized by Google

„ mur.“ Quid clarius? Auxilium quo vincimus eſt efficax: ſine illo tamen nullatenus vincere poſſumus humanos errores, ſed vincamur neceſſe eſt.

Cæleſtinus I, in Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum, capitulo 9, ſic habet: „ Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero opere„ tur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus „ bonæ voluntatis ex Deo ſit.“ En procul dubio gratia efficax: audiamus ſequentia. „ Quia per ipſum aliquid boni poſſumus, ſine quo ni„ hil poſſumus.“ Ergo nihil boni facere poſſumus ſine gratia efficaci.

S. Leo, Serm. 8 in Epiphania: „ Dicente, inquit, Apoſtolis ſuis „ Domino: *Sine me nihil poteſtis facere*, dubium non eſt hominem bo„ na agentem à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. „ Unde & Apoſtolus fidelium copioſiſſimus cohortator,... *Deus eſt enim*, inquit, *qui operatur in vobis & velle & operari* &c.“ Ergo, teſte maximo illo Pontifice, ſine gratia, quæ dat effectum operis & initium voluntatis, nihil poſſumus facere; ac de eadem gratia Chriſtus dixit: *ſine me nihil poteſtis facere*, de qua dicit Apoſtolus: *Deus eſt qui operatur velle & perficere*, hoc eſt, de efficaci.

Probatur IV° ex SS. Patribus.

S. Macarius Abbas Ægyptius, hom. 17 (tom. 4 Biblioth. PP. pag. 73): „ Quemadmodùm, inquit, ſine aqua piſcis vivere non poteſt, nec „ (homo) ambulare ſine pedibus, aut abſque oculis videre lumen, vel „ loqui cùm linguâ careat, nec audire ſine auribus; ſic ſine Domino Je„ ſu atque efficacia divinæ virtutis“ (καὶ τῆς ἐνεργείας τῆς θείας δυνάμεως) „ non poteſt quiſpiam cognoſcere myſteria aut ſapientiam Dei, aut eſſe „ dives & Chriſtianus.“ Et hom. 18 (ibid. pag. 74): „ Qui reperit & „ poſſidet apud ſe cœleſtem hunc theſaurum ſpiritûs, ejus beneficio om„ nem præceptorum juſtitiam ac virtutum operationem purè & abſque „ reprehenſione, facile & ſine ulla vi perficit.“ En profectò gratia efficax. Addit: „ Obſecremus igitur nos quoque Deum, ut nobis theſau„ rum ſui ſpiritûs elargiri dignetur, ut hoc modo purè & ſine reprehen„ ſione converſari poſſimus in omnibus illius præceptis.“ Igitur ſine gratia efficaci non poſſumus divina ſervare mandata.

S. Chryſoſtomus, hom. 31 in Epiſtolam ad Hebræos, num. 3, tom. 12, dicit „ negationem Petri non tam fuiſſe ſocordiæ & negligentiæ, „ quàm ex eo quòd Deus eum deſeruerat“ (gratiam efficacem ſaltem non dando); „ erudiens ut humanam ſciret menſuram,..... ſed ſciret „ quòd abſque Deo nihil poteſt fieri.“ Nullum ſanè diſcrimen hanc inter & Arnaldi Propoſitionem aſſignari poteſt, niſi fortè quòd S. Chryſoſtomi verba duriora ſint quàm Arnaldi.

S. Auguſtinus, vel alius auctor Sermonis 124 de Tempore, qui nunc 70 eſt in Appendice, hæc ait, quæ ab eadem Propoſitione non diſcrepant: „ Quid eſt homo ſine gratia, niſi quod fuit Petrus cùm negaret

Digitized by Google

„ Chriſtum? ..... Et ideò B. Petrum paululùm Dominus ſubdeſeruit, ut „ in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere nihil ſe ſine Dei gratia „ prævalere." Utique ſine gratia efficaci, quam ſolam B. Petro tunc defuiſſe volunt quos hîc refellimus.

Longum eſſet recenſere textus omnes S. Doctoris, in quibus docet hominem nihil facere poſſe ſine gratia efficaci. Nonnullos tantùm proferam, in quibus hanc doctrinam, tanquam Eccleſiæ fidem, à Pelagianis tenendam & confitendam eſſe aſſerit. In Epiſtola 186, olim 106, quam unà cum S. Alypio ſcripſit ad S. Paulinum, cap. 1. num. 3: „ Gratia Dei, inquit, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum (quod „ fides vera & Catholica ſemper tenet Eccleſia)...... niſi adjuvet, ni- „ hil pietatis atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive in ipſa voluntate, ha- „ bere poſſumus. Deus quippe operatur in nobis velle & operari pro „ bona voluntate." Quænam igitur gratia eſt ſine qua nihil poſſumus? Ea ipſa quæ operatur velle & operari, id eſt, gratia efficax.

Et ſanè cùm Catholicorum fidei profeſſio ac veluti teſſera hæc eſſet, nihil poſſe nos ſine gratia Dei, Pelagiusque & ejus diſcipuli, ut catholicè ſentire quoquo pacto viderentur, iisdem verbis uti non recuſarent, gratiæ nomine aliud intelligentes quàm id quod Eccleſia Catholica ſentiebat, S. Auguſtinus, tum alibi, tum præſertim in libro *de Gratia Chriſti*, totus in eo incubuit ut oſtenderet illos pro Chriſtianis haberi non poſſe, niſi gratiam, ſine qua hominem nihil poſſe fateri cogebantur, per ſe efficacem eſſe palam & apertè declararent. „ Nos, inquit, eam „ gratiam volumus iſte aliquando fateatur, quâ ..... non ſuadetur ſo- „ lùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur (proinde ſeipſâ „ efficacem)...... Quibus autem perſuadeatur ut ad (Chriſtum) ve- „ niant, ſatis ipſe demonſtravit ubi ait: *nemo venit ad me, niſi Pater* „ *qui miſit me traxerit eum;* & paulò poſt: ..... *nemo poteſt venire ad* „ *me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Hanc debet Pelagius gratiam „ confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verum etiam eſſe Chriſtianus." Igitur, juxta S. Auguſtinum, ad fidem catholicam non ſatis eſt confiteri hominem nihil poſſe ſine gratia, neque etiam admittere aliquam gratiam efficacem; ſed inſuper confiteri neceſſe eſt hominem ad pietatis opera nihil poſſe ſine illa gratia quæ ſeipſâ efficax ſit. „ Ac per hoc, ait rurſus S. Doctor, cap. 26. num. 27, „ gratiam Dei, quâ diffunditur „ caritas in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum," (id eſt, gratiam ſeipſâ efficacem)., ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut om- „ nino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet veramque juſti- „ tiam, fieri poſſe non dubitet." Et lib. 1 *Oper. imperf.* num. 97: „ Cum diſplicet tibi, inquit, hominem non poſſe bonum velle, niſi „ adjuvetur ab eo qui malum non poteſt velle, nonne reſpicis ei te „ contradicere, qui dixit: *ſine me nihil poteſtis facere;* & Scripturæ, ubi „ legitur: *præparatur voluntas à Domino;* & ubi legitur: *Deus eſt qui*

„ *ope-*

„ *operatur in nobis velle?*" Ubi iterum videmus ſine gratia efficaci nihil boni fieri poſſe. Hæc ſancti Doctoris teſtimonia eò majoris ſunt momenti, quòd non privatam ipſius, ſed univerſæ Eccleſiæ ipſius ore loquentis doctrinam exhibeant. Qui ergo eam erroris notant, neceſſe eſt ut Auguſtinum vel inſignis ignorantiæ inſimulent, quaſi fidem Eccleſiæ, quam tuendam ſuſceperat, compertam non habuerit; vel ingentis temeritatis, qui proprios ſenſus pro doctrina catholica obtruderit; & intolerandæ obſtinationis, qui aſſertionum ſuarum aſperitate Pelagianorum animos à vera Eccleſiæ doctrina alienaverit.

Adjutorium *quo* à S. Doctore tanto ſtudio aſſertum, tanquam hujusce naturæ ſtatûs proprium, ſeipſo efficax eſſe ſupra oſtenſum eſt. Atqui hoc adjutorium eſt etiam ſine quo id fieri non poteſt propter quod datur; eſt enim ſimul & *ſine quo*, & *quo*. „ Non ſolùm, ut ait S. Doctor, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 12, „ ut ſine iſto dono perſeve„ rantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum nonniſi per„ ſeverantes ſint." Ergo gratia efficax eſt gratia ſine qua bonum fieri nequit.

S. Proſper, Sententiâ 105, ait „ primam divini muneris gratiam eſſe, „ ut...... agnoſcere faciat quia, ſi quid boni agimus, per illum poſ„ ſumus ſine quo nihil poſſumus." Idem eſt ac ſi diceret nos ſine illo adjutorio nihil poſſe, per quod benè agimus. Atqui gratia qua benè agimus eſt efficax. Ergo ſine gratia efficaci nihil poſſumus.

In Collatione Epiſcoporum Catholicorum regni Burgundiæ cum Epiſcopis Arianis, habitâ coram Rege Gundebaldo Ariano (tom. 5 Spicil.), legimus cognoviſſe quidem illos (Epiſcopos Catholicos) perplexitatem & anguſtias cordis ejus (Gundebaldi); ſed, inquiunt, quia Pater eum non traxerat, NON POTUIT venire ad Filium, ut veritas impleretur: *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

S. Bernardus, Serm. 84 in Cantica, num. 5, eidem gratiæ attribuit & quòd ſine illa Deum quærere non poſſimus, & quòd cum illa non quærere non poſſimus. „ Profectò, inquit, nec non quæſita quærere „ poteras, nec non quærere quæſita nunc potes."

Adeò manifeſtis teſtimoniis reſpondet Cardinalis Biſſius, SS. Patrum dicta de gratia generatim ſpectata, pro ut abſtrahit ab efficaci & ſufficiente, intelligi oportere, eoquòd Pelagius, contra quos diſputabant, omne gratiæ interioris genus rejiciebat. Sed quidquid ſit de mente Pelagii, de qua hìc non agitur, certè Conciliorum, SS. Pontificum ac SS. Patrum textus modò allati nimis perſpicui ſunt, quàm ut tam frivolâ reſponſione infirmari poſſint. Et ſanè de illa gratia dicunt SS. Patres & Concilia nihil boni ſine ipſa nos facere poſſe, quam ad actus pietatis neceſſariam eſſe credebant. Atqui ipſe Biſſius fatetur gratiam efficacem eſſe neceſſariam ad actus pietatis. Non ergo de gratia in genere, ſed de gratia efficaci dicta SS. Patrum intelligenda ſunt.

In Documento Paſtorali contra XIV Epiſtolas Theologicas.

Pro

Probatur V° ex Theologis.

Eorum princeps Angelicus Doctor centies inculcat hominem, in quocunque ſtatu conſideretur, nihil agere poſſe ſine auxilio Dei moventis. Norunt autem omnes qui in ejus lectione verſati ſunt, eum hac voce ſignificaſſe operationem Dei phyſicam & prædeterminantem. Præterea propoſitionem noſtram expreſſè docet 1. 2 q. 109. art. 6. ad 1. „ Liberum arbitrium, inquit, ad Deum converti non poteſt, niſi Deo „ ipſum ad ſe convertente, ſecundùm illud Jeremiæ 31: *Converte me*, „ *& convertar*; & Threnorum ultimo: *Converte nos*, *Domine*, *ad te*, *&* „ *convertemur*." Per quam autem gratiam ad Deum convertimur, niſi per efficacem? Et ibidem, ad 2: „ Nihil poteſt homo facere boni, „ niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud, Joann. XV: *Sine me nihil po-* „ *teſtis facere*."

Petrus Soto, qui tanquam Pii IV Theologus Concilio Tridentino interfuit, in Epiſtola 2 ad Ruardum Tapperum, ad calcem Antonini Reginaldi, *de Mente Concilii Tridentini* &c, multiplicem diſtinguit poſſi-
P. 26 & 27. bilitatis gradum, ex natura, ex gratia habituali, ex auxilio excitante; tum addit: „ Quæcunque horum poſſibilitatum ponatur, dicimus nullo- „ modò etiam tunc fieri poſſe à nobis bonum ſine alio novo adveniente „ auxilio, quo fiat ut faciamus: nullo, inquam, modo fieri poſſe, ex „ lege illa: *Sine me nihil poteſtis facere*.... Aſſerimus nullâ gratiâ dari „ ut poſſimus bonum facere ſine alia gratia, niſi quâ fit ut faciamus. „ Nulla igitur eſt gratia quâ ſolùm bonum caritatis velle poſſumus, niſi „ quâ & volumus. Detur itaque quòd poſſimus bonum facere, ſive per „ naturam, ſive per gratiam (habitualem), aut dona alia; poſſumus, „ inquam, ſimpliciter, ſed nunquam poſſumus ſine alio auxilio, niſi „ ſcilicet jam adſit gratia quâ & facimus." Et poſteà (pag. 37) idipſum ex ipſa gratiæ efficacis neceſſitate concludit. „ Cum gratia illa, inquit, „ quâ efficaciter movetur voluntas, & quâ fit ut faciamus, ne- „ ceſſaria ſimpliciter ſit ad pietatis opera, ſimpliciter verum eſt quòd ſi- „ ne illa non poſſumus operari." Longè quidem aliter ſentiebat Tapperus, eoquòd gratiæ (quam omnibus dari arbitrabatur) efficaciam à conſenſu voluntatis repetendam exiſtimaret. Verùm neque hanc doctrinam vel erroneam, vel concilio Tridentino adverſam dicere, nec ſuam opinionem tanquam Eccleſiæ doctrinam venditare unquam auſus eſt.

Idem docet Judocus Raveſtein Tiletanus, in Epiſtola ad eumdem Tapperum ſic loquens: „ *Sine me nihil poteſtis facere* non habet hunc ſenſum: „ ſine me præveniente vel excitante nihil poteſtis facere; ſed, ſine me „ faciente ut faciatis, nihil poteſtis facere."

Facultas Duacenſis, in Cenſura quam anno 1588 tulit adverſus Leſſium & Hamelium, aſſert. 14, ſic loquitur: „ Neque induratus converti poteſt, niſi per gratiam auferentem cor lapideum & tribuentem cor „ carneum; quam utique, quandiu induratus eſt, non habet: neque „ excæ-

Digitized by Google

„ excæcatus aſpicere poteſt lumen veritatis, niſi per gratiam tenebras ejus „ illuminantem, & velamen de corde ejus auferentem; quam ſimiliter, „ quandiu excæcatus eſt, non habet: neque infidelis quisquam credere „ poteſt, niſi per gratiam quâ cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur; „ quam gratiam eum non habere, quandiu infidelis manet, perſpicuum „ eſt."

Inutile foret plures appellare Theologos, qui eodem modo locuti ſunt. Conſuli poſſunt Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 28. quæſt. 2. art. 2; Capreolus, ibid. art. 3; Ribeyra, Comment. in Joannem, ad hæc verba: *Sine me nihil poteſtis facere*; Pererius, Comment. in cap. 6 Joannis, diſp. 17. num. 50 & 51, ad iſta verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater &c*; Dionyſius Carthuſianus in eadem verba; Franciſcus Mendoza in lib. 3 Reg. cap. 10. v. 26; Sanjurius è Societate Jeſu, in gallico opere *de Cognitione & amore D. N. Jeſu Chriſti*, part. 2. lib. 3. cap. 8. ſect. 2, ubi ſic loquitur: „ Cognoſcit humilis quàm imbecillæ „ ſint vires hominum, qui, quantùmlibet ſufficientibus auxiliis inſtructi „ ſint, nihil tamen boni ſine efficacibus facere poſſunt." Demum cruditus Boſſuetus, in *Juſtificatione Reflexionum Moralium*, aſſerit plusquàm centum teſtimonia produci poſſe, quibus iſte loquendi modus confirmetur.

Probatur VI° judicio Congregationum de Auxiliis, in quibus hæc noſtra Propoſitio expreſſis verbis definita eſt ab omnibus Conſultoribus, uno tantùm excepto. Nam inter Canones doctrinæ damnandæ, abſolutis Congregationibus, à Conſultoribus confectos & ſubſcriptos, hic legitur: „ Qui dixerit gratiam iſtam, ad volendum & operandum quæ pertinent „ ad ſalutem, aut non eſſe ita efficacem, ut, præveniendo voluntatem „ noſtram, ipſam verâ & reali efficientiâ præmoveat, & faciat velle at- „ que operari, aut ſine ea poſſe aliquem actu velle & operari, errat." Append. Hiſt. Congregat. p. 210. Et in Proſpectu Bullæ paulò poſt apparatæ, cap. 7: „ Auxilia gratiæ Ibid. p. 226. „ Dei, & quidem efficacis, ſunt adeò ad ſalutem neceſſaria, ut oporteat „ confiteri de hac gratia verum eſſe, quod in SS. Patrum definitionibus „ traditur atque declaratur, gratiam Dei & adjutorium etiam ad ſingu- „ los actus dari, ſeu nos ad ſingulos actus adjuvare, ita ut ſine illa ni- „ hil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere & agere valea- „ mus." Tunc igitur doctrina quam tuemur vera, catholica, definienda, quam verò rejicimus falſa, erronea, eliminanda atque proſcribenda cenſebatur. Quonam igitur portento bonum in malum, lux in tenebras, &, vice verſâ, malum in bonum, ac tenebræ in lucem converſæ eſſent?

Probatur VII° rationibus Theologicis.

1°. Eccleſia in ſuis precibus petit gratiam illam, ſine qua bonum fieri non poſſe certo credit. Si enim ſine illa bonum fieri poſſe exiſtimaret, ut quid illam poſtularet? Atqui ſupra probavimus Eccleſiam ſuis

 in

in precibus poſcere gratiam efficacem, quâ bonum reipſâ fiat. Credit ergo Eccleſia ſine gratia efficaci nihil rectè fieri poſſe.

2°. Omnes Theologi gratiæ per ſe efficacis defenſores unanimi conſenſu docent, illam eſſe neceſſariam ad omnes & ſingulos veræ pietatis actus: neceſſarium autem definitur id ſine quo res fieri vel finis obtineri nequit. „ Adjutoriorum quippe duo genera ſunt, ait S. Auguſtinus, lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 1. num. 3. „ Alia ſunt ſine quibus illud ad quod „ adjuvant fieri non poteſt, ſicut ſine navi navigat nemo, nemo ſine „ voce loquitur, nemo ſine pedibus graditur, nemo ſine luce intuetur, „ & multa hujuſmodi: unde eſt etiam illud quòd nemo ſine gratia Dei „ rectè vivit. Alia verò ſunt adjutoria quibus ſic adjuvamur, ut, „ etiamſi deſint, poſſit alio modo fieri propter quod ea requirimus." Illa ſunt abſolutè neceſſaria, hæc utilia tantummodò. Ita neceſſarium definiunt omnes Philoſophi & Theologi poſt S. Thomam, 3 part. q. 1. art. 2. in corp. & quæſt. 65. art. 4. in corp. Cùm ergo gratia per ſe efficax adeò ſit neceſſaria ad benè agendum, ut, ſi deſit, nullo alio modo actiones rectæ fiant, manifeſtum eſt veraciter & congruiſſimè dici neminem rectè operari poſſe ſine gratia per ſe efficaci. Hinc multò frequentiùs reperitur apud SS. Patres, hominem nihil poſſe ſine gratia quæ operatur velle & perficere, quàm eam gratiam abſolutè neceſſariam eſſe ad benè agendum: cujus rei non alia ratio eſt, quàm quòd iſte loquendi modus communi omnium hominum uſu veluti conſecratus ſit, ad exprimendam rei cujuſcunque neceſſitatem.

Et ſanè, hominem nihil boni agere poſſe ſine gratia efficaci, quid aliud ſignificat, quàm non poſſe ſimul conjungi hæc duo, ſcilicet actionem bonam, & abſentiam gratiæ efficacis? Atqui, poſitâ ſemel gratiæ per ſe efficacis neceſſitate, evidens eſt conjungi ſimul non poſſe actionem bonam, & abſentiam gratiæ efficacis ad eam producendam neceſſariæ; ſeu, quod idem eſt, fieri non poſſe ut homo reipſâ piè operetur, abſente gratiâ efficaci. Ergo, admiſſâ, quam demonſtravimus, gratiæ per ſe efficacis neceſſitate ad omnes & ſingulos actus pietatis, non modò abſque ulla erroris ſuſpicione aſſeritur neminem poſſe benè operari ſine gratia efficaci, verùm etiam id negari abſque errore non poteſt.

3°. Obſervandum eſt duobus modis de cauſa qualibet quæri poſſe an poſſit agere: 1° quidem abſolutè neceſſariis ad actu operandum nec incluſis, nec excluſis, quando ſcilicet ex cauſa de aliquo homine quæritur an poſſit videre: 2° ita ut in quæſtione excludatur aliqua conditio neceſſaria ad producendam actionem, v. g. quando de eodem homine quæritur an poſſit videre ſine lumine. Ad ſolvendam primam quæſtionem id unum attenditur, utrùm ille homo habeat potentiam intrinſecam videndi, nempe ſanos oculos; quos ſi habeat, incunctanter reſpondemus eum poſſe videre, ut pote ſanis oculis præditum. È contrario autem ad alteram quæſtionem, naturâ ipſâ duce ac magiſtrâ, reſpon-

ſpondemus eum videre non poſſe, neque attendimus utrùm ſanos vel infirmos habeat oculos, ſed tantummodò carentiam luminis abſolutè neceſſarii ad videndum. Idem eſt in præſenti controverſia. „ Non enim, ut ait Navarreta, Controv. 19 in 1am partem S. Thomæ, quæſt. 19, „ hæ duæ propoſitiones eumdem ſenſum efficiunt; ſcilicet, homo cum „ auxilio ſufficienti, præſcindendo ab efficaci, poteſt converti ad Deum; „ & hæc, ſine auxilio efficaci, cum ſolo ſufficienti, poteſt converti ad „ Deum.“ Prior eſt vera, quia tantummodò ſignificat hominem per auxilium ſufficiens habere potentiam ſe convertendi; poſterior autem eſt falſa, „ quia denotat quòd operatio poteſt ſequi de facto ſine gratia ef„ ficaci; quod falſum eſt.“ Eâdem comparatione hominis videre ſine lumine non valentis uſus eſt S. Auguſtinus, lib. *de Natura & gratia*, cap. 26. num. 29. „ Sicut enim, inquit, oculus corporis etiam ple„ niſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic & „ homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divini„ tùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.“ Non quòd homini, præſertim juſtificato, non inſit, etiam abſente gratiâ efficaci, vera potentia rectè vivendi; ſed quòd hæc potentia non habeat actu omnia ad rectè vivendum requiſita. Atque idcirco homo etiam juſtus, communi loquendi more, dicitur non poſſe piè operari abſque auxilio gratiæ efficacis.

Notanda verò eſt diſparitas quæ reperitur inter duas iſtas propoſitiones: homo gratiâ efficaci deſtitutus non poteſt facere bonum, &, homo non poteſt bonum facere ſine gratiâ efficaci. Prima, ſi in verborum rigore accipiatur, falſa eſt, quia facit ſenſum diviſum, & ſignificat hominem, qui caret gratiâ efficaci, non habere potentiam faciendi bonum, quod omnino falſum eſt; ſiquidem, independenter à gratia efficaci, ineſt ſemper homini vera potentia, & aliquando etiam multiplex, ut poſteà dicemus, faciendi bonum. Admitti tamen aliquo pacto poteſt, ſi benigno ſenſu accipiatur, ſcilicet quòd homo gratiâ efficaci deſtitutus bonum facere non poſſet eâ potentiâ, quæ complectatur omnia ad benè agendum neceſſaria. Altera autem eſt veriſſima, negarique ſine errore non poteſt, quia facit ſenſum compoſitum, enuntiatque tantummodò, abſtrahendo à potentia, ſive remota, ſive proxima, quæ ineſt homini, conjungi hæc duo non poſſe, videlicet quòd homo careat gratiâ efficaci, & quòd, ſtante illâ hypotheſi, nihilominus faciat bonum. Obſervandum quoque eſt in hac noſtra Propoſitione, *non poteſt homo bonum operari ſine gratia efficaci*, clauſulam iſtam, *ſine gratia efficaci*, non afficere verbum illud, *poteſt*, unde exurgeret ſenſus diviſus, nempè ſine gratia efficaci hominem non habere potentiam benè operandi; ſed cadere in verbum iſtud, *operari*, ita ut fiat ſenſus compoſitus, nimirum fieri non poſſe ut homo bonum operetur ſine gratiæ efficacis auxilio. Optime id exponit confirmatque Lemoſius in Actis Diſputationis 8 coram Paulo V. Acta Lemoſii, pag. 1247.
Cum enim objiceret Baſtida „ multos Thomiſtas aſſerere quod ſine effi-

 „ caci

„ caci prædeterminatione homo non poteſt converti;“ reſpondet Lemo-
„ ſius ex S. Thoma, quæſt. 1 de Potentia, art. 5. ad 2, quòd in ſimili-
„ bus propoſitionibus illud verbum *ſine*, ſeu exceptio illa, vel poteſt
„ referri ad actum importatum per verbum *converti*, vel poteſt referri
„ ad potentiam importatam per verbum *poteſt*. Si referatur ad poten-
„ tiam, propoſitio eſt falſa, & facit ſenſum quòd ſine efficaci auxilio
„ homo non habet potentiam ad ſe convertendum; quod eſt falſum. Si
„ autem referatur ad actum, eſt veriſſima propoſitio, & facit ſenſum,
„ quòd fieri non poteſt ut ſine auxilio efficaci homo convertatur; &
„ hic ſenſus eſt veriſſimus. In quo ſenſu loquuntur cum S. Thoma
„ omnes ejus diſcipuli. Sicut iſta propoſitio, ſacerdos non poteſt con-
„ ſecrare ſine pane & vino, ſi verbum *ſine* referatur ad potentiam, falſa
„ eſt, quia facit ſenſum, quòd ſacerdos ſine pane & vino non habet
„ potentiam ad conſecrandum; quod eſt falſum, quia per caracterem
„ potentiam ad conſecrandum habet. Si autem verbum *ſine* refertur
„ ad *conſecrare*, propoſitio veriſſima eſt; tunc enim facit ſenſum, fieri
„ non poſſe ut ſacerdos conſecret ſine pane & vino...... Oportet ergo
„ ad iſtam diſtinctionem S. Thomæ advertere, & ceſſabunt omnes æqui-
„ vocationes, quæ confuſè proponuntur in iſtis materiis.“

Inde verò non ſequitur noſtram Propoſitionem eſſe æquivocam; ſicut non ſequitur hanc æquivocam eſſe, ſacerdos non poteſt conſecrare ſine pane & vino, nec baptizare ſine aqua; quia, ex communi hominum inſtituto, & (quod maximi eſt momenti) ex perpetuo Eccleſiæ uſu in Scripturis ſacris fundato, nihil aliud exprimit quàm gratiæ ſeipſâ efficacis ad benè agendum neceſſitatem.

Dices. Falſum eſt hominem nihil boni facere poſſe ſine gratia efficaci, ſi homo ſine gratia efficaci habeat potentiam proximam & completam faciendi bonum. Atqui res ita eſt. Ergo.

Reſpondeo, quidquid ſit de minore propoſitione, an ſcilicet potentia bonum faciendi ſit proxima & completa in genere potentiæ, antequàm detur gratia efficax (de quo agetur in Diſſertatione ſequente), reſpondeo, inquam, negando majorem. Admiſſâ quippe potentiâ faciendi bonum etiam completiſſimâ in genere potentiæ, nihilominus verum eſt hominem non poſſe benè operari ſine gratia efficaci, quia, ut modò diximus, in iſta propoſitione particula *ſine* non refertur ad verbum *poteſt*, ſive ad potentiam, ſed ad verbum *facere*, id eſt, ad ipſum actum; ita ut ſenſus ſit, fieri non poſſe ut homo faciat bonum ſine gratia efficaci. Hinc, quàmvis omnis homo habeat potentiam naturalem & completam in genere potentiæ ſeſe determinandi ad comedendum, ad ludendum, ad ambulandum, alioſque hujuſmodi actus, tamen, juxta loquendi normam S. Thomæ omniumque ipſius diſcipulorum in communi vocum uſu fundatam, homo nihil quidquam agere poteſt ſine motione & prædeterminatione primi moventis. Utrumque veriſſimum eſt, ait Maſſoulié,

Diſſert.

Digitized by Google

Diſſert. 3. quæſt. 1. art. 3, „ ſine ea divina Patris tractione neminem Pag. 12. col. 1.
„ poſſe venire ad Chriſtum, & credendi præceptum implere; & tamen
„ ſine ea tractione poſſe hominem & venire ad Chriſtum, & credendi
„ præceptum implere. Dupliciter enim ipſum *poſſe* intelligi poteſt. Eſt
„ enim poſſibilitas ſola ex ſolo adjutorio *ſine quo;* eſt & poſſibilitas
„ conjuncta cum actu, &, ut D. Auguſtinus loquitur, *poſſibilitas cum* Lib. de Nat. & Grat. cap. 42.
„ *effectu*, quâ ſcilicet voluntas ipſa donatur ex addito adjutorio. Ne-
„ mo igitur poteſt venire ad Chriſtum niſi tractus à Patre, illâ ſcilicet
„ poſſibilitate quæ cum actu conjuncta eſt ex adjutorio *quo;* ſed tamen
„ etiam non tractus poteſt venire ad Chriſtum eâ poſſibilitate ſolâ quæ
„ eſt ſine effectu, & quæ voluntatem antecedit, ſejuncta ab actu, &
„ ex adjutorio ſine quo."

CAPUT TERTIUM.

An etiam ad orandum, & ad obſervanda faciliora quædam mandata, requiratur gratia ſeipſâ efficax.

Nonnulli ſunt qui, cùm conſentiant admittendam eſſe gratiam certò & infallibiliter efficacem (qualemlibet illam intelligant), eam ad faciliores pietatis actus requiri negent. Cenſent enim ad hujuſmodi actus ſufficere gratiam ſufficientem, quæ effectum ſuum interdum obtineat ex voluntatis conſenſu; qui verò huic gratiæ ſufficienti cooperantur, eos certò impetrare gratiam efficacem ad actus difficiliores neceſſariam.

Hujus opinionis, poſt Maſſilienſes Semipelagianos, primus parens fuiſſe videtur Alphonſus Le Moyne, Doctor & Profeſſor Sorbonicus, in tractatu manuſcripto dictato à Lucalibus anni 1649 uſque ad inducias anni 1650. Duplicem ille gratiam diſtinguit: unam efficacem, quam & medicinalem appellat, quæ non omnibus datur, & effectum ſuum nunquam non aſſequitur; alteram ſufficientem, quæ omnibus datur & ad orandum impellit, & quæ, pro ut voluntas ei conſentit aut ab ea diſſentit, effectum ſuum ſortitur vel non ſortitur. Hanc vocat gratiam orationis, ſive impetrationis, quia cum ipſa ſola poteſt homo Deum orare, &, ſi oret, certiſſimè impetrat gratiam actionis efficacem, quam proinde habere aut non habere in hominis poteſtate eſt, gratiâ illâ ſufficiente utentis vel non utentis.

In eadem opinione fuiſſe apparet Iſaacum Habert Vabrenſem Epiſcopum, in *Theologia Græcorum Patrum*, lib. 2. cap. 15. num. 2 & 3, ubi docet Pag. 289 & ſeq.
gratiam ſufficientem eſſe gratiam diſponentem ad gratiam efficacem certò

 con-

conſequendam, prout quisque illâ benè utitur; gratiam illam ſufficientem dici poſſe *efficacem ſecundùm quid, effectûs videlicet incompleti, inchoati, diſpoſitivi & præparantis;* demum eam eſſe gratiam ad orandum excitantem.

Thomaſſinus in ſuis *Memorialibus de Gratia* eamdem opinionem ita amplexus eſt, ut gratiam illam ſufficientem, non ad orandum tantummodò, ſed ad actus quoſlibet faciliores diſtributivè ſumptos faciendos planè ſufficere exiſtimaverit: efficacem verò neceſſariam non eſſe niſi ad omnes actus collectivè ſumptos, quibus ad juſtificationem pervenitur, & quibus perſeveratur usque in finem, & ad ſuperandas graviores tentationes exercendaque maxima virtutum opera.

Tom. 2. p. 447. Eamdem fermè ſententiam ſecutus eſt Honoratus Tournely in ſuo *de Gratia* tractatu. „ Admittenda eſt, inquit, gratia ſufficiens, quæ ita „ immediatè ſufficiat, ſeu ad facilia quædam implenda, ſeu ad impe- „ trandum per orationem uberius Dei auxilium quo difficiliora implean- „ tur, ut aliquando ſuum de facto producat effectum.“

Hi omnes non tantum à ſcholæ SS. Auguſtini & Thomæ doctrina diſſentiunt, ſed etiam Molinianorum & Congruiſtarum caſtra deſerunt, juxta quos gratia ſufficiens ab efficaci eo diſtinguitur, quòd hæc ſemper conſequatur effectum, illa nunquam.

P R O P O S I T I O.

Gratia per ſe efficax non minùs requiritur ad orandum, & ad implenda facilia quævis mandata, quàm ad bona opera difficiliora.

SEQUITUR hæc propoſitio ex dictis hactenus. Si enim gratia Chriſti non à conſenſu voluntatis, ſed ab intrinſeca virtute efficax eſt, & ſi ex Scriptura & Traditione conſtat nihil boni fieri poſſe ſine gratia efficaci, uti aliunde probavimus, certè non minoris efficaciæ eſt gratia quâ Deum oramus, quàm quæcunque alia. Nullum prorſus hujusmodi exceptionis veſtigium extat, ſive apud Scriptores ſacros, ſive apud Eccleſiaſticos; nullumque è ſanctis Patribus proferre poſſunt adverſarii (fidenter dico), qui duas gratiarum ſpecies admiſerit, alias verſatiles quæ ad orandum ſufficiant, alias ex ſeipſis efficaces ad actus difficiliores requiſitas. Immo exceptionem quamlibet expreſſe excludunt SS. Patres. Sic, ut alios omittam, S. Baſilius magnus, Epiſt. 38 ad S. Gregorium Nyſſenum: „ Quodcunque, inquit, ad nos ex divina poteſtate bonum venerit, omnia in „ omnibus efficientis gratiæ opus eſſe dicimus, quemadmodùm ait Apoſ- „ tolus:

Digitized by Google

„ tolus: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens „ ſigillatim unicuique prout vult.*“

Hanc gratiarum diſtinctionem Eccleſiæ Doctoribus non ſolùm incognitam, ſed etiam ab eis, ut modò videbimus, planè rejectam, primi excogitarunt Semipelagiani. Convicti quippe per ſcriptorum S. Auguſtini lectionem gratiam Chriſti medicinalem ſeipſâ efficacem eſſe, talem ipſam admittere non dubitarunt, modò eam conſequi in hominis poteſtate ſit, credendo, deſiderando, poſtulando. Diſtinguebant igitur initium bonæ voluntatis, & in illa perſeverantiam, à bonis operibus. Hæc dona gratiæ, & quidem ſeipſâ efficacis, eſſe confitebantur; illud verò, nempe initium bonæ voluntatis, deſiderium gratiæ, fidem in medicum, orationem & in oratione perſeverantiam, ex libero arbitrio, non tamen ſine aliqua gratia, etiam interiori, ſed quoad uſum libero arbitrio ſubdita, naſci contendebant. Hoc pacto totum ſalutis opus, non in Deo, ſed in hominis manu collocabant, gratiam ſervatricem vel petendo impetrantis, vel non petendo repudiantis. „ Cùmque duo ſint quæ humanam operen- „ tur ſalutem, ut ait S. Proſper in Epiſt. ad S. Auguſtinum, num. 6, Inter Auguſtinianas à 25. „ Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedien- „ tiam eſſe“ (quâ creditur, deſideratur & petitur), „ quàm gratiam“ (medicinalem & efficacem); „ ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex „ eo credendum ſit ſtare qui ſalvat, & voluntas hominis divinæ gratiæ“ (efficaciter operantis) „ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat „ voluntatem.“ Fatebantur itaque naturam humanam peccato ſauciatam gratiâ medicinali ſeipſâ efficaci indigere; ſed, inquiebant, aliud eſt ſanari, aliud deſiderare ac petere ſanitatem, quod quidem ab ipſo ægroto absque auxilio medicinali fieri poteſt. Neque enim alicui operi curationis annumerandum putabant, teſte Hilario in ſua Epiſtola, num. 2, *exterritâ & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari.* Inter Auguſtinianas 226. Vide fuſiorem illius hæreſis expoſitionem Lib. I, ubi etiam oſtendimus pleroſque Semipelagianos ſolius gratiæ efficacis & medicinalis, non verò cujuſlibet gratiæ interioris, neceſſitatem ad fidei & orationis initium negaſſe.

Damnata eſt illa hæreſis in concilio Arauſicano II, cujus definitiones univerſa amplexa eſt & amplectitur Eccleſia. „ Si quis, inquiunt Patres Concilii, can. 3, „ invocatione humanâ gratiam Dei dicit confer- „ ri, non autem ipſam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit „ Iſaiæ Prophetæ &c.

Illam autem apertè renovat Alphonſus Le Moyne. Nam pariter diſtinguit orationem quâ impetratur gratia benè agendi, ab ipſis bonis operibus. Pariter contendit gratiam medicinalem orantibus dari, non verò præſtare ut oremus. Pariter aſſerit orationem & deſiderium gratiæ non eſſe gratiæ efficacis donum, ſed proprium opus liberi arbitrii gratiâ verſatili rectè utentis. Ergo hujus doctrina jam dudum ab Eccleſia damnata eſt.

Pro-

Probatur inſuper noſtra Propoſitio diverſis textibus Scripturæ & SS. Patrum, qui docent gratiam orandi (de cæteris actibus quos faciliores vocant idem eſto judicium) ſeipſâ efficacem eſſe.

In Pſalmo L. 17, David dicit: *Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Deo igitur labia per gratiam aperiente, confeſtim adeſt precatio & invocatio.

Zachariæ XII. 10, Deus dicit: *Effundam ſuper domum David & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ & precum.* His verbis promittitur ſpiritus precum: quis verò, accepto ſpiritu precum, non precatur? Neque enim promittit Deus quod homines facturi ſunt, ſed quod ipſe facturus eſt. Ergo & ipſa oratio gratiæ efficacis donum eſt.

Rom. VIII. 26 & 27, dicit Apoſtolus: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus; quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.* Et Galat. IV. 6: *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater.* Quomodò in nobis & pro nobis *Spiritus poſtulat & clamat*, niſi quatenus facit nos poſtulare & clamare, operatione utique efficaciſſimâ, cùm fieri nequeat ut, ipſo Spiritu Dei in nobis poſtulante & clamante, id eſt, poſtulare & clamare faciente, non poſtulemus & non clamemus? „ Quid eſt, ait S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 23. num. 64, „ ipſe Spiritus interpellat, „ niſi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus? ..... Ipſe eſt de quo „ alio loco dicit (Apoſtolus): *Miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda noſtra,* „ *clamantem: Abba, Pater.* Et hic quid eſt clamantem, niſi clamare „ facientem? ..... Quod alibi manifeſtat, ubi dicit...... *Accepiſtis* „ *ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Ibi „ dixit, *clamantem;* hic verò, *in quo clamamus:* aperiens videlicet quomodò dixerit, *clamantem*, id eſt, ſicut jam expoſui, clamare facientem. Ubi intelligimus & hoc ipſum (non minus quàm bona opera) „ eſſe donum Dei, ut veraci corde & ſpiritaliter clamemus ad Dominum. Attendant ergo QUOMODÒ FALLUNTUR, qui putant eſſe à „ nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus;..... nec „ volunt intelligere etiam hoc divini muneris eſſe ut oremus, hoc eſt, „ petamus, quæramus atque pulſemus.“ Notandæ ſunt hæ voces, *etiam hoc*, quæ indicant orationem gratiâ non minus efficaci donari à Deo, quàm quælibet alia virtutum opera. Id confirmat S. Doctor teſtimonio S. Ambroſii ex Commentario in Iſaiam, qui nunc non extat, ubi ſic loquebatur Mediolanenſis Antiſtes: „ Et orare Deum gratiæ „ ſpiritalis eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Nemo dicit, Dominus Jeſus, niſi in* „ *Spiritu ſancto.*“ Quo pacto autem ipſa oratio donum Dei eſt, ſi gratia ad eam excitans effectum ſuum, hoc eſt, voluntatem orandi ab ipſo homine expectat?

Ex-

Digitized by Google

Expreſſiùs adhuc loquitur S. Auguſtinus Epiſt. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 4. num. 16. „ Si dixerimus, inquit, meritum præcedere „ orationis, ut donum gratiæ conſequatur, impetrando quidem oratio „ quidquid impetrat evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exi- „ ſtimet à ſeipſo ſibi eſſe, quod, ſi in poteſtate haberetur, non utique „ poſceretur. Veruntamen, ne ſaltem orationis putarentur præcedere „ merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed jam nec gratia eſ- „ ſet, quia debita redderetur, ETIAM IPSA ORATIO INTER GRA- „ TIÆ MUNERA reperitur. *Quid enim oremus*, ait Doctor gentium, „ *ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus* „ *inenarrabilibus.* Quid eſt autem, *interpellat*, niſi interpellare nos „ facit,..... nobiſque interpellandi & gemendi " (non tantùm poſſibilitatem, quâ, ſi velimus, utamur, verùm etiam) „ affectum inſpirat; „ ſicut illud in Evangelio: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Pa-* „ *tris veſtri qui loquitur in vobis.* Neque enim & hoc ita fit de nobis, „ tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritûs ſancti ſic „ expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur quod ut faciamus facit." Videmus orationem, quâ virtutum opera à Deo petuntur & impetrantur, non minùs efficaciter donari à Deo, quàm ipſa bona opera quæ orando impetrantur; imò non minùs efficaciter quàm intrepidam fidei confeſſionem coram regibus & principibus ethnicis, quod ſanè opus eſt omnium difficillimum, nec impletur, fatentibus ipſis adverſariis, niſi per gratiam certò efficacem. Concludit S. Doctor num. 18: „ Sicut er- „ go nemo rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio ac fortitudine „ prævalet, nemo ſcienter pius eſt, nec piè ſciens, nemo timore caſto „ Deum timet, niſi acceperit ſpiritum ſapientiæ & intellectûs, conſilii „ & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Dei, nec habet quis- „ quam virtutem veram, caritatem ſinceram, continentiam religioſam, „ niſi per ſpiritum virtutis, & caritatis, & continentiæ; ita ſine ſpiritu „ Dei non eſt quiſquam rectè crediturus, nec ſine ſpiritu orationis ſa- „ lubriter oraturus: non quia tot ſunt ſpiritus, ſed omnia hæc opera- „ tur unus atque idem ſpiritus, dividens propria unicuique prout vult, „ quia ſpiritus ubi vult ſpirat." Quibusnam verbis reprobari poteſt opinio quam refellimus, ſi iſtis non reprobatur? Num diſertiùs affirmari poteſt gratiam ad orandum requiſitam ejusdem eſſe generis & efficaciæ, ac gratiam ad exercenda quæcunque alia virtutum officia neceſſariam; atque eâdem virtute, quâ Spiritus ſanctus caritatem, continentiam, cæteraſque virtutes operatur, orationis quoque affectum in nobis operari, prout vult, quando vult, & quantùm vult? Idem inculcat iterum S. Doctor, ibid. cap. 6. num. 31, his paucis, ſed apertiſſimis verbis: „ Im- „ pertito ſalubriter orationis affectu & effectu."

Et certè idcirco Maſſilienſes diſcrimen illud ſupra memoratum orationem inter & bona opera induxerunt, ut hoc pacto S. Auguſtini doctri-

nam, quæ durior eis videbatur, aliquatenus temperarent & emollirent. Igitur perſuaſum habebant gratiam ſeipſâ efficacem ab eo non minùs requiri ad credendum & ad orandum, quàm ad ſanctè vivendum. Proinde ſi S. Doctoris non ea mens fuit, cur non illos admonuit doctrinam ſuam non rectè intelligi? Cur non illam ſic expoſuit, ut eorum querelas compeſceret? Cur è contrario illud ipſum, quo tantoperè offendebantur, adeò vehementer inculcat in libro de Dono perſeverantiæ ad illos directo, niſi quia hanc Eccleſiæ Catholicæ fidem eſſe pro certiſſimo tenuit?

Sancto Auguſtino conſentiunt alii S. Patres. S. Gregorius Nyſſenus, Serm. de Scopo Chriſtiani, tom. 3. pag. 909, ſic loquitur: „Dabit etiam „ ipſe Dominus petentibus quomodò precandum eſt, juxta id quod „ dictum eſt: qui dat precem petenti.“ Ergo ipſa oratio donum Dei eſt.

Idem docet S. Ambroſius, non ſolùm in loco quem citavit S. Auguſtinus (ſupra), ſed etiam alibi multoties. Certè nemo piè orat abſque ſanctis cogitationibus: bonarum autem cogitationum Deum auctorem atque inſpiratorem eſſe declarat ſanctus ille Doctor, lib. 1 de Cain & Abel, cap. 10. num. 44 & 45. „Expulſis igitur inquietis & mobili- „ bus cogitationibus,..... dabit tibi Deus cogitationes optimas...... „ Quidquid autem ſanctum cogitaveris, hoc Dei munus eſt, Dei inſpi- „ ratio, Dei gratia.“ Et lib. *de Fuga ſæculi*, cap. 1. num. 1 & 2: „Non „ enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ im- „ proviſò effuſæ mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt „ quàm tu propoſueris, ad ſæcularia revocant, mundana inſerunt, vo- „ luptaria ingerunt, illecebroſa intexunt; ipſoque in tempore quo ele- „ vare mentem paramus, inſertis inanibus cogitationibus, ad terrena ple- „ rumque dejicimur. Quis autem tam beatus, qui in corde ſuo ſemper „ aſcendat? Sed hoc ſine auxilio divino quî fieri poteſt? Nullo profec- „ tò modò.“ Quali autem auxilio, niſi efficaci, ut ex toto contextu patet?

S. Proſper, contra Collatorem, cap. 4. num. 12, aliàs cap. 8: „Cùm „ donatum nobis fuerit bonum velle, inquit, non ſtatim invenimus & „ facere, niſi petentibus, quærentibus atque pulſantibus. Qui dedit „ deſiderium, præſtet effectum.“ Hic deſiderium ſeu oratio, non ſecus ac ipſe effectus, gratiæ attribuuntur, id eſt, quod oratio impetrat. At effectus orationis, fatente adverſario, conceditur per gratiam certò efficacem. Ergo & ipſa oratio. Et cap. XI. num. 31, aliàs cap. XIII: „Imperantur, ait, iſta homini, ut...... à littera occidente confugiat „ ad ſpiritum vivificantem, & facultatem, quam non invenit in natu- „ ra, quærat ex gratia. Quod ſi facit, magna eſt miſericordia Dei; „ ſi non facit, juſta eſt pœna peccati.“ Hæc legens quis credat gratiam orandi omnibus dari, & proprio voluntatis conſenſu vel diſſenſu efficacem

cem

Digitized by Google

cem aut inefficacem reddi? Rurſus in carmine de Ingratis, cap. 25, de gratia loquens:

> *Hæc, ut cujusquam ſtudio affectuque petatur,*
> *Ipſa agit.*

Si gratia id *ipſa agit*, ergo ſeipſâ efficax eſt.

Auctor Epiſtolæ ad Demetriadem, quam plurimi eruditi S. Leoni Papæ attribuunt (cap. 22 apud S. Proſperum): „ Quid nobis boni poteſt „ eſſe ſine Deo, quandoquidem etiam ut rectè oremus ex ipſo eſt?" Nihil foret iſto argumento ineptius, ſi gratia orationis minus efficax eſſet quàm gratia rectè vivendi. Idem quippe eſt ac ſi dixiſſet ille auctor: quid boni poteſt eſſe ſine gratia efficaci, cùm etiam ad orandum opus ſit gratiâ ſufficiente, quâ utimur vel non utimur, prout volumus? Quid verò abſurdius?

Idem dogma diſertiſſimè adſtruit S. Fulgentius multis in locis, quorum nonnulla delibabo. In Epiſt. 6 ad Theodorum, de Converſione, cap. 7: „ Hujus gratiæ adjutorium, inquit, ſemper eſt à nobis poſ- „ cendum; ſed nec ipſum quòd poſcimus noſtris viribus aſſignemus. Ne- „ que enim haberi poteſt ipſe ſaltem orationis affectus, niſi divinitùs fuerit „ attributus." At quali gratiâ? Num quæ alterius ſit generis quàm gratia benè vivendi quam petimus? Abſit. Audiamus quod ſequitur: „ Ut ergo „ deſideremus adjutorium gratiæ, hoc ipſum quoque opus eſt gratiæ. Ip- „ ſa namque incipit infundi, ut incipiat poſci: ipſa quoque amplius in- „ funditur, cùm poſcentibus datur." Non diſpar igitur gratia eſt, ſive cùm adhuc parva minus bonum, pium ſcilicet deſiderium; ſive cùm aucta majus bonum, bona ſcilicet opera producit. S. Doctor addit: „ Quis verò „ gratiam poteſt poſcere, niſi velit? Sed, niſi Deus in eo bonam volun- „ tatem operetur" (quod non fit niſi per gratiam ſeipſâ efficacem), „ velle nullatenus poteſt." Eamdem doctrinam inculcat lib. 2 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 4, ubi ſic loquitur: „ Dum præ- „ cipitur nobis ut velimus, oſtenditur quid habere debeamus; ſed quia „ id ex nobis habere non poſſumus, admonemur ut, à quo nobis datur „ præceptum, ab ipſo petamus auxilium; QUOD TAMEN NON POS- „ SUMUS POSCERE, NISI DEUS OPERETUR ET VELLE," per gratiam utique efficacem. Ergo ſine gratia efficaci non modò non petimus, ſed nec petere poſſumus; ſenſu ſcilicet in præcedenti capite explicato. Et rurſus, cap. 16: „ Ut bonum illud incommutabile homo po- „ tat & quærat, PRÆPARATUR VOLUNTAS A DOMINO AC DA- „ TUR; quia initium petendi, quærendi, pulſandi non ex corde ho- „ minis, ſed à Deo conſurgit." Et cap. 17: „ Veruntamen & o- „ randi & operandi quod bonum eſt illis Deus tribuit perſeveran- „ tiam, quos prædeſtinavit ad vitam." Diſcernant nunc adverſarii,

 quan-

Digitized by Google

quantùm volent, gratiam orandi à gratia piè operandi. En utramque copulat invictus Semipelagianismi debellator: utramque pariter efficacem eſſe, utramque non omnibus dari pronuntiat. Vide cap. 8. 9. 10 & 11 ejusdem libri.

Quin etiam univerſa Eccleſia ſuis in precibus poſtulat à Deo ſibi dari efficacem orandi gratiam, quam profectò non poſtularet, niſi orationem ipſam donum Dei efficaciter operantis eſſe crederet. Sic illa precatur Dominicâ IX poſt Pentecoſten: „ Ut petentibus deſiderata concedas, „ fac eos quæ tibi ſunt placita poſtulare."

Tot tamque manifeſtis auctoritatibus innixus celeberrimus Boſſuetus, veritatem iſtam diſertiſſimè adſtruxit in *Defenſione Traditionis & ſanctorum Patrum*, lib. 12. cap. 6 & ſeq. En propria ipſius verba, cap. 6: „ La priere, qui nous obtient la grace de la converſion, eſt elle même „ donneé par cette grace qui perſuade & fléchit le cœur...... On n'en „ demande point d'autre quand on demande le don de prier; puisqu'a- „ vec la même foi qui nous fait dire: faites qu'on croie, faites qu'on „ eſpere, faites qu'on aime, nous diſons encore: faites qu'on prie, fai- „ tes qu'on demande...... Il ne faut donc pas s'imaginer que nous puiſ- „ ſions par aucun endroit commencer notre ſalut, ou nous en attribuer „ à nous mêmes la moindre partie. Les Semipelagiens ſe perſuadoient „ que ce n'etoit rien donner à un malade, que de lui donner la volonté „ de guerir, & celle d'appeller du moins ou de deſirer le medecin. Ils „ ne ſongeoient pas que la maladie dont nous mourons eſt du genre de „ celles qu'on ne ſent pas, & même de celles où l'on ſe plait. Si le pro- „ pre de notre mal eſt de ſe faire aimer, le commencement de la guéri- „ ſon eſt de concevoir une ſainte horreur, un ſaint dégout de nous mê- „ mes. Mais, quand cela eſt, la guériſon eſt à demi faite. Par qui „ faite, ſinon par celui à qui nous diſons avec Jeremie: *Gueriſſez moi*, „ *& je ſerai guéri?*..... Pour appeller ce medecin, pour deſirer ces reme- „ des, il faut y croire, ou croire du moins qu'on en a beſoin. Mais...... „ la foi, jusqu'à ſon premier commencement, eſt un effet de la grace „ que l'Egliſe nous fait demander, & qui nous fait actuellement com- „ mencer le bien." Quod autem dicit de gratia ad orandum neceſſaria, id pariter dicit, cap. 10, de gratia neceſſaria ad perſeverandum in oratione, quâ impetratur benè vivendi usque in finem perſeverantia. „ Y „ a-t-il, inquit, aucun endroit de notre vie, ou nous éprouvions plus „ ſenſiblement le beſoin de cette grace qui prend le cœur, que nous l'e- „ prouvons dans la priere?..... Ainſi la plus grande choſe & la plus „ efficace, & en même tems la plus gratuite de toutes les graces, eſt la „ grace de perſeverer dans la priere, ſans ſe relacher jamais; & c'eſt „ principalement de cette grace qu'il eſt écrit: *Qui a donné à Dieu le* „ *premier?* Ainſi cette préférence dont nous parlons, qui doit être ſi gra- „ tuite du coté de Dieu, éclate principalement dans l'inſpiration de la

„ prie-

Digitized by Google

„ priere, & l'on doit dire de tous ceux à qui il veut inſpirer, pour re-
„ compenſe de leurs prieres, la perſeverance à bien faire, qu'il leur inſ-
„ pire premierement, par une pure miſericorde, la perſeverance à prier."
Ita Præſul ille doctiſſimus.

Probatur III° validiſſimo iſto argumento: Gratia Chriſti medicinalis per ſe efficax eſt. Atqui gratia orationis eſt gratia medicinalis. Ergo gratia orationis per ſe efficax eſt. Majorem ſupra probavimus, & admittere tenentur ii quos hic refellimus; ſiquidem gratiæ certò efficacis neceſſitatem idcirco agnoſcunt ad bona opera ſaltem difficiliora facienda, quòd alioquin aut nullum, aut non ſufficiens diſcrimen ſtatueretur inter adjutorium naturæ innocentis & adjutorium naturæ corruptæ & vulneratæ. Minor non minùs certa eſt apud SS. Patres, qui errorem oppoſitum in Semipelagianis totis ingenii nervis oppugnaverunt.

S. Auguſtinus in Enchiridio, cap. 106. num. 28, ipſum initium bonæ voluntatis, quo cætera bona impetrantur, magnæ miſericordiæ & gratiæ liberatricis effectum eſſe declarat. „ Poſt illam ruinam, inquit, major
„ eſt miſericordia Dei, quando & ipſum arbitrium liberandum eſt à ſer-
„ vitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per ſeip-
„ ſum, ſed per ſolam Dei gratiam, quæ in fide Chriſti poſita eſt, libera-
„ tur, ut voluntas ipſa, ſicut ſcriptum eſt, à Domino præparetur, quâ
„ cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum."
En gratia medicinalis, aut certè nuſquam eſt. Porro, B. Auguſtino docente, per ipſam præparatur, id eſt, producitur ea voluntas, quâ cætera Dei munera capiuntur, hoc eſt, voluntas orandi & deſiderium ſanitatis.

S. Fulgentius in Epiſtola 4 ad Probam, de Oratione, cap. 2: „ Quis, inquit, „ vel orare competenter valeat, niſi MEDICUS IPSE nobis ini-
„ tium deſiderii cœleſtis infundat? Aut quis perſeverare in oratione
„ queat, niſi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod ſeminavit
„ enutriat?" Si gratia orandi à medico infunditur, profectò medicinalis eſt.

Hujus veritatis fundamentum apertiſſimè detegit S. Prosper, nempe quòd morbi noſtri maxima pars ſit ipſum morbum noſtrum amare, peccato delectari, juſtitiæ ſanitatem odiſſe. Unde cœleſtis medici prima hæc medela eſſe debet, ut piæ ſanctæque vitæ deſiderium nobis infundat. Priusquàm, inquit in Reſp. ad capit. 6 Gallorum, à diaboli dominatione „ per Dei gratiam liberetur (liberum arbitrium), in illo pro-
„ fundo jacet, in quod ſe ſuâ libertate demerſit. Amat ergo languores
„ ſuos, & pro ſanitate habet quòd ægrotare ſe neſcit, donec prima hæc
„ medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quòd langueat, & poſſit
„ opem medici deſiderare quâ ſurgat." Cùm autem Caſſianus dixiſſet „ nec, cùm voluerit quis, ſanitate perfrui, aut de ægritudinis mor-
„ bo pro arbitrii ſui deſiderio liberari," ſic illum refellit lib. contra

 Col-

Digitized by Google

Collatorem, cap. 4. num. 11 (aliàs cap. 8): „ Doces ergo non poſſe „ quidem hominem per ſemetipſum apprehendere ſanitatem, ſed habere „ eum à ſemetipſo deſiderium ſanitatis, & ſuâ tantùm ſponte venire ad „ medicum, non etiam hoc ipſum MEDICI ESSE quòd veniat. Quaſi „ verò anima ipſa non langueat, & corpori ſuo remedium ſana proſpi„ ciat. Atqui totus homo ex ipſa & cum ipſa in profundum miſeriæ „ ſuæ decidit, ubi eam, priusquàm à MEDICO notitiam ſuæ calami„ tatis accipiat, jacere delectat, amantem ſemper errores ſuos, & am„ plectentem falſa pro veris. Cujus SALUS PRIMA eſt ut ſibi incipiat „ diſplicere, & vetuſtatem ſuæ debilitatis odiſſe; ſequens verò eſt UT „ SANARI SE DESIDERET, & à quo ſananda ſit noverit. „ Ergo ipſa oratio ac deſiderium gratiæ donum eſt gratiæ medicinalis, adeòque ſeipſâ efficacis.

Et certè gratia quæ facit ex nolentibus volentes, gratia eſt medicinalis. Atqui per gratiam orationis homo fit ex nolente volens; ſiquidem incipit amare, deſiderare ac petere quod priùs non amabat, non deſiderabat, non petebat.

Denique vel deſiderium gratiæ pertinet ad gratiam medicinalem, vel dicendum eſt remanere in homine lapſo aliquid primigenii vigoris, quo poſſit ſanitatem expoſcere. Atqui hæc ipſa eſt hæreſis Semipelagianorum, à SS. Doctoribus confutata, & à Conciliis anathemate damnata.

Sic imprimis loquitur ſynodus Arauſicana II, can. ultimo: „ Hoc, „ Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quòd per pecca„ tum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbi„ trium, ut nullus poſteà aut diligere Deum ſicut oportuit, aut cre„ dere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi „ gratia eum & miſericordia divina prævenerit.“ Quibus verbis declaratur liberum arbitrium læſum & attenuatum eſſe, non tantùm quoad dilectionem Dei & bona opera, ſed etiam quantùm ad fidem & orationem quæ fidem ipſam ſupponit; ac proinde, ſicut ad diligendum Deum & ad piè operandum, ſic & ad credendum & ad petendum gratia medicinali opus eſſe.

Probatur IV° plurimis momentis graviſſimis.

1um. Gratia orationis fidem ſupponit, imò proprium fidei exercitium eſt. Porro gratiam fidei ſeipſâ efficacem eſſe probant promiſſiones Dei, preces & gratiarum actiones Eccleſiæ, & alia plurima argumenta quæ ſupra protulimus. Quomodò ergo gratia orandi non eſſet ſeipſâ efficax? S. Auguſtini eſt iſtud argumentum, Serm. 168, olim hom. 17 inter 50, cap. 5. „ Orare fide non poſſetis, inquit, niſi fidem haberetis. Non „ enim orat niſi fides...... Ergo, ait aliquis, invocamus Deum ut det „ nobis perſeverare in his bonis quæ habemus, & addat bona quæ non „ habemus. Præceſſit ergo fides quæ rogat. Certè totum dat Deus:“ ac proinde orationem ipſam non minùs donat, quàm cætera quæ petentibus

tibus dantur. Deinde id ſibi objicit: „ Ut daret mihi, rogavi; ut ro-
„ garem, priùs credidi. Ergo mihi dedi quòd credidi, & Deus dedit
„ quod credens oravi. Solvatur, ait, quæſtio; non enim parva eſt.
„ Hoc te video loqui, quia tu prior dediſti aliquid Deo, ut cætera da-
„ ret tibi. Dediſti illi quippe fidem tuam & orationem tuam. Et ubi
„ eſt quod ait Apoſtolus?..... *Quis prior dedit illi, & retribuetur*
„ *ei?*..... Homo mendice, unde habuiſti?..... *Quid enim habes quod*
„ *non accepiſti?* Ergo de Deo das Deo? Ex eo quod tibi dedit, à te
„ accepit. Nam mendicitas tua, niſi prior ipſe dediſſet, inaniſſima re-
„ maneret.“ Ergo ipſamet oratio, & fides quâ oratur, dantur à Deo: datur, inquam, non ſola poſſibilitas orandi, ſed oratio ipſa; nec dari poteſt niſi per gratiam ex ſeſe efficacem. Implicat quippe Deum dare nobis fidem & orationem, & nos non credere aut non orare.

Reſpondet Tournely (Tract. de Gratia, tom. 2. pag. 482) intelligi iſta debere de fide perfecta, quæ opus eſt arduum, non verò de initio fidei, in quo & oratio aliqua comprehenditur. Verùm hujuſmodi interpretatio planè repugnat menti & verbis S. Auguſtini, nihil prorſus boni, quantùmvis tenuis, in homine agnoſcentis, quod non ſit gratiæ efficacis donum. Et verò homini infideli à Deo averſo multò difficilius eſt donum fidei perfectæ, aut liberationem à pravis quas amat cupiditatibus ſincerè poſtulare, quàm juſto provecto gravem aliquam tentationem ſuperare. Cùm ergo fateatur ille Theologus juſtum non poſſe tentationem gravem vincere ſine gratia efficaci, à fortiori fateri debet infidelem aut peccatorem à Deo averſum non poſſe novæ vitæ deſiderium concipere ſine gratiæ efficacis auxilio.

2um. Si gratia orationis non ex ſeipſa, ſed ex conſenſu voluntatis effectum ſuum aſſequitur, orans ſelpſum diſcernit à non orante, habet orationis affectum, quem non accepit, ſed de ſuo produxit, ac de bono uſu gratiæ in ſeipſo gloriari poterit, contra expreſſum Spiritûs ſancti oraculum, 1 Cor. IV. 7.

3um. Sequeretur etiam falſum eſſe iſtud Rom. IX: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei:* cujus ſenſus non eſt, ut ſupra oſtendimus, non ſufficere voluntatem hominis, niſi adſit etiam miſericordia Dei; alioqui poſſet ex adverſo dici, non eſt miſerentis Dei, quia non ſufficit miſericordia Dei, ſi deſit voluntas hominis: ſed ſenſus eſt, ipſum velle & currere nobis præſtari per miſericordiam Dei & gratiam efficacem. Ab hac ſententia, quæ generalis eſt, orationem vel alium quempiam pietatis actum excipere, inſignis audaciæ ac temeritatis foret.

4um. Ex S. Auguſtino & aliis Patribus alibi laudatis, inſcrutabile eſt cur, è duobus hominibus, ille adjuvetur, hic non adjuvetur; cur ille tantùm, hic non tantùm adjuvetur; cur illi ſuadeatur tantùmmodò, huic etiam perſuadeatur. At, in opinione quam refellimus, nequaquam neceſſe eſt hic recurrere ad inſcrutabilia Dei judicia; plana enim
&

Digitized by Google

& aperta eſt hujus diſcretionis cauſa: ſiquidem gratia ad orandum neceſſaria omnes ex æquo prævenit; gratia autem rectè vivendi datur vel non datur, major aut minor datur, prout quisque gratiæ orationis ſuopte motu conſentit vel non conſentit, magis aut minùs intenſè conſentit.

Tom. 2. tract. de Grat. pag. 474. Nec dicas cum Tournely, tametſi abſolutè ratio reddi poſſit cur uni gratia efficax detur, alteri non detur, nihilominùs ad inſcrutabilia Dei judicia confugiendum eſſe, quando quæritur cur, è duobus hominibus qui gratiæ ſufficienti æqualiter reluctantur, uni donetur à Deo gratia efficax & donum perſeverantiæ, alteri verò non donetur; cur pariter, è duobus juſtis qui orare negligunt, uni detur gratia efficax ad orandum, cum qua orat, alteri non detur niſi gratia ſufficiens, cum qua non orat. Ne, inquam, id dicas. Etiamſi enim, propter hujusmodi exceptiones ad arbitrium confictas, nonnunquam & raris in caſibus recurrendum eſſet ad inſcrutabilia Dei judicia, ordinariè tamen loquendo & juxta conſuetum gratiæ curſum, ratio redderetur cur uni detur gratia efficax & alteri non detur; quòd nempe ille eam poſtulaverit, & hic æquali auxilio præventus non poſtulaverit. Adde iſtiusmodi exceptionibus renovari errorem Caſſiani jamdudum obtritum: videlicet fidei & orationis affectum in nonnullis eſſe donum gratiæ efficacis, in aliis propriâ voluntate gigni. Rectè itaque Tournelio applicare hic poſſumus quod respondebat S. Proſper, lib. *contra Collatorem*, cap. 3. num. 8. „ Satis te armas (ſeu armatum putas) contra Pelagianorum calumnias, ſi, quod „ in univerſitate vocatorum ſentiendum eſt, id nobis in portione con- „ cedas: ſed nec cum Hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena con- „ cordia eſt.“ Fides ergo catholica exigit ut, quod de aliquibus tantùm concedit adverſarius, eos per gratiam efficaciter impelli ad orandum, id de omnibus qui orant ſicut oportet clarè & apertè profiteatur.

5um. Illa opinio funditùs evertit myſterium gratuitæ prædeſtinationis. Nam decretum prædeſtinationis non eſt gratuitum, ſi ſupponat prævifionem alicujus boni præſciti tantùm, & non prædeſtinati, ex quo totus prædeſtinationis effectus ſubſequatur. Atqui in ea opinione prædeſtinatio non fit, niſi ſuppoſitâ prævifione boni uſûs gratiæ ad orandum excitantis: qui quidem uſus non eſt prædeſtinatus, ſed tantùm præſcitus; & tamen cauſa, vel, ſi mavis, occaſio eſt propter quam ſubſequuntur effectus prædeſtinationis, nempe gratia efficax, donum perſeverantiæ & gloria æterna.

6um. Apoſtolus præcipit, Philipp. II. 12 & 13, ut *cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur;* aque hujus præcepti rationem ſtatim ſubinferens: *Deus eſt enim*, inquit, *qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*, non hominis petentis, ſed Dei miſerentis, uti exponit S. Auguſtinus. Quid verò timendum eſt homini in opinione quam refellimus? Gratia orationis nunquam illi deeſt, cui conſentire ſicut & dis-

Digitized by Google

diſſentire ab ipſo ſolo dependet: gratiam autem efficacem bonorum operum, quando voluerit, orando ſibi comparabit. Fatetur Tournely hoc argumentum tanti ponderis nonnullis viſum fuiſſe, ut eo ferè ſolo ab ampleſtenda ipſius opinione revocati fuerint. Contendit nihilominus illud nullius reipſâ momenti eſſe, quia, inquit, quàmvis gratia ſufficiens ſuum aliquando ſortiatur effectum, homo tamen adeo fragilis & infirmus eſt, ut ne quidem de ſuo proprio conſenſu certus ac ſecurus eſſe poſſit. Et verò, addit, quis ita in ſeipſo confidat, ut majores ſibi ex gratia ſufficiente hujusce ſtatûs vires fore præſumat, quàm vel ipſe habuerit Adamus innocens, qui tamen cum gratia illa ſufficiente lapſus eſt, nec in bono perſeveravit? Tract. de Grat. tom. 2. p. 479.

Reſpondeo hanc timendi cauſam planè diverſam eſſe ab ea quam proponit Apoſtolus. Non enim dicit: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*, quia voluntas veſtra, ex qua pendet velle & deſiderare gratiam efficacem, valde fragilis & infirma eſt; ſed dicit: quia *Deus eſt qui operatur in vobis & velle.* Et verò adverſariorum inconſtantiam quis non miretur? Cùm ab illis quæritur cur gratiâ efficaci & medicinali non opus ſit ad orandum, reſpondent, quia præceptum illud facile eſt, viresque voluntatis non ſuperat. Hic verò, ut objectum ſibi argumentum eludant, contendunt hominem infirmum eſſe etiam ad orandum. Ratio autem quæ petitur ex lapſu Adami minimè eſt ad rem, tum quia in noſtra ſententia Adamus etiam innocens indigebat ad ſingulos actus auxilio phyſicè præmovente, tum etiam quia, in ſententia Auguſtinianorum, adjutorium *ſine quo* ſufficiebat homini innocenti ad perficiendum totum perſeverantiæ opus; cùm è contrario hominis lapſi infirmitas indigeat efficaci auxilio roborari ad faciendum bonum.

Retorquet inſuper contra nos Tournely propoſitum hoc argumentum (ibidem): nimirum, inquit, vel exiſtimat homo ſe habere gratiam efficacem, vel putat ſe non habere niſi ſufficientem. Si prius, non eſt cur timeat; imò certus eſſe debet ſe ſalutem infallibiliter operaturum. Si poſterius, certus eſt ſe in morali impotentia eſſe operandi ſuam ſalutem; ſiquidem nemo illam cum ſola gratia ſufficiente operatus vel operaturus eſt unquam: adeòque non timori, ſed deſperationi locus eſt.

Verum quàm fruſtra nititur effugere, tam inaniter tentat nos illaqueare. In noſtra quippe doctrina homo quilibet ſemper debet cum metu, ſimulque cum fiducia, ſalutem ſuam operari. Si exiſtimat ſibi adeſſe gratiam efficacem, metuere debet ne, in alicujus culpæ forſitan ſibi occultæ pœnam, ſibi hæc gratia juſtè ſubtrahatur: immò timere ſemper debet ne bonum, quod propter Deum & ſpiritu gratiæ operari ſe confidit, propter ſeipſum & ex aliqua occulta cupiditate operetur. Si verò putat ſibi adeſſe tantùm gratiam ſufficientem, aut etiam nullam, ſperare ſemper debet, confidens in miſericordia Dei & in meritis Chriſti, gratiam efficacem affuturam, eamque ſuppliciter expoſcere.

Digitized by Google

7um. Ipſâ etiam experientiâ convincimur orationem non ſemper in noſtra eſſe poteſtate ex gratia plenè ſufficienti. Cui enim etiam juſto non frequenter contingit, ut orare atque etiam fervidè orare ſibi proponat, & tamen, mente ac corde neſcio quibus phantaſmatibus aliò diſtractis, vix ullum deſiderium elicere queat? Id David ipſe, *vir* utique *deſideriorum*, ſæpiùs ſe expertum eſſe teſtatur, cùm dicit, 2 Reg. VIII. 27: *Invenit ſervus tuus cor ſuum ut oraret te oratione hac.* Si gaudet ſe tunc illud inveniſſe, non ergo illud, quoties volebat, inveniebat. Idem teſtatur S. Auguſtinus lib. 1 *Quæſt. ad Simplicianum*, q. 2. num. 21, his verbis: „ Nonne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potiùs „ frigida & penè nulla, imò omnino interdum ita nulla, ut neque hoc „ in nobis cum dolore advertamus, quia, ſi vel hoc dolemus, jam ora- „ mus?“ Unde ſic concludit: „ Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi „ quia & petere, & quærere, & pulſare ita concedit, qui ut hæc facia- „ mus jubet? Igitur (ipſum orare) non volentis, neque currentis, ſed „ miſerentis eſt Dei.“

Ibid. pag. 483. Ad hæc quid reponit Tournely? Ad orandum, inquit, aliquando neceſſaria etiam eſt gratia efficax; concedo: ſemper; nego. Frigida planè reſponſio, immò omnino nulla. Quis enim non videt S. Auguſtinum ex propriæ imbecillitatis experimento concludere, gratiâ ſeipſâ efficaci ſemper nobis opus eſſe etiam ad orandum, ideòque illam juſtis ipſis aliquando non dari, ut inde propriam imbecillitatem experti agnoſcant, quoties piè orant, non ſuæ voluntatis id eſſe, ſed gratiæ Dei miſerentis?

8um. Idcirco ad bona opera paulò difficiliora gratiam efficacem requiri fatentur adverſarii, quia ne illa faciamus concupiſcentia in nobis obſiſtit. Atqui pariter diverſæ cupiditates, atque imprimis ſuperbia, quæ cæteris concupiſcentiis periculoſior eſt & imperioſior, ab oratione nos avertunt. Cùm enim per ſuperbiæ vitium de propriis viribus præſumamus, nihil eſt quod voluntas noſtra magis refugiat, quàm ex animo agnoſcere nos nullius boni capaces eſſe ſine divino auxilio operante in nobis velle & perficere, atque ex hoc affectu ad Deum humiliter recurrere per unicum Mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum. Ergo etiam ad orandum indigemus gratiâ efficaci, quæ ſanet cordis tumorem & inſpiret humilitatem.

9um. Vel per ſolam gratiam ſufficientem orationis, quam nonnulli venditant, peccator poteſt eo modo & tantum petere, quomodò & quantùm petendum eſt, ad impetrandam gratiam converſionis; vel non poteſt. Si non poteſt, nullum ex illa lucrum reportant: ſi verò poteſt, ergo non repugnat peccatorem abſque gratia efficaci ardenter ac perſeveranter petere ſuam converſionem. Porro id implicat contradictionem, etiam in principiis adverſariorum. Nam, ut avarus v. g. inſtanter & perſeveranter petat liberari à morbo avaritiæ, neceſſe eſt ut magis amet libe-

liberari à ſua cupiditate, quàm illam amet. Hoc verò aliter fieri non poteſt niſi per victricem juſtitiæ dilectionem, quæ non eſt aliud quàm gratia per ſe efficax & vera cordis converſio.

10um. Opinio adverſariorum ſupponit gratiam ad orandum omnibus hominibus dari, idque ultro fatentur. Atqui oſtendemus poſteà hanc ſuppoſitionem eſſe omnino falſam, ſacris Litteris, Traditioni, ipſique experientiæ repugnantem. Vide hanc materiam copioſè ac ſolidè tractatam in *Apologia* Antonii Arnaldi *pro SS. Patribus defenſoribus gratiæ*, parte 3.

Solvuntur objectiones.

Objicit Alphonſus Le Moyne. S. Auguſtinus, lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 1. num. 2, gratiam orationis non gratiam ſimpliciter, ſed initium gratiæ appellat. „ Deſiderare auxilium gratiæ, inquit, initium „ gratiæ eſt.“

Piget adeò miſeræ ineptiæ immorari. Quaſi verò gratia medicinalis non habeat ſuum initium, aut ejus initium non ad ipſam pertineat, ſicut prima hora diei ad diem, & prima tempora infantiæ, quæ vitæ initium eſt, ad vitam pertinent. E contrario, ſi gratia orationis initium eſt gratiæ medicinalis, neceſſariò concludendum eſt eam eſſe medicinalem.

Inſtat. Gratia Chriſti, quam S. Auguſtinus gratiæ ſtatûs innocentiæ opponit, illa eſt quæ in certamine laborantibus ac periclitantibus pugnandi vincendique virtutem largitur. Porro iſtiuſmodi gratiam diſtinguit S. Doctor ab illa per quam poſcitur vincendi virtus. Nam, ibid. cap. 11. num. 29, ſic loquitur: „ Ille (Adamus) non opus habebat eo „ adjutorio quod implorant iſti, cùm dicunt: *video aliam legem in* „ *membris meis* &c; quoniam in eis caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, „ & ſpiritus adverſus carnem, atque in tali certamine laborantes ac pe„ riclitantes dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam „ poſcunt.“ Si poſcunt, habent ergo gratiam orandi. At non habent gratiam medicinalem quam poſcunt. Ergo gratia medicinalis non eſt neceſſaria ad orandum.

Reſpondeo argumento planè ſimili concludi poſſe infideles non eſſe homines, hoc nempè modo: Chriſtiani ſunt homines; infideles non ſunt Chriſtiani; ergo infideles non ſunt homines. Diſtinguit quidem S. Auguſtinus gratiam quam poſcimus à gratia quâ poſcimus. Quis verò illas non diſtinguat? Quiſquis orat, non gratiam quam habet ſibi dari poſtulat, ſed eam quam nondum habet. Verum dicit-ne S. Doctor gratiam, qua poſcimus, minùs effectricem eſſe orationis, quàm gratia vincendi tentationes victoriæ effectrix eſt? Minimè. Denique, qui gratiam pugnandi & vincendi petunt, habent utique gratiam petendi: ſed, quoniam non omnes id petunt, abſurdè concluditur gratiam petendi omnibus hominibus dari.

Inſtat rurſus. Gratia medicinalis nos ſanat. At ſolo gratiæ deſiderio &

Digitized by Google

& oratione non ſanamur. Ergo gratia requiſita ad deſiderandum & orandum non eſt gratia medicinalis.

Reſpondeo in morbis quidem corporis deſiderium ſanitatis nihil per ſe conferre ad ſanitatem; ſed in morbis animi, qui in voluntatis pravitate potiſſimùm conſiſtunt, vel tenuiſſimum boni deſiderium aliquod eſſe curationis initium. Neque enim quâvis gratiâ medicinali continuò perficitur animæ ſanitas, ſicut nec medicamenta corporalia integram corporis ſanitatem ſtatim operantur; ſed, ſicut varii ſunt in corpore curationis & convaleſcentiæ gradus, ita & in voluntate malè affectâ. „Prima hæc medela eſt, ut modò dicebat S. Proſper, ut incipiat homo „ noſſe quòd langueat, & poſſit opem medici deſiderare quâ ſurgat.“ Gratiæ ſubſequentes morbum animæ paulatim depellunt, ſanitatemque paulatim reſtituunt. At, quandiu hac in vita tanquam in valetudinario quodam agimus, numeris omnibus abſolutam ſanitatem non conſequimur, in fine tantùm perficiendam. Unde nobis ſemper cum Apoſtolo clamandum eſt, Rom. VII: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum...... Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

In Tract. de Grat. tom. 2. pag. 448 & ſeq. Objicit Tournely ea Scripturæ loca, quibus orare jubemur: Matth. VII. 7: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur:* atque inde concludit gratiam orationis omnibus dari, ſine qua impoſitum orandi præceptum implere non poſſemus, & quâ ſi utamur, gratiam efficacem conſequimur.

Reſpondeo hæc loca à Semipelagianis pariter objectata fuiſſe S. Auguſtino, aliiſque gratiæ Chriſti defenſoribus. Quid autem magis probat errorum ſocietatem, quàm argumentorum identitas?

2°. Eâdem methodo probaretur gratiam efficacem ad nullum pietatis opus, quantumvis arduum, neceſſariam eſſe, cum nullum ſit quod nobis non præcipiatur. Sicut enim dicitur: *Petite, quærite, pulſate*, ſic etiam dicitur: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Facite vobis cor novum & ſpiritum novum. Stabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper. Emundate manus, peccatores, & purificate corda. Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos*, & ſimilia. Cùm igitur fateantur adverſarii iſta præcepta hominibus impoſita non probare illa impleri poſſe cum ſola gratia ſufficiente, quæ nunquam deſit ubi agendum eſt, quo jure, ex præcepto orandi eiſdem planè verbis impoſito, concludunt ad orandum ſufficere gratiam ſufficientem? In Chriſti verbis hæc duo tantùm reperiuntur: jubet nos petere, & promittit petentes ut oportet exauditum iri. Nihil ultra reperies: de gratia orandi omnibus data vel oblata ne verbulum quidem.

(Marginal references: Jacobi IV. 7. — Ezech. XVIII. 31. — Jacob IV. 8. — Matth. V. 44.)

3°. Veritas eſt certiſſima, & à S. Auguſtino frequentiſſimè inculcata, nihil homini in Scripturis præcipi, quod aliis in locis à Deo dari non ſigni-

ſignificetur. Deus ergo præcipit ut oremus; ſed, quoniam ipſe dat quod jubet, quoties oramus, efficax Dei donum eſt.

Objicit 2°. S. Auguſtinus docet hominem cum auxilio gratiæ aliquid poſſe, & aliquid non poſſe: poſſe illa quæ faciliora; non poſſe illa quæ ardua & difficilia ſunt: facilia operari immediatè poſſe per gratiam ſufficientem; difficilia mediatè, impetrando ſcilicet gratiam efficacem quâ illa fiant. Sic lib. *de Natura & gratia*, cap. 69. num. 83: „ Eo ipſo quo „ firmiſſimè creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe „ præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus." Lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt 1. num. 14: „ Hoc reſtat in iſta mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo „ juſtitiam cum voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum „ cujus dono eam poſſit implere." Lib. de *Gratia & libero arbitrio*, cap. 16. num. 32: „ Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: „ non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab „ illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides quæ orando impetrat quod lex „ imperat." Et cap. 18. num. 37: „ Præcepto admonitum eſt liberum „ arbitrium ut quæreret Dei donum. Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi „ quæreret unde quod jubebatur impleret." Demum lib. *de Correptione & gratia*, cap. 2. num. 4: „ Intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu „ Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant, &, cùm egerint, illi à quo „ aguntur gratias agant...... Quando autem non agunt, ſive omnino „ non faciendo, ſive non ex caritate faciendo, orent ut, quod nondum „ habent, accipiant." Et cap. 5. num. 7, ut oſtendat correptionum utilitatem: „ Dolor quippe, inquit, quo quiſque ſibi diſplicet, quando ſentit correctionis aculeum, excitat eum in majoris dilectionis affectum, ut, Deo miſerante, incremento caritatis adjutus delinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda." Ibidem.

Reſpondeo me attentâ mente in his teſtimoniis quærere, num in eorum ſaltem aliquo doceat vel inſinuet ad orandum, vel ad facilia quædam præcepta implenda, non requiri gratiam ex ſe efficacem, ſed ſufficientem tantummodò, quæ nemini deſit, ſed fruſtra id quærere, cujus in locis allatis ne minimum quidem veſtigium extat. Video quidem hominem, accepto mandato cujus implendi difficultatem ſentit, Deum orare debere ut det quod præcipit. Quòd vero ſimul cum præcepto detur homini gratia orationis, quam vel efficacem vel inefficacem reddere in ipſius arbitrio ſit, prorſus non video. Quid ergo illa teſtimonia adverſarium juvant, aut in quo nobis adverſantur? Enimverò quid verius, quid certius, quàm hominem infirmum atque ad mandata ſervanda ex ſe invalidum, ad Deum confugere gratiamque efficacem poſtulare debere;

re; maximè cùm Deus, ad domandam ſanandamque ſuperbiam de ſuis viribus inaniter præſumentem, decreverit gratiam, primâ, quæ fidei eſt, exceptâ, plerùmque non dare niſi petentibus? Operam igitur & oleum perdunt Tournely & quicunque talia cum illo objiciunt. Proferant, ſi poſſunt, teſtimonium aliquod manifeſtum S. Auguſtini, vel alterius Doctoris ab Eccleſia approbati, quo declaretur gratiam orationis non perinde ac gratiam ſanctè vivendi efficacem eſſe, ſed effectum ſuum ab hominis voluntate expectare. Si nullum habent quod proferre poſſint, fateantur opinionem ſuam omnibus SS. Patribus incognitam, imò ab illis, ut textus ſupra allati perſpicuè demonſtrant, expreſſis verbis reprobatam fuiſſe.

Ibid. pag. 450 & 451. Inſtat. „ S. Auguſtinus diſtinguit inter opera facilia & difficilia: diſ„ tinguit ea quæ poſſumus ab iis quæ non poſſumus. Illa porro diſ„ tinctio vana foret & illuſoria, ſi ſupponeret gratiam efficacem ad om„ ne opus bonum, ſive facile, ſive difficile, pariter eſſe neceſſariam. „ Certum quippe eſt per gratiam ſufficientem conferri aliquam ad opus „ bonum perfectum, etiam difficile, potentiam: nullus id in dubium „ revocat. At non minùs ex Auguſtino iſtud certum videtur, poten„ tiam illam gratiæ ſufficientis perfectiorem eſſe ac magis immediatam „ erga facilia quàm erga difficilia. Porro in hoc uno reponi duntaxat „ poteſt major illa perfectio & immediatio, quòd gratia ſufficiens faci„ lia operetur ſola, difficilia verò non niſi accedente gratiâ efficaci. Er„ go mens ſancti Doctoris hæc eſt: gratiam ſufficientem in rebus facili„ bus ſufficere, quanquàm in difficilioribus majoribus auxiliis juvanda „ ſit infirmitas."

Reſpondeo reverâ aliqua opera bona facilia eſſe, alia difficilia; alia eſſe quæ poſſumus potentiâ proximâ & completâ, alia quæ non poſſumus niſi potentiâ remotâ & non completâ: v. g. homini diviti ac munifico facile eſt modicam eleemoſynam erogare; ſed eidem interdum difficile foret amorem omnium quæ poſſidet penitùs exuere. Verum opera plerùmque dicuntur facilia aut difficilia, non tam abſolute & in ſeipſis, quàm comparatè ad vires & affectus uniuſcujuſque. Erogatio eleemoſynæ, quæ viro liberali & miſericordi facilis eſt, avaro & pauperum parum amanti ardua videtur ac difficilis. Vires autem voluntatis ac bonos affectus, quibus mandata facilia fiunt, quid aliud quàm gratia Dei operatur, gratia, inquam, non ſufficiens, ſed efficax? Hujuſmodi gratia præſtitit ut, quod Apoſtolis, antequàm inducerentur virtute ex alto, difficillimum fuerat, eiſdem factum fuerit facillimum. Hæc eadem præſtat ut peccatori ad Deum ſincere converſo plurima facilia & ſuavia reddantur, quæ prius dura & aſpera videbantur. Id fateri cogitur ipſemet Tournely; ſiquidem ad opera difficilia gratiam efficacem requiri agnoſcit. Proinde negare non poteſt mutationem illam in corde factam, quâ facilia

lia fiunt quæ priùs erant difficilia, opus eſſe non gratiæ ſufficientis, ſed efficacis.

Et certè facilitas obſervandi pleraque mandata eſt aliquid permanens in anima, etiam extra tempus illa obſervandi, ac proinde oriri non poteſt à gratia ſufficiente, quæ, ex adverſariis, non datur niſi quando hic & nunc agendum eſt: ſed ſemel data, ſive per gratiam efficacem victricemque juſtitiæ dilectionem, ſive per gratiam habitualem, tamdiu perſeverat in homine, quandiu aliquo graviore peccato non amittitur.

Ad id verò quod additur, per gratiam ſufficientem potentiam perfectiorem tribui voluntati erga facilia quàm erga difficilia, illam autem majorem potentiam in eo duntaxat reponi poſſe, quòd per ſolam gratiam ſufficientem facilia operari poſſimus, difficilia verò nonniſi accedente gratiâ efficaci, reſpondeo verum eſſe gratiam, quæ reſpectu operis perfecti & ardui eſt merè ſufficiens, nec producit effectum ad quem excitat voluntatem, producere motus aliquos pios faciliores; verùm illam ſub iſto reſpectu non eſſe merè ſufficientem, ſed ſeipſâ efficacem. Sit in exemplum gratia actualis quatuor graduum: hæc erit inefficax reſpectu operis ardui, putà integræ converſionis, cui obſiſtunt decem gradus cupiditatis; eadem tamen per ſe efficax erit reſpectu actuum imperfectorum, quibus cupiditas multò minùs obſiſtit.

Verum in allatis à Tournely S. Auguſtini textibus nullomodò agitur de gratia ſufficiente, nec de variis illius effectibus, ſed tantummodò de voluntatis viribus majoribus vel minoribus, ratione quarum aliqua facilia, alia difficilia æſtimantur. Supponamus hominem juſtum, ſed in juſtitia parum provectum. Per gratiam habitualem habet potentiam ſeu vires proportionatas communibus pietatis operibus exercendis, ſed ſatis virium non habet ad gravem tentationem, ſi ingruat, ſuperandam. Quid ergo facere debet? Faciat quod poteſt ſecundum præſentes quas habet vires; petat quod non poteſt, ſimulque ſtudeat in caritate magis ac magis proficere, ut, quæ adhuc difficilia experitur, ipſi facilia fiant.

Ergo, inquies, ſaltem facilia facere poteſt homo juſtus absque novo gratiæ auxilio. Diſtinguo: abſque novo gratiæ auxilio conferente majores vires; concedo: abſque novo auxilio vires præſentes applicante & determinante ad bonum actu faciendum; nego. Adeò certum eſt juſtos ipſos indigere auxilio efficaci ad actus etiam faciliores, ut teneantur, non ſolum in rebus arduis, ſed etiam in facilioribus, ad Deum confugere, ejusque adjutorium poſcere, non modò ut poſſint nihil mali facere, verùm etiam ut reipſâ nihil mali faciant. Quod poſcere utique non tenerentur, ſi ad implenda faciliora mandata non indigerent auxilio per ſe efficaci.

Inſtat rurſus. S. Auguſtinus, libro *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 17, duplicem diſtinguit in homine voluntatem bonam, unam parvam & invalidam, alteram magnam & robuſtam. Ergo gratia ſufficiens parvam ſaltem & invalidam, ex Auguſtino, voluntatem efficit. Neque dixeris, Ibid. pag. 452.

in-

Digitized by Google

inquit, gratiam ſufficientem reſpectu illius parvæ & invalidæ voluntatis efficacem eſſe, ſiquidem quæſtio unicè movetur de gratia ſufficiente prout ab efficaci diſtinguitur.

Reſpondeo gratiam omnem, ſive magnam, ſive parvam, ſemper ac per ſe efficacem eſſe; vel ſimpliciter, quando ſcilicet producit totum effectum ad quem movet voluntatem; vel ſecundùm quid, quando pia duntaxat boni deſideria operatur, uti poſteà declarabitur. Neque inde ſequitur gratiam parvam, quam ſufficientem appellant, non diſtingui à magna, quæ dicitur ſimpliciter efficax. Nam illa producit tantum voluntatem parvam & invalidam, & remanet inefficax reſpectu operis perfecti ad quod excitat; hæc verò bonum opus integrum perficit. Cæterùm gratia, ſive parva ſit, ſive magna, effectum quem producit propriâ ſuâ virtute producit.

Ibid. pag. 462. Objicit 3° poſt Thomaſſinum. Homo per gratiam juſtificationis reparatur & ſanatur. Dici autem non poteſt, ne quidem ex parte, reparatus & ſanatus, ſi nihil prorſus boni facere poteſt cum eo auxilio, quo ſolo ante lapſum indigebat. Porro homo ante lapſum non ſolum poterat facere bonum, ſed reipſâ faciebat, ſi volebat, cum ſolo auxilio ſufficienti. Ergo hujuſmodi adjutorium etiamnum juſtis, ſaltem ad facilia quæque operanda, ſufficit.

Reſpondeo iſto argumento impugnari duntaxat eos Theologos qui Auguſtiniani dicuntur: nam, juxta nos, homo etiam innocens, præter adjutorium *ſine quo*, indigebat adjutorio phyſicè præmovente ad benè agendum & perſeverandum in bono, ut alibi probatum eſt. Quamobrem retorqueo argumentum. Gratia per ſe efficax non minùs neceſſaria eſt homini lapſo ad facilia quæque agenda, quàm neceſſaria erat in ſtatu innocentiæ ad rectè agendum. Ergo, à fortiori, in hocce naturæ lapſæ ſtatu nulla opera bona, quantumvis facilia, poſſunt fieri ſine auxilio per ſe efficaci.

Ibid. pag. 464. Inſtat cum eodem Thomaſſino. Si gratia ſufficiens nunquam obtineret ſuum effectum, ſed ad omnes actus gratia efficax requireretur, ſequeretur 1° gratiam ſufficientem fruſtra dari, cùm nihil inde utilitatis redeat ad innumerabiles homines qui eâ donantur. Sequeretur 2° omnia pietatis opera eſſe æqualiter difficilia omnibus hominibus; ſiquidem omnes homines eâdem gratiâ, nempe per ſe efficaci, ad omnia bona opera indigerent: hoc autem abſurdum eſt. Sequeretur 3° eos, quibus auxilium ad benè agendum neceſſarium datur, nunquam peccare; eos verò, quibus non datur auxilium efficax, omnia mandata tranſgredi, & peccata univerſa committere; quod experientiæ repugnat. Sequeretur 4° ad quodlibet particulare opus bonum eamdem requiri gratiam, quam petimus ad perſeverandum uſque in finem; adeoque perſeverantiæ donum nihil habere ſpeciale; quod concilio Tridentino contrarium eſt.

Reſpondeo primam ſequelam militare invictè contra Molinianos & Con-

Congruiſtas, quibus gratia ſufficiens nullum unquam habuit nec habitura eſt effectum, excepto quòd propter illam peccata, quæ aliàs non imputarentur, homini imputantur: ſed illa ſequela nobis objici nequit, qui nullam gratiam Chriſti agnoſcimus, quæ non aliquem effectum ex ſeipſa producat, ſive parvum & imperfectum, ſi gratia parva ſit, ſive magnum ac perfectum, ſi magna.

Ad 2am reſpondeo, tametſi nullum opus bonum fieri queat ſine gratia efficaci, non ideò ad omnia æqualem gratiæ gradum requiri; proinde non ſequi omnia pietatis officia æquè difficilia eſſe: quemadmodùm non ſequitur omnes morbos eſſe æqualiter curatu difficiles, ex eo quòd nullus niſi per medicamenta ſeipſis efficacia pellatur; vel quamcunque materiam eâdem difficultate comburi, ex eo quòd, quidquid comburitur, per actionem ignis ex ſeipſa efficacem comburatur.

Ad 3am reſpondeo efficaciam gratiæ non obſtare quominùs etiam juſti interdum peccent venialiter; quoniam, propter rationes poſteà afferendas, nemo eſt hac in vita cui gratia actualis efficax ſemper & ad ſingulos actus detur. Non ſequitur etiam ex noſtra doctrina eos, qui gratiam non habent efficacem, omnia præcepta transgredi, cùm multa præcepta ſint quæ etiam ſine gratia fieri poſſunt quantum ad ſubſtantiam operum: ſed tantummodò ſequitur eos, in omnibus quæ faciunt ſine auxilio gratiæ, peccare, ſaltem peccato omiſſionis, non faciendo ex motivo caritatis quæ faciunt.

Demum nego 4am ſequelam. Quàmvis enim gratia efficax neceſſaria ſit ad ſingulos actus bonos, nihilominùs donum perſeverantiæ cæteris omnibus valde præcellit; tum quia ad ſingulos actus ſufficit unica gratia actualis, donum autem perſeverantiæ quædam veluti catena eſt ex multis auxiliis effiacibus coaleſcens; tum quia donum perſeverantiæ eſt proprius effectus prædeſtinationis ad gloriam, quod de particularibus gratiæ auxiliis dici non poteſt.

Objicit denique ſuam ſententiam certò probari ex praxi quotidiana, ſive piorum hominum, qui ſeipſos negligentiæ incuſant, cùm ea pietatis opera non faciunt quæ ab aliis exerceri vident, ſeque ipſos ad virtutem ſtimulant his B. Auguſtini verbis: *non poteris quod iſti & iſtæ?* ſive concionatorum, qui, quà poſſunt orationis vehementiâ, fideles adhortantur ut continuis precibus Deum ſollicitent, eoſque impugnant qui, ut ſeſe excuſent, gratiæ abſentiam obtendunt; ſive peccatorum, qui, quoties ad tribunal pœnitentiæ ſe ſiſtunt, firmum habere debent melioris vitæ propoſitum: quæ omnia, inquit, manifeſtè ſupponunt nobis ſemper præſtò eſſe gratiam aliquam ſufficientem, quâ uti vel non uti in noſtra poteſtate ſit. Ibid. pag. 425.

Reſpondeo hæc adeò infirma eſſe, ut mirum ſit ea feriò opponi. Probarent enim, ſi quid probare poſſent, cum ſola gratia ſufficiente, abſque auxilio efficaci, quidvis fieri poſſe; quod ne adverſarius quidem admittere

tere audet. Meritò ſanè homines ſemetipſos negligentiæ incuſant, aliorumque Deo ferventer ſervientium exemplo ſtimulant; quoniam quòd quiſque officio ſuo deſit, non gratiæ, quæ non niſi boni cauſa eſt, ſed proprio noſtro vitio imputari debet. At quantò magis in pietate proficiunt, tantò humilius à Deo petunt ut per gratiam efficacem det quod præcipit; & quando id petunt ut oportet, ei qui in ipſis efficaciter gemit gratias agunt. Meritò etiam concionatores ſacri ad virtutum chriſtianarum, ac imprimis orationis ſtudium fideles hortantur: meritò etiam eos increpant, qui peccata ſua defectu gratiæ excuſare nituntur, quaſi Deus ipſis eſſet cauſa peccandi; quod certè cæcitatis & impietatis cumulus eſt. Sed ſummoperè cavere illi debent ne, gratiæ ſeipſâ efficacis neceſſitatem diſſimulando, propriarum virium præſumptionem Adæ poſteris ingenitam nutriant; Apoſtoloſque imitari, qui, quanto zelo homines ad meliorem frugem incitabant, tanto gratiæ medicinalis neceſſitatem efficaciamque prædicare ſolliciti erant; alioqui non novi teſtamenti, ſed veteris, quo dicebatur tantummodò: *qui fecerit ea vivet in illis*, nec ſpiritûs vivificantis, ſed litteræ occidentis miniſtri futuri eſſent. Denique peccatores, non ſolùm quando accedunt ad ſacramentum pœnitentiæ, ſed etiam ſtatim atque peccaverunt, & quoties peccata ſua in memoriam revocant, firmum elicere debent melioris vitæ propoſitum. Sed quid inde? Hoc propoſitum omnibus imperatum illi ſoli eliciunt & exequuntur, in quibus præparatur voluntas à Domino, per gratiam utique efficacem; cæteris propriâ ſuâ malitiâ & cordis duritiâ in impœnitentia remanentibus.

CAPUT QUARTUM.

An doctrina gratiæ efficacis hactenus expoſita ad fidem pertineat.

FACILE eſt ex dictis colligere doctrinam gratiæ ſeipſâ efficacis eſſe doctrinam Eccleſiæ; atque ad fidem pertinere. Ea quippe doctrina manifeſtè pertinet ad fidem, quæ expreſſe continetur in Scriptura & Traditione, quam univerſa Eccleſia in ſuis precibus nunquam non profeſſa eſt, quam SS. Patres ab Eccleſia ſpecialiter approbati tanquam fidem catholicam docuerunt, credendamque hæreticis propoſuerunt, quam denique, poſt maturum examen, de fide eſſe cenſuerunt nominati Judices ac doctiſſimi Theologi. Talis autem eſt gratiæ per ſe efficacis doctrina quam modò defendimus.

1°. Quidem non argumentationibus humanis, ſed diſertiſſimis ſacra-

rum

rum Scripturarum textibus eam aſſeruimus: qui quidem textus, niſi ad metaphoricos ſenſus transferantur, nihil aliud quàm gratiam ſeipſâ efficacem exprimunt, & à SS. Patribus omnium ſæculorum, atque illis imprimis qui iſti materiæ tractandæ ſumma cum Eccleſiæ totius approbatione incubuerunt, ſic intellecti & expoſiti ſunt. Hoc præſertim argumento S. Auguſtinus immobilem iſtius, quam adverſus Pelagianos tuebatur, doctrinæ firmitatem demonſtrabat. „ Hoc verum eſſe" (Deum nempe in cordibus hominum motum ipſum voluntatis efficaciter operari), inquiebat lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 20. num. 38, „ non conjecturâ ſuſpicamur humanâ, ſed evidentiſſimâ ſacrarum Scripturarum auctoritate dignoſcimus."

2°. Non etiam incertis humaniſque opinionibus, ſed divinâ revelatione ſuis in precibus nititur Eccleſia, juxta certiſſimum illud S. Cæleſtini effatum: *Legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi.* Atqui oſtendimus Eccleſiam in ſuis precibus, etiam antiquiſſimis & in toto terrarum orbe frequentatis, poſcere adjutorium gratiæ ſeipſo efficax, tanquam ſibi omnino neceſſarium ad quoſlibet actus pietatis. Ergo iſtiusmodi gratiæ neceſſitas pertinet ad fidem.

3° Univerſa Eccleſia, SS. Pontificum & Conciliorum ore, S. Auguſtini de gratia doctrinam unanimi ac perpetuo conſenſu ſuam eſſe declaravit: ita ut nullum dubium ſit quin pro fidei dogmate haberi debeat, quidquid eximius ille Doctor velut fidei dogma credendum aſſeruit. Atqui S. Auguſtinus hanc doctrinam, non opinando vel hæſitando, neque ut opinionem ſibi peculiarem, ſed tanquam fidei dogma ubique propoſuit in ſuis contra Pelagianos libris, ut conſtat tum ex ſupra allatis teſtimoniis, quibus illam ſumma cum ſecuritate tanquam indubitatam aſſeruit, tum ex pluribus locis in quibus expreſſè declarat Pelagium, niſi illi conſentiret, pro Chriſtiano agnoſci non poſſe. In lib. *de Gratia Chriſti*, ubi totus in eo eſt, ut probet gratiam Chriſti eſſe inſpirationem ſanctæ dilectionis, ſic loquitur, cap. 10. num. 11: „ Sed nos iſtam gratiam volumus „ iſte (Pelagius) aliquando fateatur, quâ...... non ſolùm ſuadetur omne „ quod bonum eſt, verùm & perſuadetur...... Quibus autem perſuadea- „ tur, ut ad eum veniant, ſatis ipſe (Chriſtus) demonſtravit, ubi ait: „ *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum:* & paulò poſt, „ cùm de non credentibus loqueretur: *Dixi*, inquit, *vobis quia nemo po-* „ *teſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*" (En gratia per ſe efficax). Quid verò addit S. Doctor? „ Hanc, ait, Pelagius debet „ gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſ- „ tianus." Ibidem, cap. 26: „ Iſtam Dei gratiam in divinis eloquiis „ manifeſtam etiam Pelagius manifeſtè fateatur,..... ut ſancta Eccleſia „ non turbetur pervicaci ejus obſtinatione, ſed veraci correctione læte- „ tur." Et paulò poſt: „ Ac per hoc gratiam Dei, quâ caritas Dei „ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt no-

Digitized by Google

„ bis (hoc eſt, ſeipſâ efficacem, nam gratia verſatilis poteſt eſſe in nobis „ ſine ullo caritatis motu), ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, „ ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet veramque „ juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.“ Potuit-ne evidentiùs exigi à Pelagio iſtius, quam tuemur, doctrinæ claram & apertam confeſſionem? An verò aut S. Doctor ignoravit quænam fides eſſet Eccleſiæ, aut ad illum tota Eccleſia nos remitteret circa materiam gratiæ erudiendos, ſi in re tanti momenti modum exceſſiſſet?

4°. Concilium Carthaginenſe anni 418, plenarium totius Africæ, ab omni Eccleſia Græca pariter & Latina ſummo cum conſenſu receptum, definit gratiam Chriſti eſſe ipſummet caritatis donum, ac per illam præſtari ut quod faciendum eſt facere diligamus; adeòque ſeipſâ efficacem eſſe. „ Quiſquis dixerit, inquit, gratiam Dei per Jeſum Chriſtum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præſtari „ ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus; anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus, *ſcientia inflat*, „ *caritas verò ædificat*, valde impium eſt ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, & ad eam quæ ædificat non habere; „ cùm ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut, caritate ædificante, ſcientia non poſſit inflare. „ Sicut autem de Deo ſcriptum eſt: *qui docet hominem ſcientiam*, ita „ etiam ſcriptum eſt: *caritas ex Deo eſt*.“ Quicunque hunc canonem plenarii Concilii, cujus S. Auguſtinus, teſte Proſpero, *ingenium* fuit, cum ipſius Auguſtini libris, ac præſertim cum libro *de Gratia Chriſti* comparare voluerit, facilè intelliget illam ipſam doctrinam à Patribus Carthaginenſibus definitam eſſe, quam S. Auguſtinus fuſiùs expoſuit. Cùm ergo evidentiſſimum ſit S. Auguſtinum, in libro de Gratia Chriſti, gratiam ſeipſâ efficacem credendam & confitendam Pelagianis propoſuiſſe, extra dubium eſt eamdem gratiam eo canone, quo illius libri ſumma comprehenditur, fuiſſe definitam.

Edit. Baluz. p. 22 & 23. 5°. S. Agobardus, nono ſæculo Lugdunenſis Epiſcopus, hanc ipſam doctrinam tanquam certiſſimum fidei dogma tradit in lib. *de Fidei veritate*, art. 13 & 14. Quid namque aliud quàm gratiam per ſe efficacem exprimunt præclara hæc verba? „ Caveat fidelis ne omnino, vel in modico, in propriis viribus præſumat, ſed de Dei adjutorio,..... quia „ Dominus ait:.. .. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me* „ *traxerit eum.* Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet ut faciat homo...... Quando homines ita faciunt quod volunt, ut divinæ ſerviant „ voluntati, quàmvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas eſt, à quo & præparatur & jubetur quod volunt. Tales nos amat

„ Deus,

Digitized by Google

„ Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro me-
„ rito. Sua bona Deus prævidet, præſcit, adjuvat & remunerat in no-
„ bis. Nemo bonus niſi ſolus Deus, qui non eſt alterius bono bonus:
„ homines autem non proprio, ſed Dei bono ſunt boni, qui eſt fons &
„ origo bonitatis, à quo omne bonum, & ſine quo nihil eſt boni.“
Quot hic ſententiæ ſunt, totidem ſunt clariſſima gratiæ ſeipſâ virtricis
teſtimonia. Quid verò de illa doctrina addit S. Præſul? „ Hæc eſt,
ait, „ fides & ſpes Catholicæ Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamen-
„ tum veritatis, in lege & Prophetis, pſalmis & hymnis prædicata, per
„ Apoſtolos evangelizata, per Martyres teſtificata, per Doctores expo-
„ ſita. Quidquid huic fidei contrarium invenitur, & quæ diſſona &
„ diſcrepantia, inepta ſunt & prophana, atque inaniloquia, quæ multum
„ proficiunt ad impietatem, ac per hoc doctrina dæmoniorum & anti-
„ chriſtorum.“ His profectò addi nihil poteſt.

Idipſum breviùs quidem, ſed apertiſſimis verbis declarat doctiſſimus
Florus ejusdem Eccleſiæ Diaconus, in lib. adverſùs Joannem Scotum Eri-
genam, cap. 5. „ Qui non credit, inquit, hanc ſummam & efficaciſſi-
„ mam cauſam (Deum ſcilicet) præcedere voluntatem noſtram, ut rec-
„ tè velle & operari poſſimus, reſiſtit veritati, & Pelagiani erroris eſſe
„ convincitur.“

6°. Cenſores Romani, ad iſtam materiam diſcutiendam deputati in ce-
lebribus Congregationibus *de Auxiliis*, multoties judicarunt opinionem
Molinæ, volentis gratiam ex conſenſu voluntatis effectum habere, non
modò erroneam eſſe, ſed planè conformem hæreſi Pelagianorum: eam ve-
rò, quæ gratiam ſeipſâ efficacem aſſerit, eſſe ipſammet B. Auguſtini doc-
trinam ab Eccleſia ſolemniter approbatam, ipſamque Eccleſiæ fidem. In
Canonibus quoque hac de re digeſtis, & omnium Conſultorum ſubſcrip-
tionibus munitis, atque in Bulla ſive Conſtitutione apparata, damnatis
Molinæ novitatibus, eadem doctrina tanquam Eccleſiæ fides omnibus
tenenda præſcribitur. Quid verò ſapientius, quid utilius, quid certius,
quàm huic judicio ſtare, poſt maturum decem annorum examen lato in Con-
gregationibus circiter ducentis, poſt accuratiſſimam utriusque doctrinæ
cum Scripturæ oraculis, SS. Patrum textibus & Conciliorum definitionibus
comparationem, auditis usque ad ſatietatem quæcunque pro gratia verſa-
tili, aut contra gratiam ſeipſâ efficacem dici potuerunt? Quando uni-
verſa Eccleſia quæſtionem hanc ultimo judicio terminandam ſuſcipiet,
num certiorem ac tutiorem viam inire poterit quam Examen illud adeò
ſolemne, præſentibus duobus ſucceſſivè SS. Pontificibus multisque Car-
dinalibus factum, recognoſcendo, dudumque paratam Bullam apertam in
lucem proferendo?

Non ſoli illi Romani Conſultores ita cenſuerunt, ſed etiam tunc cele-
berrimæ Theologicæ Facultates Lovanienſis & Duacenſis, in ſuis adver-
ſùs Leſſii & Hamelii propoſitiones Cenſuris; Bannez in 1 part. D. Tho-

mæ, q. 23. art. 3. concluſ. ultimâ; Medina 1. 2. q. 109. art. 10; Alvarez, lib. 9 *de Auxiliis*, diſp. 99: Navarreta, in 1 partem D. Thomæ, q. 19. controverſ. 21. § 13; Martinez in 1. 2. q. 110 art. 4 dubio 10; Joannes à S. Thoma in 1 part. quæſt. 119. diſp. 3. art. 2 & 4, & q. 14. diſp. 20. art. 3 & 6; Eſtius in 1 ad Timotheum, cap. 2, & alibi paſſim; Cabrera 3 part. q. 15. art. 4. diſp. 6 dubio 9; Feliſius, diſt. 25. cap. 24, in 2 Sententiarum; Cumel in 1 part. q. 23. art. 3. quæſt. 8. concl. 5 & 6; Baronius, Gonetus, Serry, & alii complures quos appellare longum foret.

Quanti verò facienda ſit illorum omnium cenſura, ex dictis hactenus liquet. Invictè enim probavimus per opinionem Molinæ, à qua nonniſi ſpecietenus recedit Congruiſmus, totum Pelagianiſmi virus renovari, ac per illorum opinionem qui, admiſſâ cæteroquin gratiâ per ſe efficaci, gratiam verſatilem ad orandum ſufficere contendunt, Semipelagianiſmum de integro inſtaurari. Ergo aliter effugi non poſſunt errores olim anathemate confixi, quàm apertè confitendo gratiam ſuâpte virtute efficacem ad quælibet pietatis opera prorſus neceſſariam.

Dices. Si doctrina gratiæ per ſe efficacis eſſet fides Eccleſiæ, ſequeretur Jeſuitas, cæteroſque hujus doctrinæ adverſarios, hæreticos eſſe. Hoc autem dici non poteſt. Ergo nec illud.

Nego majorem. Ut enim aliquis hæreticus cenſeatur, non ſatis eſt doctrinam quam rejicit eſſe fidem Eccleſiæ, neque opinionem quam tuetur fidei contrariam eſſe, ſed inſuper requiritur ut id notorium ſit atque ab omnibus Catholicis conceſſum. Hæreſim quippe non facit error quilibet fidei contrarius, ſed talis error quo unanimi Catholicorum ſenſui notorioque totius Eccleſiæ judicio pertinaciter reſiſtatur. Hinc Semipelagiani, antequàm in concilio Arauſicano II univerſæ Eccleſiæ conſenſu firmato damnati fuerint, errabant quidem in fide, ſed non erant formaliter hæretici, ut pote quæſtione nondum plenè eliquatâ, nec ſolemni ultimoque Eccleſiæ judicio terminatâ. S. ipſe Auguſtinus, initio ſui Epiſcopatûs errabat quidem graviſſimè, exiſtimando fidem eſſe à nobis; ſed hæreticum illum tunc fuiſſe quis dicat? Porro dogma gratiæ per ſe efficacis, quàmvis ad fidem Eccleſiæ pertineat, quàmvis adverſùs Pelagianos ac Semipelagianos olim fuerit expreſſe definitum, quàmvis tunc, quando ab univerſa Eccleſia damnatum fuit, abſque hæreſis nota rejici non potuerit, longo temporum lapſu paulatim obſcuratum eſt, ſicut & multa alia fidei dogmata, atque etiam non paucæ veteres Conciliorum ac ſummorum Pontificum definitiones, quæ, etſi apud omnes Catholicos receptæ videantur, non tamen eodem ſenſu ab omnibus intelliguntur & exponuntur. Demum, novitatibus in dies emergentibus, ſcinduntur animi in varias partes, ita ut circa varia illa doctrinæ Chriſtianæ capita concordiſſima non ſit totius Eccleſiæ auctoritas, cui ſoli obſtinatè reſiſtere hæreticum eſt. Igitur, qui circa gratiæ efficaciam aliter quàm nos ſentiunt, non idcirco pro hære-

ticis

ticis habemus, niſi fortè animo ſic affecti ſint, ut definitioni univerſæ Eccleſiæ, ſi interveniret, pertinaciter contradicturi eſſent, quod ſoli Deo cordium ſcrutatori notum eſt. Illorum quidem error minùs excuſari poteſt, eoquòd tanta lucis copia, tum in aliis veteribus Eccleſiæ monumentis, tum præſertim in S. Auguſtini ſcriptis, atque in plurimis eximiis iſto & poſtremo ſæculo editis operibus, veritas ſeſe contuendam præbeat videre volentibus, ut cujusvis non ſponte cæci oculos perſtringere valeat. Verùm aliud eſt veritatem non inquirere, vel ultro ſe ingerenti, ob præocupatas falſas opiniones vel pravas quaſpiam cupiditates, oculos claudere, quod ſine gravi peccato non fit; aliud eſſe formaliter hæreticum.

Itaque longè alia conditio eſt hæreticorum in ſinu Eccleſiæ occultorum, alia Theologorum neceſſitatem gratiæ per ſe efficacis aut quodlibet aliud obſcuratum dogma oppugnantium. Illi ſunt formaliter hæretici, quia definitionibus Eccleſiæ unanimi conſenſu receptis non acquieſcunt, neque ideò in Eccleſia tolerantur, quòd eorum error toleretur, ſed quia, cùm occultus ſit, ignoratur. Hi è contrario errant quidem palam ac publicè, atque interdum periculoſiſſimè ac pernicioſiſſimè; ſed unanimitati totius Eccleſiæ, ut pote in quæſtione nondum ultimo judicio terminata, non refragantur. Non idcirco tamen ſecuros ſe exiſtiment, quandoquidem non ſola hæreſis excludit à regno cœlorum, ſed multa alia peccata, qualia ſunt odium vel contemptus veritatis, erroris, præſertim in materia capitali, pertinacia, in fratres rectè ſentientes calumniæ, vexationes, oppreſſiones, & ſimilia.

CAPUT QUINTUM.

Qualis ſit efficientia gratiæ, phyſica an moralis: ſive utrùm gratia ſit phyſica prædeterminatio, an delectatio relativè victrix.

STABILITA gratiæ ſeipſâ efficacis doctrinâ, inquirendum reſtat qualis ſit ejus efficientia, phyſica ne, an moralis. Circa hanc quæſtionem Auguſtiniani & Thomiſtæ, hactenus concordes, in varias partes abire videntur. Hi docent gratiam efficacem eſſe motionem Dei phyſicam & prædeterminantem, quæ ſuum effectum ſemper & in quibuslibet circumſtantiis producit. Illi gratiam eſſe dicunt delectationem ſeu dilectionem juſtitiæ cœlitus immiſſam, quæ, quoties delectatione ſeu cupiditate terrenâ ſibi oppoſitâ gradibus ſuperior eſt, toties illam majore ſuâ virtute ſuperat. Hinc, juxta Thomiſtas, efficacia gratiæ eſt abſoluta & inde-pen-

pendens à quacunque ſuppoſitione. Juxta Auguſtinianos verò, relativa eſt. Tunc enim delectatio gratiæ eſt victrix, quando terrenam ſuperat: tunc autem ſuperat, quando illâ gradibus ſuperior eſt.

Hoc qualecunque doctrinæ diſſidium (ſi tamen diſſidium verè dici poteſt) plurimùm exaggerant Moliniani, quaſi gratiæ ſeipſâ efficacis defenſores, eoquòd in nonnullis Auguſtinianæ doctrinæ appendicibus non conſentiant, in ipſa doctrinæ ſumma diffidant.

Illud præſertim exaggerant quando contra Auguſtinianos dimicant. Ut enim eos quoquo pacto velut hæreticos traducant, fingunt eorum doctrinam à Thomiſtica toto cœlo diſtare. Quando verò contra Thomiſtas decertant, tantâ illâ diſſimilitudine penitus evaneſcente, illos eâdem cum Auguſtinianis damnatione involvunt. Eam fraudem Annato imprimis exprobrat doctiſſimus Serry, in Schola Thomiſtica vindicata, num. 42. „ Hujus, inquit, varia fortuna, ut quidam non illepidè „ obſervavit, nedum Thomiſtarum ſortis, ſed & fidei arbitra fuit. „ Dum enim Toloſæ privatus degeret, & in nos pro ſcientiæ mediæ „ defenſione ſtilum exerceret, eramus, eo judice, filii tenebrarum, hæ„ retici, Calviniſtæ. Cum verò regiam urbem & aulam attigit ad„ versùs Janſenianos depugnaturus, ejus fortunam ſecuta eſt fides nos„ tra: nullâque in nobis factâ ſententiæ mutatione, effecti ſumus, ex „ hæreticis & filiis tenebrarum, filii lucis, Catholici, orthodoxi, à „ Calvinianis ac Janſenianis toto cœlo disjuncti; non utique merito ac „ mutatione noſtrâ, quæ nulla fuit, imò nec Chriſti gratiâ, ſed An„ nati. Mirum dictu! Fidem Chriſti gratia non largitur niſi cogitanti„ bus & volentibus; Annati verò fideles nos ex novatoribus, etiam „ non volentes, immò nec cogitantes, effecit."

Verùm fruſtra ambæ illæ Scholæ tanquam ſibi invicem repugnantes exhibentur; componi quippe non modò poſſunt, ſed etiam debent, ut veritas integra teneatur. Gratia eſt operatio Dei aliquod bonum in nobis producens. Si nihil boni in nobis producitur, gratia nulla eſt: ſi, quod producitur, non à Deo ipſo produceretur, gratia Dei pariter non foret. Proinde in gratia duo ſunt conſideranda, nimirum Deus ipſe in nobis operans, quæ gratia eſt increata, & illud bonum quod Deus in nobis operatur, quæ gratia eſt creata. Ambæ iſtæ gratiæ, quarum altera priori ſubordinata eſt, tantùm ſuis proprietatibus differunt, quantùm Deus differt à creatura: proinde confundi ac promiſcuè ſumi non debent. Gratia increata, cùm ſit Deus ipſe operans, cauſa eſt omnipotens, invincibilis, inſuperabilis, ſemper efficax, nullo ſenſu inefficax, & quocunque in caſu totum quidquid vult ſola operatur. At gratia creata virtutem quidem habet, ſed finitam, adeòque ſuperabilem. Quamobrem efficacia gratiæ increatæ ſeu divinæ operationis abſoluta eſt: efficacia verò gratiæ creatæ eſt relativa, ita ut gratia, ſive major, ſive minor, victrix ſit vel non victrix, prout majorem vel minorem cupidita-

Digitized by Google

ditatem ſibi actu obſiſtentem ſuperandam habet. Gratia increata phyſicè producit & quodammodò creat ſuum effectum: gratia verò creata phyſicè non operatur, ſed alliciendo & inclinando moraliter tantùm influit in actum, certò tamen atque efficaciter, ſi gradibus ſuperior ſit oppoſitâ cupiditate.

Rurſum conſenſûs voluntatis duplex eſt aſſignanda cauſa, una phyſica, altera moralis: nemo quippe quidpiam deliberatè agit, quin ad illud agendum amore aliquo inclinetur; qui quidem amor moraliter influit in actum, ejusque eſt cauſa moralis. At ipſe conſenſus, ſeu determinatio voluntatis ad agendum, cùm ſit aliquid phyſicum realiter exiſtens in rerum natura, neceſſariò habere debet cauſam aliquam à qua phyſicè producatur; illa autem cauſa eſt ipſe Deus voluntatem creatam movens ad agendum, ſicque movens ut ſeipſam liberè determinet ad actum.

His poſitis, apparet Thomiſtas quidem de cauſa præſertim phyſica bonorum actuum eſſe ſollicitos, ac rectè exponere virtutem & efficaciam gratiæ increatæ, cùm gratiam reponunt in motione divina phyſicè prædeterminante ad bonum: Auguſtinianos verò præſertim attendere naturam gratiæ creatæ, quam meritò reponunt in ſancta delectatione ſeu dilectione, quâ moraliter impellimur ad mandata divina obſervanda. Nullomodò igitur duæ illæ Scholæ ſibi mutuò opponuntur: è contrario ſeſe viciſſim adjuvant, dum, quod alii omittere videntur, ſupplent alii.

Et certè Thomiſtæ, efficaciam gratiæ reponendo in prædeterminatione phyſica, non idcirco negant, immò ſatis apertè ſupponunt per divinam illam motionem produci in homine dilectionem ac delectationem ſummi boni, quæ, prout gradibus ſuperior vel inferior eſt, cupiditatem ſibi obſiſtentem vincit, vel ab ea vincitur. Diſertis verbis id teſtatur eruditus Serry, in *Auguſtino cum D. Thoma conciliato*, cap. 15. num. 3. „ Quanquàm, inquit, efficacis gratiæ naturam, ſeu eſſentiam, in ea victrici delectatione poſitam nolint Thomiſtæ noſtrates (loquitur de delectatione relativè victrici, ut ex toto capite patet), ſed in phyſica priùs motione ac determinatione voluntatis, vitalique, ut quidam loquuntur, qualitate ſitam exiſtiment, hanc ipſam tamen victricem delectationem cœleſtemque ſuavitatem indivulſum gratiæ efficacis effectum agnoſcunt, quo terrena atque carnalis delectatio ſuperatur ac vincitur; eamque D. Auguſtini ac D. Thomæ, quos doctrinæ ſuæ duces ſequi ambiunt, mentem eſſe atque ſententiam opinantur.“ Nonnullorum eam in rem ſuffragia paulò poſt producemus. Ex altera parte non pauci inter Auguſtinianos, unà cum victrici delectatione, admittunt motionem Dei phyſicè prædeterminantem voluntatem ad bona opera. Eant nunc Molinæ diſcipuli, & dicant doctrinam Thomiſtarum & doctrinam Auguſtinianorum tanto intervallo disjungi, ut conciliari nequeant.

Digitized by Google

Igitur, ut propoſita quæſtio dilucidè ſolvatur, atque utrique gratiæ, increatæ videlicet ac creatæ, ſuum efficientiæ genus attribuatur, ſequentes propoſitiones ſtatuemus.

PRIMA PROPOSITIO.

Gratia increata, ſeu actio quâ Deus operatur in nobis velle & perficere, eſt phyſicè prædeterminans.

HUJUS propoſitionis veritatem demonſtrant omnia ferè argumenta, quibus ſupra oſtendimus gratiam ſeipſâ efficacem eſſe. Nam quid aliud quàm phyſicam efficientiam exprimunt ea Scripturæ teſtimonia, quibus Deus dicitur inclinare, convertere, applicare, agere voluntates, præparare ſeu producere actum volendi, operari ipſum velle, creare ac generare bonam voluntatem? Certè ſi Deus bonæ voluntatis motum in nobis verè ac realiter producit, nonniſi phyſicè determinando illum producit, cùm vera & realis efficientia nulla ſit niſi phyſica. Atqui probavimus Deum verè ac propriè producere motum bonæ voluntatis. Ergo illum phyſicâ prædeterminatione producit.

Et ſanè repugnat Deum aliquid operari, & non operari phyſicè. Operatur Deus omnipotenti ſuâ voluntate; dicit, & cuncta fiunt; mandat, & creantur: quo certè operandi modo nullus magis phyſicus concipi nequit. Nulla prorſus inter Theologos hac de re diſceptatio eſſe poteſt. Nemo non fateri debet quòd Deus in homine operatur, hoc eſt, gratiam interiorem eum phyſicè operari: de hoc uno controverſia eſſe poteſt, quidnam illud ſit quod Deus in nobis operatur. Porro, Scripturâ ipſâ docente, certum eſt Deum non excitationes tantummodò, aut motus indeliberatos ad bonum allicientes, ſed ipſum velle in nobis producere, operari, creare. Ergo ipſum velle noſtrum non metaphoricè, ſed verè, realiter ac phyſicè prædeterminando Deus producit, alioquin nullatenus produceret.

Vidimus inſuper operationem, quâ Deus nos movet ad bonum, comparari maximis divinæ potentiæ miraculis, ægrorum reſtitutioni, mortuorum reſurrectioni, creationi cœli & terræ. Atqui hæc aliaque miracula operatione phyſicâ & prædeterminante patrari nemini dubium eſt. Ergo & gratia, quâ nos movet ad bonum, operatio eſt phyſica & prædeterminans.

Eâdem potentiâ & efficaciâ Deum movere voluntates ad bonum, quâ movet univerſa quæ ſub cœlo ſunt, docent Scripturæ & SS. Patres.

Atqui

Atqui cætera univerſa, quæ ſub cœlo ſunt, phyſicè præmoveri conſtat. Ergo etiam voluntates creatæ phyſicè præmoventur ad bonum.

Uno verbo, quæcunque ſupra allata ſunt ad probandum gratiam ſuâpte virtute efficacem eſſe, pariter probant, ſi quis ea perpendere voluerit, gratiam, prout in Deo eſt, eſſe operationem phyſicè prædeterminantem.

Probatur prætereà iis SS. Patrum teſtimoniis, quæ docent mentes ac voluntates noſtras eſſe in manu Dei tanquam inſtrumenta quæ movet prout vult.

Sic loquitur S. Macarius Abbas Ægyptius, hom. 37: „ Quemadmo-„ dum ferrum, dum ſecat, ſcindit, arat, plantat, ipſum quidem, qua-„ tenus impellitur, aliquid præbet, alius eſt autem qui movet & agitat „ ferrum, &, ubi fuerit attritum, igni mandat & inſtaurat; hunc in mo-„ dum homo licet exerceatur & laboret, operans quod bonum eſt, Do-„ minus autem clam in ipſo operatur; & dum labore fatigatur & atte-„ ritur, ille conſolatur atque recreat animum, ut ait Propheta: Num-„ quid gloriabitur ſecuris absque ſcindente, aut in altum tolletur ſerra „ ſine trahente? "

S. Baſilius in Pſalm. 44. num. 3 (tom. 1 novæ edit. pag. 161): „ Quemadmodum calamus inſtrumentum eſt ſcriptorium, quod periti „ cujuſdam manus movet ad formandos eorum quæ ſcribenda ſunt ca-„ racteres; ita & juſti lingua, Spiritu ſancto eam movente, in creden-„ tium cordibus verba vitæ æternæ inſcribit, non atramento tincta, „ ſed ſpiritu Dei vivi. Scriba igitur eſt Spiritus ſanctus. Cogitationes „ autem nobis inſcribit, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis „ carnalibus."

S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalm. 34. num. 2, exponens hæc verba: *Effunde frameam, & conclude adverſùs eos qui perſequuntur me*, & ad illa revocans quod dicitur in pſalmo 16. v. 13: *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, ſic utrumque textum explicat: „ Quod ſuperius dixit animam meam, hoc ſequenti verſu frameam „ tuam, id eſt, gladium tuum. Ergo frameam Dei dixit animam „ ſuam. ***Erue***, inquit, ***ab impiis animam meam;*** id eſt, ***ab inimicis*** „ ***manûs tuæ erue frameam tuam:*** apprehendis enim animam meam, „ & debellas inimicos meos. Et quid eſt anima noſtra, quàmvis ſplen-„ dida, quàmvis producta, quàmvis acuta, quàmvis uncta, quàm-„ vis luce ſapientiæ & coruſcatione vibrata? Quid eſt anima noſtra, „ aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat, & pugnet de illa? Nam „ quælibet optimè facta framea, ſi non habeat bellatorem, jacet...... „ Ergo quidquid vult facit de anima noſtra. Cum in manu ejus eſt, „ utitur eâ quemadmodùm vult." Eâdem ſimilitudine gratiæ efficientiam exponit ſerm. 361, olim ſermone 120 *de Diverſis*, num 15, ubi alludens ad iſta verba Chriſti Domini: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpi-*

ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis, hæc dicit: „ Non eris inops „ in reſpondendo; non enim tu eris qui loqueris: manens in te Chriſ- „ tus arripiet inſtrumentum tuum, linguam tuam velut gladium ſuum, „ utens corde tuo & voce tuâ, tanquam poſſeſſor, reſiſtet adverſario, „ ſecurum te faciet.“ Nihil, opinor, ad exprimendam phyſicam efficientiam validiùs dici poteſt.

Tom. 1. p. 25. S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1 *de Adoratione in ſpiritu & veritate*, exponens locum Geneſis, in quo Angeli Loth hæſitantem, manu ejus apprehenſâ, eduxiſſe dicuntur de Sodomis, dicit divinam gratiam eodem erga nos modo agere. „ Id porro, ait, eſſe argumento certiſſimo po- „ teſt, nos non verbis tantum & admonitionibus in animum immiſſis „ incitari, ut à peccatis recedamus, ſed etiam ad eam erga nos benigni- „ tatem deſcendere omnium ſervatorem Deum, ut efficaci nos auxilio „ juvet, juxta illud: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate* „ *tua deduxiſti me.*“ Quibus verbis S. Doctor expreſſè docet Deum non ſolùm moraliter per admonitiones in animum immiſſas, ſed realiter & phyſicè producere bona opera noſtra.

Pluribus aliis teſtimoniis non opus eſt ad aſſerendam Propoſitionem ex dictis ſuperiùs jam ſatis patentem.

Demum quantamcunque virtutem, in genere cauſæ moralis, gratiæ creatæ ſeu delectationi victrici attribuas, Deus cenſeri non poteſt propriè auctor & cauſa bonorum operum, niſi voluntatem ad illa phyſicè prædeterminet. Nam delectatio præveniens & indeliberata, quando gradibus ſuperior eſt, impellit quidem potentiſſimè voluntatem ad amandum Deum ac propter illum operandum; ſed non eſt actus dilectionis liberè elicitus, non eſt ipſa bona actio ex dilectione facienda, nec ipſum meritum. Proinde, ſeclusâ prædeterminatione Dei phyſicâ, ſolus homo verè ac propriè produceret actum ſanctæ dilectionis deliberatum, ſolus actiones bonas inde conſequentes operaretur, ſolus phyſicè influeret in bonum opus vitæ æternæ meritorium. Daret quidem Deus illa in hypotheſi auxilium interius, cui voluntas ſine mora conſenſum ſuum præberet. At conſenſum ipſum Deus non operaretur, nec merita ipſa daret; ſed inſpiratâ tantummodò ſanctâ delectatione id efficeret, ut certò & infallibiliter ipſi nobis merita compararemus.

Et verò victrix delectatio voluntatem impellit tantùm ad amorem ſummi boni, & ad proſecutionem eorum mediorum, quæ cognoſcuntur vel putantur certiorem cum illo connexionem habere; non autem per ſe determinat, nec determinate poteſt voluntatem ad eligendum hoc potiùs quàm illud medium, quando plura media ſeſe offerunt quæ videntur æqualiter conferre ad gloriam Dei & ſalutem noſtram. Tunc enim, antecedenter ad electionem, unum non magis delectat quàm alterum; ſiquidem videntur omni ex parte æqualia. Tunc ergo homo non per gratiam interiorem, ſeu per delectationem dilectionemque juſtitiæ, ſed ſolâ

Digitized by Google

ſolâ ſuâ propriâ voluntate determinabitur ad eligendum iſtud medium potiùs quàm aliud: ac proinde falſum erit (quod tamen nullus concedet Auguſtinianorum) gratiam ſeipſâ efficacem ad omnia pietatis opera, ſaltem determinatè conſiderata, abſolutè neceſſariam eſſe.

His adde plurima media, quæ in ſeipſis videntur æqualia, exitu tamen ſæpè multùm differre. Nam tali medio, quod indifferens putabatur, aſſumpto, multæ interdum & graves tentationes exurgunt, quibus homo etiam juſtificatus ſuccumbet, gratiam amittet, peribitque in æternum: cùm è contrario, ſi aliud medium aſſumpſiſſet, non ſolùm illas tentationes effugiſſet, verùm etiam plurimis ad pietatem ſubſidiis adjutus ad ſalutis portum ſine offendiculo appuliſſet. Hinc omnes de ſua ſalute piè ſolliciti in ſimilibus ad Deum confugiunt, dicuntque cum Davide: *Notam fac mihi viam in qua ambulem: dirige me in ſemitam* Pſalm. 142. v. 8.
rectam propter inimicos meos; hoc eſt, gratiam per ſe efficacem petunt, Pſalm. 26.
quâ id eligant, quod ad ſalutem opportunius futurum eſſe ſolus Deus v. 12.
novit. Hæc autem gratia efficax in caſu propoſito non eſt delectatio præveniens, quæ ad unum medium magis quàm ad aliud alliciat: opus ergo eſt prædeterminatione phyſicâ, quæ voluntatem ad id quod expedit dirigat, moveat atque applicet.

Notandum eſt ſoli gratiæ increatæ competere ut voluntatem phyſicè moveat, & in ea operetur abſque ullo interpoſito medio. Nam admittere, ut nonnulli Thomiſtæ faciunt, neſcio quam motionem phyſicam virtuoſam, quæ ſit ens quoddam incompletum per mudum qualitatis tranſeuntis, Deoque tanquam inſtrumentum deſerviat ad determinandum phyſicè voluntatem, eſt admittere rem planè inintelligibilem, Deo indignam, & ſolvendæ quæſtioni prorſus inutilem. Inintelligibilem quidem: quis enim concipiat quid ſit hujuſmodi motio virtuoſa menti impreſſa, quæ neque cognitio ſit, neque amor, neque volitio; quæ tamen cognitionem, amorem & volitionem phyſicè producat? Deo indignam: Deus quippe ad determinandam voluntatem nullo inſtrumento indiget, nec quidquam intercedit inter ipſius voluntatem & effectum, cùm, teſte Scripturâ, dicat tantummodò ſeu jubeat, & continuò fiant quæ vult fieri. Solvendæ quæſtioni inutilem: quia, ſi ad producendum quippiam in voluntate opus ſit motione prævià, alia quoque motio ad iſtam producendam requireretur, & ſic in infinitum; quod abſurdiſſimum eſt.

Altera ex parte delectatio victrix non influit phyſicè in determinationes voluntatis (niſi quatenus in voluntate recepta unum & idem eſt cum ipſa voluntate, quæ eſt facultas activa); ſed ex ſeipſa agit tantùm moraliter, nempe alliciendo, & ſuaviter invitando ad benè operandum.

Si autem quæras quid per gratiam increatam ac prædeterminantem in mente producatur: Reſpondeo illam producere quidquid boni realiter exiſtit in mente, quia, quidquid bonum eſt in rebus creatis, totum à ſummo bono eſt. Proinde Deus phyſicè producit 1° pias cogitationes

& bonos motus indeliberatos voluntatis. 2°. Dilectionem ſui deliberatam, quâ ad opera quæque bona moraliter attrahimur. 3°. Motus omnes liberos, quibus ad benè agendum noſmetipſos ex ſancta illa dilectione determinamus. Uno verbo, omnes boni affectus, omniaque bona opera ex eis pullulantia, Deus in nobis phyſicè operatur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Efficacia gratiæ creatæ conſiſtit in delectatione ac dilectione juſtitiæ ex ſeipſa victrici, non quidem abſolutè, ſed relativè, id eſt, comparatè ad gradus oppoſitæ cupiditatis actualis.

OSTENDIMUS Libro III voluntatem humanam ſic naturâ comparatam eſſe, ut nihil agat deliberatè niſi ex aliquo amore; atque inde fieri ut, inter duos amore duasve delectationes, ſive deliberatas, ſive indeliberatas poſita, ſemper agat ex majore amore vel majore delectatione, faciatque quod ipſam magis delectat: unde ſequitur, in pugna duarum delectationum, cœleſtis nimirum & terrenæ, eam infallibiliter vincere, quæ oppoſitâ gradibus ſuperior eſt; eamque vinci, quæ gradibus eſt inferior.

Quoniam verò iſta Propoſitio tum ad gratiæ interioris accuratam notitiam, tum ad morum regulam plurimi momenti eſt, atque aliunde præcipuus ſcopus eſt contra quem hodierni gratiæ per ſe efficacis adverſarii tela ſua omnia dirigunt, non abs re erit novis eam peculiaribusque argumentis communire.

Propoſitio duas habet partes. Prima eſt, efficaciam gratiæ creatæ conſiſtere in virtute delectationis cœleſtis, ſeu ſanctæ dilectionis: altera, ejus delectationis efficaciam non eſſe abſolutam, ſed relativam, & comparatam ad majorem vel minorem gradum oppoſitæ cupiditatis actualis.

Prima pars probatur omnibus teſtimoniis ac momentis, quibus ſupra probatum eſt gratiam Chriſti propriè dictam eſſe inſpirationem ſanctæ dilectionis. Si enim gratia Chriſti nihil aliud quàm Dei dilectio eſt, ejus efficacia ab ipſa dilectione neceſſariò eſt repetenda.

Confirmatur inſuper expreſſis SS. Patrum dictis. S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 13. num. 14: „ Juſtitia ex Deo dicitur, quæ „ datur per gratiæ beneficium, ut non ſit terrible, ſed ſuave manda-
Pſalm. 118. v. 68. „ tum; ſicut oratur in pſalmo: *Suavis es, Domine, & in tua ſuavita-* „ *te doce me juſtitiam tuam;* id eſt, ut non formidine pœnæ ſerviliter „ cogar eſſe ſub lege, ſed liberâ caritate delecter eſſe cum lege. Præcep-

„ tum

„ tum quippe liber facit, qui libens facit; & hoc modo quiſquis didi-
„ cit, agit omnino quidquid agendum didicerit.“ Non ergo in timore ſervili aliiſque ſimilibus affectibus, ſed in ſuavitate & delectatione caritatis vi ſuâ victrici efficacia gratiæ, judice Auguſtino, poſita eſt.

Sermone 131, olim 2 de Verbis Apoſtoli, cap. 2, Chriſti verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, ſic explicat: „ Non dixit, duxerit, ſed *traxerit*. Iſta violentia cordi fit, non
„ carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis; ama, & traheris. Ne arbi-
„ treris iſtam aſperam moleſtamque violentiam: dulcis eſt, ſuavis eſt,
„ ipſa ſuavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum eſurienti herba
„ monſtratur? Et puto quia non corpore impellitur, ſed deſiderio col-
„ ligatur.

Copioſiùs id exponit tract. 26 in Joannem. num. 4, occaſione eorumdem veborum. „ Noli, inquit, te cogitare invitum trahi; trahitur animus &
„ amore. Nec timere debemus ne dicatur nobis: quomodò voluntate cre-
„ do, ſi trahor? Ego dico: parum eſt voluntate, etiam voluptate tra-
„ heris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi
„ petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis
„ eſt iſte cœleſtis. Porro ſi Poetæ dicere licuit: *Trahit ſua quemque vo-*
„ *luptas*: non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio;
„ quantò nos fortius dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui
„ delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitiâ, delecta-
„ tur ſempiternâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt? An verò habent cor-
„ poris ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeritur à voluptatibus ſuis? Si
„ animus non habet voluptates ſuas, unde dicitur: *Filii autem hominum in* Pſalm 35.
„ *tegmine alarum tuarum ſperabunt: inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ*,
„ *& torrente voluptatis tuæ potabis eos?*“ Hujus ſummæ voluptatis primitiæ ſunt gratia hujuſce vitæ: quidquid enim habemus juſtitiæ & veritatis, ut ait, poſt S. Doctorem, concilium Arauſicanum II, can. 22,
„ ex illo fonte eſt quem debemus ſitire in hâc eremo, ut ejus quaſi
„ guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via.“ Proinde ſicut cœleſtis gloria ſanctæ dilectionis ac delectationis plenitudo eſt, ſic gratia cœleſtis delectationis delibatio eſt. Num. 5 S. Doctor ſic proſequitur:
„ Si trahendi ſumus, trahamur ab illo cui dicit quædam quæ diligit:
„ *Poſt odorem unguentorum tuorum curremus*. . . . . Ramum viridem
„ oſtendis ovi, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahi-
„ tur, & quò currit trahitur, amando trahitur, ſine læſione cordis tra-
„ hitur, vinculo cordis trahitur. Si ergo iſta, quæ inter delicias &
„ voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum
„ eſt: *trahit ſua quemque voluptas*; non trahit revelatus Chriſtus à Pa-
„ tre? Quid enim fortius deſiderat anima, quàm veritatem?“ Et num. 7, ad ſequentia verba Chriſti: *Erunt omnes docibiles Dei: omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*, addit: „ Videte quomodò trahit

„ Pa-

„ Pater: docendo delectat, non neceſſitatem imponendo.“ Videmus quot modis, quàm apertis, quàm firmis verbis S. Auguſtinus doceat, gratiam Chriſti efficacem in nobis eſſe victricem delectationem voluptatemque cœleſtem.

Hinc lib. *de Correptione & gratia*, cap. 8. num. 17, dicit gratiam efficacem, quam Deus in nobis producit, „ voluntatem eſſe liberrimam, „ fortiſſimam & invictiſſimam.“ Quid verò voluntatem reddit fortiſſimam, niſi fortis juſtitiæ dilectio ac delectatio? quemadmodùm continuò explicat his verbis: „ Voluntas humana non libertate conſequitur gra„ tiam, ſed gratiâ potiùs libertatem, &, ut perſeveret, delectabilem „ perpetuitatem & inſuperabilem fortitudinem.

Petrus Diaconus, ejusque ſocii in Epiſtola ad Præſules Africæ in Sardiniam relegatos, cap. 7: „ Hoc, inquiunt, (nempe credere in Chris„ tum cæterorum autem pietatis actuum eadem debet eſſe ratio) „ Pater cœleſtis revelat cui voluerit, ad veram eum attrahens liberta„ tem, non violentâ neceſſitate, ſed infundendo ſuavitatem per Spiritum „ ſanctum.“ Suavitas & delectatio duæ voces ſunt rem unam & eamdem exprimentes.

S. Anſelmus, lib. *Cur Deus homo*, cap. 10: „ Quoniam, inquit, vo„ luntate (hoc eſt, amore) quisque ad id quod indeclinabiliter vult tra„ hitur vel impellitur, non inconvenienter trahere vel impellere dicitur „ Deus, cum talem dat voluntatem (ſeu amorem boni): in quo tractu „ vel impulſu nulla intelligitur violentiæ neceſſitas, ſed acceptæ bonæ vo„ luntatis ſpontanea & amata tenacitas.“

Concilium Arauſicanum II, can. 7, definit pariter gratiam ad omne opus bonum neceſſariam ſitam eſſe in ſuavitate ſeu delectatione boni deſurſum inſpirata. „ Si quis, ait, per naturæ vigorem bonum aliquod, „ quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut elige„ re.... poſſe confirmat, absque illuminatione & inſpiratione Spiritûs „ ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo ve„ ritati, hæretico fallitur ſpiritu.“ Iſto canone ab univerſa Eccleſia recepto quid expreſſius deſiderari poteſt?

Demum, quando Eccleſia in ſuis precibus gratiam benè agendi poſtulat, quid aliud poſtulat, niſi ſalubrem cognitionem & victricem delectationem mandatorum? Quam idcirco Deus ſanctis ſuis interdum non tribuit, ut eam non à ſeipſis ſe habere intelligant, ac piis gemitibus ſibi dari petant, uti obſervat S. Auguſtinus lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 19. num. 32. & 33. „ Intelligamus, ait, Dominum „ Deum bonum ideò etiam ſanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando „ non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut „ cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo, ſibi eſſe lucem quâ illuminantur „ tenebræ eorum, & ſuavitatem quâ det fructum ſuum terra eorum. „ Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perfi-

„ cien-

„ ciendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod „ latebat, & ſuave ſapiat quod non delectabat? Quia & hoc ab illo eſſe „ deprecandum, ejus gratiâ didicimus dum anteà lateret, ejus gratiâ „ dileximus dum anteà non delectaret.

Quàmvis hanc delectationem non ſemper expreſſis verbis poſtulet Eccleſia, cùm orat, eam in votis habet & interdum etiam diſertè exprimit: v. g. cùm dicit: *Da cordibus noſtris inviolabilem tuæ caritatis affectum, ut deſideria de tua inſpiratione concepta nullâ poſſint tentatione mutari*, quid aliud teſtatur, niſi gratiam, quâ tentationes ſuperantur, affectum eſſe divinæ caritatis, eumque firmum ac tentationibus ſuperiorem? Significantiùs adhuc loquitur in Poſtcommunione S. Judoci, die 13 Decembris. *Ut*, ait, *fideles tui noxiarum delectationum non capiantur illecebris, fac tuâ ſemper ſuavitate paſcantur.* Ergo contra terrenas concupiſcentiæ delectationes gratia victricis delectationis prorſus neceſſaria eſt.

Nec reſpondeatur victricem delectationem, ad faciendum bonum peccatumque vincendum tantoperè neceſſariam, eſſe vel caritatem habitualem, vel conſenſum ipſum voluntatis aliquod bonum facere ſtatuentis. Nam primum quidem dici non poteſt: tum quia caritas habitualis non eſt abſolutè neceſſaria ad benè agendum, alioquin nulli boni actus fieri poſſent ante juſtificationem, ad eamque diſponerent: tum quia ſemel juſtificati caritateque habituali inſtructi non ampliùs peccarent: tum denique quia ad benè agendum caritas habitualis non ſufficit, ſed requiritur ad ſingulos actus gratia actualis. Neque etiam alterum. Nam conſenſus voluntatis vel eſt conſenſus in ipſam dilectionem Dei, & tunc ille conſenſus dilectio & delectatio actualis eſt veri & ſummi boni, nec ab illa diſtinguitur; vel eſt conſenſus in opus aliquod particulare à dilectione Dei ſeu caritate imperatum, & tunc ille conſenſus voluntatis non eſt propriè dilectio & delectatio ſummi boni, ſed eam præſupponit, atque ab ea fluit. Quapropter S. Auguſtinus, in *Expoſitione Epiſt. ad Galatas*, num. 49, delectationem à conſenſu voluntatis ſubſequente expreſſè diſtinguit. „ Regnant, inquit, iſta bona (juſtitiæ), ſi tantùm „ delectant, ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati „ conſenſionem ruat.“ Igitur delectatio non eſt conſenſus voluntatis. Et num. 54: „ Manifeſtum eſt certè ſecundum id nos vivere quod ſec„ tati fuerimus. Sectabimur autem quod dilexerimus.“ Quibus in verbis tria diſtinguuntur: 1°. Opera exteriora. 2°. Determinatio ſive conſenſus voluntatis ad illa opera facienda: quæ quidem determinatio cauſa eſt proxima illorum operum. 3°. Dilectio quæ voluntatis determinationem præcedit, atque ad hoc vel illud opus agendum impellit. Tria iſta pariter diſtinguit, atque in eodem ordine collocat lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 17. num. 26. Quærens enim cur non ſit homo ſine peccato: „ Poſſem, inquit, facillimè & veraciſſimè reſpondere,

 „ quia

„ quia homines nolunt.“ En cauſa proxima & immediata omnium quæ foris aguntur, ſive bonorum, ſive malorum, nempe conſenſus, ſeu volitio illa agendi: immo iſta duo tam intimè connectuntur, ut diſcerni plerùmque non ſoleant. Cùm enim ab aliquo quæritur cur quidpiam faciat, non quæritur an illud facere velit; eo ipſo quòd deliberatè agit, eum velle manifeſtum eſt: ſed quæritur quo fine, quo amore impellente illud facere velit. Propterea S. Auguſtinus ſic proſequitur: „ Sed ſi ex „ me quæritur quare nolunt?..... Nolunt homines facere quod juſtum „ eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat...... Ut „ autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, „ gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates.“ Igitur delectatio præcedit voluntatis conſenſum ſeu determinationem ad ſingula opera particularia, quæ, illâ delectatione moraliter movente & impellente, fiunt.

Idem confirmatur ex eo quòd, juxta S. Auguſtinum, nullum peccatum in hoc naturæ corruptæ ſtatu committatur, niſi ex aliqua præcedente terrena delectatione ſeu cupiditate. „ Quidquid enim eſt peccatorum, ait S. Doctor, Serm. 155, olim 6 *de Verbis Apoſtoli*, cap. 1, „ in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur niſi ex mala „ cupiditate, non exoriuntur niſi ex illicita delectatione. Huic enim „ illicitæ delectationi ſi reſiſtamus, ſi non conſentiamus (nota conſenſum à delectatione tanquam quid poſterius iterum diſtingui), ſi mem„ bra velut arma non miniſtremus, non regnat peccatum in noſtro mor„ tali corpore.“ Eam ob rem Apoſtolus omnia peccatorum genera pro-
Rom. VII. hiberi inſinuat iſto mandato: *Non concupiſces;* quod ſupponit, uti obſervat S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 4. num. 6, „ nullum peccatum niſi concupiſcendo,“ (hoc eſt, niſi ex illicita delectatione) „ committi.“ Id tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi de natura ſit voluntatis ut, niſi præveniente malâ delectatione allecta, peccare non poſſit; ſiquidem contrarium probat ipſius Adami exemplum, qui, quàmvis omnis penitus concupiſcentiæ prævenientis expers, nihilominùs in peccatum lapſus eſt: ſed quòd, in præſenti corruptionis ſtatu, omnis interior tentatio vel oritur à concupiſcentia abſtrahente & alliciente, vel ſaltem aliquem adjunctum habet motum concupiſcentiæ, quo fit ut „ non offendat, niſi cui mala concupiſcentia, contra juſtitiæ „ rationem appetendo ſeu vitando, faciendum, vel dicendum, vel co„ gitandum aliquid quod non debuit, ſive fallens, ſive prævalens, per„ ſuadet.“ Verba ſunt S. Auguſtini lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 21.
Tom. 4. pag. 431. Idem docet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4 in Joann. cap. 7. „ Voluptas quædam, ait, ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta ſolet allicere, quæ ante peccati actum inſidet, & mentis conſenſum arripit, perſuadens facilè hâc viâ veniendum eſſe quò „ gliſcimus:“ idque confirmat Jacobi teſtimonio, cap. 1 ſuæ Epiſtolæ di-

Digitized by Google

dicentis: *Unusquisque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.*

Jam verò de rectè factis ac de peccatis, quantùm ad præſentem quæſtionem attinet, eodem modo judicandum eſt. Proinde cùm nullum peccatum non procedat ex prava terrenaque delectatione, nullum quoque rectè factum non procedit ex dilectione ac delectatione juſtitiæ.

Secunda pars Propoſitionis, nempe efficaciam gratiæ creatæ, ſeu victricis delectationis, relativam eſſe, non abſolutam, probatur I° ex lucta carnis & ſpiritûs, quam deſcribit apoſtolus, Galat. V. 17, his verbis: *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur:* ubi carnis & ſpiritûs nominibus cupiditatem & caritatem, quæ proprium Spiritûs ſancti donum eſt, intelligit. In hac autem lucta illud procul dubio vincit, quod viribus ſuperius eſt. Ut ergo caritas vincat cupiditatem, majores quàm illa vires habere debet. Porro cupiditas non eosdem in omnibus virium gradus habet; ſed in aliis major eſt, in aliis minor. In eodem etiam homine actuales ejus motus modò vehementiores ſunt, modò debiliores. Supponamus itaque motum cupiditatis quinque graduum: illum profectò non ſuperabit caritas trium duntaxat aut quatuor graduum. Proinde ut catitas, ſive dilectio & delectatio ſummi boni, oppoſitam cupiditatem vincat, neceſſe eſt ut eam virium gradibus ſuperet.

Probatur II° SS. Patrum teſtimoniis.

Sicut nemo myſterium gratiæ profundiùs meditatus eſt quàm S. Auguſtinus, ita nemo iſtam quæſtionem ſæpius aut clariùs tractavit. In Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas, cap. 5. num. 49: „ Regnant, inquit, „ iſta bona (juſtitiæ), ſi tantum delectant, ut ipſa teneant animum in „ tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat. QUOD ENIM AMPLIÙS NOS DELECTAT, SECUNDÙM ID OPEREMUR NECESSE „ EST. Ut, verbi gratiâ, occurrit forma ſpecioſæ feminæ, & movet ad „ delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima „ & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus & ſecundùm hanc operamur; ut, non regnante in „ nobis peccato ad obediendum deſideriis ejus, ſed regnante juſtitiâ per „ caritatem, cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoſcimus. Quod autem de caſtitate & fornicatione dixi, hoc „ de cæteris intelligi volui.“ En ipſa noſtra Propoſitio verbis apertiſſimis aſſerta. Idem argumentum proſequitur S. Doctor ibidem, num. 54. „ Manifeſtum eſt certè, inquit, ſecundùm id nos vivere, quod ſectati „ fuerimus; ſectabimur autem QUOD AMPLIUS DILEXERIMUS. Itaque ſi ex adverſo exiſtant duo, præceptum juſtitiæ & conſuetudo „ carnalis, & utrumque diligitur, id ſectabimur (hoc eſt, id eligemus) „ QUOD AMPLIUS DILEXERIMUS. Si tantumdem utrumque diligitur, „ nihil

„ nihil horum ſectabimur, ſed aut timore, aut inviti trahemur in alterutram partem; aut ſi utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo ſine dubio remanebimus, fluctu dilectionis & timoris alternante „ quaſſati,“ quoadusque delectationum oppoſitarum vel una augeatur, vel altera minuatur. Ergo dilectio delectatioque juſtitiæ non abſolutè victrix eſt, ſed relativè ad vires vincendæ cupiditatis.

In Enchiridio, cap. 81. num. 22: „ Profectò vincimur, ait, niſi „ divinitùs adjuvemur, ut non ſolùm videamus quid agendum ſit, ſed „ etiam, accedente ſanitate“ (quæ non per ſolam gratiam habitualem, ſed etiam per actualem, ex parte ſaltem, confertur), „ delectatio juſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, ſcientes videntesque peccamus.“ Quomodò verò delectatio juſtitiæ oppoſitas delectationes vincet, ſi illis eſt debilior? Quamobrem S. Doctor addit ibidem, cap. 118. num. 31: „ Si reſpexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipſe adjuvare credatur, „ & agi homo cœperit ſpiritu Dei, concupiſcitur adverſùs carnem fortiore robore caritatis, ut, quàmvis adhuc ſit quod homini repugnet ex „ homine, nondum totâ infirmitate ſanatâ, ex fide tamen juſtus vivat, „ juſtèque vivat, in quantùm non cedit malæ concupiſcentiæ, vincente „ delectatione juſtitiæ.“ Tunc ergo tantùm caritatis delectatio vincit, quando fortiore robore contra concupiſcentias pugnat. Libro *de Continentia*, cap. 3. num. 7: „ Contra ſuavitatem noxiam, inquit, quâ „ vincebat concupiſcentia, Dominus dat ſuavitatem beneficam, quâ „ DELECTAT AMPLIÙS continentia, & terra noſtra dat fructum „ ſuum.“ Et cap. 8. num. 20: „ Bonum fit, cùm id quod malè libet, vincente bonâ delectatione, non fit.“ Hæc quidem teſtimonia ex his libris deprompſimus, in quibus Pelagianos ex inſtituto non inſectatur.

Non minùs expreſſè loquitur in libris contra Pelagianos. Lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 17. num. 26: „ Nolunt homines, inquit „ facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive „ quia non delectat. TANTÒ enim quodque VEHEMENTIÙS volumus, quantò certiùs quod bonum ſit novimus, EOQUE DELECTAMUR ARDENTIÙS.“ Et num. 27: „ Tantò autem magis delectat „ opus bonum, quantò magis diligitur Deus ſummum atque immutabile bonum.“ Et rurſum, cap. 19. num. 32 & 33: „ Intelligamus, „ ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideò etiam ſanctis ſuis alicujus „ operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe „ lucem quâ illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem quâ det fructum ſuum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, „ quàm ut aperiat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat?“

Lib.

Lib. *de Spiritu & littera*, cap. 29. num. 51: „ Sub timore anima laborans, quando concupiſcentiam malam non vicerit,... per fidem „ confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet, atque, inſpiratâ „ gratiæ ſuavitate per Spiritum ſanctum, faciat PLUS DELECTARE „ quod præcipit, quàm delectat quod impedit.“ Tunc ergo bonum operamur, quando cœleſtis delectatio in nobis terrenâ delectatione major ac ſuperior eſt. Et cap. 35. num. 63: „ Fieret (perfecta juſtitia), ſi tan„ ta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tan„ ta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad juſtitiam non lateret, & ea ſic „ delectarent animum, ut, quidquid aliud voluptatis dolorisve impe„ dit, delectatio illa ſuperaret: quod ut non ſit, non ad impoſſibilita„ tem, ſed ad judicium Dei pertinet. Quis autem neſciat non eſſe in „ hominis poteſtate quid ſciat, nec eſſe conſequens ut, quod appeten„ dum cognitum fuerit, appetatur, niſi tantùm delectet quantùm dili„ gendum eſt? Hoc autem ſanitatis eſt animæ.“ Non ergo quælibet ſancta delectatio ſufficit; ſed tanta requiritur, ut oppoſitas delectationes aliaque juſtitiæ impedimenta ſuperare valeat.

Libro *de Correptione & gratia*, cap. 11. num. 31: „ Prima (gratia, quæ data eſt primo Adam) „ eſt quâ fit ut homo habeat juſtitiam ſi velit; ſecunda (in ſecundo Adam) plus poteſt, quâ etiam fit ut velit, „ & tantùm velit tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contra„ ria concupiſcentem voluntate ſpiritûs vincat.

Lib. 1 Operis imperf. cap. 107: „ Ab hac neceſſitate ſervitutis (pec„ cati) ille liberat, qui non ſolùm dat præcepta per legem, verum etiam „ donat per ſpiritum caritatem, cujus delectatione vincatur delectatio „ peccati.“ Vincere autem delectationem peccati caritas non poteſt, niſi viribus ſuperior ſit. Et lib. 2. cap. 217: „ Ubi omnibus generi„ bus peccatorum abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia“ Quomodò autem ſuperabundavit? „ Quia in his qui ad eam pertinent om„ nium illorum generum reatum delet“ (per gratiam utique habitualem), „ & inſuper donat“ (per gratiam actualem) „ ut delectatio „ peccati juſtitiæ delectatione vincatur, atque ad eam poſteà perveniatur vitam, ubi nullum erit omnino peccatum.“

Demum lib. 8 Confeſſionum, cap. 5, ipſo ſuo experimento idipſum confirmat, cùm ait: „ Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut „ te gratis colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, non„ dum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.“ Ubi in Auguſtino nondum plenè converſo duas cernimus voluntates, duaſque delectationes, unam ſpiritualem, carnalem alteram, ſibi mutuò repugnantes; atque in hoc certamine voluntatem ſive delectationem ſpiritalem nondum fuiſſe idoneam, hoc eſt, non ſatis virium habuiſſe, ad ſuperandam oppoſitam voluntatem carnalem diuturnâ peccandi conſuetudine roboratam

boratam. Ergo victoria delectationis ſpiritalis non abſoluta eſt, ſed relativa ad majores vel minores oppoſitæ delectationis vires.

Tournely, tom. 2 de Gratia, pag. 719. Nec dicas S. Auguſtinum in allatis textibus non loqui de delectatione indeliberata, quæ omnem rationis advertentiam voluntatiſque conſenſum antevertit, ſed de illa deliberata quæ oritur ex libera voluntatis electione & determinatione. Nam per delectationem deliberatam vel intelligis delectationem actualem divinitus inſpiratam, quæ, ſi vehementior ſit oppoſitâ cupiditate, illam certiſſimè vincit, noſque ad benè agendum præpotentiore virtute ſuâ impellit ac determinat; vel, quod verba tua exprimere videntur, liberam voluntatis determinationem ad opus aliquod bonum faciendum. Si primum velis, ultro conſentiam delectationem cœleſtem, de qua loquitur S. Auguſtinus, & quæ nos movet atque impellit ad benè agendum, eſſe deliberatam; immo Deum nunquam nos ad ſui dilectionem attrahere, quin ſimul dilectionem ipſam majorem aut minorem in nobis operetur; ita ut dilectio juſtitiæ, quantumvis tenuis, nunquam in nobis ſit planè indeliberata & abſque ullo voluntatis conſenſu; cum è contrario motus concupiſcentiæ, etiam vehementis, nonnunquam ſint omnino indeliberati ac voluntati repugnantes, in juſtis præſertim, qui non ſecundùm carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant. Unde Apoſtolus, Rom. VII. 20, in perſona juſtorum loquens, ait: *Si, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ſeu concupiſcentia. Cæterùm indeliberatis quoque concupiſcentiæ motibus eamdem victricem virtutem attribuit S. Doctor, quando illa concupiſcentia ſanctâ dilectione gradibus ſuperior eſt, ut patet ex textu jam allato Expoſitionis Epiſt. ad Galatas, num. 49, ubi ſupponens occurrere formam ſpecioſæ feminæ, & movere ad delectationem (utique indeliberatam) fornicationis, dicit: „ Sed ſi plus delectat pulchritudo illa in- „ tima & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, „ ſecundum hanc vivimus, & ſecundum hanc operamur.“ Si enim tunc tantùm caſtitas vincit, quando plus delectat, ergo è contrario delectatio etiam indeliberata, quam excitat forma ſpecioſæ feminæ, quando major eſt, debiliorem caſtitatis delectationem ſuperat. Si autem alterum velis, manifeſtè reclamant adverſùs adeò incongruam interpretationem apertiſſima Auguſtini verba, quibus expreſſe diſtinguit delectationem à voluntate determinata faciendi hoc vel illud opus bonum, ut ſupra oſtendimus. Et ſanè quid tanto Doctore magis indignum fingi poteſt, quàm exiſtimare illum tam frequenter tantoque cum ſtudio id inculcare, quod & ipſi infantes ignorare non poſſunt; ideò ſilicet hominem bonum vel malum facere, quia vult? Non ergo aſſignat S. Auguſtinus cauſam proximam & immediatam actuum externorum, quam nemo neſcit eſſe liberam voluntatis determinationem; ſed indicat primum humanarum actionum cardinem, primumque pondus quo voluntas fertur atque impel-

pellitur ad aliquid eligendum; docetque voluntatem inter duas delectationes poſitam ſemper id velle & eligere quod eam magis delectat, juxta illud principium quod alibi ſtatuit: *Amor meus pondus meum, eo feror quòcunque feror.*

Sancto Auguſtino conſentiunt cæteri Patres. S. Leo, Serm. 1 in Quadragesima, cap. 2: „ Sunt, inquit, intra nosmetipſos multa certamina, & aliud caro adverſus ſpiritum, aliud adverſus carnem ſpiritus „ concupiſcit. In qua diſſenſione ſi CUPIDITATES CORPOREÆ „ FUERINT FORTIORES, turpiter amittet animus propriam dignitatem, & perniciosiſſimum erit eum ſervire, quem decuerat imperare." Gratiæ igitur delectatio victrix non eſt, niſi carnalibus cupiditatibus gradibus ſit ſuperior: ſi autem inferior fuerit, procul dubio ſuperatur. Unde concludit S. Pontifex cupiditates carnis jejunio minuendas, ne ad illicita pertrahant.

S. Amolo Epiſcopus Lugdunenſis, in Opuſculo ad Hincmarum, efficaciam gratiæ in eo conſtituit, quòd ad bonum delectabiliùs impellamur quàm ad malum. „ Ipſe, inquit, liberum arbitrium reddit ſuâ „ gratiâ liberatum, ut ſicut erat pronum ad malum" (per dominatum concupiſcentiæ), „ multò attentiùs & delectabiliùs efficiatur pronum & „ promptum ad bonum. Tom. 2 Oper. Agobardi, edit. Baluz. pag. 183.

S. Anſelmus, in dialogo *de Concordia gratiæ cum lib. arb.* cap. 4, dicit duobus modis gratiam fieri efficacem; vel minuendo gradus cupiditatis, vel augendo gradus caritatis. Quod maniſeſtè ſupponit delectationem gratiæ, quæ non eſt aliud quàm caſta delectatio, ſive, ut Anſelmus loquitur, affectus rectitudinis, effectum ſuum integrum non obtinere, niſi quando terrenâ delectatione ſuperior eſt. „ Adjuvat, inquit, gratia „ liberum arbitrium, quando, ut deſerat rectitudinem acceptam, im„ pugnatur, mitigando aut penitus removendo vim tentationis impug„ nantis, aut augendo affectum ejuſdem rectitudinis."

Probatur III° rationibus Theologicis.

1°. Vel delectatio gratiæ victrix eſt comparatè ad vires oppoſitæ cupiditatis, vel abſolutè & quocunque in caſu: nihil eſt medium, poſitâ ſemel doctrinâ gratiæ creatæ per ſe efficacis. Atqui repugnat delectationem gratiæ ſimpliciter & abſolutè ex ſeipſa victricem eſſe. Nam, ut aliqua delectatio ſeipſâ victrix ſit abſolutè & in quocunque caſu, debet illam inter & effectum, ſeu plenum voluntatis conſenſum, tanta eſſe connexio, ut fieri non poſſit in quocunque caſu ut voluntas ei non obtemperet. Id autem ſtare non poteſt cum arbitrii libertate. Tunc enim non eſt libertas arbitrii, quando naturæ voluntatis repugnat non conſentire alicui motui ſibi impreſſo & abſolutè conſiderato; ſiquidem agendi neceſſitas in ipſa natura voluntatis fundata, & arbitrium libertatis, ſibi mutuò adverſantur. Porro ſi aliqua delectatio finita & creata ex ſeipſa abſolutè, & independenter ab ipſius gradibus, voluntatem determi-

minaret, repugnaret naturæ voluntatis huic delectationi non conſentire, ut patet. Ergo libertas voluntatis ſtare non poteſt ſub delectatione ſeipſâ victrici abſolutè, & independenter ab ipſius gradibus. Reſtat ergo ut delectatio gratiæ victrix non ſit niſi relativè ad vires oppoſitæ cupiditatis.

Et ſanè cur abſolutæ & efficaci Dei voluntati nemo reſiſtere poteſt, ut ſupra oſtendimus, niſi quia voluntas omnipotens ex ſeipſa abſolutè & quovis in caſu efficax eſt? Ergo ſi delectatio efficax, quæ eſt gratia interior & creata, ex ſeipſa abſolutè & quovis in caſu efficax ſit, hujuſmodi victrici delectationi homo non ſolùm non reſiſtet, ſed nec reſiſtere poterit; quod eſt hæreticum, & in ſecunda è V Propoſitionibus damnatum.

Quamobrem mirari ſubit inconſequentem ſecumque ipſâ pugnantem Tournelii opinionem, qui, rejectâ doctrinâ delectationis relativè victricis, tanquam hæreticâ & liberi arbitrii deſtructrice, admittere non dubitat „ vim & efficaciam gratiæ utplurimùm duci ex interna ipſius ſuavitate ac dulcedine, ſimpliciter & abſolutè ex ſeipſâ victrice;“ cùm è contrario ſuavitas gratiæ efficacis cum libertate arbitrii conciliari nequeat, ſi ex ſeipſa ſimpliciter & abſolutè, non autem relativè tantùm victrix agnoſcatur.

Tom. 2. tract. de Gratia, pag. 716.

2°. Negari non poteſt (quod experientia demonſtrat) motus gratiæ, ſicut & concupiſcentiæ, eſſe alios aliis majores aut minores, ita ut quoſdam intenſionis vel remiſſionis gradus in eis diſtingui neceſſe ſit: quo fit ut motus gratiæ motibus concupiſcentiæ aliquando gradibus ſuperiores ſint, aliquando inferiores. Hoc poſito, ſic argumentor: Quemadmodùm voluntas non poteſt amare malum apprehenſum ut malum, ſic non poteſt eligere minus bonum apprehenſum ut minus bonum, relicto majori bono apprehenſo ut majori. Atqui, in concurſu delectationum oppoſitarum inæqualium, quod minùs delectat, habet rationem minoris boni apprehenſi ut minoris; quod verò magis delectat, habet rationem majoris boni apprehenſi ut majoris. Ergo repugnat voluntatem, quæ in omnibus ſuis actibus nonniſi amore movetur, id eligere ac proſequi quod illam minùs delectat. Repugnat v. g. avarum, qui plus delectatur pecuniâ quàm lautis dapibus, quandiu ſic affectus eſt, maximam pecuniæ ſummam ad ſplendidè epulandum profundere. Ergo delectatio gratiæ non abſolutè victrix eſt, ſed relativè, & tunc ſolummodò, quando oppoſitâ carnali delectatione gradibus ſuperior eſt.

Reverâ, in omni conflictu, illud ſemper quod viribus inferius eſt, à ſuperiore vincitur, ac ſi vincat, hoc ipſo ſuperius fuiſſe dignoſcitur; adeò ut communi ſenſui non minùs quàm SS. Patrum doctrinæ repugnet quod ait Tournely: „ Contendimus vires gratiæ ſufficientis, tametſi „ gradibus inæquales & inferiores viribus oppoſitæ concupiſcentiæ, pa„ res tamen eſſe ac ſufficientes huic (de facto) oppugnandæ ac ſuperan„ dæ.“

Tract. de Grat. tom. 2. pag. 568.

Digitized by Google

„ dæ.“ Quale paradoxum! Si gratia gradibus inferior eſt oppoſitâ concupiſcentiâ, quomodò viribus æqualis eſt, illamque ſuperandi capax? Vel ſi par eſt concupiſcentiæ ſuperandæ, quonam portento gradibus inferior ſupponitur? Prætereà ſi gratia tenuiſſima vires habet cuilibet concupiſcentiæ ſuperandæ pares, quid opus eſt novas vires à Deo continuis poſcere gemitibus? Qui enim ſe adjuvari petit, quid aliud quàm vires ſibi dari poſtulat? Quas profectò inaniter poſtulat, ſi tantas jam habet, quantæ concupiſcentiæ *oppugnandæ ac ſuperandæ* ſufficiunt.

3°. Inſpiratio dilectionis (quæ propriè gratia eſt) ignis eſt quidam ſpiritualis in cor immiſſus, juxta illud Chriſti Domini dictum, Luc. XII. 49: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Atqui ignis, ſicut & quælibet alia cauſa efficiens creata, ſemper agit ſecundùm totam ſuam virtutem comparatè ad majorem vel minorem reſiſtentiam ſubjecti; eoque differunt cauſæ efficientes & cauſæ formales, quòd iſtæ effectum ſuum ſemper aſſequuntur, illæ verò non operantur niſi quantùm earum virtus per ſubjecti reſiſtentiam non impeditur. Ergo, à pari, delectatio juſtitiæ divinitùs inſpirata vim ſuam non exerit niſi relativè ad voluntatis reſiſtentiam, tuncque ſolummodò victrix eſt, quando gradibus ſuperat actualem cupiditatis motum, quo voluntas hominis ad peccatum impellitur.

4°. Gratia Chriſti interior, prout à gratia ſtatûs innocentiæ propria diſtinguitur, gratia eſt medicinalis, cujus is effectus eſſe debet, ut concupiſcentiæ morbum ſuperet ac imminuat, per gloriam demum penitus abſumendum. Porro non quævis medicina quemlibet morbum expellit, ſed, pro variis infirmitatibus, gradibus major vel minor eſſe debet. Ergo gratia medicinalis, quæ juſtitiæ dilectio eſt, non abſolutè efficax eſt, ſed relativè ad gradus cupiditatis cui ſuperandæ applicatur. Unde S. Paulus dicit, Rom. V. 20, *ubi abundavit delictum, ſuperabundaſſe gratiam:* quæ verba commentans Doctor Angelicus ſic loquitur: „ Sicut enim magnitudinem morbi non ſanat niſi fortis & efficax medicina, ita requirebatur abundans gratia ad hoc ut ſanaret abundantiam „ delictorum.“

Et certè, quemadmodùm gratia quælibet interior vim aliquam habet, quâ movet & excitat voluntatem ad bonum faciendum & à malo abſtinendum (alioquin nullas voluntati vires conferret); ita motus omnis cupiditatis vim aliquam habet majorem vel minorem, quâ voluntatem à bono revocat & ad malum impellit; ac proinde rationabiliter dubitari non poteſt quin major vis gratiæ requiratur ad ſuperandam majorem vim cupiditatis, quàm ad minorem vincendam.

5°. Hæc gratiæ vis relativa manifeſtè patet in converſione peccatorum, quæ, juxta conſuetum divinæ providentiæ curſum, non fit in inſtanti, ſed per varios progreſſus. Undenam quippe iſtud accidit, niſi quia primi motus gratiæ utplurimum debiles ſunt, nec ſatis virium ha-

Digitized by Google

habent ad emolliendam ſtatim cordis duritiem? Adeò ut nonniſi paulatim creſcendo eò demum perveniunt, ut voluntatis reſiſtentiam pravosque affectus vetuſtate roboratos ſuperare valeant.

6°. Certè majori gratiæ auxilio opus eſſe ad vincendam gravem tentationem, quàm ad levem ſuperandam, clarè inſinuat S. Paulus, 1 Cor. X. 13, ubi dicit: *Non patietur Deus vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Reverâ, ut ſervetur proportio cauſæ ad effectum, major gratia requiritur ad producendum majorem effectum, qualis eſt victoria gravis tentationis, quàm ad producendum effectum minorem, qualis eſt victoria levis tentationis. Hoc autem poſito, perſpicuum eſt vim & efficaciam gratiæ non abſolutam eſſe, ſed relativam ad vires tentationis hic & nunc ſuperandæ.

7°. Idem probat ipſorummet adverſariorum confeſſio. Contendit enim Tournely gratiam parvam planè ſufficere ad orandum & ad obſervanda mandata quædam faciliora; gratiam verò magnam & efficacem ad difficiliora legis mandata implenda eſſe omnino neceſſariam. Quid autem iſtud eſt, niſi agnoſcere gratiam, ut victrix ſit, habere debere quamdam virium proportionem cum cupiditatibus ex adverſo pugnantibus, ex quibus præſertim oritur bonorum operum difficultas; adeòque gratiæ vim & efficaciam relativam eſſe ad cupiditatum reſiſtentiam? Sed quid mirum eſt ſecum ipſis pugnare, qui veritatem oppugnant, atque invitos ejus defenſores abſolvere, quos velut hæreticos traducere & opprimere nituntur?

8°. Doctrina delectationis relativè victricis ſola eſt, quâ facilè enodantur plurimæ quæſtiones ſatis intricatæ, quæ cæterorum Theologorum ingenia plurimùm torquent. 1°. Faciliè explicatur diſcrimen gratiæ quam ſufficientem vocant, & gratiæ efficacis. Ea ſiquidem gratia eſt efficax, quæ vim habet oppoſitâ cupiditate ſuperiorem; ea verò merè ſufficiens, ſeu excitans & inefficax, quæ adverſus cupiditatem minori cum robore pugnat: cùm è contrario, ſi gratiæ creatæ efficacia ſupponatur abſoluta, id explicari vix ac ne vix quidem poſſit. 2°. Explicatur quare omnis gratia aliquem ſemper effectum in voluntate producat. Sicut enim ignis ſemper producit aliquem calorem in ſubjecto, quàmvis illud comburere interdum pro modica ſua virtute non valeat, ita & illa gratia, quæ effectum integrum non conſequitur propter majorem voluntatis reſiſtentiam, aliquam ſaltem levem in bono complacentiam, & quemdam caloris ſpiritualis gradum producit. 3°. Explicatur quare idem gradus gratiæ (ſalvâ ſemper ſuâ intrinſecâ efficaciâ) non eumdem in omnibus effectum producit, ſed in aliis majorem, in aliis minorem. Cùm enim cupiditatis motus ad malum impellentes, vel à bono retrahentes, in aliis minores ſint, in aliis majores, inde fit ut, propter inæqualem voluntatis reſiſtentiam, inæqualem quoque effectum producere debeat: quemadmodùm (ut allatâ jam ſimilitudine utar) eadem vis ignis minorem

Digitized by Google

rem aut majorem effectum producit, prout ſubjectum cui applicatur magis vel minùs combuſtioni reſiſtit. 4°. Explicatur quare quidquid boni eſt in homine gratiæ attributum ſit, & quare ſolâ hominis culpâ accidit quòd gratia privetur eo effectu ad quem tendit, & ad quem voluntatem excitat. Quemadmodùm enim lignum in ignem conjectum, quidquid habet caloris, non habet à ſeipſo, ſed à virtute ignis in illud agentis; quòd verò exiguum calorem concipit, non ab igne provenit, ſed ab ipſius humiditate aliove quolibet impedimento: ita, quòd homo aliquid boni operetur, ſoli gratiæ adſcribendum eſt; quòd autem gratiæ reſiſtat, ipſius duritiæ & obſtinationi in malo imputandum. Contra verò, ſi delectatio gratiæ ſeipſâ abſolutè efficax eſt aut inefficax, exponi nequit quomodò hominis culpa ſit quòd gratia ſuo effectu in illo privetur, quæ abſolutè & in alio quolibet homine pariter inefficax remaneret. 5°. Explicatur quâ juſtitiâ Chriſtus Corozaïtas & Bethſaïtas increpaverit comparatione Tyriorum & Sidoniorum, qui pœnitentiam acturi fuiſſent, ſi eadem apud illos, quæ apud Judæos, patraſſet miracula. Idcirco quippe objurgationi locus fuit, quia idem gradus gratiæ, qui Tyrios, propter minorem voluntatis pravitatem, ſuâpte virtute convertiſſet, Judæos à veritate magis averſos non convertit. Huic autem difficultati ſuccumbere loguntur, qui in gratia ſeipſâ efficaci virtutem abſolutam & à voluntatis affectionibus independentem admittunt. 6°. Explicatur, quod alioqui difficillimum eſt, quomodò gratia inefficax aliquo vero ſenſu dici poſſit ſufficiens, quia nimirum nihil illi deeſt ad producendum effectum, ſi ipſius agendi virtus in ſeipſa abſolutè ſpectetur. Ut enim rectè obſervat Maſſoulié, Differt. 3. quæſt. 6. art. 2: Pag. 212. col. 1.
„ Quòd divinæ gratiæ motio, v. g. ut quatuor, interdum effectum non
„ habeat, non oritur ex defectu ipſius motionis divinæ, quæ vim agen-
„ di non habeat. Eſt enim veriſſimè ſufficiens, imò & naturâ ſuâ effi-
„ cax, nec minorem ſuo in ordine habet vim agendi, quàm habeat
„ v. g. calor in ordine phyſico, quem nemo negabit habere vim ſuffi-
„ cientem comburendi; ita ut, ſi admotum lignum ignis non adurat, id
„ non oriatur eo quòd ipſi igni deſit ſufficiens vis agendi, ſed quòd
„ lignum, oppletum humiditate & aquâ, impreſſioni ſeu vi & effica-
„ ciæ ignis obſiſtat.“ Si qui verò ex Thomiſtis gratiam ſufficientem talem admittunt, quæ effectum ſuum integrum nunquam & in nulla hypotheſi conſequatur, quonam pacto eam ſufficientem appellare poſſunt?

7°. Explicatur in quo ſitum ſit diſcrimen gratiæ in præſenti naturæ ſtatu requiſitæ, & gratiæ quâ homo innocens indigebat; & quare S. Auguſtinus gratiæ efficacis neceſſitatem ex naturæ infirmitate in pleriſque ſuis operibus repetiverit. Illud quippe diſcrimen (quod nonnulli Thomiſtæ aſſignare vix poſſunt) in eo, ut alii Thomiſtæ optimè intellexerunt, conſiſtit, quòd primus homo ſanus & viribus integer non indigeret delectatione præveniente, quæ contrariam carnis delectationem in

Digitized by Google

beata illa pace inexpertam pugnando ſuperaret; nunc verò, cùm caro concupiſcat adverſus ſpiritum, nobis opus ſit illâ præveniente & medicinali delectatione juſtitiæ, quæ contra carnem fortiore robore caritatis concupiſcat. „ Ille, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 11. num. 29, „ non opus habebat eo adjutorio quod implorant „ iſti cùm dicunt: *Video aliam legem in membris meis* &c; quoniam in „ eis caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem, „ atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari ſibi pugnandi „ vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò, nullâ ta„ li rixâ de ſeipſo adverſùs ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo „ beatitudinis loco ſuâ ſecum pace fruebatur.

8°. Explicatur cur nemo hac in vita ſine peccato ſit. Nam ut homo eſſet abſque ullo peccato, gratia tantas vires habere deberet, quæ peccati fomitem penitus extinguerent, infirmitatemque peccato contractam omni ex parte ſanarent; quod in hac mortali vita nemini contingit.

9°. Tandem intelligitur quanti momenti ſit „ detrahere quotidie de„ pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus caritatis, “ ut loquitur S. Auguſtinus. Nam ſi gratia vim habet abſolutam, nec comparatam cum gradibus cupiditatis, quid tanti refert cupiditatem minuere, & in ſancta dilectione proficere? Si verò gratia victrix non eſt niſi comparatè ad vires cupiditatis, quis non ſentiat præcipuum hominis Chriſtiani laborem in eo verſari debere, ut, cupiditatis pondere imminuto & caritatis aucto, plus delectet quod Deus præcipit, quàm delectat quod impedit?

Demum, quoniam ad iſtam doctrinam opprimendam nonnulli conantur eam à Thomiſtarum doctrina longo intervallo ſejungere, probatur IV° illam, nedum Thomiſtarum doctrinæ adverſetur, ei quodammodò eſſe germanam. Nam inſigniores Thomiſtæ docent gratiam efficacem & gratiam ſufficientem non differre eſſentialiter, ſed accidentaliter tantùm, & quoad magis & minùs: quod idem eſt ac ſi dicerent efficaciam gratiæ oriri à majore illius intenſione relativè ad cupiditatis obices ſuperandos. Præterea non pauci è Thomiſtis, iique haud ignobiles, doctrinam delectationis relativè victricis expreſſè docuerunt, ſuoque calculo approbarunt. Tales ſunt imprimis:

Cardinalis Madrucius in Judicio de Propoſitionibus Patrum Societatis Jeſu (in Append. Hiſtoriæ de Auxiliis, pag. 92). „ Quòd operen„ tur electi, inquit, non eſt ex congruitate quæ pertineat ad vocatio„ nem & illuminationem, ſed ex inſpiratione delectationis, & dilectio„ nis ardore & caritatis, quibus fit ut homo infallibiliter convertatur „ & piè operetur.“ Atque ibidem: „ Inſpiratâ delectatione vel dilec„ tione tantâ, quæ ſuperet delectationem vel dilectionem tenebrarum, „ protinus fit liberè hominis converſio.“

Thomas de Lemos, Panopliæ tom. 3. part. 1. cap. 19. num. 203:

„Vo-

„ Voluntas, inquit, ut S. Auguſtinus docet, trahitur amore & delectatione: qui amor initium, radix & inchoatio eſt totius hujus ſui motûs, & talis amor magis ac magis perficitur per illam efficacem tractionem. Unde cùm Deus vult efficaciter trahere voluntatem, illam trahit amore, faciendo quòd amor delectet, quòd amor invitet, quòd amor alliciat, quòd amor ſuo pondere trahat. Hoc autem non facit niſi proponendo in objecto majorem bonitatem & convenientiam, quæ excitat & movet; &, illâ ſuppoſitâ, Deus voluntatem efficaciter movet ut conjungatur cum objecto quod eam delectat; & ſic intelligitur quod ſæpè docet S. Auguſtinus, quòd voluntas trahitur amore, non violentiâ.“ Vide etiam ibid. cap. 20. num. 214.

Reginaldus *de Mente concilii Tridentini*, part. 2. cap. 30. pag. 960: „ Gratiam ex ſeipſa efficacem, inquit, in ſuavitate cœleſti & victrici delectatione, ſeu potius in cauſa ipſius ſuavitatis & delectationis (Auguſtinus) conſtituit:“ idque probat pluribus S. Doctoris textibus.

Maſſoulié in opere cui titulus, *S. Thomas ſui interpres*, Romæ edito, & ſummo Pontifici Innocentio XII nuncupato, diſſert. 3. quæſt. 6. art. 3, probat ex S. Auguſtino „ gratiam divinam eſſe efficacem, cum ita ſuperior eſt & major omni renitentiâ voluntatis, ut eam omnino vincat. Cùm verò è contra major eſt voluntatis obſtinatio & reſiſtentia, aut impetus vel pravæ cupiditatis, vel conſuetudinis,..... tunc gratiam eſſe quidem ſufficientem, non eſſe tamen reipſâ efficacem.“ Hanc doctrinam exponit fuſius art. 1 ejuſdem Quæſtionis. „ Supponamus, ait, voluntatem, ex pravis habitibus longâque aſſuetudine, ad ſex v. g. vel octo & decem gradus obſtinationis perveniſſe...... Si itaque Deus, infinitâ ſuâ miſericordiâ erga hominem uſus, majorem & efficaciorem motionem illi tribuat, quæ ſuperet reſiſtentiam & obſtinationem voluntatis ipſius, tunc ea gratia reipſâ ſuperat etiam obſtinationem voluntatis, eamque infringit, & omnino voluntatem ſibi ſubjicit, & eſt reipſâ efficax. Si verò ex juſtitia, ac ita exigentibus hominis demeritis, Deus ſuæ gratiæ motione minus valida ejus voluntatem impellat, eam equidem veluti concutit & commovet, non tamen eam penitus dejicit, neque eam convertit; & tunc ea divinæ gratiæ motio inefficax eſt ac ſolùm ſufficiens....., Ergo reipſâ in eo poſita eſt efficacia gratiæ, quòd ita contemperata ſit ut obſtinationem vincat; & eâ ratione efficax & ſufficiens gratia diſtinguuntur, quòd efficax major ſit, ſufficiens verò minor, quæ reſiſtentiam voluntatis omnino non vincat, ſed eam paululùm concutiat & ad perfectam converſionem diſponat.“ Idem argumentum latè proſequitur Maſſoulié ibidem, art 6.

Contenſonius, Theologiæ mentis & cordis tom. 5, tract. de Gratia, lib. 2. diſſert. 4. cap. 2. ſpecul. 3: „ Qui delectatione alicujus objecti capitur, poſſet quidem, ſi vellet, illud repudiare & relinquere. Ve-

„ rùm, infallibiliter prævalente majori delectatione, nunquam relinquet, nunquam repudiabit. Voluptas enim ſine neceſſitate quidem, „ ſed indeclinabiliter voluntatem rapit: unde illud tritum: *Trahit ſua* „ *quemque voluptas;* & illud Auguſtini: *Quod enim nos magis delectat,* „ *ſecundùm id operemur neceſſe eſt:* intellige non neceſſitate abſolutâ, ſed „ infallibilitatis, juxta doctrinam S. Thomæ, 1. 2. quæſt. 112. art. 3. „ Quis autem mentis compos aſſerat voluntatem delectatione allectam „ amittere libertatem? Quaſi verò tunc ſolùm libera ſit, cùm aliquid „ ægrè & repugnanter operatur.“

Et lib. 8. diſſert 2. cap. 1. ſpecul. 2: „ Voluntas eodem modo proſequitur objectum, quo afficitur circa illud, id eſt, dominanti propenſioni ſemper obſequitur: quo ſenſu dixit Auguſtinus: *Quod enim nos* „ *magis delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*: quod utique non de „ neceſſitate abſoluta, ſed de neceſſitate infallibilitatis verum eſt; ut ſit „ ſenſus, quòd, licet voluntas poſſit majoribus ſuis inclinationibus obſiſtere, nunquam tamen obſiſtet, quia nunquam obſiſtere volet. „ Quomodò enim non volet quod magis amat?“ Hinc gratiam Chriſti efficacem ſic definit Contenſonius ibid. diſſert. 2. cap. 2: „ Gratia Chriſti medicinalis perfecta ea eſt, quâ efficitur ut homo rectè velit, & „ tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis appetitum contraria „ concupiſcenetm voluntate ſpiritûs vincat; quâ non tantùm benè agendi poſſibilitas, ſed etiam benè & efficaciter operandi voluntas donetur, quâ fortiter & ſuaviter, invictiſſimè ſimul & liberrimè voluntas „ ita velit bonum, ut illud deſerere nolit.

Illuſtriſſimus Boſſuetus Meldenſis Epiſcopus, in tractatu *de Libero arbitrio*, in quo prædeterminationem phyſicam Thomiſtarum ſtrenuè tuetur, exponens gratiæ in duplici naturæ humanæ ſtatu conſideratæ diſcrimen, ſic ait: „ Le changement le plus eſſentiel que le péché ait fait „ dans notre ame, c'eſt qu'un attrait indéliberé du plaiſir ſenſible prévient toutes les actions de notre volonté. C'eſt en cela que conſiſte „ notre langueur & notre foibleſſe, dont nous ne ſerons jamais gueris „ que Dieu ne nous ote cet attrait ſenſible, ou du moins ne le modere „ par un autre attrait indeliberé du plaiſir intellectuel. Alors, ſi par „ la douceur du premier attrait notre ame eſt portée au bien ſenſible, „ par le moien du ſecond elle ſera rappellée à ſon veritable bien, & „ diſpoſée à ſe rendre à celui de ces deux attraits qui ſera ſuperieur. „ Elle n'avoit pas beſoin, quand elle étoit ſaine, de cet attrait prévenant, qui avant toute déliberation de ſa volonté l'incline au bien „ veritable, parce qu'elle ne ſentoit pas cet autre attrait, qui, avant „ toute inclination, l'incline toujours au bien apparent.“ Vide refutationem Catechiſmi Pauli Ferri Calviniſtæ ab eodem Præſule, cap. 10. Tom. V. pag. 421 & 422.

His adde Serry Veneticæ Reipublicæ Theologum, cujus verba ſupra alla-

allata ſunt. Non ſolùm idem docet, ſed etiam plurimos cæteros Thomiſtas idipſum ſentire teſtatur.

Idem quoque tradit Hyacinthus de Graveſon, *de Myſteriis & annis Chriſti*, differt. 16. Commemoratâ enim quorumdam veterum Thomiſtarum opinione, qui gratiam efficacem à ſufficiente quoad entitatem & naturam ſuam diſtingui exiſtimarunt, aliam ſtatim refert ac vehementer approbat hiſce verbis: „ Alii Thomiſtæ, qui volunt gratiam efficacem „ non diſtingui ex entitate ſeu ex natura ſua à gratia ſufficiente, ſed „ ſolùm penes intenſionem graduum efficaciæ, quibus ſuperat gradus „ malitiæ voluntatis creatæ, eamque convertit, docent, inquam, illi „ Thomiſtæ in ſolius hominis culpa eſſe quòd gratiâ ſeipſâ efficaci privetur, „ idque illuſtrant hoc clariſſimo exemplo: Supponamus quippe voluntatem alicujus hominis, ex pravis habitibus ac diuturna peccandi conſuetu- „ dine, ad octo vel decem gradus obſtinationis perveniſſe. Si itaque Deus „ huic homini malè affecto gratiam conferat, quæ plures ac majores effi- „ caciæ gradus habeat, quàm ſint gradus obſtinationis & malitiæ in vo- „ luntate, tunc illa gratia ſuâpte vi, ſeu victrici delectatione, ſuperabit „ obſtinationem voluntatis, & erit reipſâ efficax. At ſi Deus, ita exi- „ gentibus illius hominis demeritis, gratiam minùs validam conferat, „ & quæ in gradibus efficaciæ ſuperior, major ac fortior non ſit gradi- „ bus obſtinationis ſeu malitiæ voluntatis, tunc illa gratia voluntatem „ quidem commovebit, ſed illam non convertet, nec illius obſtinatio- „ nis gradus ſuperabit, eritque tunc temporis gratia tantùm ſufficiens & „ inefficax, non quidem ex defectu ſuî, cùm reipſâ & vi ſuâ converte- „ ret voluntatem, ſi minor eſſet voluntatis reſiſtentia, ſed defectu volun- „ tatis quæ obſtinatione ſuâ magis obſtitit. Perinde ac ſi admotum „ lignum ignis non comburat, id non oritur ex parte ignis qui agit, „ & cui non deeſt vis agendi, ſed ex parte ligni quod, humiditate & „ aquâ cùm ſic oppletum, efficaciæ & vi ignis magis obſiſtit eamque ex- „ tinguit.“ En delectatio relativè victrix à melioris notæ Thomiſtis, teſte Graveſonio, diſertiſſimè admiſſa & aſſerta. Cùm ergo idem auctor ſuis in Epiſtolis Janſenianam hæreſim in duplici delectatione relativè victrici ſitam eſſe contendit; vel ſibi ipſi non conſtitit, quod vix credibile eſt; vel, quod multò probabilius eſt, ſuis in Epiſtolis loquitur de delectationibus indeliberatis, quæ neceſſitatem voluntati inferant abſolutam & antecedentem.

Illis omnibus è ſchola S. Thomæ Theologis adjungam ſuffragium ipſius Tournemine Jeſuitæ, qui in theſi Pariſiis propugnata anno 1703 gratiam efficacem ſic definit: „ Hujus (gratiæ) efficacia in eo conſiſtit, „ quòd ſit illecebra major, adeòque cauſa conſenſûs non neceſſariò qui- „ dem, ſed tamen certò futuri....,.. Gratiæ efficaci reſiſti poteſt, quia „ non eſt ſummi boni præſentia (claraque viſio); nunquàm reſiſtitur, „ quia eſt majoris boni illecebra.“

Ex

Ex his manifeſtum eſt quantùm à vero exorbitent, qui ſanctam illam & inconcuſſam doctrinam ut ſuſpectam, immo & hæreticam, & in Cornelii Janſenii Libro damnatam, totoque cœlo à Thomiſtarum principiis diſcrepantem traducere audent; cùm doctiſſimi è Thomiſtarum ſchola Theologi toto animo ſubſcribant fateanturque, niſi illâ admiſſâ, ſuam cum S. Auguſtini doctrina conciliari non poſſe.

An delectatio relativè victrix locum habeat in electione mediorum, quæ proponuntur ut omni ex parte æqualia.

Quæres an delectatio relativè victrix locum habeat in electione mediorum, quæ proponuntur ut omni ex parte æqualia?

Reſpondeo in ejuſmodi electione duo diſtingui oportere: 1°. Electionem unius medii ex pluribus quæ ſeſe offerunt. 2°. Electionem hujus medii præ aliis quæ ſupponuntur æqualia. Quòd è multis mediis æqualibus unum eligatur, provenit ex amore finis imperante uſum mediorum, quibus ad boni quod ampliùs delectat conſecutionem perveniri poſſe creditur. Quòd autem, in concurſu mediorum æqualium, hoc potius quàm illud eligatur, non oritur ex victrice delectatione, ut pote quæ ad illa media indifferenter ſe habet, ſed ex ſolo voluntatis arbitrio.

Quamobrem ex electione hujuſmodi mediorum ſupra probavimus admitti neceſſariò oportere, præter delectationem victricem, motionem Dei phyſicam ac prædeterminantem, quæ voluntatem applicet ad hoc medium potiùs quàm aliud eligendum.

Utrùm delectatio, ſive dilectio relativè victrix, ſit deliberata an indeliberata.

Quæres 2° utrùm delectatio, ſive dilectio relativè victrix, ſit deliberata an indeliberata?

Reſpondeo hujuſmodi quæſtionem neque à S. Auguſtino, neque ab aliis Patribus agitatam unquam fuiſſe. Ut autem exponam quod hac de re ſentio, diſtinguendum eſt inter dilectionem ipſam, & bona opera quæ ex illa fiunt. Ad bona opera agenda impellimur per delectationem deliberatam ac liberam, hoc eſt, per amorem ſummæ juſtitiæ quæ Deus eſt; qui quidem amor ſi ſuperior ſit, certò & ſuâpte virtute vincit. Certum eſt de iſta deliberata delectatione ac dilectione, ad benè operandum ſuaviter impellente, loqui S. Auguſtinum in pleriſque ex illo allatis textibus. Et certè repugnat nos quidquam deliberatè agere ex dilectione quæ ſit indeliberata. An verò dilectionem juſtitiæ deliberatam ac liberam præcedat delectatio indeliberata, nuſquam à S. Auguſtino inquiſitum fuiſſe invenio. Ego quidem exiſtimo unicâ & eâdem operatione Deum nos nondum ipſum diligentes, aut debiliùs diligentes, attrahere ad ſui dilectionem dilectioniſque ipſius augmentum, ac producere in nobis ipſam ſui dilectionem liberam, ejuſque per varios gradus augmentum; adeò ut illa dilectio ſeu delectatio dici poſſit indeliberata, quatenus nos Deus attrahit ad ſe diligendum; deliberata verò dici debeat, quatenus ſimul eodemque inſtanti Deus ipſam ſui dilectionem producit, efficienterque operatur ut cum deliberatè diligamus, & in ejus dilectione creſcamus. Recolite, ſi placet, quæ hac de re in prima hujus Libri Diſſertatione dicta ſunt.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres 3° in quo differant gratia phyſicè prædeterminans, & delectatio relativè victrix.

In quo differant gratia phyſicè prædeterminans, & delectatio relativè victrix.

Reſpondeo ex ſuperiùs dictis manifeſtum eſſe illa duo differre multipliciter. 1°. Siquidem gratia phyſicè prædeterminans eſt gratia increata, ſeu omnipotens & miſericors Dei voluntas, quidquid boni volumus ac facimus efficaciter & phyſicè operans: delectatio autem victrix eſt gratia creata, à Deo phyſicè producta, & moraliter tantùm, quanquàm certò & infallibiliter, voluntatem inclinans ad benè agendum. 2°. Motio Dei phyſica & prædeterminans efficaciam habet abſolutam, ſemperque producit effectum quem abſolutè ac ſimpliciter vult, quia virtus divina infinita eſt & invincibilis: delectatio verò, cùm virtutem habeat finitam ac vincibilem, relativè tantùm efficax eſt. 3°. Gratia phyſicè prædeterminans in quocunque naturæ ſtatu planè neceſſaria eſt, ratione omnimodæ dependentiæ creaturarum à Deo: delectatio verò relativè victrix in præſenti duntaxat naturæ ſtatu infirmitatiſque titulo requiritur. 4°. Gratia phyſicè prædeterminans ex ſeipſa non ſuſcipit magis aut minùs, conſiſtitque in indiviſibili, cùm ſit actus voluntatis divinæ ſimpliciſſimus ſimul & efficaciſſimus: ac proinde major aut minor dici non poteſt, niſi ratione effectûs, quem majorem vel minorem, prout vult, producit. Contra verò delectatio victrix aliquando major eſt, aliquando minor, poteſtque ſemper vel augeri vel minui.

Solvuntur objectiones adverſùs ultimam Propoſitionem.

Objiciunt imprimis Propoſitionem noſtram in Janſenio damnatam fuiſſe. Sic Tournely in ſuo tractatu de Gratia probare nititur, ex doctrina duplicis delectationis relativè victricis, errores V Propoſitionum ab Innocentio X & Alexandro VII damnatarum, ut ex fonte rivulos, fluere. „ Nimirum, inquit, gratia per ſeipſam efficax tribus modis defendi poteſt: 1°. Modo Thomiſtarum, qui docent eam conſiſtere in motione Dei phyſica & prædeterminante, quæ vi ſuâ omnipotente voluntatem applicat ad agendum; admiſſâ inſuper aliâ gratiâ verè ſufficiente, veram, completam, expeditam & relativam potentiam agendi tribuente, actum tamen non dante. 2°. Modo nonnullorum Theologorum, qui efficaciam gratiæ collocant in delectatione abſolutè victrici, hoc eſt, quæ propriâ & internâ ſuâ virtute voluntatem quocunque modo diſpoſitam, & quâcunque tentatione aut concupiſcentiâ pulſatam, impellat ac determinet ad benè agendum, admiſſâ pariter, in homine gratiâ efficaci deſtituto, verâ, proximâ & relativâ potentiâ, per gratiam ſufficientem tributâ, ſuperandi tentationem aut concupiſcentiam oppoſitam. 3°. Modo Janſenii, qui admittit duplicem delectationem, cœleſtem unam, quæ gratia eſt, ad bonum impellentem, alteram terrenam, ſeu concupiſcentiæ, ad malum trahentem; docetque illam, quæ gradibus ſuperior eſt, alte-

alteram gradibus inferiorem vi propriâ ſuperare, ideòque relativè victricem eſſe. „ Summa igitur, inquit, doctrinæ Janſenii hæc eſt: voluntatem hominis infirmam, & per peccatum multum depreſſam, non-
„ niſi victrice quâdam ac dominante deliberatâ delectatione, ſeu cœleſti, ſeu terrenâ, ad bonum vel ad malum inflecti ac determinari poſſe: delectationem hanc unicum eſſe pondus quo jam ad agendum neceſſariò applicatur, juxta illud, quod centies obtrudit, S. Auguſtini effatum: *Secundùm id operemur neceſſè eſt, quod ampliùs nos delectat;* ita ut impoſſibile ſit majorem delectationem vinci à minori: quomodò, ſi in bilance duo fuerint pondera inæqualia, neceſſe eſt omnino eam bilancis partem deprimi ac inclinari, in qua majus eſt pondus, nec unquam ſit, imò nec fieri poteſt, ut majus à minori trahatur, cùm nulla ſit inter illa duo proportio. Tota ſcilicet vis delectationis, in mente Janſenii, relativa eſt, id eſt, per comparationem ad oppoſitas ſibi vires. Si major fuerit vis gratiæ quàm concupiſcentiæ, neceſſe erit voluntatem benè operari; è contra malè, ſi viribus prævaluerit concupiſcentia. Major eſt enim reſiſtentia concupiſcentiæ quàm virtus gratiæ parvæ, ait unus ex præcipuis Janſenii patronis."

Porro inter hanc Janſenii doctrinam, & doctrinam Thomiſtarum, eorumve Theologorum qui delectationem abſolutè victricem admittunt, hoc maximè diſcrimen eſſe contendit, quòd prædeterminatio phyſica & delectatio abſolutè victrix pertineant tantùm ad actum ſecundum, ſeu actionem ipſam creaturæ, non autem ad actum primum ſeu potentiam agendi; contra verò delectatio relativa pertineat ad actum primum, potentiamque agendi priùs infirmam roboret, compleat, & ad benè agendum expeditam reddat. Quo fit ut, etiam abſente prædeterminatione phyſicâ aut delectatione abſolutè victrici, voluntas creata per gratiam ſufficientem libera ſit & expedita ad bonum, ſatiſque virium habeat ut oppoſitam cupiditatem, quantùmvis intenſam, ſuperare poſſit, licet de facto non agat, & cupiditatem actu non ſuperet: abſente autem delectatione gratiæ relativè victrici, voluntas, etſi ex natura, aut ex gratia parva, habeat abſolutam benè agendi potentiam, non tamen expeditam habeat & relativam, ſeu cui ſatis virium inſit ad ſuperandam delectationem terrenam gradibus ſuperiorem.

Hoc autem poſito, hæreſim V Propoſitionum ſponte ſuâ conſequi aſſerit idem Theologus. Nam hæreſis Janſeniana, in ejus ſententia, in hoc conſiſtit, quòd in juſtis, dum victrici delectatione deſtituti peccant, vel illâ præventi benè agunt, non agnoſcatur potentia ad oppoſitum, quæ ſit expedita, relativa & viribus proportionata. Dogma verò Conſtitutionibus Apoſtolicis definitum hoc eſſe vult, agnoſcendam eſſe in juſtis, dum peccant aut benè agunt, potentiam expeditam & relativam, ſeu viribus æqualibus inſtructam, non peccandi, aut à bono abſtinendi.

Uno

Uno verbo, juxta Tournely, hæreſis Janſeniana eſt æquilibrium voluntatis ad bonum & malum non admittere: veritas autem Catholica à SS. Pontificibus definita hæc eſt, voluntatem ſtare in æquilibrio potentiæ ac virium inter bonum & malum.

Atque in hoc ſecutus eſt veſtigia D. de Fenelon Archiepiſcopi Cameracenſis, quem etiam ſecuti ſunt Cardinalis Biſſius, D. Languet Epiſcopus Sueſſionenſis, & alii plurimi.

Præcipua hujus ſyſtematis fundamenta 1° jam everſa ſunt in Secundo Libro hujus Tractatûs, ubi probavimus libertatem hominis lapſi non ſtare in æquilibrio. 2°. In hocce Libro Quarto, quem decurrimus, oſtendimus 1° gratiam, quam vocant ſufficientem, non dare vires relativas & oppoſitæ cupiditati æquales. 2°. Efficaciam gratiæ interioris conſiſtere in delectatione ſeu in dilectione relativè victrici. Reſtat igitur, ad ſolvendam objectionem, ut demonſtremus hanc doctrinam duplicis delectationis relativè victricis nec contineri, nec fuiſſe damnatam in V Propoſitionibus.

Primò V Propoſitiones damnatæ fuerunt in ſenſu gratiæ abſolutè & antecedenter neceſſitantis. Nam eo ſenſu damnatæ dicendæ ſunt, in quo eas damnari poſtularunt Galliæ Præſules ipſarum delatores, & reipſâ damnatas eſſe tum SS. Pontifices, tum omnes Theologi initio diſputationum conſenſerunt. Atqui hic ſenſus eſt gratiæ neceſſitantis jam anteà in Calvino damnatæ.

1°. Quidem hunc ſenſum Galliarum Epiſcopi damnari poſtularunt. Id patet in Epiſtola LXXXV Epiſcoporum ad Innocentium X, in qua ſic loquuntur: „ Tales motus (occaſione V Propoſitionum excitatos) „ ſedari oportebat tum concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius „ quâ Urbanus VIII adverſùs Janſenii dogma pronuntiavit &c." Cur autem eos motus concilii Tridentini auctoritate ſedari oportuerat, niſi quòd error V Propoſitionum, quas ut hæreticas deferebant, jam à Tridentinis Patribus in Luthero & Calvino damnatus fuerat? Quiſnam verò ille eſt, niſi gratiæ neceſſitantis & abſolutæ impoſſibilitatis mandatorum?

Poſtquàm Conſtitutio Innocentii X data eſt, iidem Epiſcopi non aliam doctrinam damnatam intellexerunt, quàm quæ anteà in concilio Tridentino anathemate perculſa fuerat, ut evidens eſt ex Epiſtola Conventûs Cleri Gallicani, anni 1654, ad eumdem Papam. „ Beatitudo Veſtra, inquiunt Præſules, „ liquidò explicuit atque confirmavit regulam fidei de „ gratia & libero arbitrio, quam ſuperiori ſæculo concilium Tridentinum „ ſollicitè atque diligenter enucleatam definiverat." Hoc etiam confirmat D. de Marca in Relatione deliberationum Commentariis Cleri inſcripta. „ On n'eut point de peine, ait, à reconnoitre que la déciſion „ du Pape confirmoit l'ancienne foi de l'Egliſe, enſeignée par les Conciles & par les Peres, & renouvellée par le concile de Trente."

Digitized by Google

2°. Innocentius X in ſua Conſtitutione primam è V Propoſitionibus, ex qua reliquas fluere conſentiunt adverſarii, damnavit ut jam *anathemate damnatam*, videlicet in concilio Tridentino; ac proinde illam damnavit in ſenſu Lutheri & Calvini.

Promulgatâ autem Conſtitutione, S. Pontifex Doctoribus Auguſtinianis declaravit ſe V Propoſitiones propterea condemnaſſe, quòd, ipſis fatentibus, haberent ſenſum Calvinianum. Hoc factum teſtantur tum ipſi Doctores, in Epiſtola quam eodem die ad XI Epiſcopos ſcripſerunt, tum clariſſimus Le Bailli de Valencey Regis Chriſtianiſſimi Orator, qui colloquio interfuerat.

Journal de S. Amour, 6e partie, art. 27.

3°. In exordio diſputationum una omnium hac de re ſententia fuit. D. Hallier, qui nomine LXXXV Epiſcoporum damnationem V Propoſitionum Romæ proſequebatur, in omnibus ſcriptis quæ Congregationi obtulit, non aliud quàm Calvini commentum impugnare ſe proteſtatus eſt.

P. Annatus, qui maximas hoc in negotio partes habuit, nunquam non agnovit gratiam neceſſitantem & Calvinianam in V Propoſitionibus damnatam fuiſſe, ut videre eſt in *Cavillis Janſenianorum*, in *Janſenio à Thomiſtis damnato*, & in *Reſponſione ad Litteras Provinciales*; ubi diſtinguit duplicem modum quo gratia per ſeipſam efficax defendi poteſt: unum Calvinianum, juxta quem, ſublatâ penitus agendi & non agendi potentiâ, ſola in homine remanet libertas à coactione; alterum Catholicum, juxta quem cum gratia per ſe efficaci poteſtatem ad oppoſitum ſimul ſtare aſſeritur, dicitque primum modum duntaxat à SS. Pontificibus damnatum eſſe. In libro *de Inchoata libertate* abſolutam neceſſitatem agendi in Janſenio æquè ac in Calvino damnatam eſſe affirmat his verbis: „ Quem invenient Janſeniani inter Thomiſtas, qui contendat ita „ neceſſarium eſſe aſſenſum, quem voluntas præbet motioni gratiæ, „ quandiu illa inhæret, quomodò neceſſarius eſt amor beatificus, quan„ diu durat viſio?..... Quem dabunt qui diſtinctionem ſenſûs compo„ ſiti & diviſi ſic interpretetur, ut ſenſus ſit voluntatem à Deo mo„ tam poſſe diſſentire quando illa abierit & advenerit alia?“ Demum in *Informatione de V Propoſitionibus*: „ Indifferentia, inquit, quam „ omnes requirunt ad liberum arbitrium, activa eſt ad agendum vel non „ agendum: hæc“ (quam Janſenio attribuit) „ paſſiva eſt ad recipien„ da hæc vel illa vincula.“ Hunc porro errorem Calvini eſſe quis neſcit?

Pag. 27. Pag. 413. Pag. 226.

P. Fabri Jeſuita, ſub nomine Bernardi Stubrock, in Apologia doctrinæ moralis Societatis adverſùs Paulum Irenæum, Calvinianum dogma gratiamque antecedenter neceſſitantem Janſenio ejuſque defenſoribus affingit, & in eo V Propoſitionum virus reponit.

Tom. 1 edit. Colon. pag. 559. 560. 561.

P. Daniel Jeſuita, in tract. *de Efficacia gratiæ*, Janſenium ſemper Calvino adjungit; affirmatque illam gratiam in eo damnatam eſſe, quæ voluntatem neceſſitat & diſſentiendi potentiam non relinquit.

Pag. 43. 44. 45. 48. 70 & 71.

D.

D. Dumas, in Hiſtoria V Propoſitionum, lib. 2, ſic loquitur: „ Ne- Pag. 134, & 172.
„ dum Anti-Janſeniani ſenſum Janſenii in dogmate Calviniano de neceſſi-
„ tate agendi collocare diſtuliſſent, nullus adverſus ipſum ſcripſerat qui
„ hoc principio non niteretur.“ Et in Elucidatione 1 docet „ gra-
„ tiam neceſſitantem, & litteralem V Propoſitionum ſenſum, eſſe quid
„ unum & idem:“ illarumque errorem ponit „ in dogmate Calvinia-
„ no, quo omnes actus noſtri ſubjiciuntur invincibili & abſolutæ ne-
„ ceſſitati, vel benè agendi, præſente gratiâ efficaci, vel malè agendi,
„ illâ abſente.“ Idem inculcat in 4 Elucidatione; additque Janſenium Pag. 90 & 92.
& ejus aſſeclas indifferentiam niſi paſſivam non admittere, atque, excluſâ tantùm neceſſitate naturali & immutabili, voluntatem ſub gratiæ & cupiſcentiæ dominio abſolutæ & invincibili neceſſitati ſubdere.

Hinc, quicunque Janſenium olim defenderunt, hoc ſibi unicè propoſuerunt, ut errorem gratiæ neceſſitantis & Calvinianæ ab ipſo amolirentur, ut videre eſt in Pauli Irenæi (Nicole) *Diſquiſitionibus*, in Dyoniſii Raymondi (Girard) *Elucidatione circa factum Janſenii*, & aliis.

Alterum argumentum. Vel damnata eſt in V Propoſitionibus doctrina gratiæ neceſſitantis, vel gratiæ per ſe efficacis. Nullum eſt medium: nam gratia per ſe efficax, ſive ſit prædeterminatio phyſica, ſeu delectatio abſolutè vel relativè victrix, vel conjungitur cum vera & abſoluta neceſſitate agendi & impotentia phyſica non agendi, vel non. Si primum, dogma Calvinianum eſt, ab Eccleſia proſcriptum: ſi alterum, Catholicum eſt gratiæ per ſeipſam efficacis dogma. Atqui fatentur, quotquot ex adverſariis bonâ fide agere volunt, doctrinam gratiæ ſeipſâ efficacis, quæ in omni Eccleſia liberè & palam prædicatur, & ab ipſiſmet ſummis Pontificibus Alexandro VII & Benedicto XIII *inconcuſſum & tutiſſimum dogma* declarata eſt, damnatam non eſſe à Sede Apoſtolica. Reſtat ergo ut ſolum dogma gratiæ neceſſitantis, jam anteà in Calvino damnatum, in V Propoſitionibus iterum damnatum fuerit.

Tertium argumentum. Innocentius XII definivit ſenſum damnatum V Propoſitionum, eſſe ſenſum obvium, quem ipſamet Propoſitionum verba præ ſe ferunt. Atqui ſenſus obvius, quem ipſamet Propoſitionum verba præ ſe ferunt, eſt ſenſus Calvinianus. Nam prima aſſerit juſtis indefinitè conſideratis, hoc eſt, juſtis omnibus, etiam conantibus & volentibus, mandata eſſe impoſſibilia: ſecunda negat ullam gratiam cui reſiſtatur: tertia non aliam libertatem agnoſcit in homine lapſo, quàm à coactione, omneſque ejus actiones abſolutæ neceſſitati ſubjicit: quarta definit in homine gratiâ prævento potentiam diſſentiendi non relinqui; quinta, juxta Conſtitutionis commentarium, mortis Chriſti beneficium ad ſolos electos reſtringit: quæ ſanè dogmata ſunt manifeſtè Calviniana.

Atqui doctrina gratiæ relativè victricis, quam defendimus, ab errore gratiæ neceſſitantis toto cœlo differt. Siquidem gratia neceſſitans, ſi daretur, prorſus tolleret potentiam ad oppoſitum; gratia autem relativè

Digitized by Google

victrix non tollit. Nec dicas potentiam diſſentiendi, quæ remanet ſub delectatione relativè victrici, non eſſe relativam. Nam, hâc voce novâ & peregrinâ, vel intelligis potentiam veram & realem ſuperandi oppoſitam delectationem actu ſuperiorem, vel intelligis potentiam æquilibrem, quæ vires æquales habeat ad bonum & ad malum. Si primum, certè cum delectatione vehementiſſima ſtat ſemper hac in vita potentia vera & realis ad oppoſitum; quia nunquam delectatio, ſeu terrena, ſeu cœleſtis, tanta eſt ut voluntas non poſſit diſſentire, licet nunquam actu diſſentiat, quandiu delectatio ſuperior ſupponitur. Si ſecundum, fateor potentiam æquilibrii excludi per delectationem relativè victricem: at, nedum hujuſmodi potentia admitti debeat ut fidei dogma ab Eccleſia definitum, è contrario rejicienda eſt ut error pernicioſus, totiusque Pelagianiſmi baſis ac fundamentum.

2°. Quinque Propoſitiones damnatæ ſunt in ſenſu obvio, quem ipſa earum verba præ ſe ferunt. At ne veſtigium quidem doctrinæ duplicis delectationis relativè victricis verba Propoſitionum in ſeipſis conſiderata præ ſe ferunt. Quâ igitur fronte privati Theologi Conſtitutiones Apoſtolicas ad hunc ſenſum determinant, erroremque manifeſtum in fidei dogma erigunt? Certè ſi SS. Pontifices doctrinam duplicis delectationis damnare voluerunt, cur, prætermiſſis ſexcentis textibus, in quibus eam diſertiſſimè tradit Janſenius, eas propoſitiones anathemate percuſſerunt, quæ nullam prorſus habent cum ea doctrina connexionem, aut ſaltem adeò remotam & obſcuram, ut omnes Epiſcopos & Theologos ante D. de Fenelon effugerit?

3°. Fatentibus Theologis, quibuscum hîc diſceptamus, gratia phyſicè prædeterminans & delectatio abſolutè victrix nunquam ab eccleſia damnatæ ſunt: ergo nec delectatio relativè victrix. Cur enim, illis intactis, hæc proſcripta eſſet? An quia, eâ abſente, voluntas caret aliquo prærequiſito ad agendum? At ſimiliter, abſente prædeterminatione phyſicâ aut delectatione abſolutè victrici, voluntas caret auxilio abſolutè neceſſario, ſine quo nunquam fieri poteſt ut benè agat. An quia delectatio relativè victrix ſe tenet ex parte actûs primi, gratia verò phyſicè prædeterminans & delectatio abſolutè victrix ſe tenent tantùm ex parte actûs ſecundi? Sed, præterquàm quòd puerile & imperitum eſt ſcholaſticas opiniones in fidei dogma erigere, nonnulli ex defenſoribus delectationis relativè victricis ſentiunt illam ſeſe tenere tantum ex parte actûs ſecundi: contra verò non pauci Thomiſtæ cenſent gratiam phyſicè prædeterminantem ſe tenere ex parte actûs primi ſeu potentiæ, ejusque complementum eſſe. Quod autem delectationem abſolutè victricem ſpectat, clarum eſt idem de illa dici debere ac de relativa. Utraque ab actione diſtinguitur, eamque præcedit; utraque moraliter tantum impellit ad agendum; utraque vires confert voluntati. Proinde aut utraque ſe tenet ex parte potentiæ, aut neutra.

Sed,

Sed, inquies, in illis ſyſtematibus, præter gratiam efficacem, admittitur gratia ſufficiens, quæ potentiam expeditam, relativam, & bono faciendo concupiſcentiæque ſuperandæ proportionatam voluntati tribuit: in ſyſtemate verò delectationis relativæ talis gratia ſufficiens non admittitur.

Pergis iterum ſcholaſticas opiniones, vocesque nunquam ab eccleſia adoptatas, pro fidei dogmatibus obtrudere. Definitum eſt tum à concilio Tridentino, tum Innocentii X Conſtitutione, juſtos qui conantur, & volunt ſervare mandata, habere veram potentiam illa ſervandi. Definitum quoque eſt eos qui mandata obſervant, & gratiæ conſentiunt, habere veram diſſentiendi potentiam. Utrumque Calvinus negavit: utrumque omnes Catholici profitentur. Utrùm verò hæc potentia dicenda ſit proxima, expedita, completa, relativa, ſcholaſtica quæſtio eſt nunquam definita, imò contentio vocum eſt potiùs quàm rerum. Plerique Auguſtiniani non abnuerunt uti vocabulo gratiæ ſufficientis, modò Thomiſticè exponatur, imò potentiam, quam ea gratia tribuit, appellare proximam, expeditam, completam & completiſſimam, modò his vocibus gratiæ efficacis neceſſitas non excludatur. Forſan etiam non abnuerent eam relativam appellare, ſi hæc vox in Scholis communiter recepta eſſet (quod hactenus dici nequit), modò eâdem voce non intelligatur potentia æquilibrii, ſtetque immotum, præter gratiam ſufficientem, abſolutè requiri ab benè agendum gratiam efficacem, quæ operetur ipſum velle & perficere. Viciſſim ex Thomiſtis non deſunt qui potentiam, gratiâ ſufficiente collatam, expeditam & completam appellare refugiant, ac contendant ſolâ gratiâ prædeterminante mandata fieri poſſibilia, *poſſibilitate cum effectu* conjunctâ, ut loquitur S. Auguſtinus lib. *de Nat. & grat.* cap. 42. Sed de his infra plenius agemus, tractando de gratia efficace & ſufficiente.

Et ſanè non eſt potior ratio, cur ex delectatione relativè victrici ſequatur neceſſitas libertati contraria, quàm ex delectatione abſolutè victrici & ex prædeterminatione phyſica ſequatur neceſſitas abſoluta agendi. Cùm ergo Tournely fateri cogatur gratiam ſeipſâ abſolutè victricem non gignere abſolutam neceſſitatem agendi, quæ libertati noceat, fateri conſequenter debet gratiam relativè victricem non parere neceſſitatem relativam, quæ liberum arbitrium perimat.

Præstereà gratia ſufficiens Thomiſtarum talis eſt, ut effectum ſuum nunquam ſortiri poſſit: contra verò, in doctrina delectationis relativæ, gratia excitans ex ſeſe idonea eſt ad producendum effectum; quòdque inefficax eſt, non ab ipſiusmet debilitate, ſed ab oppoſitæ cupiditatis vehementia provenit, ita ut, quæ in uno majore cupiditate impulſo inefficax remanet, in alio minore cupiditate mancipato efficax foret. Ergo gratia excitans Auguſtinianorum non minùs fidei catholicæ conſentit, quàm ſufficiens Thomiſtarum.

4°.

4°. Quanquàm Doctores Auguſtiniani hanc de delectatione relativè victrici doctrinam in omnibus ſuis ſcriptis, tam Romæ quàm in Gallia editis, palam & apertè docuerint, nunquam tamen eo nomine aut ab Hallerio aliiſve adverſariis delati ſunt, aut à SS. Pontificibus & Cardinalibus reprehenſi: immo cùm quæſitum eſſet à Cardinali Chiggio, qui S. Petri Sedem poſteà tenuit ſub nomine Alexandri VII, an futurum eſſet ut hi Doctores compellerentur ad ſubſcribendum Innocentianæ Conſtitutioni recèns latæ, reſpondit, teſte Sanct-Amorio, „ moris non eſſe „ ut quisquam ad ſubſcribendum damnationi aliquarum propoſitionum „ compellatur, niſi qui illas defenderit; illos autem Doctores non defen- „ diſſe nec tenuiſſe V Propoſitiones.“ Adeò certum erat doctrinam gratiæ relativè victricis, quam non occultè defendebant, damnatam non fuiſſe in V Propoſitionibus.

Journal de S. Amour. 6e. part. art. 25.

Pariter, quàmvis Janſenii defenſores ſemper agnoverint eum efficaciam gratiæ in delectatione relativè victrici collocaſſe, eamdemque doctrinam plenis, ut aiunt, buccis aſſeruerint, nunquam idcirco pro hæreticis in Gallia habiti ſunt: immo Conventus Præſulum anni 1661 diſertis verbis confeſſus eſt, in Epiſtola ad Alexandrum VII, ſenſum quem Janſenio attribuebant eſſe omnino Catholicum. „ Solertes ſibi videri volunt, inquiebant Epiſcopi, „ omnia verba Janſenii ad aliquem SENSUM CA- „ THOLICUM futiliter detorquentes.“

Hinc in Collatione habita cum P. Ferrier nemo Auguſtinianos compulit ad deferendam hanc doctrinam, quam tamen publicè profitebantur. Non P. Ferrier, qui in ipſorum articulis nihil fidei contrarium animadvertit; non P. Annatus; non S. Pontifex Alexander VII, qui, iisdem articulis diligentiſſimè diſcuſſis, gaviſus eſt quòd *ad ſaniorem doctrinam* recèns, ut putabat, inducti eſſent.

Denique is fuit per annos 50 diſputationum ſtatus, ut de jure quidem nulla eſſet contentio, omnibus in errorum à Sede Apoſtolica proſcriptorum damnationem conſpirantibus, atque unicè diſceptaretur de facto Janſenii, hoc eſt, de attributione eorumdem errorum libro Janſenii, quemadmodùm conceptis verbis fatetur auctor Hiſtoriæ V Propoſitionum. Atqui controverſiæ ſtatus planè contrarius fuiſſet, ſi error V Propoſitionum conſiſteret in doctrina delectationis relativæ. Hac enim in hypotheſi nulla fuiſſet quoad factum dimicatio, cùm omnes conſentirent, ac ſole ipſo clarius eſſet, totum Janſenii volumen huic doctrinæ velut fundamento inniti, totusque diſputationis impetus in quæſtionem juris latus eſſet; an videlicet doctrina delectationis relativæ meritò damnata fuiſſet. Ergo manifeſtum eſt errorem damnatum in V Propoſitionibus malè reponi in doctrina delectationis relativæ.

Tom. 1. pag. 102.

5°. Ea doctrina damnata non fuit in V Propoſitionibus, quam, poſt Conſtitutiones Apoſtolicas ubique receptas, Theologi Catholici maximi nominis, tam Romæ quàm alibi, defendere non deſierunt, absque ulla

cen-

cenſuræ nota. Atqui Theologi Catholici maximi nominis doctrinam delectationis relativè victricis palam & liberè innumeris in libris, tam Romæ quàm alibi, poſt datas & promulgatas Conſtitutiones defenderunt, abſque ulla cenſuræ nota & hæreſis ſuſpicione. Tales ſunt, inter alios, Cardinalis Noriſius in *Vindiciis Auguſtinianis;* Cardinalis de Laurea in opuſculo 3 de Gratia, cap. 14; P. Maſſoulié Dominicanus doctiſſimus, cujus opus inſcriptum: *D. Thomas ſui interpres*, Innocentio XII nuncupatum eſt, ac de ipſius licentia excuſum; eruditus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis in tractatu poſthumo *de Libero arbitrio*, cap. 10; P. Serry in *Schola Thomiſtica vindicata* &c. Hinc ſic argumentor: Doctrina damnata in V Propoſitionibus ea eſt quam univerſa Eccleſia unanimi conſenſu reprobat ac rejicit. Atqui doctrina gratiæ relativè victricis, nedum ab univerſa Eccleſia unanimi conſenſu reprobetur, palam & liberè ubique defenditur, ſcientibus nec prohibentibus Rom. Pontificibus. Ergo doctrina in V Propoſitionibus damnata omnino diverſa eſt à doctrina gratiæ relativè victricis.

Objiciunt 2°, ut probent efficaciam gratiæ repetendam non eſſe à delectatione victrici, objiciunt, inquam, Deum multis aliis modis nos efficaciter movere ad bonum. 1°. Per timorem gehennæ, quem tanquam valde utilem & efficacem Scripturæ commendant. Quid verò, aiunt, delectationi magis oppoſitum eſt quàm timor? 2°. Per varios hujus vitæ caſus, v. g. per morborum dolorem, per pudorem peccati, per bonorum temporalium jacturam &c: idque confirmare nituntur 1° auctoritate S. Auguſtini, lib. *de Correpț. & grat.* cap. 5. num. 8, ubi dicit „ iſtos „ ſic, illos aliter, atque alios aliter, diverſis & innumerabilibus modis „ vocari ut reformentur.“ Et num. 7: „ Non vis tua tibi vitia de„ monſtrari, ut fiat tibi utilis dolor quo medicum quæras?..... Quaſi „ verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor.“ 2°. Auctoritate S. Proſperi, lib. contra Collatorem, cap. 7. num. 18, ubi docet non ſolâ delectatione homines impelli ad bonum. „ Trahit ti„ mor, inquit; *principium* enim *ſapientiæ timor Domini.* Trahit læti„ tia, quoniam: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi......* Trahit „ deſiderium, quoniam: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domi„ ni.* Trahunt delectationes: *Quàm dulcia* enim *faucibus meis eloquia tua*, „ *ſuper mel ori meo!* Et quis perſpicere aut enarrare poſſit per quos af„ fectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut, quæ fugiebat, ſe„ quatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat; ac ſubitò, „ commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, fiant aperta; quæ one„ roſa, ſint levia; quæ amara, ſint dulcia; quæ obſcura, ſint lucida?“

Tournely, tract. de Grat. tom 2. pag. 681 & ſeq.

Addunt homines, juxta S. Auguſtinum, aliis præter peccati delectationem motivis ad peccatum adduci. Sic lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 10. num. 15: „ Nonne ſatis apparuit, inquit, „ etiam illa peccata juſtè imputari, quæ non delectationis illecebrâ

„ committuntur, ſed cauſâ devitandæ moleſtiæ alicujus, aut dolori, „ aut mortis?" Idem docet lib. *de Catechizandis rudibus*, cap. ult. Et Enarrat. in pſalm. 79. num. 13: „ Omnia peccata, inquit, duæ res fa- „ ciunt in homine, cupiditas & timor...... Itaque ad omne rectè fac- „ tum amor & timor ducit; ad omne peccatum amor & timor ducit. „ Ut facias benè, amas Deum & times Deum: ut autem facias malè, „ amas mundum & times mundum." Ergo, concludunt, efficacia gratiæ non ſemper oritur à delectatione victrici.

Reſpondeo per delectationem victricem intelligi à nobis non ſenſum quemdam voluptatis, ſed amorem ipſum ac dilectionem Dei: quæ quidem dilectio ſine aliqua delectatione, ſive ſenſibili, ſive merè intellectuali, concipi nequit, juxta illud S. Thomæ effatum, 1. 2. quæſt. 32. art. 3. ad 3: „ Omne amatum fit delectabile amanti."

Ad hujus autem rei intelligentiam, obſervandum eſt 1° hominem ad omnia quæ deliberatè facit aliquo ſemper amore impelli; quod his verbis exprimit S. Auguſtinus: *Amor meus pondus meum, eo feror quòcunque feror.* 2°. Omnem amorem in homine vel Dei eſſe, vel mundi ſeu rerum creatarum. Amor Dei caritas appellatur, quæ propriè gratia eſt. Amor mundi dicitur cupiditas, ſanarique non poteſt niſi per gratiam, id eſt, per inſpirationem caritatis. 3°. Omnes affectus voluntatis naſci ex amore, qui, prout bonum amatum diverſis modis conſideratur, varias aſſumit formas, variiſque donatur nominibus. Nimirum, ut ait S. Auguſtinus, lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 7. num. 2: „ Amor „ inhians habere quod amatur, cupiditas (ſeu deſiderium) eſt: id au- „ tem habens eoque fruens, lætitia eſt: fugiens quod ei adverſatur, „ timor eſt: idque, ſi acciderit, ſentiens, triſtitia eſt." 4°. Proinde varios illos voluntatis affectus bonos eſſe, ſi ex Dei amore, malos verò atque inordinatos eſſe, ſaltem ratione finis ultimi, ſi ex amore alicujus creaturæ propter ſe dilectæ procedant; ut concludit ibidem S. Doctor. „ Proinde, ait, mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus:" quia nempe, ut paulò ante dixerat „ recta voluntas eſt bonus amor," qui non eſt aliud quàm amor Dei, aut amor creaturarum in ordine ad Deum; „ & perverſa voluntas malus amor," ſeu amor creaturarum propter ſe, nec ad Deum ut finem ultimum relatus. Iſta quatuor latè probavimus ſupra, Differt. 1. Cap. 1 hujus Libri. His autem ſuppoſitis, objectio penitus evaneſcit.

Itaque ad primum, fateor timorem gehennæ ſæpè commendari in Scripturis tanquam ex ſe bonum valde & utilem. Verùm iſte timor vel ſubſervit dilectioni Dei illo ſalubriter utenti, vel ſolus eſt atque à dilectione Dei ſejunctus, & tunc oritur ex amore proprii boni propter ſe dilecti. Si primum, quod fit ex timore illo caſto & initiali, fit ex motivo caritatis & ex delectatione juſtitiæ. Si alterum, timor ſervilis eſt, & quod eo tantùm impellente fit, non fit quidem ex delectatione veri

&

& ſummi boni, ſed neque fit ex gratia Chriſti, adeòque non fit benè ſub omni reſpectu; quàmvis iſte timor, cohibendo actus externos peccati, viam interdum præparet caritati, quæ ſola bonum rectè omni ex parte operatur. Recolite, ſi placet, quæ tum in iſto, tum in præcedenti Libro de timore pœnæ dicta ſunt.

Ad ſecundum, fateor etiam diverſis & innumerabilibus modis peccatores adduci, ſeu potiùs remotè præparari ad converſionem; ſed valde diſtingui oportere gratiam Chriſti interiorem, quæ ſola propriè convertit, à mediis illis exterioribus quæ non ſunt niſi occaſiones ac veluti præambula ſalutis. Nonnunquam vel pudore, vel ærumnis, vel mali alicujus temporalis metu utitur multiformis ſapientia Dei, ſive ad concutiendum peccatorem, ſive ad velandam interiorem gratiæ ſuæ operationem; ſed de fide eſt iſtiuſmodi affectus purè naturales non eſſe gratiam Chriſti de qua diſputamus, nec cuiquam prodeſſe, niſi quatenus per gratiam ſalubres ac proficui redduntur. Abſit ut alia mens fuerit S. Auguſtini in lib. *de Correptione & gratia*, qui nobis objicitur. Laudat quidem, ac meritò, correptionum utilitatem, quibus dolore, pudore, timore anima pungitur. At ſedulò admonet ibidem tunc tantùm correptionem eſſe ſalubrem, quando ſupernus medicus reſpicit, miſeretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit etiam ſine correptione proficere. Pariter S. Proſper, in textu allato, multa quidem enumerat quibus homines trahuntur ad Chriſtum; nuſquam verò dicit illa omnia eſſe gratiam Chriſti medicinalem, neque abſque manifeſta hæreſi id dici potuiſſet. Nam, immediatè ante verba nobis objecta, contemplationem hujus univerſi & prædicationem exteriorem recenſet inter ea quæ ad Chriſtum trahunt. „ Trahit itaque ad Deum, inquit, contemplatio ele-„ mentorum, omniumque, quæ in eis ſunt, ordinatiſſima pulchritu-„ do.... Trahunt rerum geſtarum relatores, animum audientis inflam-„ mant narrantes laudes Domini. Trahit timor; “ & cætera quæ ſupra relata ſunt. Ubi perſpicuum eſt varia auxiliorum, ſive naturalium, ſive ſupernaturalium, ſive exteriorum, ſive interiorum genera à S. Doctore ita commemorari, ut gratia propriè dicta tanquam ſupereminens ultimo loco recenſeatur. Et verò gratiæ efficaciam in eo ponit S. Proſper, quòd animus humanus *quæ oderat diligat*, *quæ faſtidiebat eſuriat*, quæ „ illi erant oneroſa ſint levia, & quæ amara, ſint dulcia.“ Hunc verò proprium cœleſtis delectationis effectum eſſe nemo non intelligit.

Ad tertium reſpondeo, quod ex S. Auguſtino objicitur, nullatenus pugnare cum doctrina ab ipſo conſtanter tradita, nempe omnia peccata, quæ ab hominibus committuntur, naſci ex prava cupiditate & inordinata delectatione. Cùm autem malorum temporalium timor nihil aliud ſit, quàm amor eorum bonorum quorum timetur amiſſio, quiſquis ex hujuſmodi timore peccat, ex amore alicujus boni creati peccat, quàmvis non ſemper peccat ex amore illius mali quod peccando facit.

 Ob-

Epiſcop. Sueſſion. Epiſt. 5 Paſtor. 1. part. § 52 pag 77: & Tournely, tom. 2 de Gratiâ, pag. 684.

Objiciunt 3°, ut probent vires delectationis cœleſtis non eſſe relativas, S. Auguſtinum, lib. 8 *Confeſſionum*, cap. 8. num. 20, de ſeipſo teſtari ſe non feciſſe „ quod incomparabili affectu magis ſibi placebat." Eo teſtimonio ſanè decretorio, ait Tournely, mirè premuntur delectationis ſuperioris defenſores.

Reſpondeo nos, nedum illo premamur, potiùs pudere vel fraudis, vel, ut minus loquar, præoccupationis adverſariorum, quos de tam futili argumento gloriari non pudet. Enimverò illo in loco non loquitur S. Doctor de delectationibus ſecum mutuò luctantibus, quarum inferior ſuperiorem vicerit, quod ſupponit objectio; ſed dicit ſe, illo ipſo tempore quo converti partim volebat, partim nolebat peccati affectu diuturnâ aſſuetudine roborato retentus, multos per corpus externos actus feciſſe, qui ſibi multò minùs placebant quàm caſtitas, quam plenâ & integrâ voluntate amplecti nondum valebat. En ipſius verba: „ Denique, ait, „ tam multa faciebam corpore, in ipſis cunctationis æſtibus, quæ aliquando volunt homines, & non valent, ſi aut ipſa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel reſoluta languore, vel quoquo modo impedita ſint. Si vulſi capillum, ſi percuſſi frontem, ſi „ conſertis digitis amplexatus ſum genu, quia volui feci: potui autem „ velle & non facere, ſi mobilitas membrorum non obſequeretur. Tam „ multa ergo feci, ubi non hoc erat velle quod poſſe; & non faciebam „ quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, &, mox ut vellem, poſſem, quia, mox ut vellem, utique vellem: ibi enim facultas ea quæ voluntas, & ipſum velle jam facere erat; & tamen non „ fiebat, faciliùſque obtemperabat corpus tenuiſſimæ voluntati animæ, „ ut ad nutum mentis membra moverentur, quàm ipſa ſibi anima ad „ voluntatem ſuam magnam in ſola voluntate perficiendam." Declarat ibi S. Doctor ſe tunc non feciſſe id quod volebat, & quod facere non aliud erat quàm velle: multa autem feciſſe quæ tenuiſſime volebat, & quæ non ipſâ voluntate, ſed membris corporis fiunt, quale eſt percutere frontem, & alia id genus. Non ergo agitur de voluntatibus ſibi mutuò oppoſitis & ſecum invicem pugnantibus, ſed de voluntatibus omnino diſparatis, quorum unam, licet tenuem, faciebat, quia nulla obſiſtebat fortior voluntas; alteram autem, nempe totum ſe Deo conſecrandi, licet magnam, non faciebat, contrariâ voluntate ac robuſtiore obſiſtente, ut ipſemet explicat cap. ſequente, his verbis: „ Unde hoc „ monſtrum, & quare iſtud?..... Imperat animus corpori, & paretur „ ſtatim; imperat animus ſibi, & reſiſtitur. Imperat animus ut moveatur manus, & tanta eſt facilitas ut vix à ſervitio diſcernatur imperium...... Imperat animus ut velit animus, nec alter eſt; nec facit „ tamen. Unde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat, inquam, ut „ velit, qui non imperaret niſi vellet, & non fit quod imperat. Sed „ non ex toto vult; non ergo ex toto imperat; nam in tantùm impe-

„ rat,

„ rat, in quantùm vult...... Non igitur monſtrum partim velle, par-
„ tim nolle, ſed ægritudo animi eſt, qui non totus aſſurgit veritate ſu-
„ blevatus, conſuetudine prægravatus.“ Idcirco igitur non plenè convertebatur, quàmvis converti vellet, quia delectatione & conſuetudine peccandi magis gravabatur quàm veritate ſublevabatur, id eſt, ut ibidem, cap. 5. num. 10, dixerat, quia „ voluntas nova, quæ (ipſi) eſſe „ cœperat,... nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate ro- „ boratam.“ Nedum igitur doctrina noſtra inde oppugnari poſſit, quin etiam invictè adſtruitur.

Objiciunt 4°. S. Thomas, 3. part. q. 62. art. 6. ad 3, & quæſt. 70. art. 4. in corpore, docet „ minimam gratiam poſſe reſiſtere cuilibet „ concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale.“ Ergo virtus gratiæ non eſt relativa, ſed abſoluta. Tournely, ibid. pag. 324.

Reſpondeo 1° hoc textu juvari non poſſe Tournely aliosque conſimiles Theologos, qui ſentiunt gratiam, quæ ſufficit ad orandum & alia quædam facilia facienda, non ſufficere ad difficiliora legis opera implenda. Proinde falſum eſt in eorum principiis omnem gratiam actualem, etiam minimam, poſſe reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ. Quid igitur talia objiciendo efficiunt, niſi ut, quod unâ manu ædificant, alterâ deſtruant?

Reſpondeo 2° Doctorem Angelicum in utroque loco non loqui de actuali gratiæ auxilio, ſed de gratia habituali, quæ, hoc ipſo quòd in corde regnet, ſemper concupiſcentiâ ſuperior eſt. Hanc eſſe mentem S. Thomæ patet ex ſcopo quem ſibi proponit. Refellit quippe nonnullos ætatis ſuæ Theologos, qui docebant, quod ipſe quoque junior ſenſerat, circumciſionem & alia veteris legis ſacramenta contuliſſe gratiam habitualem, quantùm ad aliquos ejus effectus, non quantùm ad omnes; id eſt, peccatum quidem remiſiſſe & jus ad vitam æternam tribuiſſe, ſed vires non contuliſſe ſufficientes ad reprimendam concupiſcentiam & ad implenda mandata: eos, inquam, inde refellit, quòd gratia habitualis non magis ab iſto ultimo effectu ſejungi poſſit quàm à cæteris ipſi annexis; „ quia, inquit, minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & „ vitare omne peccatum mortale. Minima enim caritas plus diligit „ Deum, quàm cupiditas (in eodem homine exiſtens) millia auri & „ argenti.“ En ratio propter quam minima gratia habitualis poteſt, juxta S. Thomam, reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ; quia nimirum per minimam caritatem ſanctificantem homo Deum plus diligit dilectione habituali, quàm millia auri & argenti. Ergo, à pari, gratia actualis tunc vim habet ſuperandi cupiditatem actualem oppoſitam, quando per eam plus actualiter diligitur Deus quàm quælibet creatura. Sic adverſariorum tela in ipſos recidunt ipſoſque feriunt. Ipſe Tournely fateri cogitur S. Thomam, locis citatis, loqui de gratia ſanctificante & habituali. Sed, inquit, pag. 314, in doctrina S. Thomæ actualia gratiæ auxilia nunquam

 non

non juncta ſunt cum habituali caritate. Demus id ita eſſe. Num idcirco Angelicus Doctor de minima gratia actuali loquitur? Unde verò probat Tournely gratiam actualem ſemper jungi cum habituali? Quia, inquit, S. Thomas docet, præter gratiam habitualem, neceſſariam eſſe gratiam actualem ſine qua habitualis nunquam in actum erumpit. Egregia ſanè probatio! Gratia habitualis nunquam rectè operatur ſine auxilio actuali; ergo ſemper adjunctum habet auxilium actuale, etiam quando non operatur. Qualis ratiocinandi modus! Quomodò non advertit Sorbonicus Doctor auxilium Dei moventis, quod, in mente Doctoris Angelici, præter habitualem gratiam neceſſarium eſt, gratiam eſſe non ſufficientem, ſed efficacem; proinde aut nihil inde probari, vel probari caritati habituali auxilium ſemper effixax eſſe conjunctum: quod nec ipſe dixerit?

Objiciunt 5°. Si de naturaj voluntatis eſt ut, quod magis eam delectat, ſecundum id ſemper operetur, explicari nequit quomodò plurimi ex Angelis ac primus homo peccaverint, in tanta, quâ perfundebantur, gratiæ delectatione, cui ne levis quidem concupiſcentiæ afflatus repugnabat. Quid enim evidentius, quàm eos non feciſſe quod ampliùs eos delectabat? 2°. Explicari pariter non poteſt quomodò primus homo ſanus fuerit ac robuſtus, nos verò infirmi ſimus ac debiles. Siquidem ille lapſus eſt nullo prorſus concupiſcentiæ motu impulſus: nos verò nunquam peccamus, in iſto ſyſtemate, niſi proritante malæ delectationis incitamento.

Reſpondeo longè diverſam eſſe rationem hominis integri & hominis lapſi. Homo lapſus, volens, nolens, ex morbo concupiſcentiæ, quem per peccatum contraxit, impellitur ad malum; & ideò opus habet gratiâ præveniente & medicinali, quæ ſibi pugnandi vincendique virtutem ſubminiſtret. At homo innocens, omnis concupiſcentiæ expers, non opus habebat eo delectationis prævenientis adjutorio quod imploramus, cùm dicimus: *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*
R. m. VII. *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Perfundebatur quidem magno delectationis ſenſu, ſed tali qualis tantæ paci nobis inexpertæ congruebat; qui voluntatem non præveniret, ſed rectè volentem & agentem comitaretur ac ſequeretur; quique ad hoc potiùs quàm illud non impelleret, quia, quòcunque ſe verteret, æquali ſemper, quandiu Deo ſubditus manſit, delectatione fruebatur. Quamobrem peccare potuit, ſicut reverâ peccavit, quieſcens in ſuî ipſius dilectione, quâ liberè delectatus eſt; nec contra id quod ampliùs eum delectabat peccato conſenſit, quia nullus actualis delectationis motus voluntatem ejus preveniebat, & ad aliquid determinatè impellebat, ſed operantem comitabatur, ut latius expoſitum eſt, ubi de adjutorio ſtatûs innocentis ac de Adami peccato egimus.

Nec inde ſequitur infirmiorem eſſe Adamum, dum, nullo concupiſcen-

centiæ motu alliciente, peccavit, quàm nos qui nonniſi concupiſcentiâ abſtracti & illecti peccamus: immò ſequitur, præter innatam creaturæ fragilitatem ad nihilum ſemper ex ſeipſa vergentis, quam quidem fragilitatem nobiſcum communem habuit Adamus, & quæ planè ſufficit ad peccandum, ineſſe nobis vehementem pronitatem ad malum ex peccato originali contractum, quæ in Adamo non fuit, & cui cedimus quoties in peccatum labimur.

Objiciunt 6° doctrinam delectationis relativè victricis in pluribus ſecum ipſâ pugnare, nec ſibi cohærere. Tournely. ibid. pag. 693.

1°. In ea conciliari vix poteſt quomodò delectatio gratiæ, quàmvis tenuiſſima, nihilominùs deliberatum aliquem in voluntate dilectionis motum ſemper producat, quantacunque ex adverſo pugnet cupiditas. An enim tanta eſſe non poteſt actualis cupiditatis vehementia, ut tenuiſſimæ illius gratiæ ſenſum omnem penitus extinguat & præſocet?

2°. Si voluntas ſine aliqua delectatione moveri nullo pacto poteſt, ſequitur actus ipſos naturales ac civiles ſine prævia delectatione fieri non poſſe. Quod ſi ita ſit, fruſtra diſtinguitur inter bonum honeſtum, delectabile & utile. Præterea vel hujuſmodi delectatio, ad quemlibet actum naturalem vel civilem neceſſaria, voluntatem infallibiliter ad agendum determinat, vel non. Si primum dixeris, reclamat experientia; quicunque enim ad ambulandum v. g. delectatione ſollicitatur, non propterea infallibiliter ſeſe determinat ad ambulandum, tametſi ſuperior ac prædominans in eo ſupponatur illa delectatio. Si ſecundum, ruit totum ſyſtema.

3°. Juxta defenſores iſtius doctrinæ, neceſſe non eſt eum, qui majori delectatione determinatè movetur ad aliquod peccatum, illud reipſâ committere; fierique poteſt ut ſeipſum ad aliud peccatum inflectat. Porro ſi voluntas ſatis virium habet ut, non obſtante ſuperiore delectatione ad hoc vel illud peccatum trahente, poſſit ſeſe ad aliud convertere, cur in conflictu duarum delectationum, cœleſtis ac terrenæ, non poterit inferiori obſequi & ſecundùm illam operari?

Reſpondeo non minùs chimericum eſſe aſſertores delectationis victricis pugnantia dicere, quàm certum eſt illorum adverſarios illud vitium effugere non poſſe, quandiu, gratiam admittendo quæ ad orandum ſufficiat, ad opera verò difficiliora exercenda non ſufficiat, admittere tamen nolint vim & efficaciam gratiæ relativam eſſe; vel quandiu, ex una parte, deliberationem relativè victricem tanquam libertatis inimicam, ac neceſſitatem voluntati inferentem traducunt, & ex altera delectationem abſolutè & in omnibus circumſtantiis per ſe victricem ab iſta calumnia liberant. Verùm, ut eorum argumenta paucis diſſolvam:

Ad 1um reſpondeo „ ad dogma delectationis relativæ non multùm intereſſe, fatente ipſo Tournely qui hoc nobis objicit, „ utrùm liber „ vel indeliberatus tantùm actus ex gratia purè ſufficiente, ut vocant, Tom. 1. tract. de Gratia, pag. 670.

„ pro-

Ibid. pag. 659. „ producatur, ac pleroſque illius defenſores ad hanc ſubtiliorem quæſ-
„ tionem non attendiſſe.“ Cur ergo eam ob cauſam iſtam doctrinam ut malè ſibi cohærentem exhibet? Cæterum quid impedit quominùs gratia, quàmvis tenuis, aliquem deliberatum actum imperfectum, v. g. tenue ac inefficax boni deſiderium, ſemper exprimat? Vehementia cupiditatis oppoſitæ impedit quidem ne voluntas illud bonum operetur, ad quod per gratiam tenuem excitatur: at cur obſtaret quominùs illam ſentiat, illique aliquatenus ſaltem conſentiat? *Video meliora proboque; deteriora ſequor.*

Ad 2um reſpondeo plurimos eſſe vitæ civilis actus, qui conſiderantur ut indifferentes, atque ut media æqualia, ad quos proinde nullâ prævià delectatione impellimur. At quoties in aliquem actum etiam civilem magis inclinamur quàm in alium, ut frequentiſſimè accidit, toties eum certò & infallibiliter operamur; quoniam majorem in illo quàm in aliis boni ſpeciem apprehendimus. Neque idcirco evaneſcit Philoſophica illa diſtinctio inter bonum honeſtum, delectabile, & utile. Quàmvis enim omne bonum, in quantùm bonum videtur, nos delectet, nec amaretur niſi delectaret, non tamen omne bonum ſub eodem reſpectu delectat; ſed aliud delectat propter conformitatem cum recta ratione & regulis morum, & dicitur bonum honeſtum; aliud delectat propter voluptatis ſenſum quem in nobis excitat, & vocatur bonum jucundum ſeu delectabile; aliud delectat propter facilitatem quam afferre creditur ad conſequendum finem amatum, & appellatur bonum utile. Inter iſta autem bona poſita voluntas non ſemper quidem eligit bonum jucundum, quod ſenſus afficit, ſed ſemper id eligit & ſecundum id operatur, quod ipſi magis placet, hoc eſt, quod magis amat: v. g. qui vitæ honeſtatem plus amat quàm voluptates ſenſuum, illam in occurſu ambarum infallibiliter præponet; & qui vitam ſuam multùm amat, medicamentum amarum, ſed ad ſanitatem recuperandam utile ac neceſſarium, certò certiùs aſſumet.

Ad 3um reſpondeo defenſores delectationis relativè victricis docere quidem peccatum, quod valde delectat, ſuperari poſſe ſine gratia per aliud peccatum; quia non raro contingit ut, quod nunc magis placet, novâ conſideratione adhibitâ, aut ipſo experimento rerum, poſteà minus placeat; ac viciſſim ut, quod prius minus placuit, poſteà vel uſu, vel aliis cauſis ſupervenientibus, magis placeat; ſicque interdum unum peccatum alio peccato tanquam clavum clavo expelli. Sed nunquam docuerunt fieri poſſe ut inter duo peccata voluntas illud eligat quod minùs eam delectat, vel illud reſpuat quod hîc & nunc ampliùs ipſam delectat. Ubinam eſt ergo vel leviſſimæ contradictionis umbra?

Objiciunt 7° multa abſurda & incommoda ſequi ex doctrina delectationis relativè victricis. 1um. Juxta illam, vel nulli, vel omni gratiæ reſiſti: nulli quidem, quia gratia quælibet eum omnem effectum produ-

ducit, quem producere nata eſt relativè ad reſiſtentiam cupiditatis: omni autem, quia, quemlibet effectum gratia producat, majorem tamen produceret, ſi non obeſſet concupiſcentiæ reſiſtentia. 2um. In illa penitus evaneſcere diſcrimen gratiæ efficacis, & gratiæ excitantis & inefficacis. Nam gratia excitans victrix foret ſi debiliorem offenderet cupiditatem; & gratia victrix eſſet inefficax ſi impingeret in majorem cupiditatem. Nec dicas duplicem illam gratiam diſtingui per effectum plenum & integrum, quem gratia victrix certò & infallibiliter conſequitur, excitans verò non conſequitur: iſtud quippe diſcrimen non eſt intrinſecum gratiæ, ſed accidentarium & extrinſecum. 3um. Hujus doctrinæ aſſertores coguntur recurrere ad ſcientiam mediam, à qua tantopere abhorrent. Neceſſe eſt enim Deum, antequàm decernat gratiam victricem alicui conferre, explorare quot ille habeat cupiditatis gradus, ut nempe ſuperiorem accommodet gratiæ delectationem; alioquin de gratiæ exitu incertus futurus eſſet. 4um. Poſitâ illâ doctrinâ, nullam propriè loquendo dari gratiam ex ſe, ſeu virtute intrinſecâ, victricem & efficacem. Nam efficacia delectationis ſuperioris non tam ex interna ipſius virtute pendet, quàm ex minori oppoſitæ cupiditatis reſiſtentia. Egregiam verò, inquiunt, gratiæ Chriſti laudem, quòd tunc oppoſitam cupiditatem vincat, quando gradibus ſuperior fuerit; tunc contra vincatur, quando fuerit inferior! Perinde ſanè eſt ac ſi quis in bellando ſtrenuus ac invictus imperator diceretur, qui de hoſtibus victoriam reportaret quoties eos numero copiarum ſuperaret; toties verò in fugam verteretur & ſuccumberet, quoties numero paulò impari decertaret. 5um. Vel gratiæ delectatio victrix debet eſſe ſenſibilis, vel non debet. Primum eſt abſurdum & experientiæ contrarium. Alterum quoque dici nequit; quia ſi terrena delectatio eſſet ſenſibilis, cœleſtis verò non eſſet ſenſibilis, quæcunque inter illas ſupponatur graduum æqualitas, nulla tamen eſſet proportio. 6um. Modus, quo Chriſti gratia victrix contumacem hominis voluntatem frangit ac domat, Auguſtino ſemper viſus eſt occultus, explicatu difficilis, ineffabilis. „ Legant, inquit lib. *de* „ *Gratia Chriſti*, cap. 24, & intelligant; intueantur, atque fatean- „ tur...... internâ & occultâ, mirabili & ineffabili poteſtate operari „ Deum in cordibus hominum bonas voluntates." At verò, in doctrina delectationis relativè victricis, modus explicandi gratiæ vim efficacem planus eſt, facilis, apertus. Quis enim adeò ſtupidus eſt, ut non facilè intelligat inter duos colluctantes eum vincere, qui viribus altero prævalet; inter duo pondera inæqualia in bilance poſita, quod majus eſt ad ſe neceſſariò trahere quod minus eſt? Eodem modo, proportione ſervatâ, res ſe habet in ſententia delectationis relativè victricis.

Reſpondeo iſtiuſmodi cavillis, quantùmvis multiplicentur, ne tantillum quidem labefactari doctrinæ noſtræ certitudinem.

Ad 1um reſpondeo idem dici poſſe de cauſis omnibus phyſicis, quæ, te-

tametſi per ſe efficaces, majorem tamen vel minorem effectum pro varia ſubjectorum diſpoſitione producunt: v. g. de igne, qui tantò faciliùs & certiùs comburit, quantò materia eſt ſiccior; de medicamentis alioqui efficaciſſimis, quæ tamen magis aut minùs, relativè ad morbi gravitatem, operantur. Sicut enim cauſis phyſicis reſiſti dicitur, quando effectu carent ad quem tendunt, non reſiſti autem quando illum aſſequuntur; ita alicui gratiæ reſiſtitur, quando videlicet non fit opus bonum ad quod illa excitat, & alicui non reſiſtitur, ei nempe quæ effectum ad quem impellit, domità voluntatis reſiſtentià, ſortitur. Et ſanè ſacramenta Chriſti, quàmvis gratiam contineant ac conferant ex opere operato, ut loquuntur Theologi, æqualem tamen gratiæ gradum in hominibus etiam ritè diſpoſitis non operantur, ſed inæqualem & uniuscujusque diſpoſitioni proportionatum.

Ad 2um fateor gratiam quæ victrix eſt, & gratiam quæ eſt merè excitans, in hominibus diverſimodè affectis non differre intrinſecè, ſicut ignis qui ſtuppam vel arida ſarmenta comburit, lignum verò aquâ madidum non comburit, non differt intrinſecè à ſeipſo. Si verò ſupponantur duo homines ſimili modo affecti, gratia, quæ unum convertit, intrinſecè ac per plures virtutis gradus differt à gratia quæ alterum non convertit. Quemadmodum enim in morbis corporalibus ejusdem gravitatis eadem requiritur vis medicamentorum, inæqualis autem in morbis inæqualibus; ita etiam, ad ſanandos voluntatis morbos, modò potentior, modò debilior medicinalis gratiæ virtus neceſſaria eſt.

Ad 3um dico, (quidquid ſit de Auguſtinianis, qui præmotionem phyſicam non admittunt, an ſcilicet, pro ſtatu naturæ innocentis & pro naturalibus hujusce ſtatûs actibus, recurrere debeant ad ſcientiam aliquam mediam, de quo dictum eſt alibi) dico, inquam, abſurdum eſſe aſſerere effectum gratiæ futurum, in doctrina delectationis relativæ, à Deo cognoſci certò non poſſe niſi ope ſcientiæ mediæ. Hujus argumenti ſolutionem ſuppeditabit ipſe Tournely, qui illud objicit. Nam ſive inſigni fraude, quam ſuſpicari nolim, ſive principiorum ſuorum inconſtantiâ, ſive cauſæ quam tuetur inſeparabili vitio, dum hoc in loco delectationem relativam eo pretextu rejicit, quòd ſine ope ſcientiæ mediæ propugnari nequeat, in alia ſui Tractatûs parte triplex, inter ſententiam delectationis relativæ & ſententiam Congruiſtarum ſcientiæ mediæ patronorum, diſcrimen apertum agnoſcit. „ Primò, ait, in ſententia „ recentiorum (id eſt, in ſententia aſſertorum delectationis relativè vic„ tricis) eſt connexio infallibilis & neceſſaria inter ſuperioritatem de„ lectationis gratiæ, & conſenſum voluntatis ex vi & ſuperioritate ip„ ſius gratiæ: nihil ſimile in ſententia Congruiſtarum reperitur; nulla „ enim connexio infallibilis, in illa ſententia, niſi dependenter à ſcien„ tia media. 2°. Deus videt neceſſitatem connexionis inter delectatio„ nem & conſenſum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: in ſententia „ Con-

Tom. 2. pag. 6,8.

Tom. 1. pag. 683.

„ Congruiſtarum videt in ſcientia media futuritionem conditionatam „ conſenſûs. 3°. Scientia exploratrix, quâ Deus explorat diſpoſitiones „ ſubjecti, ſeu gradus futuros concupiſcentiæ, eſt ſcientia viſionis: ſcientia verò exploratrix in ſententia Congruiſtarum eſt ſcientia media." Quis unquam fuit tam diſſimilis ſibi? Eodem ore oppugnantur & vindicantur Auguſtiniani: *mentita eſt iniquitas ſibi.* Pſalm. 26.

Ad 4um reſpondeo delectationem ſuperiorem ex ſe ac virtute intrinſecâ efficacem eſſe, comparatè ad reſiſtentiam cupiditatis; quemadmodùm forte ac potens medicamentum per ſe efficax eſt comparatè ad gravitatem morbi ſuperandi. En rurſus mentitur iniquitas ſibi. Qui enim hic objicit gratiam in delectatione relativa ſitam non eſſe ex ſe & ab intrinſeco efficacem, idem alio in loco mox citato declarat „ eſſe connexio„ nem infallibilem & neceſſariam inter ſuperioritatem delectationis gra„ tiæ, & conſenſum voluntatis, ex vi & ſuperioritate ipſius gratiæ;" atque adeò ſententiam noſtram planè differre à ſententia Congruiſtarum. Inſulſè prorſus ac frigidè ridetur efficacia illa relativa, tunc ſolum victrix, quando minor eſt cupiditatis reſiſtentia: quaſi verò cauſis creatis ac finitis aliud efficaciæ genus attribui queat. Notandum quippe eſt (quod jam obſervavimus) immenſum diſcrimen eſſe gratiam increatam inter & gratiam creatam. Gratiæ increatæ, hoc eſt, miſericordiſſimæ voluntatis divinæ operatio abſoluta eſt, omnipotens, atque ejus quod operari voluerit ſemper adeò efficax, ut ei nihil reſiſtat nec reſiſtere poſſit. At gratiæ creatæ virtus finita eſt ac ſuperabilis, adeòque neceſſariò relativa ad obices ſuperandos. Proinde non niſi abſurdè illius vis & efficacia comparatur cum virtute invicti imperatoris: qui potiùs comparari poſſet cum gratia increata, Deo ſcilicet, cujus inſtrumentum & quædam imago eſt, quique, quando vult, omnia ſibi obſiſtentia præpotenti virtute ſuperat. Ut autem aptiori comparatione utamur: Chriſtus, gratiæ auctor omnipotens eſt medicus, cui nullus languor inſanabilis ocurrit: gratia verò interior, quam nobis inſpirat, eſt veluti medicamentum infirmitatum noſtrarum. Ridendum quidem ſe præberet, qui medici ſummam peritiam inde prædicaret, quòd leves morbos ſolitis remediis expelleret: at efficacis potionis quæ alia laus eſſe poteſt, niſi quòd morbi vim ſuperaverit? Supremus animarum medicus quæcunque vult ſanat; ſed non omnes abſolutâ voluntate ſanare vult, &, quos vult ſanare, non ſtatim plerùmque, nec unico medicamento, ſed paulatim repetitiſque gratiæ opitulationibus ſanat, non defectu potentiæ, ſed conſilio medicinæ.

Ad 5um reſpondeo delectationem gratiæ plerùmque non eſſe ſenſibilem; non idcirco tamen non habere proportionem virium requiſitam ad ſuperandas ſenſibiles carnis delectationes: quaſi verò aut animus ſuis delectationibus careat, aut animi delectationes minùs potentes ſint quàm corporis delectationes.

Digitized by Google

Ad 6[um] reſpondeo S. Auguſtinum nunquam dixiſſe gratiæ operandi modum ſibi eſſe incognitum; imò conſtanter docuiſſe Deum, qui eſt gratia increata, omnipotentiſſimâ ſuâ voluntate in nobis operari quidquid bonum eſt, ejuſque operatione fieri in nobis dilectionem ac delectationem ſummi boni, quæ, quando ſuperior eſt, oppoſitas cupiditates propriâ ſuâ virtute vincit. Ait quidem potentiam illam divinam occultam eſſe & ineffabilem. Quis verò id neget? Sanè adeò occulta eſt, ut eos prorſus lateat, qui efficaciam gratiæ ex omnipotentia divina derivari negant. Adeò eſt ineffabilis, ut nemo eam vel mente complecti, vel oratione dignè exprimere valeat. Gratiæ quoque creatæ per victricem delectationem agendi modus non ita facilis ac planus eſt, ut ſupponit Tournely. Teſtem ipſum appello: ſi planum eſt hominem ſemper obſequi majori delectationi, cur id ipſe adeò pertinaciter negat? Cur tot argumentis è rationis penu depromptis doctrinam illam aggreditur? Cur innumeris difficultatibus eam cogi contendit?

CAPUT SEXTUM.

De concordia gratiæ ſeipſâ efficacis cum libero voluntatis arbitrio.

DOCTRINA gratiæ per ſe efficacis planè tolli liberum voluntatis arbitrium, vetus eſt Paganorum & Pelagianorum calumnia, ut oſtendimus Cap. 1. Art. 5. Probat. 11. Non ergo mirum eſt idem etiamnum à gratiæ adverſariis nobis objici. Talibus objectionibus, quas humanæ rationis cæcitas ac ſuperbia exaggerare ſolent, ſi non pateremus, deſertæ SS. Patrum doctrinæ meritò culpari poſſemus: è contrario quòd eis inceſſanter impetamur, id gloriæ & honori tantùm ducimus, quantùm dedecori adverſariis eſſe deberet, quòd obſoletas dudum hæreticorum criminationes occinere non deſinant. Quid enim aliud inde demonſtrant, niſi ſe cum antiquis gratiæ impugnatoribus erroris ſocietatem habere, quorum armis utuntur? Quamobrem cum Semipelagiani hoc ipſo nomine doctrinam Eccleſiæ infamarent, S. Proſper in carmine de Ingratis, cap. 26, inde probat errorem Pelagianorum ab eis non penitus rejici, quòd eorum argumenta retractarent.

Sic ipſorum criminationes exponit ibidem his verbis:

Hic vanam inſano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrii ſublatum vociferantes,
Currere currentûm ſi non, & velle volentûm eſt:

Nec

Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si vel naturam obſtrictam mala velle neceſſè eſt,
Vel noſtro adſcribi nequeunt benè geſta labori.

Sic verò capite ſequenti illam repellit:

Numquid non eadem ſapiunt eademque perorant
Veſtri illi, quorum ructatis verba, magiſtri?
Sed, quia conſimili cognata ſuperbia quæſtu
Proſilit, & vobis nunc reſpondetur, & illis.

Et rurſus cap. 28:

Cognoſcite tandem
Antiqui commenta doli; & deſueſcite captas
Aures vipereo rurſum præbere ſuſurro.

Hominem liberi eſſe arbitrii, atque ad bonum aut ad malum non neceſſitate impelli, ſed libera voluntate ita moveri ut poſſit ferri ad opoſitum, & fides docet, & ſenſus intimus convincit. Gratiam ſeipſâ efficacem eſſe docent ſacræ Litteræ, SS. Patres teſtantur, momenta invictiſſima demonſtrant. Ambo illa firmiſſimâ fide credenda ſunt, etiamſi quo pacto ſecum cohæreant minùs intelligeretur. „ Ubi ſentitis vos non intelligere, aiebat S. Auguſtinus in Epiſtola 214 ad Valentinum Abbatem & Monachos Adrumetinos, num. 7, „ interim credite divinis eloquiis, „ quia & liberum eſt hominis arbitrium, & gratia Dei, ſine cujus adjutorio liberum arbitrium nec converti poteſt ad Deum, nec proficere in Deo: &, quod piè creditis, etiam ut ſapienter intelligatis „ orate.“

Pelagiani, ut liberum voluntatis arbitrium defenderent, gratiam de medio ſuſtulerunt, vel humanæ voluntati ſubdiderunt. Lutherus ac Calvinus, ut gratiæ vim integram ſervarent, liberum arbitrium penitus abjecerunt. Illi liberum arbitrium, quod tueri volebant, eo ſublato per quod verè liberum efficitur, inerme omnique præſidio deſtitutum reliquerunt. Hi verò gratiæ efficaciam, dum exaggerare conati ſunt, reipſâ depreſſerunt, dum non ſatis virium in illa agnoſcunt, ut voluntatem humanam, illæſâ ipſius libertate, ad bonum determinet.

Moliniani & Congruiſtæ idcirco à confeſſione gratiæ ſeipſâ efficacis abhorrent, ut libertatis arbitrio ſua jura ſerventur. Sed cur non metuunt ne, ſoli libero arbitrio attributâ virtute ſeipſum efficaciter determinandi ad bonum, gratiæ jura, quæ multò ſanctiora nobis eſſe debent, periclitentur. Sumant ſibi hæc verba auctoris librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 1: „ Inter voluntatem humanam & gratiam Dei,

Digitized by Google

inquit, „ quorumdam non ſana diſcretio eſt, exiſtimantium quòd præ-
„ dicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, nec advertentium eâdem
„ regulâ ſibi poſſe objici quòd gratiam negent, cùm eam humanæ vo-
„ luntatis non ducem volunt eſſe, ſed comitem. Si enim tollitur vo-
„ luntas, niſi ipſa eſt verarum origo virtutum, tollitur gratia niſi ipſa
„ eſt bonorum cauſa meritorum.“ Non pigeat audire Illuſtriſſimum
Boſſuetum ſalubriter monentem, in libris adverſus Proteſtantes, ne hac
de re plus ſapere velimus quàm oportet ſapere, ſed ſapiamus ad ſobrie-
tatem. Sic Præſul ille doctiſſimus reſpondebat Jurito Calviniano: „ Il
„ voudroit (Jurieu) que je lui appriſſe comment j'accorde le libre arbi-
„ tre, ou le pouvoir de faire ou ne pas faire, avec la grace efficace &
„ les decrets éternels. Foible Theologien, qui fait ſemblant de ne
„ pas ſavoir combien de vérités il nous faut croire, quoique nous ne
„ ſachions pas toujours le moyen de les concilier enſemble. Que di-
„ roit-il à un Socinien, qui lui tiendroit le même langage qu'il me
„ tient, & qui lui diroit: Je voudrois bien que M. Jurieu nous expli-
„ quât comment l'unité de Dieu s'accorde avec la trinité? Entrera-t-il
„ avec lui dans la diſcuſſion de cet accord, & s'engagera-t-il à lui ex-
„ pliquer le ſecret incompréhenſible de l'être divin? Ne croiroit-il pas
„ l'avoir vaincu en lui montrant que ces deux choſes ſont également
„ revelées, & par conſequent, malgré qu'il en ait, malgré la petiteſſe
„ de l'eſprit humain qui ne peut les concilier parfaitement, qu'il faut
„ bien que l'infinité immenſe de l'être de Dieu les concilie & les uniſ-
„ ſe? Mais ſans nous arrêter à ce myſtere, qu'eſt-ce en tout & par-
„ tout que notre foi, qu'un recueil de verités ſaintes qui ſurpaſſent no-
„ tre intelligence, & que nous aurions non pas crues, mais entendues
„ parfaitement & evidemment, ſi nous pouvions les concilier enſemble
„ par une méthode manifeſte? Car par là nous en verrions, pour ainſi
„ dire, tous les tenants & aboutiſſants. Nous en verrions les dénoue-
„ mens autant que les nœuds, & nous aurions en main la clef du myſte-
„ re, pour y entrer auſſi avant que nous voudrions. Mais cela n'eſt pas
„ ainſi; & quand cela ſera, ce ne ſera plus cette vie, mais la future; ce
„ ne ſera plus la foi, mais la viſion. Que faut il faire en attendant,
„ ſinon de croire & adorer ce qu'on n'entend pas, unir par la foi ce
„ qu'on ne peut encore unir par l'intelligence, & en un mot, comme
„ dit S. Paul, *reduire ſon eſprit en captivité ſous l'obéiſſance de Jeſus-Chriſt?*
„ Ceux qui ne peuvent s'y réſoudre ne trouvent que des ecueils dans
„ la doctrine chretienne, & font autant de naufrages qu'ils décident
„ de queſtions; car il y a partout de la difficulté, à laquelle ſi on ſuc-
„ combe, on périt. Et pour venir en particulier à celle où nous ſom-
„ mes, le Socinien qui éprouve en lui même la liberté de ſon choix,
„ nulle raiſon ne lui peut ôter cette expérience: mais ne pouvant ac-
„ corder ce choix avec la preſcience de Dieu, il nie cette preſcience,
„ il

2. Avert. aux Pro[illegible]ſt. art. 10. T. II. pag. 6.

Digitized by Google

„ il ſuccombe à la difficulté, & il ſe briſe contre l'écueil; &, comme „ dit S. Paul, *il fait naufrage dans la foi.* Le naufrage du Calviniſte „ qui, pour ſoutenir la preſcience ou la providence, ôte à l'homme la „ liberté de ſon choix, & fait Dieu auteur néceſſaire de tous les évene- „ mens humains, eſt-il moindre? Point du tout. L'un & l'autre „ s'eſt briſé contre la pierre. Celui qui tient enſemble les deux vé- „ rités, que les autres commettent enſemble & detruiſent l'une par „ l'autre, qui les concilie le mieux qu'il peut, &, ſachant bien qu'il „ n'eſt point dans le lieu d'entendre, les ſurmonte par la foi, en atten- „ dant qu'il y atteigne par l'intelligence, faudroit-il dire à M. Jurieu, „ s'il étoit Théologien, que c'eſt le ſeul qui navige ſurement, & qui „ ſeul pourra parvenir à la verité comme au port?"

His præmiſſis, quæ ſummi ſunt momenti, ad quæſtionem ipſam veniamus, & cautè procedamus.

Non aliam ſanè ob cauſam concordia gratiæ cum libero voluntatis arbitrio explicatu difficilis & operoſa ſemper viſa eſt SS. Patribus, quàm quòd, cùm non ambigerent liberum arbitrium per gratiam ſeipſâ efficacem certò & infallibiliter determinari ad benè agendum, haud facilè concipi intelligerent quomodò liberum arbitrium nihilominùs ſeipſum determinet. „ Ipſa autem ratio, quæ de iis rebus à talibus quales ſu- „ mus iniri poteſt, inquit S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 18. num. 28, „ quemlibet noſtrûm quærentem vehe- „ menter anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium „ auferre videamur; rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſu- „ perbâ impietate ingrati Dei gratiæ judicemur." Optima utriuſque concordia eſt, quæ & in gratia vim certò determinatricem, & in libero arbitrio facultatem ſeipſum determinandi agnoſcit, atque utrumque, quantùm humani ingenii anguſti limites patiuntur, juxta SS. Patrum principia conciliare ſatagit.

Cùm autem in libero arbitrio duo ſecernenda ſint, nempe ratio generalis libertatis, & ratio arbitrii, ſive potentia ad oppoſitum, hinc ex duplici capite objici poteſt liberum arbitrium per gratiam ſeipſâ efficacem tolli: vel quia tolleretur ratio liberi ſeu voluntarii ab illis actibus, ad quos gratia efficaciter determinat, vel quia tolleretur potentia agendi oppoſita. Primo modo gratiæ efficaciam oppugnarunt olim Pelagiani, quorum omnia ferè argumenta eò tandem collimabant, ut videre eſt apud SS. Auguſtinum & Hieronymum, ut probarent, admiſſâ hujusmodi gratiâ, hominem invitum ac reluctantem impelli ad bonum; nihil omnino agere, gratiâ videlicet in ipſo totum operante; bona opera noſtra non eſſe voluntaria, atque ab externo principio in nobis produci. Quamobrem S. Auguſtinus, aliique gratiæ defenſores, inde potiſſimùm demonſtrant per gratiam efficacem non lædi liberum arbitrium, quòd per eam fiant homines ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentien-

tientes, bonumque non inviti ac coacti, ſed ſponte ac delectabiliter amplectantur, ut plurimis eorum teſtimoniis, ſi opus eſſet, oſtendere facillimum foret.

Qui verò nunc gratiam ſeipſâ victricem tanquam liberi arbitrii deſtructicem oppugnare nituntur, ultro concedunt actus voluntatis ſub gratia per ſe efficaci voluntarios eſſe, omniſque coactionis expertes; ac totam diſputationis ſuæ vim eò convertunt, ut probent penitus tolli potentiam ad oppoſitum, ſi gratia per ſe & ſuâpte virtute determinat voluntatem ad benè agendum. Imperitè prorſus & inconſequenter. Repugnat enim actum quemlibet deliberatum, ad quem voluntas naturaliter non determinatur, voluntarium eſſe, & tamen fieri neceſſariò ac ſine potentia ad oppoſitum. Voluntas quippe, quidquid vult, eo modo vult qui ipſius naturæ ac ſtatui competit: hoc eſt, id neceſſariò vult ad quod naturaliter determinatur, quale eſt ſummum bonum in genere conſideratum; nam beati eſſe omnes neceſſariò volumus, miſeri verò eſſe nolumus: id verò non vult niſi cum potentia non volendi, ad quod naturaliter non determinatur, qualis eſt quælibet actio particularis. Unde impoſſibile eſt aliquam actionem particularem deliberatam neceſſariò fieri à voluntate humana, quia tunc foret voluntaria ſimul & non voluntaria: voluntaria quidem ex hypoteſi, ut pote quæ deliberatè fieret à voluntate non coacta; non tamen voluntaria, quia fieret eo modo qui planè repugnat naturæ voluntatis, quæ exigit ut, quidquid boni fit ab homine viatore, fiat cum potentia illud non faciendi, eo quòd totam non expleat volendi capacitatem. Cum igitur adverſarii conſentiant gratiam per ſe efficacem non impedire quominùs actus boni ex illa procedentes ſint voluntarii, concedant quoque neceſſe eſt per eam non tolli potentiam ad oppoſitum.

At, inquies, quomodò remanet in homine potentia ad oppoſitum, ſi gratia voluntatem certò & efficaciter ad bonum determinat? In hoc, fateor, ſitus eſt difficultatis nodus, quem etiamſi planè ſolvere non poſſemus, credere nihilominùs teneremur & gratiam efficacem ſeipſâ victricem eſſe, & hominem ſub illa retinere potentiam ad oppoſitum; ſicut alia plurima, magiſtrâ Religione, credimus, quæ quo pacto cohæreant minimè intelligimus. Verum iſta difficultas, Deo dante & SS. Patrum ſcriptis adjuvantibus, enodari poteſt.

Nodum illum egregiè diſſolvit S. Aelredus, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 10 (Biblioth. PP. Colon. tom. 13. pag. 90. col. 1.). Cùm enim præmiſiſſet liberum arbitrium in duobus conſiſtere, in judicio rationis & in conſenſu voluntatis, ſic concludit: „Vides igitur quòd non libero „præſcribat arbitrio, undecunque homini bona oriatur voluntas; quan„doquidem nec in bona, nec in mala voluntate amittit voluntatem, „ac per hoc nec libertatem; ſed nec rationem, & ideò nec judicium. „Quid enim? Quia Deus eſt qui operatur in nobis velle, ideò amiſi„mus

„ mus velle? An, quia Dei eſt quòd ratione benè utimur, ideò ratione „ non utimur? Aut, quia ex Deo nobis eſt quidquid boni perficimus, „ ideò bonum non perficimus?.... Hæc omnia licet ex Dei gratia eſt „ quòd agimus, nec ſine voluntate, nec ſine ratione agimus, ac per „ hoc non ſine libero arbitrio agimus."..... Et cap. 12. pag. 91. col. 1: „ Quomodò gratia liberum arbitrium auferat, cùm gratia nonniſi in li„ bero operetur arbitrio? Neque enim gratia iſta, de qua loquimur, „ aut in brutis animantibus, aut in rebus operatur inſenſibilibus, ſed „ in iis tantum...... quibus ineſt liberum arbitrium, quo poſſint vel„ le hoc aut illud. Ut autem bonum velint, Dei gratia operatur, non „ liberum deſtruens arbitrium, ut nihil velint, ſed ad hoc inclinans „ ut bonum velint."

Cùm autem duplicem gratiam efficacem diſtinxerimus, increatam ſcilicet, quæ Deus eſt, in nobis phyſicè operantem; & creatam, quæ victrix delectatio eſt, moraliter quidem, ſed certò ſuâque virtute voluntatem inclinantem; quoties oppoſitam cupiditatem gradibus ſuperat, de utraque movetur difficultas,

Primam jam ſolvimus Lib. II, ubi oſtendimus libertatem arbitrii potentiamque ad oppoſitum integram ſtare ſub phyſica præmotione. Nonnulla tamen hìc addam.

Quantò divina voluntas efficacior eſt, tantò certiùs & ineluctabiliùs fit quod illa fieri vult. Atqui Deus, cum phyſicè prædeterminat hominem ad bonum operandum, non ſolum vult hominem illud operari, ſed vult inſuper ut illud operetur liberè & cum potentia non operandi. Ergo, nedum per efficaciam gratiæ increatæ ac phyſicè prædeterminantis tollatur libertas arbitrii, e contrario invictè firmatur; alioquin fruſtraretur voluntas & intentio divina.

Et ſanè voluntas divina non minùs efficax eſt ad producendos modos rerum, quàm ad res ipſas producendas. Ergo quemadmodùm, quando abſolutè dicit: convertatur Petrus, hoc ipſo Petrus convertitur; ita, quando dicit (quod ſemper dicit ubi de actibus liberis agitur): Petrus convertatur liberè, retinendo potentiam ad oppoſitum; hoc ipſo Petrus convertitur liberè, & cum potentia ad oppoſitum.

Deinde quis Chriſtianus negare audeat Prophetas, quando in nomine Domini vaticinati ſunt, & auctores ſacros, quando Spiritu ſancto inſpirante ſcripſerunt, phyſicè motos atque afflatos fuiſſe, ſive ad loquendum, ſive ad ſcribendum, juxta illud Pſalm. 44: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis?* Unanimiter tamen docent SS. Patres, adverſus Montaniſtas, SS. Prophetas in nomine Domini loquentes liberos fuiſſe ac ſui dominos. Auctores quoque ſacros liberè ſcripſiſſe, teſtis eſt S. Lucas initio ſui Evangelii, cùm dicit: *Viſum eſt mihi, aſſecuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile;* & auctor Prologi in Eccleſiaſticum, ubi de avo ſuo Jeſu Sirachide illius libri ſcriptore hæc dicit: *Avus meus Jeſus*, poſt-

poſtquàm ſe ampliùs dedit ad diligentiam lectionis legis & Prophetarum, ... voluit & ipſe ſcribere aliquid horum quæ ad doctrinam & ſapientiam pertinent, ut deſiderantes diſcere...... confirmentur ad legitimam vitam. Ergo pariter gratia Chriſti phyſicè præmovens ad bonum non nocet libertati, nec tollit potentiam ad oppoſitum.

Quid ergo præſtat gratia phyſicè efficax? Facit ut, qui poſſunt benè agere & malè, benè agere velint potiùs quàm malè; determinat eorum voluntatem ad benè agendum, remanente ſemper in ipſis non agendi potentiâ, ut egregiè dicit S. Auguſtinus lib. 2 *Oper. imperfecti*, cap. 154. „ Præparata eſt, inquit, gentium voluntas à Domino, atque, ut vel- „ lent quod & nolle potuiſſent, ab illo factum eſt, qui ea quæ promi- „ ſit potens eſt & facere.“ Porro determinatio ad actum opponitur quidem non actui, ſed neutiquam opponitur potentiæ non agendi.

Objiciunt. Tunc homo non eſt liber, quando non poteſt non agere. Atqui homo, phyſicè prædeterminatus à Deo ad benè agendum, non poteſt non illud agere ad quod à Deo prædeterminatur. Ergo gratia phyſicè prædeterminans tollit libertatem potentiamque ad oppoſitum.

Reſpondere ſolent, nec malè, Thomiſtæ diſtinguendo minorem. Homo phyſicè prædeterminatus ad benè agendum non poteſt non illud agere ad quod prædeterminatur, non poteſt, inquam, non illud agere in ſenſu compoſito, concedunt: non poteſt non illud agere in ſenſu diviſo, negant. Hujus diſtinctionis ſenſus eſt, hominem non poſſe quidem cum gratia eum prædeterminante ad actum bonum ſimul conjungere non actum, quemadmodùm, ex omnium conſenſu, non poteſt homo cum actuali ſua determinatione ad aliquem actum conjungere omiſſionem ejuſdem actûs, cùm implicet voluntatem ſeſe determinare ad aliquid agendum ſimul & non agendum; remanere tamen, in homine per gratiam præmoto ad benè agendum, veram & integram potentiam id non faciendi ad quod promovetur, vel aliud faciendi. Antiquiſſima eſt in ſcholis iſta diſtinctio ſenſûs compoſiti & ſenſûs diviſi, eâque uſi ſunt, ad conciliandam præſcientiam cum libero voluntatis arbitrio, Hugo Victorinus, quæſt. 218 in Epiſtolam ad Romanos; Magiſter Sententiarum, lib. 1. diſt. 38; S. Thomas, 3 part. quæſt. 14. art. 13. ad 3, & in lib. 5 Boetii de Conſolatione; Ægidius Romanus, ejus auditor, in 1 Sentent. diſt. 38. quæſt. unicâ, in reſponſione ad 4. Eamdem adhibuerunt veteres Scholaſtici ad conciliandam certitudinem & efficaciam prædeſtinationis ac voluntatis divinæ cum libertate humani arbitrii, & cum effectûs contingentia. Magiſter Sentent. lib. 1. diſt. 40. litt. B, loquens de iſtis propoſitionibus: „ Prædeſtinatus poteſt vel non poteſt „ damnari, & reprobus poteſt ſalvari, dicit aliam fieri intelligentiam, „ ſi per conjunctionem hæc accipiantur dicta, atque ſi per disjunctio- „ nem. Si enim, addit, cùm dicis, prædeſtinatus non poteſt damna- „ ri, intelligas ita, id eſt, non poteſt eſſe ut prædeſtinatus ſit & dam-

„ ne-

„ netur, verum dicis, quia conjunctim intelligis: falſum autem, ſi „ disjunctim, ut ſi intelligas iſtum non poſſe damnari quem dico præ- „ deſtinatum; potuit enim non eſſe prædeſtinatus, & ita damnaretur."

S. Thomas, quæſt. 23 de Veritate, art. 5. ad 3, aliis verbis eamdem diſtinctionem tradit. „ Quàmvis, inquit, non eſſe effectus divinæ vo- „ luntatis non poſſit ſimul ſtare cum divina voluntate, tamen potentia „ deficiendi effectum ſimul ſtat cum divina voluntate. Non enim ſunt „ iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur." Et rurſus, lib. 1 ad Annibaldum, diſt. 47. quæſt. unicâ, art. 4. ad 2: „ Quàmvis contrarium ejus quod eſt volitum à Deo non poſſit ſtare „ cum voluntate divina, poſſibilitas tamen ad contrarium poteſt ſtare „ cum ea, propter contingentiam cauſæ mediæ; & hoc ſufficit ad hoc, „ ut effectus ſit contingens & non neceſſarius."

Ad pleniorem iſtius diſtinctionis intelligentiam, obſervandum eſt eam non cadere in verbum *poſſe*, ſed in verbum *non agere*. Quod nonnulli aut ignorantes, aut malignè diſſimulantes, invidioſè illam exponunt, quaſi ſenſus ſit hominem, ſtante motione gratiæ, non poſſe non agere bonum ad quod phyſicè movetur, ſeclusâ autem illa motione, tunc poſ- ſe non agere; quaſi motio gratiæ auferret à voluntate potentiam non agendi, vel aliud agendi, ſi velit. Verùm pravam hanc interpretatio- nem tanquam Calvinianam & hæreticam omnes Thomiſtæ aliique Catho- lici Theologi uno ore rejiciunt ac deteſtantur. „ Supponendum eſt, inquit Alvarez, lib. 9 *de Auxiliis*, diſput. 94, „ in libero arbitrio ſi- „ mul eſſe potentiam ad oppoſita, non autem eſſe in illo potentiam ad „ oppoſita ſimul habenda. Etenim in libero arbitrio ſimul eſt potentia ad „ aſſentiendum vel diſſentiendum, quæ ſunt oppoſita contrariè, ad ope- „ randum vel non operandum, quæ opponuntur contradictoriè; non ta- „ men eſt in illo potentia ad aſſentiendum & diſſentiendum ſimul, vel „ operandum ſimul & non operandum. Cujus ratio eſt: nam potentia „ ad unum actum non opponitur potentiæ ad actum contrarium. Duo „ autem actus contrarii ſunt incompoſſibiles in eodem ſubjecto...... „ Hoc ſub aliis terminis explicare poſſumus, ſi dicamus cum Capreolo, in „ libero arbitrio eſſe ſimultatem potentiæ ad oppoſita, non autem poten- „ tiam ſimultatis, id eſt, potentiam ad oppoſita ſimul habenda. Porro, „ ut ait idem Theologus, diſp. 115. num. 3, liberum arbitrium, in „ iſto inſtanti quo determinatur à Deo,..... ſimul habet potentiam „ quâ liberè poſſit producere actum contrarium, non tamen habet po- „ tentiam ad actum contrarium ſimul habendum: nam duo actus con- „ trarii in eadem potentia eſſe non poſſunt, ſed ſucceſſivè."

Quanquam illa reſponſio optima eſt, & in ſcholis uſitatiſſima, breviùs tamen ac faciliùs reſponderi poteſt negando minorem. Tametſi enim li- berum arbitrium à Deo motum ad bonum actum, hoc ipſo benè agat, ſic tamen benè agit ut retineat potentiam non agendi contrarium, cùm

Deus unumquodque moveat ac determinet prout ejus naturæ congruit: congruit autem naturæ voluntatis liberæ ut, dum agit, poſſit non agere aut aliud agere. Enimverò Deus, determinando voluntatem ad opus bonum, idipſum facit quod facit ipſa voluntas ſeſe ad illud determinans. Porro voluntas, ſeipſam determinando ad unum actum, non amittit potentiam ad actum contrarium. Ergo pariter, quando Deus determinat voluntatem ad opus bonum, non tollit potentiam ad oppoſitum.

Inſtant. Quod producitur à cauſa antecedente, quam impedire non eſt in hominis poteſtate, fit neceſſariò, nec poteſt non fieri. Atqui bonum opus, ad quod homo prædeterminatur à Deo, producitur à cauſa antecedente quam impedire non eſt in hominis poteſtate. Ergo ejusmodi opus fit neceſſariò, nec poteſt non fieri.

Diſtinguo majorem. Quod producitur à cauſa antecedente, quæ neceſſitatem inferat tollatque potentiam non agendi, fit neceſſariò; concedo. Quod producitur à cauſa antecedente, quæ neceſſitatem non inferat, potentiamque non agendi integram relinquat, fit neceſſariò, ſubdiſtinguo: fit neceſſariò neceſſitate hypothetica & conſequentiæ, concedo: neceſſitate abſoluta & intrinſeca, nego. Id adeò certum eſt ut, cùm quidam Petrus de Rivo, inter alias propoſitiones, iſtam Lovanii docuiſſet: „ Quid-„ quid per neceſſariam ſeu infallibilem conſequentiam ſequitur ex ante-„ cedente inimpedibili, hoc eſt inimpedibile & neceſſarium; Sixtus Pa-„ pa IV, querelis ea de re ad ſe delatis, juſſit eam retractari. Cùm verò ille Theologus, poſt emiſſam illam retractationem, eamdem aſſertionem poſteà iterum renovaſſet, idem ſummus Pontifex illam damnavit anno 1474, teſte Henrico à S. Ignatio in *Moliniſmo profligato*, ſect. 1. cap. 10. num. 159, emiſſo diplomate in Faſtis Academiæ Lovanienſis typis edito. „ Nos, inquit, qui propoſitiones prædictas, veluti ſcan-„ daloſas & à catholicæ fidei ſemita devias, tunc damnavimus, prout „ etiam impræſentiarum damnamus &c.“

Inſtant iterum. Chimerica eſt potentia quæ nunquam reduci poteſt ad actum. Talis eſt autem potentia ad oppoſitum, quæ dicitur remanere in homine ſub motione gratiæ phyſicè prædeterminantis. Ergo planè chimerica eſt.

Reſpondeo hoc argumentum ipſiſmet adverſariis ſolvendum incumbere. Fatentur quippe hominem, quando ſe determinat ad unum actum, habere potentiam ad actum oppoſitum: quæ tamen potentia nunquam reducitur in actum, ſtante hypotheſi determinationis contrariæ. Quidquid reſpondeant, pro nobis reſpondebunt.

2°. Falſa eſt major propoſitio. Nam ut potentia agendi & non agendi non ſit chimerica nec inutilis, neceſſe non eſt ut aliquando reducenda ſit in omnem actum quem producere poteſt, ſed ſufficit quòd reducatur ad aliquem ex oppoſitis; aliàs chimerica eſſet atque inutilis potentia quam Deus habet creandi alterum mundum, quia nunquam reducetur

tur ad actum. Igitur potentia, quæ ineſt libero arbitrio, amandi Deum & non amandi, non eſt inutilis ſub motione gratiæ, ſiquidem reducitur ad alterutrum horum oppoſitorum, nempe ad amandum Deum, ſervatâ potentiâ non amandi.

3°. Minor quoque falſa eſt. Nam potentia, quæ ſub motione gratiæ remanet, non eſt potentia non agendi, in hypotheſi gratiæ operantis velle & perficere, ſed potentia non agendi ſimpliciter & abſolutè conſiderata. Atqui iſta potentia aliquando, immo nimiùm ſæpè reducitur in actum; quoties nempe, Deo juſtè deſerente, homo à Deo avertitur & ad res creatas convertitur.

Inſtant 3°. Neceſſitas agendi & potentia non agendi opponuntur. Atqui, poſitâ gratiâ phyſicè determinante, neceſſe eſt hominem benè agere. Igitur non remanet potentia non agendi.

Diſtinguo minorem. Poſitâ gratiâ phyſicè determinante, neceſſe eſt hominem bene agere neceſſitate conſequentiæ & hypotheticâ, concedo: neceſſitate conſequentis & abſolutâ, nego. Neceſſaria conſecutio eſt inter duas iſtas propoſitiones: Deus operatur in Petro velle & perficere: ergo Petrus benè vult & benè operatur; ſicut inter has duas: Petrus ſe determinat ad amandum: ergo amat. Verùm iſta neceſſitas non eſt in conſequente, ſeu in amore, qui eſt merè contingens, ſed in conſequentia, quâ unum ex alio rectè concluditur. Porro talis neceſſitas nullatenus nocet libertati, quia non eſt in ipſa voluntate, ſed tantum in connexione inter duo, quorum uno ſuppoſito, alterum legitime infertur.

Obſervandum autem eſt cum Alvare, lib 3 *de Auxiliis*, diſp. 22. num. 43, „ aliud eſſe aliquem actum eſſe neceſſarium, ſuppoſito hoc vel illo, aliud vero eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione. Amor beatificus circa Deum eſt neceſſarius quantùm ad exercitium, ſuppoſitâ viſione beatificâ ad quam ſequitur; quia niſi beati viderent Deum per eſſentiam, non ex neceſſitate illum diligerent. Illa tamen dilectio non dicitur neceſſaria ſolum ex ſuppoſitione, ſed ſimpliciter & abſolutè: cujus ratio eſt, quia voluntas fertur in Deum medio judicio, quo intellectus judicat ſummum illud bonum habere connexionem neceſſariam cum bono in communi, ad quod naturaliter determinatur voluntas, & per conſequens eſſe neceſſariò amandum. Unde voluntas videntis Deum per eſſentiam ex neceſſitate diligit illum, & non libere (libertate ſcilicet arbitrii). Hæc autem ratio non procedit de actibus quos voluntas producit in via, quàmvis ſint neceſſarii ex ſuppoſitione divinæ voluntatis. Etenim decretum Dei non prædeterminat nec movet voluntatem creatam ad illos medio judicio naturaliter ad unum determinato, ſed medio judicio rationis indifferenti, quo videlicet intellectus judicat bonum illud proſequendum non habere neceſſariam connexionem cum bono ad quod amandum eſt naturaliter determinata voluntas.“

Ut neceſſariò fiat quod ex aliqua ſuppoſitione fit, alterutrum horum requiritur: vel ut id, ex cujus ſuppoſitione fit, neceſſarium ſit & minimè liberum, qualis eſt v. g. motus ſiderum, ex quo actiones humanas certò conſequi delirarunt Aſtrologi; vel ut excludat ab agente omnem potentiam ad oppoſitum, qualis eſt v. g. viſio intuitiva & amor beatificus, qui, cùm totam mentis amplitudinem expleant, nihil vacuum relinquunt, quo voluntas poſſit ad aliud amandum ſeſe convertere. Porro neutrum dici poteſt de gratia quâ phyſicè movemur ad diligendum Deum, & ex dilectione operandum. Nam gratia illa ſummè libera eſt, cùm ſit ipſamet voluntas divina, fons & origo omnis libertatis creatæ, & liberrimè operans quidquid extra ſe operatur. 2°. Non tollit potentiam non agendi, ſiquidem actus ad quem movet totam non replet volendi capacitatem. Ergo actus, ad quos per gratiam phyſicè movemur & impellimur, non ſunt neceſſarii, ſed liberi, fiuntque cum potentia ad oppoſitum.

Duval. tract. de efficacitate gratiæ, pag. 160. & 168.

Inſtant 4°. Quod fundatur in natura ſuæ cauſæ, tam neceſſarium eſt quàm ipſa natura. Atqui, poſitâ gratiâ per ſe efficaci, conſenſus voluntatis fundatur in natura ipſius gratiæ. Ergo in ea ſententia conſenſus voluntatis eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſarius.

Diſtinguo majorem. Quod fundatur in natura ſuæ cauſæ proximæ & immediatæ eſt abſolutè neceſſarium, concedo: quod fundatur in naturâ ſuæ cauſæ, hoc eſt, in efficacia primæ cauſæ liberè moventis, nego. Tota hæc cavillatio conſiſtit in æquivocatione vocis *naturæ*, quæ hîc valde impropriè ſumitur pro virtute & efficacia gratiæ increatæ, quæ Deus eſt. Conſenſus voluntatis foret quidem abſolutè neceſſarius, ſi procederet à natura ipſius voluntatis, ſicut inde procedit innatus appetitus beatitudinis, vel ab ipſa natura divina. At neutrum dici poteſt. Procedit namque ille conſenſus primariò ex liberrima Dei voluntate, voluntatem creatam liberè moventis & determinantis ad bonum; ſecundariò & immediatè ex voluntate ipſa creata, tanquam cauſâ liberâ nec naturaliter ad unum determinatâ. Cùm verò gratia increata (de qua nunc loquimur) dicitur per ſe & ex natura ſua efficax, ſenſus non eſt voluntatem & omnipotentiam divinam naturâ ſuâ determinari ad volendum v. g. converſionem Petri. Quis enim adeò impiè deſipiat? Sed ſenſus eſt voluntatem divinam, quæ nomine gratiæ increatæ ſignificatur, propriâ ſuâ virtute operari quæcunque voluerit in cœlo & in terra, ſervatâ ſemper cauſarum ſecundarum libertate & effectuum contingentiâ.

Sed, inquies, ſi Deus libertatis uſum & exercitium tollere vellet, numquid aliter id præſtare poſſet, quàm voluntatem phyſicè prædeterminando?

Miſera profectò cauſæ deploratæ querimonia! Libertas arbitrii ſeu potentia aliter amitti non poteſt niſi vel rationis uſus intercipiatur, vel tota intelligendi & volendi amplitudo expleatur cognitione intuitivâ & amo-

amore fruitivo ſummi boni; quo quidem ultimo in caſu non deſtruitur, ſed perficitur libertas, ut alibi explicatum eſt. Nec minùs repugnat ut voluntas aliquo bono amato minimè expleta non habeat potentiam ad oppoſitum, quàm repugnat dari montem ſine valle. Porro gratiæ divinæ operatio, quantumvis efficax ſupponatur, neque uſum rationis tollit, quam è contrario roborat & perficit, neque movet ad actus qui totam volendi & intelligendi amplitudinem exhauriant. Nam nullus actus eſt qui voluntatis amplitudinem explere ac ſatiare poſſit; amor autem Dei, quo in patria perfectè inebriamur, nunquam, dum in via ſumus, tantus eſt, ut nullum ſui vacuum relinquat. Ergo divina motio nullam voluntati neceſſitatem infert; & nedum libertatem tollat, eam potiùs auget, ſanat & liberat.

Et hæc quidem abundè ſufficiunt ad conciliandam arbitrii libertatem cum gratia increata & phyſicè prædeterminante. Quomodò autem eadem libertas cum gratiæ creatæ intrinſeca efficacia cohæreat, nunc exponendum eſt.

Gratia creata, ut diximus, eſt dilectio ſeu delectatio juſtitiæ, tunc certò victrix, quando oppoſitæ cupiditatis gradibus ſuperior eſt. Proinde non magis neceſſitatem voluntati infert quàm aliæ affectiones in corde dominantes. Avarus, quem pecuniam acquirere magis delectat quàm deambulationibus tempus abſumere, oblatam ſibi ſpem lucri nunquam repudiabit ut deambulationi vacet. Voluptatibus carnis deditus ſplendidas epulas ſibi propoſitas non reſpuet, ut carnem domet jejunio. Mercator, qui vitam magis quàm merces ſuas amat, has dubio procul in mare projiciet, ſi, inſtante naufragio, vitam aliter ſervare nequeat. De omnibus aliis voluntatis affectionibus idem dicendum eſſe intimus unicuique perſuadet ſenſus. Quis autem dicat liberè non fieri illa omnia quæ ex vehementiore inclinatione fiunt? Quis è contrario non ea tantò liberiùs fieri pronuntiabit, quantò ex majori amore ac fortiori voluntatis propenſione fiunt? Cùm ergo delectationis cœleſtis efficacia ejusdem generis ſit ac terrenæ delectationes quibus opponitur, manifeſtum eſt eam non magis libertatem adimere, quàm præponderans amor vitæ, divitiarum, honorum, aliorumque ſimilium. „ Quis mentis compos, ait inter Thomiſtas percelebris Contenſonius, lib. 2. diſſert. 4. cap. 2. ſpeculat. 3. pag. 105, „ afferat voluntatem delectatione allectam amittere „ libertatem? Quaſi verò tunc ſolùm libera ſit, cùm aliquid ægrè & „ repugnanter operatur. Atqui non debemus denegare Deo, centro „ deliciarum ſolidarum, vim illam quam habent lenocinia in creaturis „ diſperſa. Cur ſumma & prima pulchritudo intus radians, intus coruſcans, tam ſuaviter illabi non poterit, quàm delectatio peccatorum „ titillare?" Profectò ſicut divini amoris dulcedine nihil fortius, ſic ejusdem fortitudine nihil dulcius.

Et certè omnes fatentur aut fateri debent multa eſſe peccata, ad quæ cer-

certò & infallibiliter determinant habitus pravi malè vivendo contracti. 2°. Omnes etiam fateri debent eos, qui ex vehementi habitu peccant, etiam in eis circumſtantiis, in quibus malæ conſuetudinis vi quodammodò pertrahuntur, nihilominus vituperium ac pœnam mereri. 3°. Omnes denique conſentiunt neminem eſſe vituperio pœnâque dignum, qui non liberâ voluntate peccaverit. Ergo à pari. dilectio ac delectatio juſtitiæ, quæ voluntatem ſuâ virtute ad bonum allicit, libertati ac merito nullatenus officit.

Nedum gratiæ delectatio, quantacunque ſit, libertati officiat, imò libertatem ſanat, roborat ac perficit, ita ut multò liberiùs fiat bonum quod per gratiam ſuſcipitur, quam quælibet alia humana actio. Nam 1° terrenæ cupiditates ſenſus plerumque ac imaginationem pertùrbant; unde neceſſariò ſequitur quædam libertatis imminutio: contra verò gratia mentem ſerenat, ſenſus cohibet, imaginationis impetus ſedat, hominem ſibimetipſi reddit, ſuique magis compotem & ad liberè agendum habiliorem facit.

2°. Cupiditates terrenæ ad malum trahunt: gratia autem ad bonum. Porro, ut obſervat Angelicus Doctor, in 2. diſt. 25. art. ult. ad 2:
„ Quàmvis liberum arbitrium poſſit in bonum & in malum, tamen per
„ ſe in bonum ordinatum eſt:" ac proinde in bonum, ut pote creaturæ rationali magis conſentaneum, liberius fertur quàm in malum.

3°. Quod voluntatem corruptam reparat, vulneratam ſanat, perverſam corrigit, languidam roborat, illud certè non libertatem deſtruit, ſed potius auget. Talis autem eſt gratia medicinalis, quâ ſummum bonum magis diligimus quàm res quaslibet creatas. Hoc argumento frequentiſſimè uſi ſunt SS. Patres, ut oſtenderent gratiæ efficaciam ſanitatem eſſe liberi arbitrii. „ Liberum ergo arbitrium deſtruimus
„ per gratiam, ait S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & litt.* cap. 30. num. 52?
„ Abſit: ſed liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem,
„ ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed ſtatuitur. Ne-
„ que enim lex impletur niſi libero arbitrio; ſed per legem cognitio pec-
„ cati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam ſana-
„ tio animæ à vitio peccati; per animæ ſanitatem libertas arbitrii; per
„ liberum arbitrium juſtitiæ dilectio; per juſtitiæ dilectionem legis ope-
„ ratio. Ac per hoc...... liberum arbitrium non evacuatur per gra-
„ tiam, ſed ſtatuitur; quia gratia ſanat voluntatem, quâ juſtitia liberè
„ diligatur.

S. Cæleſtinus Rom. Pontifex, in Epiſt. ad Epiſcopos Galliarum, cap. 12:
„ Quo utique auxilio & munere Dei, inquit, non aufertur liberum ar-
„ bitrium, ſed liberatur; ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum,
„ de languido ſanum, de imprudente ſit providum."

Idem docet S. Proſper in Epiſtola ad Rufinum, cap. 17. „ Nimiùm
„ ineptè, inquit, nimiùmque inconſideratè ab adverſantibus dicitur,
„ quòd

Digitized by Google

„ quòd per hanc Dei gratiam nihil libero relinquatur arbitrio,... quod „ utique, cùm ſolum eſſet ſibique permiſſum, non niſi in ſuam perni- „ ciem movebatur. Ipſum enim ſe excæcaverat, & ipſum ſe illuminare „ non poterat. Nunc autem idem arbitrium converſum eſt, non ever- „ ſum; & donatum eſt ei aliter velle, aliter ſapere, aliter agere, & „ incolumitatem ſuam non in ſe, ſed in medico collocare.“ Et lib. contra Collatorem, cap. 8. num. 22: „ Virtus gratiæ non hoc in „ voluntatibus operatur ut non ſint, ſed ut ex malis bonæ, & ex infi- „ delibus ſint fideles; & quæ in ſemetipſis erant tenebræ, lux effician- „ tur in Domino. Quod mortuum erat, vivificatur; quod jacebat, „ erigitur; quod perierat, invenitur.“ Ac rurſus, cap. 18. num. 54: „ Opitulationes divinæ gratiæ ſtabilimenta ſunt voluntatis huma- „ næ...... Liberum arbitrium, naturaliter homini inditum, manet in „ natura, ſed qualitate & conditione mutatâ per mediatorem Dei & „ hominum, hominem Jeſum Chriſtum, qui ipſam voluntatem ab eo „ quod perverſè volebat avertit, & in id quod ei bonum eſſet velle con- „ vertit, ut delectatione affectâ, fide mundatâ, ſpe erectâ, caritate „ accenſâ liberalem ſuſciperet ſervitutem, & ſervilem abjiceret liber- „ tatem.“

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 8, inde probat liberum arbitrium ſub dominio gratiæ perire non poſſe, quòd ne per peccatum quidem perire potuerit. „ Nec, quia ſpiritu Dei agitur, inquit, „ ideò ſe putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc qui- „ dem perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit, à quo judicium „ mentis depravatum eſt, non ablatum. Quod ergo non interfectum „ eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem; vulnus ſanatur, „ non natura removetur. Apud S. Proſperum.

Idem auctor, vel alius, in Epiſtola ad Demetriadem, cap. 13: Ibid. „ Operante ſpiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur; & hoc agit „ gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus „ circumſepta, difficultatibus impedita non remaneat in languoribus „ ſuis.“

Africani Præſules, pro fide divinitatis Chriſti in Sardinia relegati, lib. *de Incarnatione & gratia* S. Fulgentii manu compoſito, cap. 20: „ Quâ gratiâ, inquiunt, humanum non aufertur, ſed ſanatur; non adi- „ mitur, ſed corrigitur; non removetur, ſed illuminatur arbitrium, ut „ in quo infirmitatem homo habuit, in eo incipiat habere ſanita- „ tem.“

Et certè non in eo conſiſtit eſſentia liberi arbitrii, ut æquali ad bonum & ad malum potentiâ vigeat: imò, ut alibi oſtendimus, & omnes Theologi conſentiunt, potentia peccandi non eſt eſſentia nec dos aliqua, ſed defectus liberi arbitrii. Inde manifeſtè ſequitur voluntatem tunc eſſe minùs liberam, quando plus habet potentiæ ac propenſionis ad Lib. II.

 ma-

Digitized by Google

malum; tuncque magis liberam, quando minùs vergit in malum; ac tunc demum fore perfectè liberam, quando nulla erit peccandi potentia. „ Non enim ideò liberum arbitrium (Beati) non habebunt, inquit S. Auguſtinus, lib. ult. *de Civitate Dei*, cap. ultimo, quia peccata „ eos delectare non poterunt: magis quippe erit liberum, à delectatio- „ ne peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem li- „ beratum.“ Porro quantò ſancta delectatio ſeu dilectio gradibus ſuperior eſt, tantò plus minuitur potentia peccandi, ac tantò propiùs acceditur ad plenam illam patriæ libertatem, quæ non ampliùs poterit ſervire peccato. Ergo efficientia gratiæ, in delectatione relativè victrici poſita, non ſolum libertati nihil detrahit, ſed etiam illam auget ac perficit.

Sed, inquies, quandiu in via ſumus, ſemper in nobis remanet potentia peccandi. Quonam autem pacto peccare poteſt, qui delectatione per ſe victrici determinatur ad bonum?

Reſpondeo potentiam peccandi (in qua tamen eſſentia liberi arbitrii, ut dixi, minimè conſiſtit) tamdiu in nobis ſupereſſe, quandiu voluntas non tota rapitur in amorem Dei: tamdiu autem non tota in illum rapitur, quandiu caſtus ille amor totam non replet ejus capacitatem, nec immenſum ſummæ beatitudinis appetitum ſatiat, ut oſtendimus Lib. II, agendo de libertate, differt. 2. cap. 1. quæſt. 1. prop. 2 & 3. Porro de fide eſt gratiam in homine viatore nunquam eſſe tantam, ut totam voluntatis capacitatem repleat ac ſatiet, penitusque tollat potentiam peccandi ac deferendi juſtitiam. Præclarè id docet S. Macarius Abbas Ægyptius, hom. 27 (Bibl. PP. Colon. tom. 4. pag. 84). „ Ego tibi dico, inquit, vel ipſos Apoſtolos, qui conſummati erant in „ gratia, non fuiſſe prohibitos à gratia quominus agerent quæ vellent, „ etiamſi illi ipſi committere voluiſſent quæ gratiæ diſplicebant: nam „ boni malique capax eſt natura noſtra.“ Et infra: „ Peccare quidem „ non poterant Apoſtoli, quia non extollebantur, cùm eſſent lumine „ ac tali gratiâ prædìti. Non tamen dicimus in illis infirmam fuiſſe „ gratiam: verùm dicimus gratiam vel ipſis ſpiritualibus perfectis per- „ mittere ut habeant ſuas voluntates, ac facultatem agendi quæ libue- „ rint, & quò voluerint inclinandi. Ipſa quoque natura humana, licet „ infirma, etiamſi illi bonum inſit, facultatem habet verſatilem..... „ Verſatilis enim eſt natura; ac ſi quis velit, evadit filius Dei; ſin „ contra filius perditionis, eoquòd permaneat liberum arbitrium“ (nondum omni ex parte liberatum). Quamobrem ipſe Paulus Apoſtolus, licet maximâ in Deum caritate incenſus, licet in tertium cœlum raptus, teſtabatur ſe nondum ad perfectionem perveniſſe, nec extra pereundi periculum poſitum. *Non quòd jam acceperim*, inquit, (Philip. III. 12 & ſeq.) *aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quomodò comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu. Fratres, ego me non arbitror com-*

comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Et 1 Corinth. IX. 26 & 27: *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Nemini igitur in terris adhuc poſito, quantùmcunque in gratia & dilectione Dei profecerit, licet dicere: ſufficit, quaſi jam juſtitiæ perfectionem attigerit. Nimirum ſicut ex parte tantùm cognoſcimus, ſic ex parte tantùm diligimus; & quàmvis quotidie in juſtitia proficere ſtudeamus, ad metam tamen & ſecuritatem, niſi morte intercedente, non pervenimus; tuncque, obtento tandem quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Ergo delectatio gratiæ, quantùmlibet creſcat, nunquam tollit ab homine viatore potentiam à juſtitia deflectendi: quod ſic exprimit auctor jam laudatus librorum *de Vocatione gentium*, lib. 2. cap. 28: „ Deus ad obediendum ſibi ipſum „ velle ſic donat, ut etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem, quæ „ poteſt nolle, non auferat."

Præter potentiam peccandi, quæ ſemper in juſtis vitam iſtam degentibus remanet, licet in proficientibus magis ac magis minuatur, habet inſuper homo ſub delectatione vehementiſſima libertatem contradictionis reſpectu ſingulorum bonorum actuum, in qua ſola propriè eſſentia liberi arbitrii poſita eſt. Nam ea delectatio, tametſi ad bonum certò ſuâque vi intrinſecâ impellat, non tamen certò & ex ſeipſa inclinat determinatè ad hoc vel illud opus pietatis; ſed modò ad unum, modò ad aliud; imò quandoque, inter plura opera bona quæ agenda occurrunt, non magis inclinat ad unum quàm ad alia. Relinquitur ergo plena & integra eligendi facultas.

Objiciunt. Tunc voluntas diſſentire non poteſt, quando gratia plus habet virium ad obtinendum voluntatis conſenſum, quàm voluntas ad eum negandum. Atqui, poſitâ doctrinâ delectationis relativè victricis, delectatio gratiæ ſuperior plus virium habet ad obtinendum conſenſum, quàm voluntas ad eum negandum. Ergo in ea doctrina voluntas non poteſt diſſentire. De Fenelon & Tournely paſſim.

Reſpondeo 1° Thomiſtis quoque idem objici poſſe. Nam profectò gratia phyſicè prædeterminans plus valet ad producendum voluntatis conſenſum, quàm voluntas ad eum negandum: voluntati enim Dei quis reſiſtit? Atqui fatentur adverſarii doctrinam Thomiſtarum eo argumento non premi. Ergo nec doctrina delectationis relativæ eo premitur.

Reſpondeo 2° idem objici poſſe quoad pleraſque vitæ humanæ actiones, quæ fiunt ex affectione aliqua prædominante. Nam, in hominibus ſenſatis, conſervandæ vitæ deſiderium plus virium habet ad determinandam voluntatem ut manducet, ut bibat, ut ſomno indulgeat,

 quan-

quando opus eſt, quàm voluntas ad illa omnia reſpuenda. Ratio eſt quòd voluntatis vires in amoribus conſiſtant. Magnus amor, magnæ vires; tenuis amor, tenues vires; nullus amor, nullæ vires: ac proinde voluntas multò plus virium habet ad illa facienda quæ vehementer amat, quàm ad illa quæ vel nullatenus amat, vel debiliùs amat. Pleriſque vitæ humanæ actibus id applicari poteſt. Enimverò cur vir gravis ac ſuî compos membra ſibi non amputat? Cur non ſe per feneſtras projicit? Cur non in fluvium ſe præcipitem dat? Cur hiſtrionis habitu indutus in publico non incedit? Cur dilectos filios gladio non transfigit? Cur amico ipſum ſalutanti non gratis convitiatur? Cur, inquam, hæc & alia ſimilia non facit, & oppoſita certò & conſtanter facit, niſi quia nullo amore ad illa facienda impellitur, ad non facienda verò maximo ſuî ſuorumque amore determinatur? Quis verò neget in illis omnibus agendis vel non agendis voluntatem eſſe liberrimam? Ergone delectationi juſtitiæ eam vim denegabimus, quæ terrenis amoribus ineſt, maximè cùm de illa ſcriptum ſit, Cant. VIII. 6 & 7: *Fortis eſt ut mors dilectio..... Lampades ejus lampades ignis atque flammarum: aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, neque flumina obruent illam?* Quamobrem

3°. Nego majorem, quæ ſupponit eſſentiam liberi arbitrii conſiſtere in æquilibrio, ſeu æqualitate virium & potentiæ ad utrumque oppoſitum: quem errorem in ſuperiore Libro abundè confutavimus.

Inſtant. In ſententia Thomiſtarum Deus non determinat voluntatem niſi in ipſo inſtanti determinationis: contra verò delectatio victrix præcedit inſtans determinationis. Hoc poſito, ſic arguunt: Ut voluntas liberè ſeipſam determinet, nihil in ea eſſe debet ante ipſius determinationem, quo invictè determinetur ad unum potius quàm ad oppoſitum. Atqui, in doctrina delectationis relativæ, aliquid eſt in voluntate ante ipſius determinationem, quo invictè ad unum potius quàm ad oppoſitum impellitur, ſcilicet ipſa delectatio, ſive terrena, ſive cœleſtis. Ergo in ea ſententia determinatio voluntatis non eſt libera.

Reſpondeo 1° idem dici poſſe in exemplis omnibus modò expoſitis. Nam ante actualem voluntatis determinationem aliquid eſt in homine ſenſato, quo ſit ut certò & infallibiliter ſeſe determinaturus ſit ad ſalutandum amicum potiùs quàm ad illum convitiandum, ad vitam ſibi conſervandam potiùs quàm ad eam profundendam; nempe amor ſuî & amicorum. Num idcirco omnes illi actus, quibus humana vita abundat, minùs liberè exercentur?

Reſpondeo 2° de fide eſſe gratiam Chriſti prævenire hominum voluntates, ac proinde voluntatis conſenſum, quomodocunque id exponatur. In ſententia Thomiſtarum prædeterminatio divina, etſi tempore non præcedat, præcedit tamen ordine cauſalitatis determinationem creatæ voluntatis. Ita etiam, in ſententia delectationis relativè victricis, Deus

Deus prævenit voluntatem trahendo illam ad ſui dilectionem: at ſimul unâ eâdemque, ut nos quidem exiſtimamus, operatione dilectionem ipſam deliberatam nobis inſpirat; quæ, ſi ſuperior ſit oppoſitâ cupiditate, non quidem *invictè*, ut adverſarii loquuntur, ſed certò & infallibiliter, vique ſuâ intrinſecâ victrix eſt.

Inſtant adhuc. Homo non habet potentiam agendi contra naturæ ſuæ conditionem. Atqui, in doctrina delectationis relativæ, homo ageret contra conditionem ſuæ naturæ, ſi non ageret ſecundùm id quod eum ampliùs delectat. Ergo in ea doctrina homo delectationi ſuperiori ita conſentit, ut non poſſit diſſentire.

Diſtinguo conſequens. Homo ita conſentit delectationi ſuperiori ut non poſſit diſſentire, ex hypotheſi quòd delectatio ſuperior ſit, concedo conſequentiam: ut non poſſit diſſentire abſolutè, nego. Si ad aliquos particulares actus homo determinaretur ex naturæ ſuæ conditione, tunc, fateor, diſſentire non poſſet, omnique privaretur libertate ad oppoſitum; ſed longe aliter eſt. Quemadmodùm enim natura voluntatis non exigit ut afficiatur hâc vel illâ delectatione, ita etiam non exigit ut hoc vel illud operetur ad quod ſuperior delectatio impellit. Reverâ quidem, poſito quòd terrenis plus delectetur quàm cœleſtibus, infallibiliter terrena proſequetur, & vice verſâ: ſed, eo etiam poſito, non determinatur ex natura ſua ad eligendum hoc vel illud bonum verum aut apparens; tum quia ſemper poteſt alio objecto delectari ſi velit, tum quia delectatio quam habet, cùm innatum voluntatis deſiderium non expleat, nullatenus imponit neceſſitatem, ſed veram & realem relinquit potentiam eligendi oppoſitum.

Urgent. Tunc voluntas non habet potentiam diſſentiendi, quando ad diſſentiendum opus haberet aliquo prærequiſito, quod habere non eſt in ipſius poteſtate. Atqui, in ſententia delectationis relativæ, voluntas, ut diſſentiat, opus habet aliquo prærequiſito, nempe delectatione oppoſitâ quæ ſuperior ſit; eam verò habere non eſt in ejus poteſtate. Ergo in ea ſententia voluntas per delectationem ſuperiorem abrepta non habet diſſentiendi potentiam.

1°. Nego majorem propoſitionem. Etiamſi enim ad actu diſſentiendum voluntas indigeret aliquo prærequiſito, quod in ſua non habet poteſtate, non ideò privaretur potentiâ diſſentiendi. Cùm enim actu diſſentire majus ſit quàm poſſe ſimpliciter diſſentire, plura quoque ad actualem diſſenſum requiruntur quàm ad ſolam diſſentiendi potentiam. Ad actualem diſſenſum requiritur ratio ſeu motivum ad eum impellens; ad meram autem diſſentiendi potentiam ſatis eſt quòd tale motivum haberi queat, & quòd illud, cui voluntas obſequitur, totam volendi & amandi amplitudinem non expleat: v. g. ut poſſim ex primo cœnaculo me præcipitem dare, minimè requiritur ut aliquo motivo ad id faciendum actu impellar; neque etiam requiritur ut hujuſmodi motivum ha-

habere in mea ſit poteſtate; ſed ſatis eſt quòd ex natura mea ad unum non determiner; quòd dari poſſit aliquod motivum quo determiner ad me deorſum projiciendum, exempli cauſâ ſi cœnaculum ardeat, vel ſi hoſtis armatus necem minetur, aliaque periculum imminens evadendi via non ſuppetat; quòd denique, hujusmodi motivo ſuperveniente, reipſâ me deorſum projecturus ſim.

2°. Nego minorem propoſitionem, quatenus aſſerit in poteſtate hominis non eſſe habere delectationem oppoſitam quæ ſuperior ſit. Nam duæ delectationes, quibus in hoc naturæ ſtatu ad bonum vel ad malum impellimur, nihil aliud ſunt quàm amor Dei & amor creaturarum. Atqui uterque in poteſtate voluntatis eſt, cùm nihil magis ſit in poteſtate voluntatis quàm velle aut nolle, amare aut non amare. Enimverò vel ſuperiore dilectione juſtitiæ homo ad bonum allicitur, vel ſuperiore delectatione terrenâ ad malum propellitur. In primo caſu ſemper poteſt elicere amorem perverſum dilectione juſtitiæ ſuperiorem; ad malum quippe ſibi ſufficit, neque, ut à Deo avertatur, divino opus habet auxilio. In ſecundo caſu vincenti cupiditati opponere ſemper poteſt amorem Dei prædominantem. Nam, ut rectiſſimè dicit S. Cæſarius, hom. 7, „ in haben- „ da dilectione nullus ſe poteſt excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere: „ non poſſum jejunare. Numquid poteſt dicere: non poſſum amare?" Cujus ratio eſt, quòd fieri poteſt ut aliquis ſincerè velit jejunare, aut eleemoſynam dare, nec tamen poſſit; Deum autem amat quisquis amare voluerit.

Edit. Baluz.

Quomodò, inquies, Deum amare quis poteſt, niſi priùs indeliberatâ delectatione præveniatur?

Reſpondeo prævenientis dilectionis motus requiri quidem ut homo Deum hic & nunc diligat, non autem ut habeat diligendi potentiam. Si verò addas in poteſtate liberi arbitrii non eſſe ut habeat prævenientem gratiæ delectationem, id fatebor equidem; ſed omnibus Catholicis idem confitendum eſt. Quis enim dicere audeat in ſua poteſtate eſſe, habere ſe gratiam prævenientem quoties voluerit? Sufficit quòd ea quæ Deus nobis præcipit, nempe amor Dei & bona opera quæ ex illo procedunt, in noſtra poteſtate ſint, quanquam non ſine auxilio gratiæ.

Urgent iterum. Voluntas delectatione ſuperiore irretita non magis poteſt eam ſuperare, quàm homo vinculis conſtrictus ſeſe ab illis expedire. Quod enim funes præſtant ad ligandum corpus, id ſuperior delectatio præſtat ad ligandam voluntatem. Hanc ſimilitudinem ad nauſeam usque inculcat ac repetit Fenelonius in longo ſuo Documento Paſtorali adverſùs Janſenismum.

Reſpondet Contenſonius inſignis Dominicanus, in *Theologia mentis & cordis*, lib. 2. diſſert. 4. cap. 2. ſpecul. 3, „ neminem non videre poſſe „ quàm inſulſa ſit comparatio motionis divinæ (& delectationis quam „ no-

Pag. 103.

„ nobis inſpirat) cum funibus vel catenis quibus mancipium conſtringitur. Nam, inquit, quæ conventio membri adſtricti cum voluntate? Corpus enim non eſt potentia libera, nec capax libertatis; nec „ potentia progreſſiva formalem participat libertatem, cùm in brutis invenîatur. Ineptè ergo comparatur pes ligatus cum voluntate formaliter & eſſentialiter libera. Sed quæ affinitas præmotionis (ſeu delectationis) cum compedibus? Vincula enim adſtringunt potentiam progreſſivam, præmotio verò non ligat, ſed excitat, ſed inclinat, ſed „ applicat operi: unde meliùs comparatur pennis quas Propheta poſtulabat: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?*... „ Ineptiſſimè autem Deus movens homini catenas injicienti comparatur. „ Nulla enim creatura, quantumvis perfecta, poteſt in humanam voluntatem illabi, ſed tantùm extrinſecè & objectivè allicere. Sed „ quantum id veriùs de homine non alliciente, ſed affligente per catenas? At verò Deus ſcrinium & ſinum cordis ingreditur, quia ſolus „ eſt cauſa voluntatis...... Denique diverſus eſt effectus funium & præmotionis. Nam ligatus invitus & coactus detinetur: at verò divina „ motio facit ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes. Quomodò ergo ligatus & compeditus dici poteſt, qui quod facit non ſolum volens, ſed etiam lubens facit? Intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, inquit S. Auguſtinus, tract. 26 in Joann. num. „ 2 & 3. Accedere ad altare poteſt nolens...... Credere non poteſt niſi „ volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus; ſed non corpore „ creditur. Apoſtolum audi: *Corde creditur ad juſtitiam......* Si trahitur, ait aliquis, invitus venit: ſi invitus venit, nec credit: ſi non „ credit, nec venit. Non enim ad Chriſtum ambulando currimus, ſed „ credendo: nec motu corporis, ſed voluntate cordis accedimus...... „ Quomodò voluntate credo, ſi trahor? Ego dico: parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in „ Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui." Igitur quantò delectabiliùs ac ſuaviùs, tantò etiam liberiùs ex delectione operamur.

Cæterùm nihil obſtat quominùs aliquo ſenſu voluntas dicatur ligata & conſtricta, modò ipſo ſuo amore, tantò liberiore quantò fortiore, ligata intelligatur. Eo ſenſu peccatores pravis ſuis habitibus ac vehementi peccandi delectatione conſtringi ſæpiſſimè dicuntur; ut Proverb. V. 22: *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur impius.* Quem ſtatum expertus Auguſtinus graphicè depingit lib. 8 Confeſſ. cap. 5. num. 10. „ Suſpirabam, ait, „ ligatus non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. „ Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido: & dum „ ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus quaſi anſulis ſibimet innexis, „ unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus." Sua

quo

quoque habet vincula divinus amor, quibus corda Deo quaſi ligantur. De his dictum intelligi poteſt illud Oſee II. 4: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* Verùm „ quàm ſuavis nexus, addit Contenſonius, „ qui non niſi amorem inſpirat? Quis caritatis vincula „ formidet? Quis ſibi ſuam eripi libertatem expaveſcet his funiculis „ amoris?“

His verò amoris, ſive boni, ſive mali, ſpiritualibus vinculis, non ſolùm quia vult, voluntas alligatur, ſed etiam expedire ſe poteſt, ſi velit; quia, ut ſæpè jam dictum eſt, nullus amor, quantuſcunque ſit, hac in vita totam mentis amplitudinem replet: adeòque potentiam ſemper relinquit ad aliud ſeſe convertendi.

Eſto, inquiunt, remaneat potentia ad oppoſitum; ſed ea potentia non eſt relativa, nec ſatis virium habet ad ſuperandam hîc & nunc victricem delectationem.

En rurſus eamdem cantilenam nobis occinunt, & pro chimerico poſſibilitatis viriumque æquilibrio decertant. Quaſi verò nunc Eccleſiæ doctrina foret, quam olim in Pelagianis tanto robore veritatis profligavit Auguſtinus. A Patribus Tridentinis definitum eſt liberum arbitrium à Deo motum poſſe diſſentire, ſi velit. Hoc ad fidem catholicam pertinet. At liberum arbitrium gratiâ efficaci motum habere potentiam æquilibrem ad diſſentiendum, hoc Eccleſia nunquam definivit, nunquam definiet: imò contrarium ſemper docuit, ſemper docebit. Verùm de potentia illa relativa redibit ſermo Cap. ſequenti.

Ducheſne, Hiſtoire du Prédeſtinatianiſme, lib. 4. cap. 6, & lib. 5. c. 4.

Urgent denique. Lutherus & Calvinus nunquam admiſerunt totalem agendi neceſſitatem, ſive ſub gratia, ſive ſub dominio cupiditatis, ſed tantùm relativam ad præſentes voluntatis vires. Nam 1° admiſerunt liberum arbitrium eſſe flexibile & mutabile. 2°. Per gratiæ dominium cupiditatem minimè extingui, ſed cum illa pugnare ac luctari, ſemper confeſſi ſunt.

Reſpondeo 1° parum nobis intereſſe indagare quid Lutherus & Calvinus reipſâ ſenſerint, modò ſciamus quid ſentire viſi ſunt omnibus Theologis Catholicis, & quid illorum occaſione Eccleſia definierit. Porro Eccleſia definivit ſolummodò liberum arbitrium à Deo motum poſſe diſſentire, ſi velit; nec ſtudioſiùs inquiſivit quisnam fuerit illorum hæreticorum ſenſus, quos ſynodus Tridentina non nominavit quidem.

Reſpondeo 2° Lutherum & Calvinum apertâ fronte negaſſe liberum arbitrium, homines veræ ac reali agendi neceſſitati ſubdidiſſe, potentiamque diſſentiendi gratiæ omnino rejeciſſe, errorisque notaſſe. Vide, ſi placet, quæ de illorum erroribus dicta ſunt Libro primo hujuſce Tractatûs. Contendant adverſarii, quantum volent, illos, ſuis principiis ſtando, non niſi relativam diſſentiendi potentiam negare debuiſſe; nihil efficient, niſi claris & apertis textibus demonſtrent eos reverâ in homine à Deo moto veram & abſolutam diſſentiendi potentiam agnoviſſe,

ſe, nonniſi relativam & æquilibrem potentiam rejeciſſe, atque idcirco ab Eccleſia domnatos fuiſſe. Id certè ne tentabunt quidem. Non ergo nos Luthero & Calvino conſentimus; ſed ipſi multò veriùs eos valde adjuvant, dum nullam veram ac realem potentiam ad oppoſitum agnoſcunt, niſi quæ relativa ſit & æquilibris. Præterquàm quòd enim hæreticis facillimum eſt probare libertatem arbitrii non ſtare in æquilibrio, ex ipſorum ſcriptis apparet proptereà illos à doctrina catholica, quæ hominem gratiæ efficaci poſſe reſiſtere profitetur, tantoperè abhorruiſſe, quòd diſſentiendi potentiam cum æquilibrio potentiæ perperam confuderint. Hoc erroneo principio, tanquam baſi, ſuppoſito, ſic arguebant: Atqui voluntas à Deo mota non eſt in æquilibrio. Ergo voluntas à Deo mota non poteſt diſſentire. Eodem principio nixi adverſarii ſic è contrario ſubſumunt: Atqui voluntas à Deo mota poteſt diſſentire. Ergo habet potentiam æquilibrem. Nos, repudiato utriſque communi principio, utroſque pariter proſternimus; ſimulque & contra Pelagianos aſſerimus libertatem arbitrii non ſtare in æquilibrio, & adverſus Lutherum & Calvinum concludimus liberum arbitrium à Deo motum poſſe diſſentire, ſi velit.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUINTA.

De gratia excitante ac inefficaci, quam ſufficientem vocant.

GRATIA quæ opponitur efficaci dicitur excitans vel inefficax: excitans quidem, quatenus voluntatem excitat ad quiddam faciendum, v. g. ad converſionem: inefficax autem, quatenus bonum illud, ad quod excitat, hominis culpâ non producit.

A recentioribus Theologis appellari ſolet gratia ſufficiens, eoquòd, inquiunt, dat potentiam quamdam operandi bonum ad quod excitat, eoque diſtinguitur à gratia efficaci, quæ dat non ſolùm poſſe, ſed etiam operari. De illa voce dicemus poſteà.

Notandum eſt ſolam gratiam creatam propriè dici poſſe excitantem aut inefficacem. Nam gratia increata, quæ eſt ipſa voluntas & operatio divina, nunquam eſt inefficax; quia, quidquid Deus vult voluntate abſolutâ & ſimpliciter dictâ, ſolo voluntatis ſuæ nutu in nobis operatur. Non poteſt quoque dici gratia excitans, niſi improprio quodam ſenſu, quatenus pia deſideria, quibus ad bonum excitamur, ab ipſa producuntur. Nam excitationis nomine ſignificatur impulſio quædam moralis ad agendum; operatio verò divina non eſt moralis, ſed phyſica.

Circa gratiam excitantem multa in quæſtionem veniunt, quæ hoc ordine tractabimus:

1°. An detur gratia interior excitans, quæ ſit inefficax reſpectu illius boni ad quod excitat; & utrùm illa gratia, quatenus excitans tantummodò ad bonum quod non producit, ſit vera & propriè dicta Chriſti gratia.

2°. An ea gratia quæ, reſpectu effectûs perfecti ad quem excitat, eſt inefficax, aliquem effectum imperfectum in voluntate ſemper producat.

3°. An gratia illa excitans poſſit dici ſitque reverâ ſufficiens, reſpectu effectûs perfecti ad quem tendit & quem hominis culpâ non aſſequitur.

4°. Qualis potentia benè agendi detur per gratiam excitantem; an ea ſit proxima, expedita, completa, relativa &c.

5°. An gratia actualis ſufficiens, quoties præceptum aliquod urget, om-

omnibus hominibus detur, ſive ad benè agendum, ſive ſaltem ad orandum & ad impetrandum gratiam ampliorem.

6°. An ſaltem omnibus juſtis, quoties aliquod præceptum inſtat, gratia actualis ſufficiens detur.

7°. An neceſſe ſit hujuſmodi gratiam dari ut mandata ſint poſſibilia, atque ut peccata juſtè imputari ac delinquentes corripi poſſint.

8°. Nonnullæ levioris momenti quæſtiones circa gratiam ſufficientem proponentur & excutientur.

CAPUT PRIMUM.

An detur gratia interior quæ, propter voluntatis reſiſtentiam, ſit inefficax; & utrùm gratia illa, quatenus excitat tantummodò ad bonum quod non producit, pro gratia Chriſti propriè dicta agnoſci debeat.

NEMO eſt inter Catholicos, qui non fateatur dari gratias interiores quibus voluntas humana reſiſtit, quique ſincero animo non ſubſcribat cenſuræ hujus propoſitionis ab Innocentio X & Alexandro VII damnatæ: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Quoniam tamen, à centum & ampliùs annis, Theologi doctrinæ S. Auguſtini addictiſſimi traducuntur ab adverſariis calumnioſè, quaſi nullam aliam, præter efficacem, gratiam admittant, ad amoliendum ab illis valde orthodoxis Theologis omnem erroris ſuſpicionem, neceſſe eſt catholicum dogma à ſummis Pontificibus definitum aliquot argumentis communire.

PROPOSITIO.

De fide eſt dari gratias interiores quibus voluntas humana reſiſtit, quantùm ad effectum ad quem illæ excitant. Hæ tamen gratiæ, ſub illo reſpectu conſideratæ, & quatenus ſunt inefficaces, non ſunt gratia Chriſti propriè dicta.

PRIMAM partem nonnulli probare conantur plurimis Scripturæ teſtimoniis, quæ, meo quidem judicio, nihil aut certè parum probant.

 Talia

Talia ſunt Proverb. I. 24: *Vocavi, & renuiſtis. Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Iſaiæ LXV. 2: *Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Et cap. V. 3 & ſeq: *Judicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Act. VII. 51: *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus & auribus! Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri, ita & vos.* Et Apocal. III. 20: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.*

Ut enim ex illis textibus probari noſtra Propoſitio poſſit, certum eſſe deberet eos de gratia interiori intelligi oportere. Id autem minimè certum eſſe ſupra oſtendimus.

Neque obſtat quòd nonnulli SS Patres laudatos textus gratiæ interiori, cui reſiſtitur, interdum applicaverint, maximè in ſermonibus ad populum habitis. Nam inde ſequitur tantummodò ea teſtimonia gratiæ interiori inefficaci accommodari poſſe, non autem de illa neceſſariò intelligi: quod tamen requiritur ut probandi vim habeant.

Plus roboris eſt in his textibus S. Pauli: 2 Cor. VI. 1: *Hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 1 Theſſal. V. 19: *Spiritum nolite extinguere.* Epheſ. IV. 30: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei.* Hebr. XII. 15: *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſùm germinans impediat.* Non tamen omnino decretorii ſunt, quia de gratia habituali aliiſque diverſis modis à celeberrimis interpretibus exponuntur, & reipsâ intelligi poſſunt.

Verùm Chriſtus apertè docet dari gratias interiores quibus reſiſtitur, cùm, Matth. XI. 21, & Luc. X. 13, dicit: *Væ tibi, Corozain! Væ tibi, Bethſaida! quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quàmvis enim probari inde non poſſit, ut ſupra oſtendimus, Judæos, quos Chriſtus alloquebatur, habuiſſe tunc actualem gratiam interiorem, probatur ſaltem eam gratiam actualem, quæ Tyrios convertiſſet, converſuram non fuiſſe Judæos in malo magis obduratos; adeòque gratiam interdum inefficacem eſſe propter reſiſtentiam voluntatis.

Differt. 4. cap. 1. art. 2.

Probatur 2° ex SS. Patribus.

S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 17: „ Caritatem „ (magnam & robuſtam), inquit, Apoſtolus Petrus nondum habuit, „ quando timore Dominum ter negavit...... Et tamen, quàmvis parva „ & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: *Animam meam pro* „ *te ponam.*" Hæc caritas parva & imperfecta erat procul dubio gratia interior: attamen effectu privata eſt, mortis metu in Petro prævalente.

Idem docet toto ferè libro 8 ſuarum *Confeſſionum*, ubi deſcribit pugnam gratiæ & peccati, quam ante integram ſuam converſionem fuerat ex-

expertus. „ Voluntas autem nova, inquit cap. 5. num. 10, quæ „ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus „ ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem „ vetuſtate roboratam.“ Et num. 12: „ Fruſtra condelectabar legi „ tuæ ſecundùm interiorem hominem, cùm lex alia in membris meis „ repugnaret legi mentis meæ, & captivum me duceret in legem pecca- „ ti, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati eſt violentia con- „ ſuetudinis &c.“ Certè voluntas illa nova Deum gratis colendi gratia erat actualis interior, & quidem non admodum parva: quia tamen pravæ conſuetudinis majores erant vires, non erat efficax, eique voluntas renitebatur.

Eamdem gratiam parvam & inefficacem commemorat lib. 1 Quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 2. num. 2: „ Fiunt, inquit, inchoatio- „ nes quædam fidei conceptionibus ſimiles: non tamen ſolùm concipi, „ ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam.“

S. Bernardus, in Epiſtola 108 ad Thomam de ſancto Audomaro, loquens de Thoma quodam qui, violatâ promiſſione quam fecerat Deo ſerviendi, miſerabiliter mortuus fuerat, exclamat num. 3: „ O judicio- „ rum Dei abyſſus multa! O terribilis in conſiliis Deus ſuper filios „ hominum! Spiritum donavit, quem erat denuò ablaturus, ut eſſet „ ſupramodùm peccans peccatum; & gratia ſubintravit ut abundaret de- „ lictum. Quod tamen non fuit culpa dantis, ſed addentis prævarica- „ tionem. Sui nimirum arbitrii erat, quo malè liber liberum habuit con- „ triſtare ſpiritum, contemnere gratiam, nec mancipare effectui ſugges- „ tum Dei, ut poſſet dicere: gratia Dei in me vacua non fuit.“ En gratia contempta: en inſpiratio divina effectu quem ſuggerebat privata.

S. Thomas, Lect. 2 in cap. V Epiſtolæ primæ ad Theſſalonicenſes, inter alias interpretationes horum verborum: *Spiritum nolite extinguere*, hanc affert: „ Dicitur quis extinguere ſpiritum, fervorem ejus ex- „ tinguendo vel in ſe, vel in alio. Cùm enim aliquis aliquid boni „ ex fervore Spiritûs ſancti vult facere; vel etiam cum aliquis bonus „ motus ſurgit, & ipſe impedit, extinguit ſpiritum ſanctum.“

Probatur 3° experientiâ nimis frequenti. Quis enim etiam piorum non multa bona facere proponit, quæ tamen non facit? Quis omnia boni deſideria, quæ, Spiritu ſancto inſpirante, concipit, fideliter exequitur? Attamen iſta boni deſideria gratiam interiorem eſſe quis dubitet?

Et ſanè gratia interior nihil aliud eſt quàm inſpiratio dilectionis. Porro non omnis Dei dilectio efficax eſt: ſed alia eſt robuſta victrixque cupiditatum, alia debilis & imperfecta, quæ, vehementi cupiditate aut gravi tentatione ingruente, ſuperatur.

Probatur 4° ex modo quo Deus peccatores convertere conſuevit,

pau-

paulatim eos ac per varios veluti gradus ad integram cordis mutationem adducendo. Quamvis enim Deo facillimum ſit voluntates à bono maximè averſas unico in inſtanti, atque uno, ut ita dicam, gratiæ ſuæ ictu ſibi ſubdere, quemadmodùm in B. Pauli converſione accidit, hic tamen converſionis operandæ modus rarus eſt & quodammodò miraculoſus; conſuetusque & communis curſus juſtificationis iſte eſt, ut loquitur Angelicus Doctor, 1. 2. q. 113. art. 10, „ ut, Deo movente „ interius animam, homo convertatur ad Deum; primò quidem con- „ verſione imperfectâ, ut poſtmodum ad perfectam deveniat, quia cari- „ tas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.“ Hoc ſuppoſito, perſpicuum eſt non ſolùm dari gratias interiores quibus reſiſtitur, reſpectu effectûs perfecti ad quem tendunt; ſed etiam illas ferè ſemper præmitti ſolere gratiis efficacibus, quæ integram converſionem tandem parturiunt. „ Unde non immeritò dixerim, ait Maſſoulié, Differt 1. cap. 8. art. 11, „ ſufficientem gratiam ſpiritum ſalutis conci- „ pere, efficacem parturire,... illudque auxilium ſufficiens adeò neceſ- „ ſarium eſſe, ut...... totius ſupernaturalis ordinis primum funda- „ mentum exiſtimandum ſit; cùm...... nunquam, citra miraculum, „ perfectum auxilium efficax conferatur, quo homo perfectè in Deum „ convertitur, niſi longa illa ſeries auxiliorum ſufficientium, tanquam „ diſpoſitionum, anteceſſerit.“ Quemadmodùm enim peritus medicus ægrotum, inveterato graviquc morbo laborantem, remediis mitioribus paulatim præparat, atque efficaci potione morbum penitus expellit; ſic divina ſapientia, quæ diſponit omnia ſuaviter, antequàm efficaci medicamento morbos animæ ſanet, præmittere ſolet inſpirationes debiliores, quibus, quaſi levioribus remediis, voluntas infirma paulatim ad perfectam ſanitatem aſſurgat; cum eo tamen diſcrimine, quòd medicus homo ex neceſſitate & impotentia aliter ſanandi iſti curandi methodo adſtringatur; Deus verò, animarum æquè ac corporum ſupremus moderator, non impotentiâ, ſed altiſſimo ſuæ ſapientiæ arcano, ad velandam internam gratiæ ſuæ operationem ſic plerùmque agere decreverit.

Pag. 197. col. 2.

An gratia excitans dici poſſit privari effectu ad quem à Deo datur.

Quæres an gratia excitans dici poſſit privari effectu ad quem à Deo datur?

Reſpondeo id dici propriè loquendo non poſſe, quaſi Deus actu poſitivo ſuæ voluntatis intendat per hujusmodi gratiam produci effectum voluntatis propriæ dictæ, quem reipſâ non producit: nam, ut ait S. Thomas, intentio Dei deficere non poteſt. Quia tamen illa gratia ex ſeipſa tendit ad effectum ad quem excitat, & quia Deus illam dando præcipit ut ejus excitationi obtemperemus, proptereà dici poteſt aliquo ſenſu improprio & metaphorico hanc gratiam dari à Deo ut homo convertatur; idque vulgò exprimunt Thomiſtæ, dicendo gratiam ſufficientem non privari effectu ad quem ordinatur per voluntatem Dei conſequen-

quentem, ſed privari effectu ad quem ordinatur per voluntatem antecedentem. De antecedente & de conſequente Dei voluntate dicemus Libro ſequente.

Secunda pars Propoſitionis probatur ex eo quòd gratiæ Chriſti, prout à lege & doctrina diſtinguitur, proprius caracter hic eſt, ut det & impleri faciat quod lex jubet & ad quod hortatur. Cum ergo gratia excitans, quatenus excitat tantummodò ad bonum quod non producit, non det nec impleri faciat quod lex jubet, ſed alliciat duntaxat & hortetur interiùs, concludendum eſt eam, ſub eo reſpectu conſideratam, non eſſe gratiam novi teſtamenti. Quamobrem S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 13: „ Qui novit, inquit, quid facere debeat, & non fa-„ cit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem; „ non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum litteram."

Idem docet ipſe Chriſtus in Evangelio Joannis, cap. 6, cùm ait: „ *Omnis qui audivit à Patre & didicit* (per gratiam), *venit ad me.* Ergo, ut concludit S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinat. ſanctorum*, cap. 8. num. 13, „ omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didi-„ cit. Nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret." Vide quæ ſupra dicta ſunt de gratia per ſe efficaci, Probat. 3, ubi oſtendimus gratiam Chriſti, in mente SS. Patrum, certò & infallibiliter producere effectum ad quem datur.

Confirmatur Thomiſtarum ſuffragio. Lemoſius in Congregatione 10 coram Paulo V: „ Dico, inquit, hæc auxilia, quæ dant tantùm poſ-„ ſe, non eſſe veram gratiam, quam S. Auguſtinus & Concilia contra „ Pelagium requirunt eſſe neceſſariam ad opera ſupernaturalia, & puto „ hoc eſſe firmiſſimum de fide, & non fidei contrarium."

Lib. 4 Hiſt. Congregat. de Auxiliis, cap. 10. pag. 649.

Et Panopliæ tom. 1. tract. 4, de ſenſu compoſito, cap. 18: „ Con-„ cilium Tridentinum, inquit, gratiam adjuvantem abſolutè & ſimpli-„ citer vocat gratiam Dei, quia illa eſt propriiſſima gratia quæ adjuvat „ ut velimus & ut inſpirationi aſſentiamur, & quam S. Auguſtinus, „ lib. 4 ad Bonifacium, cap. 5, dicit propriam gratiam eſſe. Imò illa „ eſt propria gratia Redemptoris, ut toto libro de Gratia Chriſti S. „ Auguſtinus oſtendit. Excitans enim ſola (quatenus excitat tantùm „ ad bonum opus quod non operatur) ad ſummum gratia eſt ſecun-„ dùm quid, vel non eſt ea gratia quâ Chriſtiani ſumus.

Alvarez, diſput. 99 de Auxiliis, num. 2: „ Licet, ait, gratia ſuffi-„ ciens, quæ tribuit homini poſſe piè operari, ſi velit, detur nobis ex „ meritis Chriſti, tamen hæc gratia non diſtinguitur ab adjutorio gra-„ tiæ Adæ collato. Gratia autem quæ eſt propria Chriſti, eſt gratia „ adjuvans quâ Deus facit ut velimus."

Plerique alii Thomiſtæ idem ſentiunt, probantque validiſſimo hoc argumento: Gratia quam ipſe Pelagius admittere non dubitavit, non eſt vera gratia Chriſti. Atqui Pelagius aliquando admiſit gratiam interiorem

rem excitatricem voluntatis. Ergo hujusmodi gratia, quatenus præciſè excitat voluntatem, non eſt vera & propriè dicta gratia Chriſti.

Dixi, quatenus excitat tantummodò voluntatem, quia in gratia excitante duplex eſt reſpectus: unus quidem ad effectum proximum & immediatum quem producit; alter verò ad effectum remotum & perfectum quem non producit, & ad quem excitat tantummodò: v. g. auxilium merè excitans ad converſionem non convertit quidem, & ſub hoc reſpectu non eſt gratia Chriſti propriè dicta ad converſionem requiſita: attamen ſemper producit in voluntate pios quosdam motus, ſancta deſideria, conatus debiles quidem, ſed ſinceros, uno verbo delectationis initium, ut mox dicemus; & ſub iſto reſpectu absque dubio gratia eſt Chriſti propriè dicta, ſed parva & invalida.

Inde facilè ſolvitur difficultas, quæ nonnullis in mentem potuit venire, contra primam noſtræ propoſitionis partem. Cui bono, inquient, ea gratia cui homo reſiſtit, & quæ hoc ipſo occaſio eſt graviùs delinquendi? Hæc ſanè difficultas maxima eſt, imò planè inſolubilis in opinione Theologorum, qui cum Molina & Suare talem admittunt gratiam ſufficientem, quæ nullum unquam habuerit nec habitura ſit effectum. Quale enim auxilii genus eſt, ex quo nihil utilitatis redit ad innumerabiles homines, quibus omnibus conferri dicitur? At, in ſententia Thomiſtarum & Auguſtinianorum, longè aliter ſe res habet. Gratia excitans, juxta illos, nunquam non eſt utilis, quia nunquam omni effectu deſtituitur. Non perficit quidem converſionis opus, nec tentationem gravem ſuperat: ſed 1° aliquod veri boni deſiderium inſpirat, facitque peccatorem ſuſpitare, quanquam debiliter, in libertatem filiorum Dei. 2°. Tentationis vim ſemper imminuit, præſtatque ut voluntas minori cum affectu feratur, quàm ſi nullâ gratiâ præveniente ad bonum alliceretur. 3°. Diſponit, ſaltem remotè, voluntatem ad impetrandam gratiam efficacem, quæ, juxta conſuetum divinæ providentiæ curſum, dari non ſolet, quin priùs in mente præceſſerint pia deſideria & conatus in bonum. „ Atque etiam inde, ut ait Maſſoulié, Differt. 3. art. 4. pag. 18, „ quæ ſit auxilii ſufficientis dignitas ſatis compertum eſt, cùm „ ſit veluti primum fundamentum aut prima inchoatio totius ordinis „ ſupernaturalis." Etſi enim ſufficienti auxilio voluntas adjuta ultimum conatum non efficiat, nec ſpiritum ſalutis pariat, concipit tamen. Nec obſtat quòd quandoque ſpiritus gratiæ, qui per gratiam excitantem concipitur, ad partum non perveniat. Nam ſicut in humanis conceptio fœtûs non ideò ex ſe eſt inutilis, quòd non ſemper ad perfectum adducatur, ita & pia deſideria ex ſe ſemper utilia & ſalubria ſunt, quàmvis hominis culpâ effectus non ſequatur. His adde gratiam quæ, prævalente cupiditate, remanet inefficax, non ex ſeipſa inefficacem eſſe, imò efficacem futuram fuiſſe, ſi aut nullam aut minorem voluntatis cupiditatibus ſuis mancipatæ reſiſtentiam offendiſſet.

Fal-

Falſum eſt igitur, gratiâ excitante, qualis à nobis defenditur, homines fieri magis peccatores: è contrario enim fiunt minus propenſi in malum, habiliores ad bonum, atque à vera cordis converſione minùs remoti. Alioqùin dicendum foret obcæcatos & induratos, qui inter peccandum nullo pietatis ſenſu moventur, minùs eſſe culpandos quàm fideles infirmos & imperfectos, qui velut inviti ad peccatum pravâ aliquâ cupiditate trahuntur: dicendum foret Auguſtinum, quando initio ſuæ converſionis ſecum ipſe luctabatur, ſemiſauciamque voluntatem hàc atque illàc jactabat, nec totus aſſurgebat veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus, graviùs peccaſſe quàm anteà, quando libidini totus deditus erat, nullo bonæ voluntatis initio ad caſtitatem inclinatus. Denique dicendum foret peccatores nondum planè converſos, ſed ad juſtitiam aſpirantes, graviorum peccatorum reos eſſe, quàm quando de mutanda vita ne cogitabant quidem.

Tunc ſolùm homo magis peccator efficitur, cùm non ſolùm bonæ voluntati divinitus inſpiratæ majori cupiditate reſiſtit, ſed etiam, creſcente in dies cupiditate, bonam illam voluntatem extinguit, ac ſpiritum gratiæ, quem conceperat, ſuffocat. Verùm quoties id accidit, nemo non intelligit non gratiæ excitanti, ſed pravis voluntatibus eam repellentibus incrementum peccati unicè adſcribi oportere: quemadmodum, quoties aliquis mortaliter peccando amittit gratiam ſanctificantem, graviùs profectò peccat, quàm ſi nunquam gratiam eſſet conſecutus. Si autem quæras cur Deus non omnes, quos gratiâ excitante concutit, ad perfectum converſionis opus perducat; quæram & ego cur in ordine ipſo naturali tam multa ſint quæ ſuî perfectionem non attingant? Cur tot humani fœtus abortivi naſcantur? Cur tot ſemina terræ commiſſa poſt aliquantulam ſpem areſcant, frugesque promiſſas non proferant? Cur ſæpiſſimè fructus jam conformati non matureſcant? Quid mirum ſi, quod in curſu naturæ frequentiſſimum eſt, in ordine quoque ſupernaturali, qui naturalem plerùmque imitatur, non raró contingat? Hoc certùm eſt, laudandam eſſe in his miſericordiam Dei, qui gratiam indebitam præſtat, cui ſi homo proprio vitio ſuo non reſiſteret, ad ſalutem procul dubio perveniret: ſoli creaturæ voluntati imputandum quòd gratiam ex ſeſe ſaluberrimam unicâ ſuâ culpâ inefficacem atque irritam reddat: denique curioſiùs inveſtigari non oportere tremenda conſilia Dei, illam cordis duritiem gratiâ potentiore, quod utique poſſet, non auferentis, ſed exclamandum cum Apoſtolo: *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Rom. XI.
Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Et: Rom. IX.
O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?

CAPUT SECUNDUM.

An gratia excitans aliquem ſemper effectum, ſaltem imperfectum, in voluntate producat.

Certum eſt gratiam merè excitantem ſemper privari effectu ad quem tendit & excitat voluntatem: ſed quæritur an omni prorſus effectu deſtituatur? Id negant omnes Thomiſtæ & Auguſtiniani ferè omnes.

PROPOSITIO.

Gratia excitans, quæ ſufficiens dicitur, quàmvis inefficax ſit reſpectu effectûs remoti ad quem tendit, nunquam tamen eſt ſine aliquo effectu, ſaltem tenui & imperfecto, eo ſcilicet ad quem producendum proximè & immediatè ordinatur per abſolutam & conſequentem voluntatem Dei.

Poteſt iſta propoſitio intelligi de gratia increata, quæ eſt ipſamet miſericors Dei voluntas in nobis phyſicè operans, & de gratia creata quam Deus in homine producit, & quæ ipſum moraliter allicit ad bonum.

Si intelligatur de gratia increata, ſenſus eſt Deum, quoties movet voluntatem per gratiam excitantem, aliquod bonæ voluntatis initium operari, quo voluntas incipit verum bonum velle & amare.

Fatentur Moliniani Deum, dando gratiam ſufficientem, producere in voluntate piam quamdam excitationem ad bonum; ſed excitationis nomine non intelligunt initium bonæ voluntatis, quo homo bonus eſſe incipiat, ſed neſcio quem motum omnino indeliberatum & à bona voluntate ac dilectione Dei diſtinctum, quo voluntas nec melior, nec minùs mala efficiatur, immò quem repellendo fit deterior.

Nos è contrario contendimus per gratiam excitantem Deum aliquod bonæ voluntatis & pietatis initium homini conferre, ita ut, quàmvis hæc gratia non aſſequatur effectum perfectum ad quem tendit, non tamen fruſtranea ſit, ſed ſemper habeat aliquem effectum minùs perfectum, quem Deus voluntate abſolutâ vult producere.

Si

Si autem Propoſitio intelligatur de gratia creata, ſenſus eſt caſtum amorem prævenientem, divinitùs inſpiratum, in quo propriè gratia excitans conſiſtit, non omnino inertem in nobis remanere, ſed conjunctam ſemper habere deliberatam boni affectionem, quæ qualis ſit poſteà dicturi ſumus.

Dico igitur 1° Deum, movendo hominem per gratiam excitantem, ſemper aliquid boni in voluntate producere, quo homo incipiat bonum deſiderare & amare.

Probatur 1° his verbis Domini apud Iſaiam, cap. 55. v. 10 & 11: „ *Quomodò deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti & panem comedenti; ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Hic ſermo fit generatim de omni verbo quod ex ore Domini egreditur, hoc eſt, phraſi hebraïcâ, de omni voluntate quâ aliquid abſolutè decernit. Ergo omnis gratia eum ſemper habet effectum, quem Deus abſolutè vult eam habere.

Probatur 2° teſtimoniis SS. Patrum, quibus, agendo de gratia per ſe efficaci, probavimus gratiam infallibiliter conſequi ſuum effectum. Cum enim ea teſtimonia generalia ſint, ſequitur omnem gratiam, etſi parvam, id ſemper operari, propter quod proximè & immediatè à Deo datur. Satis erit hîc referre verba S. Auguſtini, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 13. num. 14. „ Hoc modo (per gratiam à lege diſtinctam) quiſ„ quis diſcit, agit omnino quidquid agendum didicerit:" id eſt, plus minùsve agit, prout majorem vel minorem habet gratiam, ſed nunquam nihil omnino agit; intelligendo nimirum ſub actionis nomine ipſa etiam imperfecta boni deſideria. Differt. IV. cap. 1. art. 5. probat. 3.

Probatur 3° ex differentia legis & gratiæ Lib. III aſſerta, quæ in eo conſiſtit quòd lex ſemper effectu vacua ſit, gratia nunquam omni effectu deſtituatur. Unde ſequitur legem à gratia ſejunctam occidere, iram operari, peccati virtutem eſſe; gratiam verò vivificare & à peccato avertere: quod breviter, ſed apertè declarat Apoſtolus, 2 Cor. III. 6, his verbis: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat:* ubi ſpiritûs nomine gratia interior à lege diſtincta ſignificatur. Porro ſi gratiæ proprium eſt vivificare, ergo etiam gratia excitans aliquod vitæ ſpiritualis exordium inſpirat. Vide ibidem, Prob. 7, & Lib. III.

Hoc potiſſimùm caractere S. Auguſtinus gratiam à lege diſcerni docet, quòd ſine gratia lex obſit potius quàm proſit: quod manifeſtè ſupponit gratiam nunquam obeſſe, ſed prodeſſe ſemper plus aut minus. „ Usque adeò, inquit, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 8. num. 9, aliud eſt „ lex, aliud eſt gratia, ut lex non ſolùm nihil proſit, verùm etiam „ plurimùm obſit, niſi adjuvet gratia; & hæc oſtendatur legis utili„ tas, quoniam, quos facit prævaricationis reos, cogat confugere ad

Digitized by Google

„ gratiam liberandos, &, ut concupiſcentias malas ſuperent, adjuvan- „ dos.“ Evaneſcit penitus hoc diſcrimen tantoperè commendatum, ſi datur aliqua vera gratia Chriſti, quæ nihil prorſus boni in homine operetur, illumque ex aliqua ſaltem parte meliorem non reddat. De hujusmodi gratia pari jure dici poterit, quod de lege dixit Apoſtolus, eam occidere, iram operari, occaſionem eſſe ampliùs delinquendi, virtutem peccati eſſe, ſubintrare ut abundet delictum, propter transgreſſiones poſitam eſſe, & alia ſimilia, quæ profectò de gratia qualibet novi teſtamenti ſentire impium foret. Unde Hugo Victorinus, in Evangelium Joannis, cap. 12 (tom. 1. pag. 254. col. 2), gratiam interiorem ab exteriore hinc diſtinguit, quòd gratia „ exterior ſine interiori non „ valet: de illa verò interiori dicitur quòd nunquam ſine profectu „ habetur.“

4°. S. Thomas auxilium gratiæ actualis generatim definit, Quæſt. 24 de Veritate, art. 14, „ miſericordiam Dei, per quam interiùs motum „ mentis operatur.“ Nulla ergo gratia actualis eſt in homine ſine pio aliquo voluntatis motu; atque in hoc differt gratia actualis ab habituali. „ Nam, ut loquitur Alvarez, lib. 8 *de Auxiliis*, diſp. 80. num. 2, „ habitus eſt aliquid permanens in anima, etiam quando nihil opera- „ tur: auxilium autem actuale eſt aliquid fluens, ſicut & operatio; „ unde & cum ipſa operatione tranſit. Ergo, concludit, auxilium ſuf- „ ficiens actuale ſemper habet conjunctam aliquam operationem quam „ producit.“ Porro illa operatio ſeu ille pius motus voluntatis, quem Deus per auxilium ſufficiens producit, nihil aliud eſſe poteſt quàm amor inchoatus juſtitiæ; ſiquidem repugnat voluntatem aliter moveri ad bonum quàm per amorem boni. Et ſanè, ipſo nomine gratiæ interiùs excitantis voluntatem, aliud intelligi non poteſt, quàm interna excitatio producta in voluntate. Hæc autem interna excitatio quid eſt niſi amor & deſiderium boni? Siquidem omnis affectio voluntatis aut amor eſt, aut modus & effectus amoris.

5°. Gratia increata eſt ipſa voluntas Dei in homine operantis. Atqui voluntas Dei caſſa eſſe non poteſt, ſed ſemper id efficit quod abſolutè vult. Ergo gratia excitans ſemper habet effectum quem Deus voluntate abſolutâ intendit. Hoc argumentum ſimpliciſſimum ſimul ac validiſſimum ſuppeditat S. Thomas, 1. 2. quæſt. 112. art. 3. in corp. „ Poteſt, inquit, gratia conſiderari ſecundùm quod eſt à Deo movente, „ & tunc habet neceſſitatem ad id quod ordinatur à Deo, non quidem „ coactionis, ſed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non poteſt.“

6°. Aliud argumentum non minùs invictum ſuggerit Angelicus Doctor, quæſt. 110. art. 1. in corp., ab efficacia divinæ dilectionis petitum. „ Eſt differentia attendenda, ait, circa gratiam Dei & gratiam hominis. „ Quia enim bonum creaturæ provenit ex voluntate divina, ideò ex di- „ lectione Dei, quâ vult creaturæ bonum, profluit aliquod bonum in „ crea-

„ creatura...... Patet igitur quòd quamlibet Dei dilectionem ſequitur „ bonum aliquod in creatura cauſatum." Deinde diſtinguit duplicem Dei dilectionem, unam communem quâ diligit omnia quæ ſunt, rebusque creatis exiſtentiam & quidquid boni naturalis habent largitur: aliam ſpecialem, „ ſecundùm quam trahit creaturam rationalem, ſupra con„ ditionem naturæ, ad participationem divini boni; & ſecundùm hanc „ dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter." Quemadmodum igitur in ordine naturali Deus diligendo aliquod naturæ bonum confert, ita in ordine ſupernaturali Deus diligit neminem dilectione inefficaci, ſed ſemper aliquod bonum ſupernaturale in eo operatur, illud nempe quod ei vult. Unde ſi agitur de gratia habituali, dilectio Dei producit in anima juſtitiam tanquam qualitatem inhærentem: ſi verò de gratia actuali, tunc „ gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed mo„ tus quidam animæ; actus enim moventis in moto eſt motus," ut loquitur idem S. Doctor, art. 2.

Porro gratia excitans datur per dilectionem Dei. Ergo ſemper producit in homine motum aliquem bonæ voluntatis.

7°. Gratia actualis adæquatè dividitur in operantem & cooperantem; unde neceſſe eſt gratiam excitantem ad alterutram referri. Fatentur autem Theologi eam referri ad gratiam operantem. Porro gratia operans facit ut velimus, ac bonæ voluntatis initium in nobis inſpirat, ut ex SS. Patribus ſupra oſtendimus. Vide ſupra, Diſſ. 3.

8°. Illa omnia argumenta confirmantur ſuffragio & conſenſu celebriorum è ſchola S. Thomæ Theologorum.

Silvius, Doctor Duacenus, in 1. 2. quæſt. 111. art. 3. quæſt. 3: „ Reverâ, inquit, omnis gratia eſt efficax alicujus effectûs, ejus nimi„ rum ad quem proximè ordinatur, & quem Deus abſolutâ voluntate „ intendit, juxta illud pſalm. 113: *Deus noſter in cœlo omnia quæcunque* „ *voluit fecit*;..... quàmvis non ſit efficax alterius effectûs, illius ſci„ licet ad quem ulterius, tum ex ſe, tum ex voluntate Dei antecedente „ ordinatur."

Lemos, lib. 4 Panopliæ, part. 2. cap. 7. num. 103: „ Communis eſt & vera Thomiſtarum ſententia, quòd omne auxilium ſufficiens, comparatione unius actûs, ſemper eſt efficax ratione alterius, ad quem efficiendum ex abſoluto & efficaci decreto voluntatis divinæ ordinatur.

Alvarez, Diſput. 80 *de Auxiliis*, cap. 2: „ Dicendum eſt, inquit, „ omne auxilium ſufficiens, comparatione unius actûs, ſemper eſſe efficax „ reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto divinæ volun„ tatis ordinatur: ut v. g. auxilium ſufficiens ad actum fidei efficaciter „ producit in homine pias cogitationes & notitias credendorum, vel „ pia deſideria habendi fidem, & alios hujuſmodi actus imperfectos, „ qui regulariter loquendo antecedunt aſſenſum fidei. Hanc ſententiam „ docent communiter recentiores Thomiſtæ." Id etiam confirmat textu

Iſaiæ ſupra citato, additque: „ Quibus verbis ſignificatur vocationem „ internam, quâ Deus alloquitur animam, vacuam non eſſe aut ſine „ fructu, ſed ſemper habere in homine aliquem effectum, illum videlicet quem Deus vult efficaciter ut habeat, quàmvis eadem vocatio „ interior, comparatione actûs perfecti, ad quem ultimatè ex voluntate Dei antecedente ordinabatur, ſit ſufficiens.

Medina, in 1. 2. q. 109: „ Dico, inquit, quòd hoc donum ſufficiens efficax eſt ad id ad quod Deus mittit illud: non enim redit „ ad Deum vacuum."

Paulus Nazarius, in 1 part. q. 28. art. 3. concl. 2: „ Scito, inquit, „ auxilium omne, quod reſpectu unius actûs eſt ſufficiens, eſſe ſimul „ etiam efficax in ordine ad alium actum, ad quem efficiendum per abſolutum divinæ providentiæ decretum ordinatur.

Franciſcus Avila in tractatu *de Auxiliis divinæ gratiæ & eorum efficacia*, Romæ edito anno 1599, cap. 7, ſic loquitur: „ Auxilium „ ſufficiens eſt quædam divina motio, quâ homo juvatur ac diſponitur „ ad gratiam juſtificantem...... Si de internis auxiliis loquamur, videlicet illuminatione ſeu interiori vocatione, ſine cooperatione noſtra „ fieri eſt inintelligibile. Illuminare igitur Dei nihil aliud eſt, quàm „ intellectum noſtrum ad aliquam bonam cogitationem excitare & „ inſpirare, voluntati ſuggerere bonum motum." Supponit hic auctor, & quidem rectè, eodem modo ſentiendum eſſe de gratia excitante voluntatem, ac de gratia illuminante intellectum. Sicut ergo illuminatio intellectûs concipi nequit ſine actuali veritatis cognitione ac pia cogitatione, ita nec voluntatis excitatio ſine actuali voluntatis in bonum motu.

Pag. 76. Cumel, tom. 3. diſput. 4. ſect. 2: „ Auxilium omne divinum, quatenus eſt à Deo movente, habet vim infallibilem ad id, ad quod „ verè datur & ordinatur à Deo abſolutâ voluntate; quia hæc intentio „ Dei neque deficere, neque fruſtrari poteſt: ac proinde ſi ex abſoluta „ Dei voluntate & intentione eſt quòd homo, cujus cor movet & voluntatem, attendat divinæ gratiæ & excitationi, aut quòd convertatur, certiſſimè conſequitur: quo fit ut interna vocatio, excitatio & „ illuminatio, quâ peccator invitatur ad pœnitentiam & converſionem, „ ſi ipſe reverâ non convertatur, tamen, reſpectu illius illuminationis, „ pulſationis & invitationis,..... eſt auxilium efficax gratiæ, ſolùmque dicitur ſufficiens reſpectu converſionis."

Joannes à S. Thoma, in 1. 2. q. 111. art. 1. diſp. 24: „ Illa auxilia, „ ex quibus non ſequitur converſio vel conſenſus liber, dicuntur inefficacia, quia fruſtrantur fine intento, licet habeant aliquem effectum...... Alioqui ſi collatio auxilii ſufficientis nullum relinqueret effectum, non eſſet collatio auxilii, ſed ſuſpenſio agendi."

Facultas Theologica Colonienſis, in Summa Theologica, quam adver-

verſùs novitates in ſcholam ſuam gliſcentes promulgavit anno 1618, primâ ſecundæ, tract. 5. diſp. 8, doctrinam ſuam expreſſit his verbis: „ Auxilium ſufficiens idem eſt cum excitante, quatenus hoc...... nos „ abſolùtè potentes ſufficienter reddit ad eliciendum, non quamcunque, „ ſed eam operationem tantùm, ad quam eliciendam abſoluto decreto „ voluntas divina auxilium deſtinavit; & quàmvis ſub ſufficiente auxi- „ lio nondum completè potentes ſumus, ut de facto hujusmodi opera- „ tionem eliciamus absque efficace auxilio, nihilominus ſemper cum „ auxilio ſufficiente efficaciter aliquos actus producimus, qui ad ultima- „ tè intentum ordinantur: v. g. cum auxilio ſufficiente ad actum fidei „ efficaciter producimus pias cogitationes de notitia credendorum, bona „ deſideria habendi fidem, aliosque actus imperfectos, qui regulariter „ antecedunt aſſenſum fidei."

Contenſonius, lib. 8. differt. 2. cap. 2: „ Hanc gratiam, inquit, „ parvam appellat (Auguſtinus), quia parva & imperfecta deſideria, & „ imbecillem voluntatem parit. Quàmvis, reſpectu hujusmodi imperfec- „ torum ſemivolentis hominis deſideriorum, efficax dici poſſit, tamen „ reſpectu principalis effectûs, converſionis nimirum perfectæ, ſufficiens „ ſolummodò eſt."

Maſſoulié, Differt. 3. q. 1. art. 4: „ Nullum eſt ſufficiens auxilium „ quod ex aliqua parte efficaciam non habeat. Cum enim voluntatem „ paulatim diſponat ut veluti propius ad juſtificationem accedat, neque „ aliis greſſibus quàm affectibus accedere voluntas poſſit,..... neceſſe „ eſt ut auxilia ſufficientia eos actus imperfectos eliciant, ac nullum eſt „ auxilium ſufficiens quod actum aliquem imperfectum non efficiat, quo „ majores aliquas vires voluntas non acquirat." Optimum ſanè argumentum Si enim per gratias ſufficientes paulatim diſponimur ad converſionem, neceſſe eſt ut ſingulæ gratiæ ſufficientes aliquem affectum boni nobis inſpirent: alioqui poſt acceptas plures hujusmodi gratias nihilo propiores eſſemus juſtificationi, quam ſi nullâ excitati fuiſſemus; immo gratiarum abuſu multò deteriores, & à pietate remotiores efficeremur.

Joſephus Auguſtinus Orſi, ex ordine Prædicatorum, poſteà Cardinalis, in *Libro Apologetico Petri à Soto*, Romæ edito anno 1734, & Clementi XII dedicato, cap. 5. art. 1. §. 5. pag. 132 & 133: „ Gratia „ ſufficiens, inquit, actus imperfectos producit...... Horum imperfec- „ torum actuum reſpectu eſt efficax, quàmvis, ad perfectos actus rela- „ ta, dicatur & ſit abſolutè ſufficiens"

Idem profeſſi ſunt Doctores Auguſtiniani in ſecundo è V Articulis Epiſcopo Convenarum oblatis, atque ab eo Romam miſſis; qui & ſanæ doctrinæ à SS. Pontificibus judicati ſunt, & ab univerſo Dominicanorum ordine contra Jeſuitarum conatus multoties ſtrenuè defenſi

His omnibus addi poſſent Ledeſma, in tract. de Auxiliis, art. 6; Cabrera in 3 part. S. Thomæ, q. 62. art. 1. diſp. 21. §. 4. num. 5; Cabezudo

Digitized by Google

zudo in tract. de Auxiliis, quæſt. 2. concl. 3; Paulus Nazarius in 1 partem S. Thomæ, q. 28. art. 3. concl. 2; Eſtius in 2 Sentent. diſtinct. 26. §. 11; Bellarminus, lib. de Gratia & lib. arb. cap. 15; Gonzalez, Controverſiâ 5. art 5; Gonetus, tom. 1. tract. 4. diſp. 4. num. 147; Cardinalis de Laurea, opuſculo 3 *de Gratia*, cap. 4. num. 84; P. Vermeil in Clavi aurea, 1 parte, tract. 9. diſp. 7. conclus. 4; P. Daubermont Dominicanus, Doctor ſtrictæ Facultatis Lovanienſis, in theſi propugnata 14 martii 1678; Carmelitæ diſcalceati Duacenſes in theſi publicè defenſa 13 martii 1691 &c.

Dico 2° gratiam excitantem creatam, hoc eſt, imperfecta boni deſideria quæ Deus nobis inſpirat, quàmvis non ſatis virium habeant ad producendum actum, ad quem voluntatem impellunt, non omnino ſterilia in nobis remanere; ſed, quandiu in anima perſeverant, aliquid boni gignere. Illa quippe deſideria, quantùmvis debilia ſupponantur, aliquod ſunt dilectionis initium. Nulla autem dilectio vacare poteſt in corde diligentis. Si magna ſit, magna operatur; ſi parva, parva quidem operatur, ſed non eſt ſine aliqua operatione ſibi proportionata.

Si autem quæras quid dilectio Dei nondum in corde dominans operari poſſit: reſpondeo illam 1° producere quaſdam in bono complacentias, quibus cor in Deum ſuſpirare incipit. 2°. Interdum ad Deum per preces & pios gemitus confugere. 3°. Elicere interdum pios conatus ad recedendum à malo & ad faciendum bonum. 4°. Cupiditatum vim minuere, illiſque obſtare ne tanto impetu, quanto anteà, in vetita pertrahant; atque efficere ut peccatum minus delectet, ac diſplicere incipiat. Sicut enim concupiſcentia, etiam cùm ei reſiſtitur, retardat motum voluntatis in Deum, impeditque ne ad juſtitiæ perfectionem perveniatur, unde dicit Apoſtolus, Rom. VII: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio;* ita inſpiratio ſanctæ dilectionis, etiamſi nondum fiat bonum ad quod impellit, affectum tamen peccandi coarctat; quia ſicut caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, ita ſpiritus adverſus carnem, & hæc ſibi invicem adverſantur. Demum, Deo incrementum dante, augetur paulatim ſummi boni dilectio, minuitur cupiditas, quouſque illa ſuperior ſit, iſta ſuperetur.

Cæterùm, licet gratia excitans aliquem ſemper producat effectum, non abs re tamen obſervat Alvarez, diſt. 84 *de Auxiliis*, num. 9, eam non idcirco dicendam eſſe ſimpliciter efficacem, ſed ſecundùm quid duntaxat; quia actus quos operatur non ſunt perfecti, & ex natura ſua ad alios perfectiores ordinantur.

Objicit Tournely intelligi non poſſe, ſive in Thomiſtarum, ſive in Auguſtinianorum ſententia, quomodò gratia ſufficiens aliquem effectum producere queat. Non quidem in ſententia Thomiſtarum: nam, inquit, vel eum effectum produceret abſque præmotione phyſica, vel cum præmotione phyſica. Si illum producit abſque præmotione phyſica, ergo

Tract. de Grat. tom. 2. pag. 466.

hæc

Digitized by Google

hæc motio neceſſaria non eſt ad omnes & ſingulos actus bonos; quod Thomiſtæ nunquam admittent. Si verò cum illa præmotione; utquid gratia illa hæret in actu debili & imperfecto, cùm adjunctam habeat phyſicam præmotionem tam efficacem tamque potentem? Non etiam in ſyſtemate Auguſtinianorum: nam juxta illos, inquit, neceſſe eſt hominem ſecundùm id operari quod eum magis delectat. Quo igitur pacto fieri poteſt ut gratia inferior, in concurſu vehementioris cupiditatis, effectum aliquem deliberatum obtineat? Si ita eſt, non ergo voluntas majori delectationi ſemper obſequitur.

Reſpondeo ab illis ſolis id intelligi non poſſe, qui nec Thomiſtarum, nec Auguſtinianorum doctrinam probè cognitam habent. In ſententia Thomiſtarum, gratia excitans effectum ſuum non producit abſque præmotione phyſica: immo hæc gratia nihil aliud eſt ex parte Dei quàm ipſa voluntas divina, phyſicè præmovens voluntatem creatam ad actum bonum imperfectum. Neque magis mirum eſſe debet Deum tam potentem producere in homine actus debiles & imperfectos, quàm eumdem pleroſque effectus naturales ab imperfectis inchoare & nonniſi paulatim ad perfectionem perducere. Utriuſque ratio eſt quòd divina ſapientia, ſuaviter omnia diſponens, motionem ſuam accommodare ſoleat conditioni cauſarum ſecundarum quas movet: poſtulat autem conditio ac debilitas cauſarum ſecundarum, ut effectus perfectos non ſubitò producant, ſed per varios progreſſus ad perfectum provehant. Sic ſemina non ſtatim in fruges aſſurgunt; ſic arbores non uno die fructus ſuos pariunt. Quanto magis peccator ad perfectam converſionem non repentè aſſurget, niſi fortè per gratiam extraordinariam ac planè miraculoſam?

Pariter, in ſententia Auguſtinianorum, quàmvis homo ſemper operetur ſecundùm id quod eum ampliùs delectat, eamque ob cauſam gratia parva in occurſu tentationis vehementis effectum ſuum integrum non aſſequatur, non ideò tamen gratia illa debilis omni effectu deſtituitur. Impedit quidem vehementior cupiditas ne pia voluntatis deſideria compleantur; ſed nequaquam impedit, nec impedire poteſt, quominùs voluntas ea approbet eiſque liberè acquieſcat. Hoc nimirum diſcrimen eſt inter motus concupiſcentiæ & motus ſanctæ dilectionis, quòd, cùm in illis nulla ſit ratio boni, poſſit voluntas eis planè repugnare, adeò ut planè indeliberati & involuntarii ſint: in iſtis verò nulla ratio mali deprehendatur, adeòque, quantumvis debiles ſint, voluntarii ſemper & deliberati ſint, ac ſemper adverſùs cupiditatem dimicent, etſi non victriciter.

CAPUT TERTIUM.

An gratia excitans & inefficax poſſit dici ſitque reipſâ ſufficiens, comparatione effectûs perfecti ad quem excitat, quem tamen, cupiditate prævalente, non producit.

GRATIA ſufficiens, vi nominis, ea eſt quæ ſola ſufficit ad bonum operandum. Sed in ſcholis, quibus hoc nomen ab annis circiter ducentis ad ſummum irrepſit, non unam habet ſignificationem. Nam Jeſuitæ, & qui cum ipſis ſentiunt, gratiæ ſufficientis voce intelligunt gratiam quæ reverâ ſufficit ad bonum faciendum, ita ut, præter ipſam, nulla alia ex parte Dei requiratur per modum principii ad benè agendum. Thomiſtæ verò hâc eâdem voce intelligunt gratiam quæ dat poſſe benè operari, tametſi alia, nimirum ſeipſâ efficax, abſolutè neceſſaria ſit ad benè operandum. Zumel ordinis Mercium pro redemptione captivorum Præpoſitus generalis in Hiſpania, & Profeſſor in Academia Salmanticenſi, tom. 3. diſp. 15. ſect. 1. concl. 4, obſervat iſtud „ auxilium ſanè „ non dici ſufficiens, ut nomen grammaticaliter ſonat, quaſi ſeipſo, & „ omni alio repulſo, non ſolùm habeat vim agendi & operandi, ſed „ eam exerceat; nam, inquit, id videtur terminus ille ſufficiens im„ portare grammaticaliter: ſed tantùm ſufficiens Theologicè, quia dat „ homini ut poſſit agere, tribuitque ei vim ad volendum, ſed non „ completè omnino, quia eſt neceſſaria gratia efficax, intrinſeca & de„ terminans voluntatem per modum actûs primi; & tunc homo eſt com„ pletè potens."

Hinc patet nomen gratiæ ſufficientis, prout à Theologis ſumitur, eſſe valde æquivocum, imò contradictoria ſignificare, adeòque, ut in æquivocis faciendum præſcribunt Logici, nunquam uſurpandum, quin priùs definiatur, pravuſque ſenſus ab illo amoveatur.

Verùm ad majorem hujuſce quæſtionis (quæ tamen nominis potiùs eſt quàm rei) elucidationem, obſervandum eſt aliquid poſſe dici ſufficiens vel abſolutè, vel in aliquo tantum genere. Sufficiens abſolutè illud eſt præter quod, abſolutè loquendo, nihil requiritur ad producendum effectum. Hoc modo ſol eſt ſufficiens ad illuminandam terram, Deus eſt ſufficiens ad beandum hominem. Sufficiens in aliquo genere eſt illud, præter quod nihil aliud in eodem genere requiritur. Iſto modo panis & aqua ſufficiunt ad conſervandam vitam, quia in genere cibi nihil aliud, abſolutè loquendo, neceſſarium eſt. Hoc ſenſu prædicatio Evangelii miraculis comprobata dici poteſt gratia ſufficiens ad excitandam.

Digitized by Google

dam fidem, in genere gratiæ exterioris, quia nulla alia gratia exterior abſolutè neceſſaria eſt, licet interior gratia, quæ aliûs eſt generis, ad producendam fidem omnino requiratur.

Jam verò gratia interior inefficax poteſt appellari ſufficiens, vel comparatè ad potentiam benè agendi, vel comparatè ad ipſa opera bona. Primo ſenſu accepta non eſt ſufficiens ſimpliciter, ſed ſecundum quid, videlicet ad poſſe; ſicque ſumitur ab omnibus Thomiſtis, qui gratiam ſufficientem definiunt eam quæ dat homini poteſtatem benè agendi, ita ut alia inſuper non requiratur ut homo poſſit benè agere, quàmvis, ut reipſâ benè agat, gratia per ſe efficax abſolutè neceſſaria ſit. Altero ſenſu ſufficiens eſt ſimpliciter; & ſic accipitur à Jeſuitis, aliiſque omnibus qui gratiæ ſeipſâ efficacis ad ſingulos pietatis actus neceſſitatem negant.

His expoſitis, quid de iſta quæſtione ſentiam, diſtinctis propoſitionibus aperiam.

Dico 1° penitus rejiciendam eſſe, tanquam erroneam, falſam, gratiæ ſeipſâ efficacis deſtructricem, opinionem Theologorum, qui nomine gratiæ ſufficientis intelligunt gratiam inefficacem, quæ ita ſufficiat ad benè agendum, ut reipſâ ad benè operandum nullum aliud ex parte Dei auxilium neceſſarium ſit.

Sequitur hæc propoſitio ex aſſertis in præcedente Diſſertatione. Si enim ad ſingulos Chriſtianæ pietatis actus gratia ſeipſâ efficax adeò neceſſaria ſit, ut ſine ipſa nihil benè fieri poſſit, hæcque ſit indubitata Eccleſiæ doctrina, ut oſtendimus, clarum eſt nullam eſſe gratiam verè ſufficientem, quæ complectatur omnia ad benè agendum neceſſaria, niſi gratiam ſeipſâ efficacem.

Et ſanè ſi gratia inefficax foret eo ſenſu ſufficiens, ut nullum, præter ipſam, auxilium ex parte Dei requiratur ad agendum, quibus adeſt hujuſmodi gratia, non tenerentur gratiam efficacem poſtulare; nemo quippe id poſtulat quod in ſua habet poteſtate. Atqui hoc ſentire impium eſt, omniumque Chriſtianorum ſenſui contrarium. Quis enim, accepto per gratiam excitantem imperfecto converſionis deſiderio, teneri ſe non credat gratiam converſionis efficacem à Deo petere, & cum Davide dicere, pſalm 118. v. 40: *Ecce concupivi mandata tua; in æquitate tua vivifica me;* vel cum S. Proſpero in illa verba: „ Feciſti me cupidum „ mandatorum tuorum; fac & efficacem: adjuva me ut faciam quod „ commendas; dona ipſe quod mandas."

Dico 2° gratiam ſufficientem, prout à Thomiſtis exponitur, ſi rem ipſam, non vocem quâ illa exprimitur, conſideres, neceſſariò admitti oportere.

Nam, nomine gratiæ ſufficientis, Thomiſtæ intelligunt gratiam quæ aliquod bonæ voluntatis initium inſpirat; quæ bonum, ad quod voluntatem excitat, non producit; quæ tamen reſpectu illius boni potentiam aliquam voluntati tribuit, & præter quam aliud ex parte Dei au-

xilium requiritur, ut bonum opus reipſâ fiat. Atqui nihil horum non certum eſt. 1°. Fide certum eſt dari gratias inefficaces, quæ effectum illum non habent ad quem voluntatem excitant. 2°. Probatum eſt Capite ſuperiori hujuſmodi gratias, licet reſpectu effectûs perfecti ad quem excitant inefficaces ſint, aliquem effectum ſemper producere, pia ſcilicet & imperfecta boni deſideria. 3°. Nullum quoque dubium eſt gratias illas aliquam voluntati conferre potentiam reſpectu effectûs ad quem excitant & moraliter impellunt. De gradu illius potentiæ dicemus Capite ſequenti. 4°. Denique, præter illud auxilium inefficax, aliud abſolutè neceſſarium eſſe ad bonum reipſâ operandum, apud omnes gratiæ per ſe efficacis defenſores certum & indubitatum eſſe debet. Ergo gratia ſenſu Thomiſtico ſufficiens, quoad rem ipſam conſiderata, debet admitti. „ Si de re ipſâ loquamur, ait Alvarez lib. 8 de Auxiliis, diſp. 71. num. 2, „ nullus Catholicus poteſt dubitare de illa diviſione" (gratiæ in ſufficientem & efficacem); „ cùm gratia ſufficiens ſit eadem cum „ excitante, & gratia efficax ab adjuvante realiter non diſtingua„ tur."

Verùm quàmvis, ubi de rebus convenit, de vocibus litigare non expediat, quia tamen hujus vocis æquivocatio ampliſſimam inaniter gloriandi ac fidelibus illudendi materiam Molinianis præbet, atque aliunde nullo Eccleſiæ decreto fulcitur, non abs re erit quid de illa ſentiendum ſit, ſemoto omni partium ſtudio, breviter exponere. Itaque

Dico 3°, ſi qua gratia, præter ſeipſâ efficacem, ſufficiens dici debeat, hoc nomen gratiæ habituali multò aptiùs convenire quàm gratiæ excitanti & inefficaci.

Nam, ut aliqua gratia dicatur & verè ſit ſufficiens, tria requiruntur. 1°. Ut det potentiam & vires benè agendi ab ipſa actione diſtinctas & animæ inhærentes. 2°. Ut, quando benè agitur, effectivè influat in actum. 3°. Ut, præter illam, alia ejuſdem generis gratia neceſſaria non ſit ad benè operandum. Atqui hæc tria gratiæ habituali verè ac propriè conveniunt.

1°. Quidem gratia habitualis dat veram potentiam à bonis operibus diſtinctam, & animæ inhærentem. Id demonſtrat notio ipſa habituum. Proprius enim illorum caracter eſt inclinare, habilemque facere hominem, ad exercendos actus ipſis conſentaneos. Quantam peccandi potentiam non præſtant habitus pravi? Num caritatis in corde diffuſæ per Spiritum ſanctum inhabitantem minor virtus erit? Quis neget hominem poſſe agere ſecundùm affectum in ejus corde dominantem? Ille igitur verè poteſt benè agere, cujus in corde caritas regnat. Hinc S. Baſilius, lib. *de Spiritu ſancto*, cap. 26. num. 61, gratiam habitualem comparat arti, quam qui callet, potentiam habet ea quæ artis ſunt operandi. „ Quemadmodum, inquit, ars eſt in eo qui illam adeptus eſt, ita gra„ tia ſpiritûs in eo qui recepit eam; ſemper quidem præſens, at non „ per-

Tom. 2. pag. 206. In nova edit. tom. 3. pag. 51.

„ perpetuò operans." Et S. Chryſoſtomus, lib. 1 *de Compunctione cordis* (nov. edit. tom. 1. pag. 127): „ Tu in baptiſmo divinà potitus es gra- „ tià, ac ſpiritûs particeps fuiſti, etiamſi non ut ſigna faceres, ſed „ quantùm ſatis erat ad rectum & accuratum vitæ inſtitutum."

Per gratiam habitualem infunduntur nobis cum caritate cæteræ omnes virtutes, hoc eſt, juxta virtutis definitionem, ſancti habitus inclinantes ad bonum. Infunditur inter alias fortitudo, quæ una eſt è quatuor cardinalibus, cujus proprium munus eſt voluntati non ſolùm agendi potentiam, ſed & vires præſtare.

Hæc gratia vita eſt animæ noſtræ, ſicut anima noſtra vita eſt corporis noſtri. Sicut ergo, præſente animâ, corpus habet potentiam agendi ſeque movendi; ita Spiritu ſancto per gratiam in nobis habitante, anima veram habet potentiam operandi quæ bona ſunt, etiamſi non ſemper eâ utatur.

Eam virtùtem gratiæ habituali manifeſtè attribuit concilium Arauſicanum II, can. 25 ſic definiens: „ Hoc etiam ſecundùm fidem catholi- „ cam credimus, quòd, acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptiza- „ ti, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent poſ- „ ſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere."

Tridentinum pariter concilium à gratia habituali potiſſimùm repetere videtur potentiam, quæ juſtis ineſt, ſervandi mandata, cum Seſſ. VI. can. 18, ſic decernit: „ Si quis dixerit Dei præcepta homini, etiam „ juſtificato & ſub gratiâ conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, „ anathema ſit." Nulla hic mentio fit gratiæ actualis ſufficientis, per quam mandata juſtis poſſibilia fiant, ſed tantùm gratiæ juſtificantis ſub qua conſtituuntur.

S. Thomas inter primarios gratiæ habitualis effectus frequenter ponit, quòd benè agendi potentiam ac virtutem ſubminiſtret. In 1. 2. q. 110. art. 2. in corpore, ait dupliciter hominem à gratuita Dei voluntate adjuvari: „ uno modo, in quantum anima hominis movetur à Deo ad ali- „ quid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum; & hoc modo ipſe „ gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidem ani- „ mæ; actus enim moventis in moto eſt motus, ut dicitur in 3 Phyſi- „ corum." En gratia actualis ex ſeipſa efficax. Addit S. Doctor: „ Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundùm „ quòd aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur. Et hoc ideò „ quòd non eſt conveniens ut Deus minùs provideat his quos diligit, „ ad ſupernaturale bonum habendum, quàm creaturis quas diligit, ad „ naturale bonum habendum. Creaturis autem naturalibus ſic providet, „ ut non ſolum moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis „ formas ac virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecun- „ dùm ipſas inclinentur ad hujuſcemodi motus. Et ſic motus, quibus „ à Deo moventur, ſunt creaturis connaturales & faciles...... Multò „ igi-

„ igitur magis illis, quos movet ad conſequendum ſupernaturale bonum „ æternum, infundit aliquas formas ſeu qualitates ſupernaturales, ſe„ cundùm quas ſuaviter & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æter„ num conſequendum.“ Hic Angelicus Doctor attribuit potentiam benè agendi gratiæ habituali, actus autem bonos gratiæ actuali ſeu motioni divinæ attribuit; ſicut in naturalibus motio Dei non dat propriè agendi potentiam, ſed illam ſupponit atque ad actum applicat. *Actio enim moventis in moto eſt motus.*

In Commentario in cap. III. Epiſt. ad Epheſios, lect. 2, exponens hæc verba: *Cujus* (Evangelii) *factus ſum miniſter, ſecundùm donum gratiæ Dei*, proprios tum gratiæ habitualis, tum actualis effectus diſtinguit, illi facultatem & vires benè agendi, huic bonas actiones adſcribendo. „ Hujusmodi auxilium, inquit, duplex fuit: unum quidem ipſa facultas exequendi; aliud ipſa operatio ſive actualitas. Facultatem „ autem dat Deus infundendo virtutes & gratiam, per quas efficitur ho„ mo potens & aptus ad operandum; ſed ipſam operationem confert, in „ quantùm operatur in nobis interiùs movendo & inſtigando ad bo„ num.“

In Summæ tertia parte, q. 70. art. 4. in corpore, retractat opinionem quam junior tenuerat cum nonnullis ætatis ſuæ Theologis, nimirum per circumciſionem datam fuiſſe gratiam habitualem „ quantùm ad aliquem „ effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vitâ æternâ, ſed non quan„ tùm ad omnes effectus, quia non ſufficiebat reprimere concupiſcentiam „ fomitis, nec ad implendum mandata legis.“ Ideò illam retractat, quòd „ minima gratia (habitualis) poſſit reſiſtere cuilibet concupiſcen„ tiæ, & vitare omne peccatum quod committitur in tranſgreſſione „ mandatorum legis; minima enim caritas plus diligit Deum quàm cu„ piditas millia auri & argenti.“ En rurſus gratiæ habituali attribuitur potentia, & quidem ſufficiens in ſuo genere, vitandi omne peccatum & implendi mandata.

Part. 3. art. 1. pag. 352 *Cauſæ Arnald. not.*

Conradus Koëlin, non ignobilis Thomiſta Cajetani æqualis aut ſuppar, ab Arnaldo laudatus in *Diſſertatione Quadripartita*, de gratia efficaci, eamdem virtutem ſufficientem implendi mandata habituali gratiæ attribuit in quæſt. 109. art. 9. „ Homo, inquit, primò indiget ipſâ „ gratiâ habituali, quæ faciat eum potentem ad operandum meritoriè, „ quæ eſt actus primus conſtituens hominem in potentia activa ſuffi„ cienti ad operandum meritoriè. Quia autem ſupra, art. 1, dictum „ eſt quòd, quantumcunque res habeat principium operandi ſufficiens, „ indigeat auxilio & motione divinâ, ideò, habitâ gratiâ (habituali), „ adhùc opus eſt motione Dei, &, ut patebit, ſpeciali.“

Thomas de Lemos, Panopliæ tom. 4. part. 2. tract. 1. cap. 4. num. 54: „ Gratia habitualis, inquit, ad hoc datur, ut in ſuo ordine & genere „ habitualiter inclinet hominem in bonum, & habitualiter ei tribuat ſuf-

„ ſufficientes vires quibus bonum poſſit operari." Et cap. 3. num. 40,
ait „ liberum arbitrium conſtitui in potentia proxima per habitus ſu-
„ pernaturales infuſos."

Alvarez, lib. 3 Reſponſ. cap. 5. num. 20, idem docet ac probat ex
S. Thoma. „ Ex doctrina, inquit, S. Thomæ, 1. 2. quæſt. 109, per
„ gratiam habitualem & virtutes infuſas habet homo ſufficientem virtu-
„ tem in actu primo, quo poſſit ſervare omnia mandata & perſeverare
„ usque in finem, ſi velit. Et tamen de facto, cum ſola gratia habi-
„ tuali & virtutibus infuſis, ſecluſo quoque auxilio actuali prævenien-
„ tis gratiæ, nunquam ſervabit eadem mandata, nec perſeverabit usque
„ in finem, ut oſtendit S. Doctor art. 9 & 10 ejusdem quæſtionis. Ex
„ hoc autem non ſequitur quòd gratia habitualis non ſit ſufficiens ad
„ operandum bonum: fallaciam enim hujus conſequentiæ detegit S.
„ Thomas art. 9, ubi objectionem factam diſſolvit."

Bartholomæus Medina, in 1. 2. quæſt. 109. art. 10, diſtinguit pariter
perſeverandi potentiam ab actuali perſeverantia, hancque efficaci gratiæ
actualis auxilio, illam gratiæ habituali adſcribit. „ Poſſe perſeverare,
inquit, „ habet homo ex eo quòd habet gratiam ſanctificantem, per
„ quam natus eſt ex Deo & fit particeps naturæ divinæ; ex quo fit
„ potens operari omne bonum, & vitare omne malum." Et infra:
„ Licet gratia habitualis de ſe ſufficiens ſit ad omne peccatum vincen-
„ dum & ad omne opus bonum præſtandum, nihilominùs &c."

Maſſoulié, in S. Thoma ſuî interprete, tom. 1. diſſert. 1. quæſt. 8.
art. 10: „ Inter ſufficientia auxilia, inquit, ipſa habitualis gratia re-
„ cenſetur, primumque locum obtinet."

Et certè ſicut potentia phyſica & naturalis agendi eſt aliquid perma-
nens in homine, etiam dum non operatur; ita potentia ſupernaturalis
viresque benè operandi concipi debent tanquam aliquid permanens in
anima, adeòque non motioni tranſeunti, ſed magis propriè gratiæ in-
hærenti attribui. Enimverò undenam inter juſtos alii majores, alii
minores vires habere dicuntur? Num præciſe propter majora vel mi-
nora auxilia actualia? Nequaquam; ſed propter intenſiorem aut re-
miſſiorem caritatis infuſæ habitum. Cur Apoſtoli tantas vires robur-
que invictum inter adverſa monſtrarunt, niſi quia in die Pentecoſtes
flagrantiſſimum caritatis & gratiæ ardorem receperunt? Cur S. Petrus,
cui Chriſtus pridiè paſſionis ſuæ dixerat: *Non potes me ſequi modò*, tan-
tam poſteà confitendi Chriſtum ac pro illo moriendi conſtantiam exhi-
buit, niſi quia indutus fuit virtute ex alto, quam, antequàm Chriſtus
pateretur, nondum fuerat conſecutus? Quam ob cauſam in gratia con-
firmati tantam habent boni faciendi potentiam ac facilitatem, niſi quia
abundantiori gratiæ habitualis dono roborantur? „ Dicuntur aliqui
„ confirmati in bono, ait S. Thomas in *Quæſtionibus diſputatis*, quæſt.
24. de Veritate, art. 9, in corpore, „ per hoc quod eis datur aliquod mu-

„ nus

„ nus gratiæ, quo ita inclinantur in bonum, quòd non de facili poſ-
„ ſint a bono deflecti.“ Et poſteà: „ Per gratiam viæ ita poteſt homo
„ bono adſtringi, quòd nonniſi valde de difficili peccare poſſit, per hoc
„ quòd ex virtutibus infuſis inferiores vires refrænantur, & voluntas in
„ Deum fortiùs inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione veri-
„ tatis divinæ.“ Quam ob cauſam juſti, quantùmcunque perfecti, nunquam hac in vita peccati venialis omnino expertes ſunt, niſi quia gratia habitualis nunquam in eis tanta eſt, ut concupiſcentiæ fomitem penitus extinguat?

Fateor equidem hanc potentiam, quæ juſtis ineſt per gratiam habitualem, nunquam in actum exire abſque actuali Dei moventis auxilio. Sed conſuetus ordinis ſupernaturalis curſus eſt, ut Deus auxilia actualia gradibus juſtitiæ inhærentis plerùmque accommodet; majora & frequentiora juſtis provectioribus, minora & minùs frequentia minus provectis largiendo, ut poſteà dicetur.

Quales autem & quantæ ſint vires habituales in intima voluntate latentes, tentationum probatio manifeſtat. „ Quia enim homo plerum-
„ que etiam ſibi ipſi ignotus eſt, inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 55, num. 2, „ quid ferat, quidve non ferat, ignorat; & aliquando præſu-
„ mit ſe ferre quod non poteſt, & aliquando deſperat ſe ferre poſſe
„ quod poteſt. Accedit tentatio quaſi interrogatio, & invenitur homo
„ à ſeipſo, quia latebat ſeipſum; ſed artificem non latebat.“ Porro tentationis interrogatio non demonſtrat tantummodò quid homo poſſit actualiter, ſed præſertim quid habitualiter poſſit vel non poſſit.

2°. Non ſolum gratia habitualis confert voluntati potentiam ac vires benè agendi, ſed etiam principium eſt effectivum bonorum operum quæ à juſtis fiunt, verèque ac propriè in ea influit; atque adeò multùm præcellit gratiæ excitanti, quæ, accedente auxilio per ſe efficaci, moraliter tantùm influit in opus bonum, ut conſentiunt omnes Thomiſtæ. Id obſervat Alvarez, lib. 3 Reſponſ. cap. 3, in reſponſ. ad 8am objectionem. „ Gratia excitans, inquit, inclinat moraliter voluntatem ad
„ opus bonum, eam movendo ex parte objecti, alliciendo, invitando
„ & ſuadendo. Habitus verò ſupernaturalis inclinat eam habitualiter
„ ex parte potentiæ, per modum principii effectivi. Auxilium autem
„ efficax prævenientis gratiæ adjuvantis inclinat voluntatem, hoc eſt,
„ inclinare eam facit actualiter & infallibiliter.“ Et certè gratiæ habituali nihil minùs tribuendum eſt quàm habitibus naturalibus, quos omnes fatentur principia eſſe effectiva actionum quæ ex illis procedunt.

3°. Denique, quod ad ſufficientiam gratiæ imprimis requiritur, præter gratiam habitualem, nullum aliud ejuſdem generis auxilium neceſſarium eſt ad benè agendum; ſed requiritur tantummodò motio actualis efficax quæ alterius eſt generis: hoc eſt, homo juſtus ad operandum non indiget aliâ gratiâ habituali, ſed auxilio duntaxat actuali, quo ipſius voluntas

luntas habitualiter inclinata in bonum, ad bonum hic & nunc operantium moveatur ac applicetur. Neque inde poteſt concludi, ait S. Thomas, 1. 2. q. 109. art. 9. ad 1, „ quòd gratia (habitualis) ſit in vanum „ data, vel quòd ſit imperfecta; quia etiam in ſtatu gloriæ, quando „ gratia erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit."

Nihil ergo vetat quin gratia habitualis dicatur ſufficiens in ſuo genere, quàmvis homo illâ inſtructus indigeat determinari ad agendum per motionem actualem: quemadmodùm paſſio Chriſti dicitur ſufficiens cauſa ſalutis humanæ, tametſi ſacramenta aliaque ſubſidia, tum externa, tum interna, neceſſaria ſint ut ipſius virtus nobis applicetur. Vide S. Thom. 3 part. q. 61. art. 1.

Notandum tamen eſt potentiam, ſeu vires quæ per gratiam habitualem ſubminiſtrantur, nunquam hac in vita perfectas eſſe, quia ipſa gratia ſemper aliqualiter imperfecta eſt, in quantùm hominem non totaliter ſanat, ut ait S. Thomas ibidem: ſed quantò plus homo in juſtitia proficit, tantò magis in eo creſcit potentia benè operandi, tunc demum omnino complenda, cùm Deo perfectè unitus peccare ampliùs non poterit.

Dico 4°. Ubi de gratia actuali agitur, ſola gratia ſeipſâ efficax propriè dici poteſt ſufficiens.

Nam id tantùm ſufficit in quocunque genere, præter quod nihil aliud ejuſdem generis requiritur ad producendum effectum. Atqui gratia actualis efficax ſola eſt, præter quam aliud actuale auxilium non requiratur ad benè operandum; quocunque enim alio adjutorio actuali ſuppoſito, adjutorium efficax inſuper neceſſarium eſt, atque ita neceſſarium ut ſine ipſo bonum opus nec fiat, nec fieri poſſit. Ergo, loquendo propriè & ſecundùm vim nominis, gratia efficax ſola eſt quæ ſufficiens dici debeat.

Non tantùm hæc loquendi ratio communi hominum uſui ſola congruit; ſed etiam ſola obtinuit apud SS. Patres, à quorum locutionibus, quantùm fieri poteſt, nunquam eſt recedendum; ne fortè, mutatâ formâ ſanorum verborum, ipſa quoque doctrina immutetur aut ſaltem in diſcrimen adducatur. Quàmvis autem gratiæ ſufficientis nomen nullibi apud SS. Doctores reperiatur, non infrequenter tamen docent gratiam excitantem, ſeu parvam, non ſufficere ad implenda mandata, ſolamque magnam & efficacem gratiam ad id ſufficere.

S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 15. num. 31, utramque gratiam diſtinguit his verbis: „ Gratia Dei ſemper eſt bona, „ & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ." En gratia excitans. „ Per hanc etiam fit ut ipſa voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & jam magna fiat, ut poſſit „ implere divina mandata quæ voluerit, cùm plenè perfectèque voluerit." En gratia adjuvans ſeu efficax, quâ homo bonum, quod per gratiam excitantem velle cœpit, reipſâ perficere poteſt. „ Ad hoc enim „ valet, addit S. Doctor, quod ſcriptum eſt: *Si volueris, conſervabis*

,, *mandata*, ut homo, qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè ,, velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta SUF- ,, FICIT ad implenda mandata: ſic quippe adjuvatur ut faciat quod ,, jubetur." Ergo, ex S. Auguſtino, ſola gratia magna, quâ fit quod jubetur, SUFFICIT ad implenda mandata. Addit capite ſequenti: ,, Certum eſt nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed, quia præparatur ,, voluntas à Domino, ab illo petendum eſt ut tantùm velimus, quan- ,, tùm SUFFICIT ut volendo faciamus:" hoc eſt, ab illo petendum eſt auxilium efficax, quod ſolum SUFFICIT, & ſine quo nihil ſufficit.

Lib. 2 *de Peccat. meritis & remiſſione*, cap. 19. num. 33: ,, Idcirco, ait, ,, etiam ſanctos & fideles ſuos in aliquibus vitiis tardius ſanat, ut ,, in his eos minùs, quàm implendæ ex omni parte juſtitiæ SUFFICIT, ,, delectet bonum &c." Igitur, quandiu bonum non fit, nondum tanta eſt per gratiam boni delectatio, quanta ad illud faciendum ſufficit.

Idem S. Doctor, unà cum S. Alypio, Epiſt. 188, olim 143, ad Julianam, cap. 3. num. 12: ,, Ille, inquiunt, qui dixit: *Cùm ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum, adii Dominum & deprecatus ſum illum,.....* ,, utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat ,, accipere ſpiritu ſapientiæ, qui SUFFICERET ad implendam magni- ,, tudinem continentiæ." Ille tamen jam habebat gratiam excitantem quâ Dominum deprecabatur, ſed poſtulabat efficacem, tanquam quæ ſola *ſufficeret* ad caſtitatem ſervandam.

Denique, Serm. 163, olim 3 de Verbis Apoſtoli, cap. 10: ,, Volo ,, ut velis. Sed non SUFFICIT ut velis. Adjuvandus es ut plenè velis ,, & impleas quod velis." Ubi videmus velle bonum, quod excitantis gratiæ donum eſt, non ſufficere, niſi addatur majus adjutorium quo impleamus quod jam volumus.

S. Proſper in pſalmum 118. v. 17, exponens iſta verba: *Retribue ſervo tuo, vivifica me*, hæc dicit, quibus nihil expreſſius eſſe poteſt: ,, Petit ſibi vitam per Dei gratiam, quam profectò non peteret ſi om- ,, nino non crederet, id eſt, omnino non viveret. Sed quia id accepe- ,, rat ad deſiderandum" (hoc eſt, auxilium interius excitans), ,, NON ,, SUFFICIEBAT AD OBEDIENDUM, poſcit ſe vivificari, hoc eſt, ,, eam in ſe fidem quam accepit augeri."

S. Thomas gratiam efficacem & ſufficientem pro una & eadem ſumit, Lect. 6 in cap. 1 Epiſtolæ ad Rom. ,, Primò, inquit, oſtendit Apoſ- ,, tolus quòd Evangelica gratia eſt neceſſaria ad ſalutem. 2°. Quòd ,, eſt efficax ſive SUFFICIENS." Et 1 part. q. 105. art. 4. in corp., ubi dicit ,, voluntatem non moveri ſufficienter & efficaciter niſi à ,, Deo."

Tandem Facultas Lovanienſis, in Juſtificatione ſuæ Cenſuræ adverſùs Leſſium, cap. 12. num. 176 & 177: ,, Addimus, inquit, & hoc quale-

,, cun-

Digitized by Google

„ cunque ſubſidium, quod aliquando ſubminiſtrari dicitur iis qui non „ credunt, nec convertuntur ad Dominum, non fuiſſe ſufficiens ad fi- „ dem aut converſionem. Quippe gratia ad converſionem ſufficiens ipſa „ convertit: quæ verò non convertit, non ſufficit." Et cap. 13. num. 191: „ Dicimus non eſſe gratiam ſufficienter præparantem volunta- „ tem, niſi quæ facit ut velimus, ut conſentiamus. Quandiu enim „ voluntas nondum ſic affecta eſt ut velit, ſed adhuc reſiſtit & contra- „ dicit, nondum ſufficienter à Domino eſt præparata."

Confirmatur etiam hic loquendi modus ſuffragio Jeſuitarum ac Theologorum qui cum ipſis ſentiunt. Quanquam enim pro gratia ſufficiente mordicùs pugnent, nihilque ſæpiùs in ore habeant, conſentiunt tamen ſolam illam gratiam dici poſſe ſufficientem, præter quam ad benè agendum alia non requiritur; adeòque, poſitâ ſemel gratiæ per ſe efficacis neceſſitate, ſolam ſeipſâ efficacem gratiam ſufficientem meritò nuncupari poſſe. Tales, ſunt inter cæteros, Molina, quæſt. 25. art. 4 & 5. diſp. 1. membro 6; Leſſius in Apologia, art. 9; Suarez 2 parte de Auxiliis, lib. 5. cap. 10. num. 11. 12 & 13; Meratius in tract. de Gratia dictato anno 1645 in Collegio Romano, art. 4. diſp. 4; Moraines in Anti-Janſenio, diſp. 27 de Gratia, ſect. 2. pag. 449; Annatus in Cavillis Janſenianorum, pag. 29. Horum teſtimonia in unum collecta legi poſſunt in Defenſione Conſtitutionis Innocentii X contra Paulum Annatum, auctore de la Lane, cap. 4.

Addamus Tournely, de Gratia, part. 2. quæſt. 7. art. 4. concl. 3. „ Non placet, inquit, gratia ſufficiens, quæ nunquam immediatè ſuum „ effectum ſortitur, defectu gratiæ efficacis phyſicè prædeterminan- „ tis,..... quia gratia hujuſmodi reipſâ nec ſatis ſufficiens ac utilis „ videtur homini ad obſervandum præceptum; ſiquidem non complecti- „ tur id omne quod requiritur ex parte principii ut actus ponatur."

Cæterùm attendenda eſt hac in re Jeſuitarum fallacia. Quando enim adverſus Thomiſtas pugnant, contendunt illorum gratiam ſufficientem minimè ſufficientem eſſe: quando autem Auguſtinianos oppugnant, fingunt eos à Thomiſtis inſigniter differre, & gratiam verè ſufficientem ab efficaci diſtinctam non admittere, quam illi admittunt.

Dico 5° nomen ſufficientis impropriè ac periculosè attribui gratiæ excitanti efficaci.

Sequitur iſta propoſitio ex præcedente, ſi tamen ab illa differt. Si enim ſola gratia efficax verè ac propriè dici poteſt ſufficiens, nonniſi valde impropriè hoc nomen gratiæ actuali, quæ ſit inefficax, attribuitur.

Et certè ea gratia non rectè appellatur ſufficiens, quæ in rei veritate non ſufficit ad benè agendum; ſicut, ex omnium conſenſu, ea potio non diceretur ſufficiens ad pellendum morbum reſtituendamque ſanitatem, præter quam alia validior eſſet omnino neceſſaria. Porro, fatentibus Thomiſtis, gratia, quam ſufficientem vocant, in rei veritate non ſuf-

ſufficit ad benè operandum, ſiquidem alia gratia actualis, nempe efficax, præter illam eſt abſolutè neceſſaria.

Quòd autem illa vox gratiæ inefficaci periculoſè applicetur, inde patet quòd ſemper periculoſum ſit, in Religione præſertim, uti vocibus æquivocis, quæ errandi occaſionem præbere natæ ſunt, ac reipſâ multis præbent. Talis profectò eſt vox ſufficientis gratiæ inefficaci applicata. Præterquàm quòd enim, à ſua natura & grammaticali ſignificatione in communi hominum uſu recepta, ad aliam prorſus extraneam deflectitur, in ipſis Theologorum ſcholis ſenſus habet planè diverſos, imò apertè contrarios. In ſchola quippe Molinianorum, gratia ſufficiens eſt ea quæ reverâ ſufficit ad operandum bonum, & præter quam nullum aliud auxilium ex parte Dei requiritur: apud Thomiſtas è contrario gratia ſufficiens eſt ea quæ dat tantùm poſſe benè operari, & præter quam ad benè operandum alia ex parte Dei planè neceſſaria eſt. Hac autem in pugna Thomiſtæ quidem rectiùs ſentiunt: at Jeſuitæ multò congruentiùs & hominum captui accommodatiùs loquuntur, ideòque ſimplices & incautos fideles in errorem faciliùs trahunt. Ecquis enim, cùm audit gratiam ſufficientem, non intelligit gratiam præter quam nulla alia ad benè agendum requiritur? Hinc dici vix poteſt quàm latè hujus miſeræ æquivocationis ope novitates ſuas diſſeminaverint Moliniani, & quanto cum ſucceſſu imperitis illuſerint; dum ex una parte gratiam ſufficientem ab efficace diſtinctam, ipſis fatentibus Thomiſtis, admittendam eſſe clamarent; ex altera verò ſolam illam gratiam ſufficientem dici debere, præter quam nulla alia neceſſaria ſit, ex recepta apud omnes vocum ſignificatione oſtenderent." Hac arte, ait præclarè Arnaldus in Differtat. Quadripartita, part. 3. art. 10, „ tantas ſibi vires conflavit „ Moliniſmus, hoc uno ſufficientis gratiæ nomine incautiùs ſibi à Tho- „ miſtis conceſſo ipſos apud populum de ridiculo habet, pro Calviniſ- „ tis & Manichæis traducit, & efficacem gratiam, quam unam ſuffi- „ cientem Patres vocant, paſſim eliminat. Tolle præjudicium illud ex „ nomine ſufficientis gratiæ petitum, Molinam funditùs ſuſtuleris. „ Aliunde enim Traditionis auctoritate ita nudus & inermis eſt, ut in „ Theologorum conſeſſum, in Doctorum diſputationem prodire non au- „ deat, aut ſi audeat, continuò antiquitatis pondere ſuffocetur." Quamobrem, cùm ea vox in ore Thomiſtarum valde incongrua, & in ore Jeſuitarum erronea ſit, innumerarumque deceptionum infauſta radix, multò ſanè conſultiùs foret illâ penitus abſtinere.

Cauſæ Arnaldinæ pag. 350.

Et verò ſi quæ cauſa ſit gratiam inefficacem ſufficientem appellandi, maximè quia, ut aiunt Thomiſtæ, dat poſſe benè operari & ſufficit ad poſſe, etſi non ſufficiat ad agere. Verùm hæc ipſa notio, licet benè intellecta veritate non careat, ambigua tamen & incommodis plurimis obnoxia eſt. Nam primò quidem omnis gratia actualis primariò & per ſe non ordinatur ad poſſe, ſed ad agere. Proinde, tametſi gratia, quæ ſuf-

Digitized by Google

ſufficiens dicitur, potentiam aliquam benè agendi voluntati conferat, non tamen hæc primaria eſt illius utilitas atque ordinatio; ſed ad hoc proximè & immediatè datur, ut aliquod bonæ voluntatis initium inſpiret, quo paulatim homo ad perfectum opus diſponatur. Cum igitur unaquæque res inde potiùs cognominanda ſit, quod ei primariò & proximè competit, quàm ex eo quod ei ſecundariò tantùm convenit, illam gratiam rectiùs cum ſanctis Patribus parvam vel excitantem, quàm ſufficientem appellaveris.

2°. Cùm dicitur gratia excitans ſufficere ad poſſe, tacitè inſinuari videtur, antequàm ea gratia detur, non eſſe in homine per liberi arbitrii facultatem veram, phyſicam ac realem potentiam benè agendi, adeòque hanc gratiam neceſſariam eſſe ut mandata dici poſſint poſſibilia, & peccatum juſtè imputari. Et reverâ ea mens fuiſſe videtur eorum qui vocem illam primi in ſcholas invexerunt. Atqui hoc principium falſiſſimum eſſe partim probavimus Lib. III, oſtendendo ante omnem gratiam ineſſe homini potentiam naturalem, veram & phyſicam benè agendi; partim conſtabit ex dicendis poſteà.

3°. Duplex bonum faciendi potentia in homine diſtingui debet: una phyſica, quæ à libero arbitrio hac in vita inſeparabilis eſt; altera moralis & voluntaria, quæ oritur ex inclinatione voluntatis, majorque vel minor eſt, prout homo majori vel minori affectione vult bonum. Gratia ſufficiens non dat primi generis potentiam, ut pote à natura ipſa liberæ voluntatis hac in vita indivulſam: alteram dat quidem, ſed non ſemper ſatis validam ut ſufficiens verè dici poſſit. Nam, ut dixi, hæc ſecundi generis potentia, potentiæ naturali ſuperaddita, non conſiſtit in aliquo indiviſibili, nec diſtinguitur à voluntatis inclinatione; adeòque, prout voluntatis in bonum inclinatio fortior aut debilior eſt, ipſa quoque major vel minor eſt. Hoc ſenſu, qui non ita fortiter vult bonum ut illud reipſâ faciat, ſatis potentiæ ſeu virium non habet ad faciendum bonum. „ Qui vult facere Dei mandatum & non poteſt, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & lib. arbit.* cap. 17. num. 33., jam qui„ dem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: po„ terit autem cùm magnam habuerit & robuſtam.“ Porro cùm dicitur gratia excitans ſufficere ad poſſe, hac loquendi ratione innui videtur potentiam illam moralem conſiſtere in indiviſibili, aut tantam ſemper eſſe, quanta requiritur ad implenda mandata.

4°. Potentia benè agendi ab omnibus concipitur tanquam facultas, aut ſaltem qualitas permanens in anima; ac proinde non ſatis congruè attribuitur gratiæ excitanti, quæ eſt motio tranſiens, nec qualitas in anima permanens.

Hinc non ſolùm S. Auguſtini diſcipuli, ſed etiam plures Thomiſtæ graviſſimi, gratiæ ſufficientis nomen ut æquivocum minusque congruum habuerunt.

Digitized by Google

Lemos, tom. 4 Panopliæ, lib. 4. part. 2. tract. 3. cap. 2: „ Aliqui, ait, „ ex diſcipulis S. Thomæ, in hac materia ſatis periti, arbitran-
„ tur minùs congruè auxilium illud, quod diſtinguitur contra efficax,
„ vocari ſufficiens,..... cùm potiſſimùm S. Thomas auxilium ſufficiens
„ accipiat pro efficaci. Facilè cum iſtis auctoribus conſentirem, niſi
„ Scholaſticis pluribus contradiceretur."

Silvius in 1. 2. q. 109. art. 4: „ Secundùm rei veritatem, ut homo
„ ſervet divina mandata, ea gratia ſola non ſufficit, ſed oportet quòd
„ adſit etiam gratia efficax." Et q. 111. art. 3: „ Obſervare dignum
„ eſt magnam in iſto vocabulo *ſufficiens* committi æquivocatio-
„ nem."

Paulus Benius Eugubinus, Doctor Patavinus, in tractatu de Auxiliis edito Patavii anno 1633, & Clementi VIII. dedicato, cap. 1. pag. 7, ſic loquitur: „ Docebo iſtiusmodi ſufficientis & efficacis gratiæ diſtinc-
„ tionem, etſi ex ſcholaſtico pulvere poſteriori hoc ſæculo tritam &
„ uſurpatam, non modò eſſe obſcuram & controverſam, verùm etiam
„ inſufficientem, inutilem, atque, illo ſaltem nomine quo ab iis Scholaſ-
„ ticis uſurpatur, alienam à ſacris Litteris, diſſidentem à Conciliis,
„ ſanctiſque Patribus inauditam."

Macedo (à P. Berti citatus in Syſtemate Auguſtiniano vindicato, part. 2. diſſert. 4. cap. 1. §. 2. num. 18) ſic loquitur in Scrinio, cap. 8:
„ Ego ſemper malui, tum in Cortina, tum in ſuperiori libro hujuſmo-
„ di auxilium *inefficax* quàm *ſufficiens* appellare." Et poſteà: „ Au-
„ guſtinus auxilium ſufficiens efficax dixit,... imò non putat ſufficiens
„ quod non habet effectum; & quidem, meo judicio, rectè: nam ſi ſuf-
„ ficit & datur ut ſufficiat, cur non efficiet id propter quod datur?
„ Quòd ſi non efficit, profectò non ſufficit."

Joannes Gonzales de Leon, qui Romæ docebat anno 1695 & ſequentibus, in *Controverſ. de Auxiliis*, controv. 5. art. 6: „ Aliqui doctiſ-
„ ſimi Thomiſtæ arbitrantur minùs congruè vocari ſufficiens illud auxi-
„ lium, quod contra efficax dividitur,... eo ducti quòd hæc vox *ſuffi-*
„ *ciens* aliquas patitur difficultates, & ſpecialiter quia S. Thomas pluri-
„ bus in locis accipit *ſufficiens* pro efficaci."

Cardinalis de Laurea, opuſculo 3 de Gratia, cap. 4: „ Sæpè, inquit,
„ cum aliis viris doctis miratus ſum cur Theologi moderni gratiam il-
„ lam divinam, quâ homo vocatur, excitatur, illuminatur & inſpira-
„ tur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cœperunt
„ ſufficientem, ad diſtinctionem efficacis quæ ſemper habet annexum ef-
„ fectum, cùm ſatis non ſit ad eum ponendum, ſicut efficax quæ in ri-
„ gore dici deberet ſufficiens." Et cap. 18. num. 400: „ Unde verò
„ ſortiatur nomen ſufficientis, cùm reverâ ſe ſolâ & ſine alia, nempe adju-
„ vante, ad faciendum de facto opus non ſufficiat, quoad me, fateor inge-
„ nuè, hoc opus, hic labor eſt." Et num. 401: „ Non potui inveni-
„ re

„ re quisnam ex majoribus & antiquis nomen hoc ſufficientis, & quâ „ ratione impoſuerit." Obſervat tantum, cap. 22, hoc nomen circa initium ſæculi decimi ſexti, contra etymologiam grammaticalem & communem ſignificationem, ei inditum fuiſſe.

Ridendos ſe verius quàm refellendos præbent, qui, ad approbandum iſtius vocis uſum, ſerio allegant Apoſtolum, 2 Corint. III. 5, dicentem: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* & cap. XII. 9: *Sufficit tibi gratia mea.* Quaſi verò non manifeſtè in his textibus agatur de gratia efficaci, ut patet ex eo quòd poſt primum textum ſtatim addatur: *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non litterâ, ſed ſpiritu; littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat.* Non ergo per litteram occidentem, ſed per ſpiritum vivificantem, hoc eſt, gratiam efficacem, ſufficientiam ex Deo accipimus. In altero agitur de gratia cujus virtus ſeu efficacia per ipſam hominis infirmitatem innoteſcit ac declaratur, uti demonſtrant verba immediatè ſequentia. *Virtus enim in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Et certè ſi gratia ſufficiens inefficax his in locis commendatur, cur omnes Scripturæ ſacræ interpretes per annos mille ſexcentos & ampliùs hoc myſterium latuit?

Non magis feliciter nituntur his Angelici Doctoris verbis, 1. 2. q. 106. art. 2 ad 2: „ Lex nova, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium „ dat ad non peccandum." Ibi enim S. Doctor nomine auxilii ſufficientis non intelligit gratiam actualem ſufficientem, qualis à Scholaſticis admittitur, ſed auxilium gratiæ habitualis, quod, ut dictum eſt, verè ſufficiens eſt in ſuo genere. Reſultat hic ſenſus tum ex titulo articuli, qui talis eſt: *Utrùm lex nova juſtificet;* tum ex corpore, ubi inde probatur legem novam juſtificare, quòd ad eam principaliter pertineat ipſa gratia Spiritûs ſancti interius infuſa; tum denique ex objectione cui loco nobis objecto reſpondet. En objectio: „ Apoſtolus probat ad Rom. „ quòd lex vetus non juſtificabat, quia, eâ adveniente, prævaricatio „ crevit. Dicitur enim ad Rom. IV: *Lex iram operatur; ubi enim* „ *non eſt lex, nec prævaricatio.* Sed multò magis lex nova prævaricationem addidit: majori enim pœnâ eſt dignus, qui poſt legem novam „ datam adhuc peccat, ſecundum illud Hebr. X: *Irritam quis faciens* „ *legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur:* „ *quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit?* Ergo lex nova non juſtificat, ſicut nec vetus." Reſpondet autem S. Doctor „ gratiam novi teſtamenti (habitualem ſcilicet de qua in toto articulo agebatur) „ etſi adjuvet hominem ad non peccandum, „ non tamen ita confirmare in bono, ut homo peccare non poſſit; „ hoc enim pertinere ad ſtatum gloriæ." „ Et ideò, addit, ſi quis „ poſt acceptam gratiam novi teſtamenti," (hoc eſt, poſt acceptam juſti-

juſtitiam) „ peccaverit, majori pœnâ eſt dignus, tanquam majoribus „ beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato," (gratiâ nimirum habituali) „ non utens. Nec tamen propter hoc dicitur quòd lex nova iram operatur; quia, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum:" in quantùm, ut aliàs dicit, „ minima gratia (habitualis) „ poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ."

Fruſtra etiam objiceres hæc verba, *adjuvat hominem ad non peccandum*, & *auxilio ſibi dato non utens*, indicare gratiam actualem, non habitualem. Conſtat enim Angelicum Doctorem adjuvandi virtutem in ipſa habituali gratia admiſiſſe. Sic ibid. quæſt. 109. art. 9. in corp: „ Homo, inquit, ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. „ Uno quidem modo quantùm ad aliquod habituale donum, per quod „ natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. „ Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum. Quantùm igitur ad primum auxilii modum &c." Ubi non actualis tantùm, ſed habitualis quoque gratia auxilium appellatur. Et rurſus, quæſt. 110. art. 2: „ Dupliciter, ait, ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur: uno modo, in quantùm anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum..... „ Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundùm „ quòd aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur." Igitur ex textu allato nihil concludi poteſt quod faveat gratiæ ſufficientis vocabulo, quale à modernis Scholaſticis admittitur.

Dico 6° gratiam excitantem nihilominùs dici poſſe aliquo ſenſu ſufficientem, hocque nomen pacis & concordiæ causâ retineri poſſe, modò parcè admodùm nec ſine aliquo temperamento uſurpetur.

Primò quidem gratia excitans aliquo ſenſu dici poteſt ſufficiens, quatenus veram dat agendi potentiam. Nam omnis cauſa quæ in ſe aliquid continet, quo influat in effectum producendum, veram comparatè ad illum effectum potentiam habet. Porro gratia excitans aliquid in ſe continet quo reipſâ influat in productionem actûs ad quem excitat. Quanquam enim actum illum nunquam ſola productura ſit, non ideò nullam vim habet ad eum producendum; neque ad veram cauſam requiritur ut ſe ſolâ effectum producendi capax ſit, ſed tantùm ut in eum poſſit influere: v. g. qui habet centum gradus virtutis motricis non movebit quidem pondus centum quinquaginta librarum; ſed nihilominùs veram habet virtutem, & ſi quis ad eum adjuvandum ſuperveniat, qui nonniſi quinquaginta virtutis gradus habeat, pondus reipſâ tolletur. Pariter qui habet gratiam excitantem quinque graduum, veram ac realem potentiam habet, quâ actum octo graduum producet, ſi tres tantùm gradus novos accipiat. Hac tamen in comparatione notandum eſt diſcrimen inſigne, quod reperitur inter vim motricem corporum & potentiam

tentiam operandi actum aliquem ſpiritualem. Virtus enim motrix centum graduum, quamvis vera potentia ſit, non tamen eſt potentia levandi pondus centum quinquaginta librarum, ſed tantum levandi centum libras; gratia vero quinque graduum potentiam dat in totum actum ſpiritualem producendum: cujus diſcriminis ratio eſt, quod pondus è terra levandum, cùm materiale ſit, conſtet partibus phyſicis à ſe mutuò diſtinctis & ſeparabilibus; unde poteſt quis habere vim movendi aliquam ejus partem, non verò illud totum: actus autem ſpirituales, cùm ſint ſimpliciſſimi, nullisque partibus conſtent, potentia ſeu virtus, quæ illorum reſpectu habetur, eſt potentia in actum totum, etiamſi ad eum reipſâ producendum novo gratiæ auxilio egeat. Vel enim gratia parva, v. g. quatuor graduum, dat potentiam reſpectu totius actûs, quem ſuppono ſeptem graduum, vel tantùm in partem actûs, vel omnino nullam. Hoc ultimum dici non poteſt: nam qui gratiam habet quatuor graduum, non indiget, ad operandum actum ſeptem graduum, niſi tribus novis gradibus gratiæ, qui nequaquam ſufficerent ſi nihil potentiæ ſupponeretur. Alterum quoque abſurdum eſt: nam actus ſupernaturalis nullas habet partes, & quos in eo concipimus gradus, nonniſi per mentem diſtinguuntur. Reſtat ergo ut gratia excitans quatuor graduum det veram potentiam reſpectu actûs ſeptem graduum, atque idcirco in aliquo ſenſu dici poſſit ſufficiens ad poſſe.

Adde in gratia excitante, præter phyſicam ejus entitatem, quâ in actum producendum influendi vim habet, conſiderandam eſſe virtutem moralem, quâ voluntatem excitat & impellit ad actum perfectum, & quâ corporum virtuti motrici multùm præcellit.

Denique, quod maximè notandum eſt, gratia excitans in ſe abſolutè conſiderata eſt verè ſufficiens ad bonum opus producendum, illudque de facto produceret, ſi voluntas peccato nimium dedita non obſtaret. Quòd ergo effectus non ſequatur, id non oritur ex defectu ipſius gratiæ, quaſi ſit ex ſe inſufficiens (ſufficeret quippe ſi nulla vel minor eſſet voluntatis reſiſtentia), ſed ex pravitate voluntatis humanæ, gratiam illam fruſtrantis effectu quem poteſt habere, ac quem reipſâ haberet in ſubjecto minùs obſiſtente. Hoc commodum ſanè maximum habet ſententia Theologorum, qui cum S. Auguſtino efficaciam gratiæ in delectatione relativè victrici conſtituunt. Eâ namque ſuppoſitâ, ſtatim concipitur omnem gratiam interiorem ex ſe ſufficere ad benè agendum, neque fruſtrari unquam effectu ad quem tendit, niſi ex voluntatis reniſu: cum è contrario in eorum Thomiſtarum opinione, qui gratiam ſufficientem ab efficaci eſſentialiter ex natura ſua differre autumant, hæc ſufficientia explicari vix ac ne vix quidem poſſit.

Referre juvat quæ hac de re dicit Maſſoulié, inſignis è Dominicanorum familia Theologus, Differt. 3. q. 6. art. 2. „ Si hic explicandi Tom. 2. pag. 212.
„ modus obtineat, inquit, palam eſt ſufficientem gratiam, quam ſchola

„ D. Thomæ agnoſcit, veriſſimè & propriiſſimè ſufficientem eſſe; cùm
„ reipsâ nihil ipſi deſit ſi vis ipſius agendi ſpectetur. Quòd enim divi-
„ næ gratiæ motio, v. g. ut quatuor, interdum effectum non habeat,
„ non oritur ex defectu ipſius motionis divinæ, quæ vim agendi non
„ habeat: eſt enim veriſſimè ſufficiens, immò & naturâ ſuâ efficax,
„ nec minorem ſuo in ordine vim habet agendi, quàm habeat v. g.
„ calor in ordine phyſico, quem nemo negaverit vim habere ſufficien-
„ tem comburendi; ita ut, ſi admotum lignum ignis non comburat,
„ id non oriatur ex eoquòd ipſi igni deſit ſufficiens vis agendi, ſed
„ quòd lignum, oppletum humiditate & aquâ, impreſſioni ſeu vi & effi-
„ caciæ ignis obſiſtat. Atqui idem de voluntate ſentiendum eſt. Nam
„ ſi prava voluntas minori v. g. obſtinatione obfirmata eſſet, minùſque
„ intenſus eſſet pravus ipſius habitus, quo velut pondere à virtute co-
„ lenda retrahitur & ad vitium impellitur, ipſa eadem divinæ gratiæ
„ motio ut quatuor voluntatem ad virtutem impelleret, atque hujus
„ conſenſum obtineret. Superaret enim vim pravi habitûs & malitiam
„ voluntatis, eamque à ſequendo vitio retraheret. Quòd ſi ea divinæ
„ gratiæ motio ut quatuor voluntatis conſenſum non obtineat, id non
„ oritur ex defectu motionis gratiæ divinæ, ſed ex prava diſpoſitione
„ voluntatis, quæ, ob pravum habitum, intenſum v. g. ut quinque,
„ ipſius actionis impreſſioni, & vi ſeu efficaciæ divinæ motionis non
„ ſubjicitur.

„ Atque inde, pergit idem auctor, alterum etiam conſequitur, quod
„ non levem difficultatem ingerere ſolet; quâ ratione ſcilicet & quâ æ-
„ quitate poſſit imputari homini ad culpam, quòd non agat & divina
„ mandata non impleat, cui divina motio deeſt, quæ tamen, ut age-
„ ret, neceſſaria foret. Imputatur enim ad culpam homini æquiſſimè,
„ cùm non oriatur defectu motionis & gratiæ divinæ quòd non agat,
„ ſed ex obſtinatione & malitia creatæ voluntatis. Sufficiet enim reipſâ
„ ea motio quâ impellitur v. g. ad erogandam pauperi eleemoſynam, cùm
„ præceptum charitatis proximi urget, niſi pravo avaritiæ & cupiditatis
„ laqueo compedita voluntas teneretur. Quòd ſi in eo ſtatu pravæ cu-
„ piditatis, quæ voluntati dominatur eamque conſtringit, præter eam
„ motionem altera ipſi neceſſaria ſit, & majoris remedii ope egeat, im-
„ putet ſibi & magnitudini morbi, non motioni divinæ, prava homini
„ voluntas, quæ ſeipſam ſuâ malitiâ & cupiditate conſtrinxit: nihil
„ enim deeſt ex parte motionis, ſed ſolùm deeſt ex parte voluntatis,
„ quæ ſeſe pravo habitu implicuit, &, ut olim ex S. Bernardo retuli-
„ mus, nihil habet quod reſpondeat prava voluntas, cùm ipſa fecerit.
„ Tantùm enim abeſt quòd malitia voluntatis hominem minùs reum effi-
„ ciat, ut è contra magis ipſum gravet. Quis enim unquam ex ſua ma-
„ litia excuſationem in peccatis meritò prætendere poſſit, quum è con-
„ tra ipſa malitia, quò major eſt, magis reum peragit?"

Ne-

Neque opponas hominem juſtè excuſari, cui, ducentos tantùm virtutis motricis gradus habenti, trecentarum pondus librarum de terra levare præciperetur. Maxima profectò diſparitas eſt, in eo poſita, quòd impotentia illius hominis eſſet involuntaria; vellet quippe, & ex toto ſe vellet obtemperare, nec poſſet: non ergo ſuâ culpâ non obtemperaret. Contra verò peccatoris impotentia tota voluntaria eſt. In tantùm gratiæ non obtemperat, in quantùm obtemperare non vult, ideòque non niſi culpâ ſuâ non obtemperat. Ecquis enim avarum pauperi non ſubvenientem inde excuſandum putet, quòd pecuniæ nimium ſit deditus? Quis homicidam eo nomine excuſet, quòd tam immodica ambitione laboret ut æmulum ferre non poſſit?

Nihil ergo obſtat quominùs nomen gratiæ ſufficientis pacis cauſâ admittatur, atque interdum uſurpetur, modò periculum omne vitetur, nullusque detur errori Moliniano locus; id eſt, modò admoneatur gratiam excitantem ſufficere duntaxat ad *poſſe*, non ad *agere*; aut ſic dicatur ex ſeipſâ & abſolutè ſufficiens ad *agere*, ut, propter corruptionem & reſiſtentiam pravæ voluntatis, neceſſarium ſit aliud auxilium per ſe efficax: uno verbo, ad tollendam vocis æquivocationem, ſic dicatur illa gratia ſufficiens, ut addatur: *ſenſu Thomiſtarum.*

Quæres an de fide ſit dari gratiam ſufficientem ab efficace diſtinctam? *An de fide ſit dari gratiam ſufficientem ab efficace diſtinctam.*

Reſpondeo hanc quæſtionem captioſam eſſe, duasque complecti tantùm à ſe mutuò diſtinctas, quantùm diſtat à cœlo terra: prius itaque diſtinguendam quàm reſolvendam. Prima quæſtio eſt an de fide ſit dari gratiam actualem inefficacem: altera, an de fide ſit eam gratiam dici debere aut eſſe ſufficientem. Primam ſolvimus Cap. I, ubi oſtendimus de fide eſſe dari gratias interiores inefficaces, quoad effectum ad quem voluntatem excitant ac moraliter impellunt. Alterius ſolutio patet ex mox dictis: videlicet non eſſe nec poſſe eſſe de fide hujusmodi gratiam dici debere ſufficientem; tum quia de nomine duntaxat quæſtio eſt; tum quia id nomen, omnibus SS. Patribus & antiquis Theologis incognitum, doctiſſimis etiamnum Doctoribus diſplicet; tum denique quia nullo Eccleſiæ decreto vel uſu conſecrata hæc vox eſt. Nam concilium Tridentinum ipſâ ſemper cautè abſtinuit, antiquâ gratiæ in excitantem & adjuvantem diviſione contentum. In Congregationibus *de Auxiliis* neque Dominicani, neque Conſultores illâ nunquam uſi ſunt. Innocentius X & Alexander VII damnarunt quidem iſtam propoſitionem: *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur:* gratiam verò cui reſiſtitur eſſe aut dici debere ſufficientem, neque ipſi neque ipſorum ſucceſſores unquam dixerunt. „ Injuria veritati fit, inquit doctiſſimus Boſſuetus, „ cùm ea quaſi dependere aſſeritur à voce, bonâ licet & in „ ſcholas benè introductâ, quam omnes conſentiunt nec in SS. Patribus, „ nec in Conciliis, nec in Conſtitutionibus, ſive antiquis, ſive moder- „ nis,

„ nis, ſummorum Pontificum, nec in ullo denique Eccleſiaſtico decre-
„ to reperiri."

Et certè ſi definitum eſſet gratiam excitantem eſſe ſufficientem, vel id definitum eſſet ſenſu Moliniano, vel ſenſu Thomiſtico, vel præſcindendo ab utroque. Primum nec ipſi Jeſuitæ dicere audent: alterum totis viribus negant, quibus gratia ſufficiens imprimis cordi eſt. Tertium denique abſurdum eſt. Nam definiri quidem poteſt vox univoca, quæ duobus ſpecie diverſis convenit ſecundùm eamdem ſignificationem, qualis eſt hæc vox, *animal;* ſed vocem æquivocam, quæ diverſâ planè ſignificatione ſumitur, definire repugnat præſcindendo ab utraque ſignificatione: v. g. hæc vox, *canis*, definiri nullomodò poteſt abſtrahendo ab animali & à ſidere, quæ ambo vocantur æquivocè *canis*. Atqui vox gratiæ ſufficientis ſenſu planè diverſo à Thomiſtis & à Molinianis accipitur. Ergo definiri nullatenus poteſt præſcindendo ab utroque intellectu.

CAPUT QUARTUM.

Qualis potentia obſervandi mandata per gratiam excitantem detur; & an ea ſit proxima, expedita, completa, relativa, immediata.

POTENTIA agendi multiplex diſtinguitur: una naturalis, phyſica & antecedens; altera moralis, conſequens & voluntaria.

Potentia naturalis, phyſica & antecedens eſt facultas ipſa agendi vel non agendi, agendi hoc vel illud, à libero voluntatis arbitrio inſeparabilis. Hanc potentiam gratia non dat, ſed ſupponit: de illa proinde hic non agitur.

Potentia moralis, conſequens & voluntaria, eſt illa quæ naſcitur ex amore ſeu inclinatione voluntatis. Talis eſt potentia navigandi in mercatore, qui transmarinis opibus ditari vehementer appetit; eique opponitur impotentia moralis conſequens & voluntaria, quæ non eſt vera & phyſica impotentia, ſed tantummodò defectus amoris ſeu inclinationis ad aliquid agendum. Hoc ſenſu, Joannis XII. 38, dicuntur Judæi non potuiſſe credere: quod intelligendum eſt, teſte Auguſtino, *quia nolebant*. Judæis itidem ait Chriſtus, Joann. V. 44: *Quomodò vos poteſtis credere, qui gloriam, quæ ab invicem eſt, accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Quibus verbis ſignificatur Judæos hominibus placendi nimis cupidos fuiſſe, quàm ut poſſent, id eſt, ut vellent in Chriſtum ab hominibus deſpectum credere. De hac morali impotentia loqui-

tur

tur S. Auguſtinus lib. *de Corrept & gratia*, cap. 12. num. 38, cùm dicit: „ Si Deus in eis non operaretur ut vellent, inter tot & tantas „ tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet: ideò perſevera- „ re non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita „ vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.“ Familiaris eſt in communi hominum loquendi uſu iſta vocis potentiæ acceptio; quoties v. g. vehementi peccati affectu abrepti aſſerunt ſe à peccato abſtinere non poſſe; quo nihil aliud intelligunt, niſi ita ſe peccato delectari, ut ab eo ſeſe continere nolint, quanquam id reipſâ poſſent, ſi vellent.

Inter potentiam naturalem phyſicam, & potentiam moralem, hoc maximè diſcrimen eſt, quòd in potentia naturali & phyſica non diſtinguantur diverſi gradus, quorum ratione homo dicatur plus minùsve poſſe phyſicè: contra verò, cùm potentia moralis fundetur in inclinatione & affectione voluntatis, poteſt eſſe major vel minor, prout voluntatis affectio major eſt vel minor. Idem dici debet de impotentia morali quæ ſuſcipit majus vel minus, prout major vel minor eſt voluntatis repugnantia ad id quod agendum proponitur.

Obſervandum eſt 2° potentiam voluntatis triplici ſenſu poſſe dici completam & expeditam.

1°. Quatenus complectitur id omne quod ad veræ ac propriè dictæ potentiæ eſſentiam pertinet, ſeu quatenus nihil ipſi deeſt ut ſit vera ac propriè dicta potentia. Hoc ſenſu omnis vera potentia eſt completa & expedita in genere potentiæ.

2°. Potentiæ completæ nomine intelligi poteſt ea potentia, quæ complectitur non tantùm omnia ad eſſentiam veræ potentiæ pertinentia, ſed etiam vires æquales & proportionatas actui producendo; ita ut ad reipſâ agendum non indigeat novarum virium acceſſione, ſed tantùm actuali voluntatis determinatione. Talis eſt in homine potentia ſeſe determinandi ad manducandum, quando fames eum ſollicitat, nec cibi deſunt.

3°. Potentia completa definiri poteſt ea, quæ non tantùm habet omnes vires completè ſufficientes ad producendum actum, ſed inſuper non indiget moveri à cauſa prima, quæ illam ad agendum phyſicè determinet.

Obſervandum eſt 3° Lutherum & Calvinum, cùm tria illa minimè diſtinxerint, nullam in homine agnoviſſe benè agendi potentiam, niſi quæ habeat vires effectui producendo proportionatas, & complectatur omnia ad actu operandum neceſſaria. Quamobrem, ex eo quòd homo ſine gratia efficaci non habeat omnia ex parte Dei requiſita ad benè agendum, concluſerunt hominem gratia efficaci deſtitutum nullomodò poſſe ſervare mandata, ſeu mandata illi eſſe abſolutè impoſſibilia.

Eidem principio mordicùs adhærent Moliniani, contenduntque potentiam, quæ vel non ſatis virium habet, vel novo præveniente auxilio indiget ad bonum reipſâ operandum, non eſſe veram potentiam, ſed realem

lem ac phyſicam impotentiam. Sed cùm ex illo falſo principio Lutherus & Calvinus concluſerint eos, qui gratia per ſe efficaci deſtituuntur, carere potentiâ benè agendi, eiſque præcepta eſſe impoſſibilia, Molinianì è contrario, ut potentiam implendi mandata integram ſervent, gratiæ ſeipſâ efficacis neceſſitatem è medio penitus tollunt.

Thomiſtæ uno conſenſu docent potentiam agendi, ut vera ſit & propriè dicta, complecti non debere omnia ex parte Dei requiſita ad actu operandum. Nam, inquiunt, homo plenam habet potentiam plurima faciendi, ad quæ tamen actu facienda non movetur à Deo motione phyſicâ, ſine qua nihil reipſâ fit. Sed non ita conſentiunt circa nomen potentiæ completæ. Quibus placet motionem Dei eſſe virtuoſam qualitatem, ſeu formam quamdam tranſeuntem voluntati impreſſam, conſequenter dicere debent eam pertinere ad actum primum, atque, antequàm illa detur, agendi potentiam nondum eſſe completam. Qui verò qualitatem illam (reipſâ inintelligibilem) rejiciunt, hi vulgò docent motionem divinam in ſeipſa conſideratam non pertinere ad actum primum, ſive ad potentiam, ſed ad actum ſecundum: ac proinde, antequàm Deus phyſicè moveat voluntatem, potentiam dici poſſe ac debere completam, tametſi, ut in actum exeat, indigeat auxilio Dei ipſam movente ac applicante ad agendum.

Ita quidem illi ſentiunt, ubi de actibus naturalibus, quorum nullus, juxta ipſos, ſine præmotione phyſica fieri poteſt. Verùm inter præmotionem phyſicam ad actus ordinis naturalis & gratiam ſeipſâ efficacem, qualis in hoc naturæ corruptæ ſtatu admittenda eſt, non parva eſt differentia. Præmotio phyſica ad actus ordinis naturalis, v. g. ad comedendum, ad bibendum, ad ludendum, ad deambulandum, ad vacandum ſuis negotiis, nullam in voluntate infirmitatem, immo plerumque magnam propenſionem reperit, totaque illius neceſſitas in ſola dependentia cauſarum ſecundarum à cauſa prima unicè fundatur. Quo fit ut motio divina ad hujuſmodi actus phyſicè determinans non compleat propriè agendi potentiam; quippe quæ vires habeat hujuſmodi actibus producendis pares, ſed tantummodò eam applicat & determinat ad agendum. At verò gratia per ſe efficax neceſſaria eſt ad benè agendum, non ſolum ratione dependentiæ à cauſa prima, ſed imprimis ratione infirmitatis & corruptionis per peccatum contractæ, & homini lapſo, quandiu in terris vivit, ſemper inhærente. Unde ſequitur voluntatem noſtram, priuſquàm efficacis gratiæ auxilio adjuvetur, adhuc infirmam eſſe, nec ſatis virium habere ad opus bonum producendum; ſive, ut preſſiùs loquar, gratiam Chriſti efficacem in præſenti naturæ ſtatu ſub duplici reſpectu conſiderari poſſe, nempe prout voluntatem ſanat inſpiratione ſanctæ dilectionis victrice cupiditatis, & prout eamdem ad bonum actum phyſice prædeterminat. Si ſub hoc altero reſpectu præciſè conſideretur, novas voluntati vires non addit, ſed eam tantummodò

ap-

applicat: hocque ſenſu S. Thomas, Quæſt. 3 de Potentia, art. 7. in corp. dicit, in motione „ non intelligi collationem aut conſervationem virtu-„ tis activæ, ſed applicationem virtutis ad actionem; ſicut homo eſt „ cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo quòd applicat acumen cultelli ad „ incidendum, movendo ipſum.“ Si autem gratia efficax conſideretur ut medicinalis, perſpicuum eſt eam, ſanando voluntatem, novas illi vires addere, atque adeò, antequàm illa data fuerit, potentiam rectè agendi, quàmvis completa fuiſſe dici poſſit in genere potentiæ, non tamen habuiſſe vires completas & concupiſcentiæ ſuperandæ pares.

„ Eſt igitur, ait Maſſoulié, Diſſert. 3. q. 3. art. 2, duplex munus, „ duplexque ratio in divina motione diſtinguenda: 1°. Ut eſt partici-„ patio divinæ virtutis, & auget vires voluntatis. 2°. Ut eſt applica-„ tio, ſeu ut movet & applicat voluntatem, illamque ex potentia in „ actum reducit. Et cùm intelligitur & explicatur prima ratio, pri-„ mumque divinæ motionis munus, ſcilicet vires voluntatis augendi, „ non intelligitur neque explicatur altera ratio, ſeu munus applicandi „ ipſam voluntatem, & vice verſâ.“

Animadvertendum autem eſt non paucos è Thomiſtis, de aſſerenda omnimoda creaturarum dependentia à cauſa prima imprimis ſollicitos, alterum gratiæ efficacis reſpectum, ſub quo medicinalis eſt, minùs attendiſſe (quanquam, ut mox dicemus, eum non omnino prætermiſerint), atque idcirco docuiſſe gratiam efficacem non ſe tenere ex parte actûs primi, ſeu potentiæ, ſed ex parte actûs ſecundi, id eſt, ipſius actûs. His adde quòd, ut obſervat idem Maſſoulié, ibidem, „ cùm collatio „ virtutis ordinetur ad actum, & in ipſa productione actûs apertior „ ſit magiſque emineat ipſa voluntatis applicatio & ad actum reductio, „ ideò frequentiùs dici ſolere à S. Thomæ diſcipulis efficacem gratiam, „ ſeu præviam motionem divinam, nihil aliud eſſe quàm applicationem „ creatæ voluntatis, & reductionem ad actum.“

Ex altera parte S. Auguſtini diſcipuli gratiam Chriſti efficacem conſiderarunt præſertim, prout naturam corruptam atque infirmam ſanat; adeò ut eorum nonnulli vim ejus phyſicè prædeterminantem, in creatarum voluntatum à cauſa prima dependentia fundatam, non admiſerint. Proinde mirum non eſt quòd plerumque gratiæ efficaci munus hoc attribuerint, ut benè agendi potentiam compleat, viresque voluntati conferat oppoſitæ cupiditatis viribus ſuperiores.

Obſervandum eſt 4° magna præterito ſæculo mota fuiſſe certamina circa potentiam benè agendi, quæ per gratiam excitantem confertur: an ſcilicet ea ſit proxima, an expedita, an completa, an immediata. Pro illis vocibus toti retro antiquitati incognitis acriter pugnarunt Jeſuitæ, quaſi de fidei ſumma actum fuiſſet; S. Auguſtini diſcipulis non tam eas admittere renuentibus, quàm de illarum ambiguitate & abuſu, nec non de intoleranda tyrannide quâ in fidei dogma à privatis hominibus erige-

baa-

bantur, conquerentibus. Enimverò cùm novæ illæ voces ſenſibus planè oppoſitis à Molinianis & à Thomiſtis intelligerentur, atque ejuſmodi ſint ut, juxta communem hominum loquendi uſum, gratiæ ſeipſâ efficacis neceſſitas per illas excludi videatur, rati ſunt Auguſtiniani maximi momenti eſſe illas nonniſi parcè admodum, pro bono pacis, in ſcholis tantummodò, nec niſi explicatâ prius ac determinatâ illarum ſignificatione, atque ſervatis ſemper SS. Patrum locutionibus, adhibere. Inde jurgia & criminationes: inde ad hæreſim conclamatum eſt: inde doctiſſimorum ac piiſſimorum Theologorum Auguſtiniana & Catholica doctrina, tanquam erronea ac damnata, innumeris libellis oppugnata fuit: inde illorum cauſa velut à Thomiſtarum cauſa (à quibus tamen ſolo loquendi modo ad ſummum diſcrepabant) toto cœlo diſtans exhibita eſt.

Sed quò tandem tendebant tam acerbæ tamque injuſtæ querelæ, niſi ut, ſi fieri poſſet, gratiæ per ſe efficacis doctrina de medio tolleretur, atque ut ipſi Thomiſtæ ſimul cum Auguſtinianis pro damnatis haberentur? Nam, quoad doctrinæ ſubſtantiam, magna eſt ambarum ſcholarum concordia, etiamſi aliquando gratiam efficacem ſub diverſis effectibus conſideraverint, aut diverſis interdum verbis uſi ſint. Hanc fuiſſe Jeſuitarum mentem noſſe poſſumus, inter cæteros, ex Meyero, in libro *de Mente Concilii Tridentini circa gratiam efficacem*, quem ſub nomine Liberii Gratiani latens contra Reginaldum edidit. Ibi namque Thomiſtas, quemadmodum & Auguſtinianos, Janſeniſmo inſimulat, & eidem
Pag. 93. utroſque cenſuræ devovet. „ Potentia diſſentiendi, inquit diſſert. 1, „ quam (Thomiſtæ) ſtatuunt, non eſt vera & realis, ſed fictitia &
Pag. 142. „ & chimerica." Et rurſus: „ Ergo vel Janſenianæ doctrinæ ſenſus „ & medulla condemnata non eſt, vel eſt condemnatum quod Janſe„ nius docet, & in quod unicè cum Calvino collimat, juſtum ſcilicet, „ qui peccat, non habere eam gratiam eamque potentiam, quâcum ora„ tionem & præcepti obſervantiam poſſit reipſâ conjungere." Et paulò
Pag. 144. poſt: „ Nunquam oſtendent aſſertores gratiæ phyſicè prædeterminantis „ Janſenium docuiſſe aliud, quàm juſto peccanti deeſſe talem gratiam, „ cum qua peccatum reipſâ omittere, & præceptum reipſâ obſervare
Pag. 145. „ poſſit." Et iterum: „ Cæterùm inanem quamdam potentiam, cujus „ actus nunquam extiterit, nunquam exiturus ſit, immo exiſtere reip„ ſâ non poſſit, quam ipſi (Thomiſtæ) à gratia quadam actuali deri„ vant, Janſenius ab habituali mutuat; quod, in ordine ad rem & „ praxim, nullius eſt momenti diſcrimen."

Cauſæ Arnaldinæ pag. 405 & 406. Veriſſimum eſt igitur quod obſervavit Arnaldus in fine ſuæ Diſſert. de Gratia efficaci, „ unam in hac tota materia ſolidam eſſe controver„ ſiam de gratiæ efficacis neceſſitate, de hac qui conveniunt vix aliter „ quàm verbis diſſentire poſſe; cæteras de actu primo & ſecundo, de „ potentia propinqua & remota, de nomine ac natura gratiæ ſufficientis, „ & leves per ſe, & maximam partem non de re, ſed de nomine eſſe,

„ quas

„ quas vel omittere omnino conſultiſſimum ſit, aut, ſi non omit-
„ tantur, intra ſcholarum anguſtias diſceptare: nihil verò indignius fie-
„ ri poſſe, quàm ut ad illas quæſtiunculas fidei majeſtas detrudatur, &
„ propter illas ſollicitetur Eccleſia, fideliumque concordia dirimatur.“

Reverâ, poſtquàm inſanus ille ardor pro inanibus voculis acerrimè decertandi paululùm remiſit, fateri demum coacti ſunt Auguſtinianorum adverſarii quæſtiones illas nihil ad fidem pertinere, ac de illis ſentire quempiam poſſe ut libuerit. Id apertè declarat ipſe Tournely. „ Non „ in eo verſatur præſens quæſtio, inquit, utrùm gratia ſufficiens com- „ pletam, vel proximam & perfectam conferat voluntati ad opus bonum „ potentiam. Mera iſta eſt de nomine controverſia, de qua diſputant „ inter ſe nonnulli Theologi. Sequatur quilibet quam partem volue- „ rit, parum rei catholicæ intereſt.“ Aut ſi infulatum ac purpuratum ſcriptorem deſideres, en tibi occurrit Cardinalis Biſſius, in Documento Paſtorali anni 1716 contra XIV Epiſtolas Theologicas. Sic ille, nonam Epiſtolam expendens, loquitur: „ Ut ſis orthodoxus, tenendo „ gratiæ efficacis neceſſitatem, neceſſe non eſt tuearis hoc auxilium per- „ tinere ad actum primum, vel ad actum ſecundum; nec nos tale quid „ dicere unquam cogitavimus: ſed credere oportet ſine hac gratia, cum „ ſola ſufficiente, haberi potentiam completam.“ Sed poſteà eamdem ipſam potentiam completam nullâ lege credendam præſcribi confitetur. „ Eccleſia, inquit, non præcepit ut utamur vocibus potentiæ proximæ, „ perfectæ & completæ, ad ſignificandum potentiam, vires & virtutem „ gratiæ ſufficientis: ſed hæ voces conſtanti uſu“ (dicere oportuerat, recentiſſimo nec conſtanti uſu) „ in ſcholis Catholicis ſunt recep- „ tæ.“ Et paulò poſt: „ Neminem adigimus ad utendum his verbis „ potentiæ proximæ, perfectæ & completæ, modò illorum uſum non „ damnet...... Concedimus hos terminos potentiæ veræ ac realis, po- „ tentiæ actu præſentis & propriè dictæ, potentiæ cui nihil deeſt quod „ ſit de eſſentia potentiæ, potentiæ quâcum poteſt homo implere le- „ gem, ſi voluerit; concedimus, inquam, hos terminos, in propria „ ac naturali ſignificatione acceptos, ſufficere ad exprimendum quod fi- „ des credi exigit de virtute gratiæ ſufficientis, & de potentia quam „ confert.“ Quorſum ergo pro vocibus, quas Eccleſia nunquam adſcivit, nunquam adhiberi juſſit, tanquam pro aris ac focis tam diu diſputatum eſt? Cur Theologis de Eccleſia Catholica optimè meritis, eam ſolam ob cauſam quòd illis uti dubitarent, cùm alioqui plenis buccis confiterentur quidquid ad fidem Eccleſiæ exprimendam ſufficere nunc concedit Biſſius, tot graves ærumnæ, tanquam hæreticis aut hæreſi ſuſpectis, procreatæ ſunt?

Tract. de Grat. tom. 2. pag. 308.

Verùm quod unâ manu offerunt, alterâ trahunt, *eſt* & *non* eodem ore proferentes. En tibi, loco potentiæ proximæ, perfectæ & comple-

tæ, potentia relativa tanquam Eccleſiæ oraculum credenda obtruditur. *Incidis in ſcyllam, cupiens vitare charybdim.*

Quid autem potentiæ relativæ nomine intelligi volunt? Si id unum vellent, hominem gratiâ excitante præventum, quantâlibet ex adverſò cupiditate laboret, habere veram & realem potentiam cupiditati ſuæ reſiſtendi, bonumque ad quod excitatur operandi, in rem ipſam, repulſâ vocis admodùm novæ & hactenus in Eccleſia inauditæ novitate, haud ægrè conſentiremus. Sed eâ voce intelligunt potentiam æquilibrii, quæ non minores ad bonum quàm ad malum vires habeat. Hoc autem, fidenter dico, nullus gratiæ ſeipſâ efficacis defenſor unquam admittet. Ad id tamen totam Janſeniſmi hæreſim hodie revocant Biſſius Meldenſis Præſul, Languet Senonenſis, Tournely in ſuo tractatu de Gratia &c. Merum profectò hæreſis phantasma, ſi, quod illi hæreticum eſſe clamant, ſanum & catholicum eſſe demonſtretur.

His obſervatis, de potentia proxima, expedita, completa, immediata, quas voces jam deſerunt aut ſaltem deſeri ſinunt adverſarii, minor eſt diſputatio, de potentia, quam vocant relativam & æquilibrii, gravior futura.

An potentia, quæ per gratiam excitantem confertur, poſſit aut debeat dici proxima.

Igitur quæres 1° an potentia, quæ per gratiam excitantem confertur, poſſit aut debeat dici proxima?

Reſpondeo, ſi per potentiam proximam intelligas potentiam omnia complectentem, quæ ad actualem operationem neceſſaria ſunt ex parte Dei, quemadmodùm à Molinianis intelligitur, potentiam illam eo ſenſu proximam dici non poſſe, quia ad actu operandum, præter potentiam excitantem, requiritur auxilium præveniens gratiæ per ſe efficacis. Si verò intelligas potentiam quæ, licet non complectatur omnia ad producendum effectum neceſſaria, magis tamen vicina eſt effectui quàm quælibet alia potentia, ſicut Thomiſtæ intelligunt; eo ſenſu potentiam illam dici poſſe proximam, quia multò vicinior eſt bonis actibus producendis quàm facultas naturalis, quæ abſque ullo bonæ voluntatis initio eſſe poteſt, imò quàm gratia ipſa habitualis ab omni gratiæ actualis motione ſejuncta.

Notandum tamen eſt potentiam per gratiam excitantem collatam, tametſi proxima ſit in ſuo genere, plus vel minùs propinquam eſſe, prout ipſa gratia major eſt vel minor: v. g. ſi ſuperanda eſt tentatio vehemens ut decem, gratia verò excitans ſit tantummodò ut quinque, confertur quidem per illam vera potentia ad vincendam illam tentationem; ſed ea potentia, quæ, ſi comparetur cum facultate naturali liberi arbitrii, proxima dicitur, minùs propinqua eſt quàm potentia novem graduum, quæ ex majore gratia excitante exurgeret. Id expreſſè docet S. Auguſtinus, Epiſt. 95, olim 201, ad Paulinum, num. 6. „ Novi, inquit,... hæc omnia (officia) tantò magis minùsve poſſe hominem, quantò magis minùsve

minùsve adjuvatur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Enimverò, cùm potentia duplex diſtinguatur, una ſimplex & phyſica, quæ habetur per naturalem liberi arbitrii facultatem, altera moralis & naturæ ſuperaddita quæ ex inclinatione voluntatis oritur, gratia excitans illam ſemper ſupponit, hanc autem tribuit inſpirando quoddam ſanctæ dilectionis initium: unde fit ut hæc altera potentia tanta ſit, quanta eſt ſancta dilectio; minùs propinqua, ubi ſanctæ dilectionis initium adhuc valde imperfectum eſt; propinquior, ubi ſancta dilectio aucta eſt ac roborata; proxima, cùm caſta dilectio unico, ut ita dicam, gradu à bono opere producendo diſtat. Id manifeſtè demonſtratur in converſione peccatorum, qui, quantò magis in amore Dei proficiunt, tantò ſuæ internæ & perfectæ converſionis propinquiorem potentiam habent, ut præclarè exponit S. Auguſtinus lib. 8 Confeſſ. cap. 11. num. 25, ubi ſuæ converſionis progreſſus ſic deſcribit: „ Dicebam apud me „ intus: ecce modò fiat, modò fiat; & cum verbo jam ibam in placi„ tum, jam penè faciebam, & non faciebam. Nec relabebar tamen in „ priſtina, ſed de proximo ſtabam & reſpirabam. Et item conabar, „ & paulò minùs ibi eram, & paulò minùs jam jamque attingebam & „ tenebam: & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæſitans „ mori morti & vitæ vivere, pluſque in me valebat deterius inolitum, „ quàm melius inſolitum."

Quæres 2° an potentia, quæ per gratiam excitantem confertur, ſit expedita? *An potentia, quæ per gratiam excitantem confertur, ſit expedita.*

Reſpondeo. Expeditum dicitur quod non eſt impeditum: potentia autem poteſt impediri dupliciter:

1°. Quidem ſi aliquid impediat quominùs vera potentia ſit: quemadmodùm, verbi gratiâ, infantia vel dementia impediunt ratiocinandi ac liberè agendi potentiam. 2°. Si, liberâ agendi potentiâ integrâ manente, aliquid impediat quominùs fiat quod fieri poteſt. Et rurſus hoc impedimentum duplicis poteſt eſſe generis. Vel enim externum eſt, nec in poteſtate voluntatis poſitum, quod locum non habet niſi in actionibus externis; v. g. cùm per defectum pecuniæ aliquis impeditur ne poſſit dare eleemoſynam; & tunc eſt quidem ſincera voluntas largiendi eleemoſynam, ſed deeſt ſeu impeditur potentia voluntatem illam exequendi: vel impedimentum eſt internum, & ab ipſâ manans voluntate, nimirum ubi vehemens eſt affectus in oppoſitum, quando v. g. homo dives per immodicum amorem pecuniæ impeditur ſubvenire pauperibus. Hujuſmodi autem impedimentum non ſe tenet propriè ex parte potentiæ, ſed ex parte voluntatis.

His poſitis, dico potentiam, quæ per gratiam excitantem confertur, expeditam dici poſſe, quatenus nullum impedimentum eſt externum, ratione cujus homo non poſſit bonum operari & à malo abſtinere: ſed

non

non poteſt dici expedita ſub omni reſpectu, quatenus per cupiditatem prædominantem impeditur ne facere velit quod faceret ſi vellet. Quantò gratia debilior eſt & cupiditas vehementior, tantò impedimentum illud voluntarium majus eſt: paulatim minuitur per augmentum gratiæ & imminutionem oppoſitæ cupiditatis, donec tandem tanta ſit juſtitiæ dilectio, ut omnino vincat cupiditatem. Id olim expertus S. Auguſtinus ſic exprimit ibidem: „ Sic ægrotabam & excruciabar accuſans memetipſum ſolitò acerbiùs nimis, ac volvens ac verſans me in vinculo meo, „ donec abrumperetur totum, *quo jam exiguo tenebar*, tenebar tam.n." Et num. ſequenti: „ Retinebant nugæ nugarum & vanitates vanitatum, „ antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittis ne nos? Et à momento iſto non erimus tecum ultra in æternum? Et à momento iſto non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum?... Et audiebam eas, jam longè minùs quàm „ dimidius, non tanquam liberè contradicentes eundo in obviam, ſed „ velut à dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes, ut „ reſpicerem. Retardabant tamen cunctantem me abripere atque excutere ab eis, & tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo „ violenta: putas ne ſine iſtis poteris?" Ab hujuſmodi impedimentis, quæ, ut jam dixi, ex parte tantummodò ipſius voluntatis ſe tenent, tantò magis expeditur benè agendi peccatumque fugiendi potentia, quantò magis bona voluntas novis gratiæ impulſibus invaleſcit.

An potentia per gratiam excitantem collata dici debeat completa & perfecta.

Quæres 3° an potentia per gratiam excitantem collata dici debeat completa & perfecta?

Reſpondeo his quoque vocibus ineſſe æquivocationem. Si potentiam completam & perfectam appelles eam, quæ habet omnia requiſita ad eſſentiam veræ ac propriè dictæ potentiæ, certum eſt potentiam, quæ per gratiam excitantem confertur, eſſe hoc ſenſu perfectam & completam; nihil quippe illi deeſt ad rationem veræ ac propriè dictæ potentiæ: ſed ſi hoc duntaxat intelligas, mallem eam veram ac realem dici, quàm completam & perfectam.

Si verò his vocibus intelligi velis potentiam quæ includat omnia requiſita ad bonum operandum, uti volunt Moliniani, tam certum eſt potentiam illam eo ſenſu completam ac perfectam dici non poſſe, quàm certum eſt in principiis Thomiſtarum gratiam ſeipſâ efficacem ad omne opus bonum abſolutè neceſſariam eſſe.

Denique ſi potentiam completam & perfectam eam eſſe dicas, quæ vires habeat oppoſitæ cupiditati ſuperandæ pares, ampliorumque virium acceſſione non indigeat, ut eam reipſâ ſuperet, hoc ſenſu potentia illa non debet dici completa aut perfecta. Nam gratiæ per ſe efficacis, prout ab excitante diſtinguitur, hoc munus eſt (ut paulò poſt oſtendemus), ut non ſolùm voluntatem operi bono applicet, ſed etiam illius ad benè agendum vires compleat.

Hinc

Hinc quàmvis multi Thomiſtæ potentiam illam completam appellare non dubitaverint, in primo ſcilicet ſenſu modò expoſito, non pauci tamen, iique inſigoiores, ad tertium hunc ſenſum attendentes, docent eam gratiam non habere ſuum ultimum complementum, niſi per gratiam efficacem: ac proinde, antequàm detur gratia efficax, potentiam veram quidem ac realem eſſe, ſed nondum completam.

Alvarez, qui primus Thomiſtarum dixiſſe videtur per gratiam ſufficientem potentiam completam dari, fatetur nihilominùs, diſp. 91 *de Auxiliis*, num. 14. ad 6, „auxilium efficax eſſe neceſſarium per modum „ principii, ſeu ultimi complementi actûs primi.“

Lemos, tom. 4 Panopliæ, part. 2. tract. 42. cap. 11: „ Divinæ gra„ tiæ efficax auxilium, inquit, tria efficit: Id eſt, potentiam reducit „ in actum primum ad agendum, eam ultimatè complendo. 2°. Eam „ ſic ultimatè completam applicat ad operandum. 3°. Cum illa operatio„ nem efficit...... Si autem auxilium ſufficiens tribueret potentiæ ultimum „ complementum, ipſam reducendo in actum primum ultima è ad agen„ dum, ageret procul dubio de facto.“ Et rurſus, num. 136: „ Efficax „ auxilium non ſolum habet applicare potentiam affectam auxilio ſuffi„ ciente ad agendum, ut quidam alii arbitrantur, ſed eam prioritate „ rationis primò complet, in actum primum ultimatè reducendo.“

Franciſcus Cumel, tom. 3. diſp. 15. ſect. 1. concl. 4: „ Auxilium „ ſufficiens dat homini ut poſſit agere, tribuitque ei vim ad agendum, „ ſed non completè omnino, quia eſt neceſſaria gratia effic.x intrinſeca „ & determinans voluntatem per modum actûs primi, & tunc homo eſt „ completè poteos.“ Et in Appendice, de ſcientia media: „ Voluntas „ non habet integram, adæquatam, ſeu proximam, expeditam & imme„ diatam poteſtatem ad pium opus ſupernaturale, repulſâ gratiâ efficaci „ divinæ præmotionis.“

Facultas Colonienſis, in Summa Theologica, quam edidit anno 1638 in gratiam eorum qui gradus apud ſe adepturi eſſent, 1. 2. tract. 5. diſp. 8: „ Sub ſufficiente auxilio nondum completè potentes ſumus, „ ut de facto hujuſmodi operationem eliciamus abſque efficace auxi„ lio.“

Ledeſma, quàmvis cum Alvare dicat poteotiam completam conferri per gratiam ſufficientem, obſervat tamen in tractatu de Auxiliis, quæſt unicâ, art. 11, Thomiſtas in duas abire opiniones; atque, juxta alios quidem, auxilium efficax pertinere tantùm ad actum ſecundum; alios verò „ docere quòd auxilium efficax prædeterminans tenet ſe ex parte „ actûs primi.“ En ipſius verba, art. 3: „ Quidam viri docti, ex diſ„ cipulis S. Thomæ, exiſtimant quòd illud auxilium præmovens cauſam „ ſecundam eſt quædam vis activa, complens virtutem operativam cauſæ „ ſecundæ, & conſtituens eam in ultima conſummatione actûs primi.“ Et art. 11: „ Alii diſcipuli S. Thomæ docent quòd auxilium efficax

„ prædeterminans voluntatem tenet ſe ex parte actûs primi, tanquam „ conſtituens illum in ultima actualitate...... Unde auxilium ſufficiens „ non eſt completum & conſummatum, niſi per auxilium efficax & prædeterminans. Itaque, ſecundum iſtam ſententiam, non datur auxilium ſufficiens completum & conſummatum, antequàm ſit conjunctum auxilio efficaci quod prædeterminat voluntatem.“ Horum opinio confirmabitur ex dicendis poſteà ad 5am Quæſtionem.

Utrùm potentia bene agendi, per gratiam excitantem collata, dici debeat immediata, an mediata.

Quæres 4° utrùm potentia bene agendi, per gratiam excitantem collata, dici debeat immediata, an mediata?

Reſpondeo circa hanc quæſtionem non unam eſſe Molinianorum opinionem. Plerique docent potentiam gratiæ ſufficientis tantam eſſe, ut, ſine novo prævenientis gratiæ auxilio, immediatè producere valeat actus omnes virtutum ad quos excitat; hoc eſt, ita immediatam, ut ipſam inter & bona opera novum præveniens Dei adjutorium intervenire non opus ſit. Alii verò exigunt tantummodò ut per gratiam ſufficientem dari credatur potentia mediata, id eſt, potentia quæ immediatè ſufficiat quidem ad orandum ſine novo gratiæ auxilio, ad benè autem agendum non ſufficiat niſi mediante auxilio uberiore, quod orando impetrari ſemper poteſt.

Verùm utrique errant, quatenus abſque gratia per ſe efficaci hominem vel benè agere, vel ſaltem orare poſſe contendunt, eâ poſſibilitate cui reipſâ ad agendum vel orandum nihil deſit. Inter Thomiſtas nonnulli potentiam, gratiâ excitante collatam, immediatam appellaverunt, ſed ſenſu planè diverſo, quatenùs ſcilicet ipſam inter & bonam actionem aliam potentiam intercedere non oporteat, ſed tantummodò auxilium actuale à ſeipſo efficax: alii hanc vocem omnino rejecerunt, quibuscum eam, ſaltem ut æquivocam, repudiare cuique liberum eſt.

Cæterùm nihil vetat quominùs ea potentia dici poſſit mediata, non quidem eo ſenſu quòd gratia efficax non ſit ad orandum neceſſaria, nam contrarium ſupra demonſtratum eſt; ſed quatenus initium bonæ voluntatis, quod per gratiam excitantem inſpiratur, eſt quædam diſpoſitio ac veluti medium ad obtinendam gratiam ampliorem. Nam, ut ait poſt S. Auguſtinum Angelicus Doctor, 1. 2. quæſt. 113. art. 10, „ caritas „ inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.“

An potentia, quæ confertur per gratiam excitantem, ſit relativa ad præſentes voluntatis diſpoſitiones; ſeu an gratia excitans præbeat voluntati

Quæres 5°. an potentia, quæ confertur per gratiam excitantem, ſit relativa ad præſentes voluntatis diſpoſitiones; ſeu an gratia excitans præbeat voluntati vires æquales viribus oppoſitæ cupiditatis, eique oppugnandæ pares; ita ut ſi ad bonum operandum opus ſit novo auxilio, non tamen opus ſit novarum virium acceſſione?

Reſpondeo hanc opinionem, à D. de Fenelon Archiepiſcopo Cameracenſi conceptam primum, deinde à nonnullis acerrimè propugnatam, non modò non eſſe fidem Eccleſiæ, ut illi volunt, ſed errorem eſſe graviſſimum ab Eccleſia & a ſcholis Catholicis procul amandandum.

Niti-

Digitized by Google

Nititur ea opinio hoc præſertim principio, potentiam liberi arbitrii veram & realem non eſſe, niſi tantùm valeat ad benè, quantùm ad malè agendum, ejusque eſſentiam in æquilibrio poſſibilitatis ac virium conſiſtere; quo itidem principio Lutherus ac Calvinus præcipites acti, liberum arbitrium penitus ſuſtulerunt. Iſtud commentum invictis argumentis ſupra confutavimus. Locum conſule, ſi placet, Libro II.

vires æquales viribus oppoſitæ cupiditatis, eique oppugnandæ pares.

Iſtius erroris fons & origo eſt, quòd potentia phyſica & potentia moralis, itemque eſſentia potentiæ & gradus potentiæ non diſtinguantur. Aliud eſt poſſe potentiâ phyſicâ, & aliud poſſe potentiâ morali ex inclinatione voluntatis manante. Aliud eſt poſſe potentiâ morali, & aliud plurimùm poſſe. Omnes homines poſſunt potentiâ phyſicâ ſervare divina mandata, ſi velint; ſed non omnes volunt, &, qui volunt, non æqualiter volunt: inter fideles & juſtos alii vires majores, alii minores habent: unus atque idem homo ſæpè ſatis virium habet ad facilia quædam legis implenda, & ad difficiliora viribus deficit.

De fide eſt homini, quantâlibet cupiditate ad malum impellatur, ineſſe veram & realem potentiam illam ſuperandi, eumque nonniſi ſuâ culpâ conſentire peccato. Sed de fide non eſt, immo error eſt, aſſerere hominem ſine gratia efficaci habere ſatis virium ad tentationes quaslibet ſuperandas.

Probatur 1° his Chriſti ad Petrum verbis, Joann. XIII. 36: *Quò ego vado non potes me ſequi modò, ſequeris autem poſteà:* hoc eſt, non habes nunc vires moriendi pro me; ſed illas poſteà habebis, & pro me morieris. Inde ſic argumentor: Vel defectu excitantis gratiæ dictus eſt Petrus non poſſe, vel defectu gratiæ amplioris & efficacis. Atqui non defectu gratiæ excitantis; tum quia, ſi credimus adverſariis, nunquam illa deeſt juſtis; tum quia non ſine gratia excitante Petrus Domino tunc dicebat: *Animam meam pro te ponam*. Nam, ut ait egregiè S. Auguſtinus, lib. *de Grat. & lib. arb.* cap. 17, „ caritas, quàmvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: *Animam meam pro te ponam*. Putabat enim ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat." Ergo defectu gratiæ amplioris & efficacis S. Petrus non poterat tunc pro Chriſto mori. Ergo gratia excitans ſatis virium non confert ad implenda mandata, quorum deſiderium aliquod inſpirat. Errabat quippe Petrus, quando putabat ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat, & quod utique ſine gratia excitante non volebat.

Tam apertis ipſiusmet veritatis verbis opponi quid poteſt? Affirmat Chriſtus Petrum non potuiſſe tunc ipſum ſequi, & nos affirmabimus Petrum habuiſſe tunc vires tanto præcepto implendo proportionatas? „ Quid ais, Petre, inquit S. Chryſoſtomus, hom. 73. in Joann. (tom. 8, pag. 429)? „ Dixit ille: non potes, & tu dicis: poſſum. „ Experimento itaque diſces dilectionem tuam ſine ſuperna gratia nihil „ eſſe...... Si diligis, debes dilecto obtemperare. Dixit ille, & tibi, & „ ſo-

„ ſociis: non potes. Quid contendis? Quia verò in hac re non vis di-
„ ſcere, non poſſe quod ego dico non fieri, in negatione tua id diſces,
„ etſi hoc tibi incredibile viſum ſit.“

S. Auguſtinus eumdem textum exponens tract. 66 in Joann. num. 1: „ Quid feſtinas, Petre, inquit? Nondum te ſuo ſpiritu ſolidavit petra. „ Noli extolli præſumendo: *non potes modò.* Noli dejici deſperando: „ *ſequeris poſteà.* Sed adhuc ille quid dicit? *Quare te non poſſum ſe-* „ *qui modo? Animam meam pro te ponam.* Quid in animo ejus eſſet cu- „ piditatis (bonæ) videbat, quid virium non videbat. Voluntatem ſuam „ jactabat infirmus, ſed inſpiciebat valetudinem medicus.... Quantùm „ ſibi aſſumpſerat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid poſſet! Et ſerm. 253, olim 149 de Temp. cap. 2. num. 3: „ Nondum acce- „ perat vires quibus impleret promiſſum...... *Modò,* inquit (Chriſtus), „ *non potes*: promittis, ſed ego video vires tuas.“ Et tract. 92 in Joannem, num. 2: „ Quæ (caritas) utique Petro tunc defuit, quan- „ do, mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum „ teſtimonium perhibere, ſed contra ſuam pollicitationem timore magno „ compulſus eſt ter negare.“

Tract. de Grat. tom. 2. p. 342. Reſpondet Tournely illic non agi de præcepto quod urgeret: neque enim, inquit, præceptum acceperat S. Petrus tunc moriendi pro Chriſto. Miſerum profectò effugium! Eſto: Petrus tunc præceptum non acceperat moriendi pro Chriſto: at acceperat præceptum confitendi Chriſtum, quem tamen præ virium imbecillitate ter abnegavit.

Probatur 2° ſuffragio ac conſenſu SS. Patrum, qui gratiæ efficacis proprium munus hoc eſſe docent, ut vires det voluntati, hominemque illâ deſtitutum omnes non habere vires ad obſervanda præcepta neceſſarias.

S. Ignatius Epiſcopus Antiochenus & Martyr, Epiſt. ad Rom. num. 3: „ Solùm petite mihi vires & intus & foris, ut non modò dicam, „ ſed & velim; ut non ſolùm dicar Chriſtianus, ſed inveniar.“

S. Hieronymus, Dialogo 3 adverſus Pelagianos, cap. 3: „ Quando „ dicit (Chriſtus) Joann. V: *Nemo poteſt venire ad me,* frangit ſuper- „ bientem arbitrii libertatem, quod, etiamſi velit ad Chriſtum perge- „ re“ (quod profectò non vult ſine gratia preveniente & excitante), „ niſi fiat illud quod ſequitur: *niſi Pater meus cœleſtis traxerit eum*“ (per gratiam efficacem), „ nequicquam cupiat, & fruſtra nitatur.“ Sanè non fruſtra niteretur ſi vires non deeſſent.

S. Auguſtinus innumeris in locis id inculcat, quæ referre nimis longum eſſet. In libro *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 16. num. 32: „ Il- „ le, inquit, facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.“ Cùm audimus gratiam efficacem dare vires efficaciſſimas voluntati, concludimus eis, quibus illa gratia deeſt, deeſſe vires illas quibus mandata impleant.

Lib.

Lib. *de Perfect. juſtitiæ*, cap. 10. num. 21: „ Non aliam ob cauſam „ Scriptura commemorat non eſſe gravia divina præcepta, niſi ut ani- „ ma, quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, „ quibus talia ſint præcepta Domini, qualia commendantur, levia ſci- „ licet atque ſuavia, & oret gemitu voluntatis ut impetret donum ſa- „ cilitatis.“ Vel illæ vires, quæ dantur per gratiam efficacem, neceſſariæ ſunt ad implenda mandata, vel non. Si neceſſariæ ſunt, ergo, qui gratiam efficacem non habent, conſequenter non habent vires relativas, proportionatas ac pares ad obſervanda mandata. Si neceſſariæ non ſunt, ergo ipſa gratia non eſt neceſſaria, recidimusque in damnatam Pelagii hæreſim, ideò gratiæ efficacis auxilium poſtulare nos debere, ut, quod ſine illa difficilius præſtaremus, per ipſam faciliùs præſtare valeamus.

Lib. *de Natura & gratia*, cap. 42. num. 49, S. Doctor dicit, per gratiam efficacem „ ſanatâ atque adjutâ hominis voluntate, poſſibilitatem „ ſimul cum effectu in ſanctis provenire.“ Non igitur ex tantum ſunt efficacis gratiæ partes, ut voluntatem determinet & applicet ad bonam actionem, ſed etiam ut eam ſanet, adjuvet, ejusque poſſibilitatem compleat.

Lib. *de Correptione & gratia*, cap. 12. num. 38, loquens de adjutorio *quo*, ſeu gratiâ per ſe efficaci, poſſibilitatem ſimul & voluntatem per illud tribui aſſerit. „ Quoniam, inquit, non perſeverabunt ſancti „ niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas & voluntas „ divinæ gratiæ largitate donatur. Tantùm quippe Spiritu ſancto ac- „ cenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt, ideò ſic „ velint, quia Deus operatur ut velint.“ Quandiu ergo homo non fortiter vult per gratiam efficacem, nondum plenè poteſt, ſed ex parte ſaltem infirmus remanet.

Lib. 1 *Retractat.* cap. 20. num. 2: „ Verum eſt omnes homines poſſe „ mandata implere, ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & „ tantùm augetur munere caritatis ut poſſint.“ Non igitur, quicunque vult per gratiam parvam & excitantem, continuò poteſt potentiâ completâ & perfectâ, quæ non habetur niſi per caritatis ac bonæ voluntatis augmentum; pariterque creſcunt potentia & vires ſervandi præcepta. Et cap. 22. num. 4: „ Cùm hoc ſit in poteſtate, quod, „ cum volumus, facimus, nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas „ eſt; ſed præparatur voluntas à Domino: eo modo ergo dat poteſta- „ tem...... Quæ (voluntas) cùm fortis & potens præparatur à Do- „ mino, facile fit opus pietatis, etiam quod prius difficile atque im- „ poſſibile fuit.“ Quàmvis ergo omnis gratia operans bonam voluntatem, veram det potentiam, tamen, ſicuti non ſemper operatur fortem ac potentem voluntatem, ita non ſemper robuſtam & viribus omnibus inſtructam potentiam confert.

Huc quoque referri poſſent ea teſtimonia, quibus ſupra oſtendimus ſolam efficacem gratiam S. Doctori aliisque Patribus ſufficientem viſam fuiſſe.

Auctor Sermonis 149 in Appendice S. Auguſtini de S. Petro loquens: „ Quia, inquit, per ſolum ſui amoris ſtudium, non addito e„ tiam adjutorio Domini, voluit eſſe promiſſum, ſtare non potuit per „ hominem quod ſub Divinitate pendebat. Fuit quidem in voluntate, „ ſed non fuit in virtute, ſicut ipſe Dominus dicit: *Spiritus promptus* „ *eſt. caro autem infirma;* & iterum: *Sine me* (efficaciter auxiliante) *nihil* „ *poteſtis facere.*" Ubi videmus non fuiſſe in virtute Petri per vires æquales & relativas, quod erat in voluntate per gratiam excitantem.

S. Cæleſtinus Rom. Pontifex, in Capitulis ſuæ ad Epiſcopos Gallicarum Epiſtolæ adjunctis, cap. 3, decernit „ neminem, etiam baptisma„ tis gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & „ ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium „ Dei perſeverantiam bonæ converſionis acceperit." Agitur ibi manifeſtè de gratia efficaci operante ipſam perſeverantiam: aſſerit autem S. Pontifex ſine illa gratia neminem idoneum eſſe, id eſt, vires idoneas & integras habere ad ſuperandas concupiſcentias.

S. Gregorius magnus, initio Hom. 9 in Ezechielem: „ Deus, inquit, „ aſpirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur „ ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere quod volumus." En duplex gratiæ auxilium, excitans ſcilicet, quod præveniens & aſpirans appellatur, & efficax, quod ſubſequens & adjuvans: illud dat velle, hoc poſſe. Ergo ſine gratia adjuvante & efficaci potentia benè agendi perfecta & numeris omnibus abſoluta non habetur.

Non abs re erit hic obſervare quantùm à doctrina & modo loquendi SS. Patrum receſſerint moderni quidam Scholaſtici. Juxta iſtos, gratia excitans, quam ſufficientem vocant, dat poſſe; efficax dat velle & operari. È contrario docent SS. Patres per gratiam excitantem, aſpirantem, prævenientem (nam ejuſdem gratiæ multiplex eſt nomen) dari velle, ſeu initium bonæ voluntatis; per gratiam verò adjuvantem, cooperantem, ſubſequentem (quibus verbis exprimitur gratia quam efficacem vocamus) dari poſſe quod volumus. Multò ſanè rectius. Ecquis enim non ſentit ſe multa bona proponere ac velle, quæ operari nondum valet, & ad quæ perficienda efficax gratiæ auxilium implorat?

Addi poſſent ea omnia teſtimonia, quibus ſupra oſtendimus nihil boni fieri poſſe ſine gratia efficaci. „ Hæc enim loquendi formula Patribus, „ Pontificibus atque Conciliis familiaris, inquit Serry, inter Thomiſtas percelebris, in Auguſtino cum D. Thoma conciliato, cap. 22. num. 3, „ cùm nonniſi de potentia completiſſima, pleniſſima, perfectiſſima, actui„ que proxima atque conjuncta explicari poſſit ac debeat, (aliàs enim nemo „ neſcit unicuique homini, ac potiſſimùm juſto, efficaci gratiâ certis in „ caſi-

„ caſibus deſtituto, veram, propriam, internamque benè agendi poteſ-
„ tatem ſemper adeſſe, tametſi non perinde completam atque perfec-
„ tam) illud profectò relinquitur, gratiam efficacem ſtatûs naturæ lap-
„ ſæ novum aliquem poteſtatis gradum afferre, atque adeò vires novas,
„ robur novum, iis quibus divinâ bonitate tribuitur, elargiri:" idque eò certius eſt, quòd SS. Patres gratiæ efficacis hoc in ſtatu neceſſitatem ex naturæ corruptione ac infirmitate potiſſimum repetiverint, ut mox obſervabimus.

Probatur 3° ex precibus Eccleſiæ. Nam gratia, quam fideles omnes cum univerſa Eccleſia ſibi dari poſtulant, eſt gratia efficax: quis enim unquam ſibi aut aliis popoſcit gratiæ merè ſufficientis auxilium? Atqui poſtulamus à Deo *ut poſſimus & valeamus* peccatum vitare, tentationes ſuperare, in bono perſeverare; ut oſtendi facilè poſſet plurimis Eccleſiæ orationibus. Eam tantum commemorabo quæ habetur in feſto S. Lupi Senonenſis Epiſcopi (1 Septembris): *Quæcunque præcipis ut agamus, ipſe adjuva ut implere poſſimus.* Confitemur ergo nobis deeſſe aliquem potentiæ ac virium gradum à gratia efficaci inſeparabilem, ſine quo ad obſervanda mandata infirmi ac imbecilles ſumus. „ Sancti hac in vita, ait S. Auguſtinus, lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 11. num. 29, „ in
„ certamine laborantes ac periclitantes, dandi ſibi pugnandi vincendique
„ virtutem per Dei gratiam poſcunt." Quam certè ſi relativam atque vincendis cupiditatibus parem habere ſe per gratiam ſufficientem crederent, non utique per efficacem ſibi dari importunis clamoribus poſtularent.

Iſtud argumentum confirmat concilium Tridentinum, Seſſ. VI. cap. 11, ubi, poſt S. Auguſtinum, dicit Deum, „ jubendo monere & facere quod
„ poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvare ut poſſis." Nam ſi id petimus quod non poſſumus, ergo, qui caret gratia efficaci, nondum plenè poteſt ſervare mandata. Notandum verò eſt concilium non addere, adjuvat ut facias, quod tamen veriſſimè dicere potuiſſet, ſed cum Auguſtino dicere, *& adjuvat ut poſſis:* quibus verbis apertè inſinuat per gratiam efficacem non ſolùm nobis præſtari ut mandata obſervemus, verum etiam ut poſſimus ea obſervare; adeòque per illam nobis conferri potentiam ac vires benè agendi.

Probatur 4° conſenſu Thomiſtarum. Cùm enim præcipuum cauſæ robur in eo collocent Auguſtinianorum adverſarii, quòd Thomiſtas hac de re ſibi conſentientes habere ſe jactitent, neceſſe eſt illud præſidium eis eripere; nec arduus erit labor.

1°. Apud Thomiſtas omnes certum eſt diſcrimen gratiæ ſtatûs innocentis, & gratiæ in præſenti naturæ ſtatu requiſitæ, in eo poſitum eſſe, quòd in ſtatu innocentiæ gratia ſeipſâ efficax unico titulo dependentiæ à cauſa prima neceſſaria fuerit; nunc verò non dependentiæ tantum, ſed etiam infirmitatis titulo neceſſaria ſit. Ex hoc autem principio mani-

 feſtè

feſtè ſequitur gratiam efficacem in præſenti ſtatu medicinalem eſſe, naturam corruptam ſanare, vires voluntati infirmæ tribuere; ac proinde, antequàm illa detur, voluntatis infirmitatem ac benè agendi impotentiam nondum eſſe plenè ſanatam.

Id expreſſè docet S. Thomas, 1. 2. q. 109. art. 9. „ Homo, inquit, „ in gratia conſtitutus non indiget quidem alio auxilio gratiæ, quaſi „ alio habitu infuſo, ſed indiget auxilio gratiæ ſecundùm alium mo- „ dum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum; idque propter „ duo: 1ᵒᵐ ratione generali, quia nulla res creata poteſt in quemcun- „ que actum prodire, niſi virtute motionis divinæ: 2° ratione ſpeciali, „ propter corruptionem humanæ naturæ."

Magiſtrum ſequuntur diſcipuli. Alvarez, diſput. 88 *de Auxiliis*, num. 10: „ Licet, inquit, per gratiam & alios habitus infuſos ſanetur „ homo quantum ad mentem, & perficiatur in actu primo ad operan- „ dum, adhuc remanet in eo corruptio & infectio quantum ad car- „ nem...... Et ideò adhuc indiget ſpeciali auxilio adjuvantis gratiæ, „ quo indeclinabiliter & inſuperabiliter ad bonum operandum moveatur." Hujus igitur efficacis auxilii munus eſt corruptioni naturæ mederi, ac proinde vires tribuere.

Eſtius in 2. diſtinct. 25. §. 7: „ Præter adjutorium utrique ſtatui „ commune, quo nimirum indigebant, tanquam operatione primi mo- „ ventis & primæ cauſæ, ad faciendum aut volendum quodcunque bo- „ num, homo in ſtatu naturæ corruptæ indiget etiam auxilio gratiæ „ ſanantis, erigentis, reparantis & confortantis ipſum contra tentationum „ impetus, & illecebras quas patitur à carne, & contra omnes pravas in- „ clinationes, quas contraxit ex corruptione naturæ per peccatum." Hæc porro gratia medicinalis, juxta Eſtium, eſt ipſamet gratia præmovens, cujus duplex eſt effectus, nempe voluntatem infirmam ſanare & confortare, eamque ſanatam & confortatam ad bona opera applicare.

Eamdem doctrinam videre eſt apud alios S. Thomæ diſcipulos, ubi de gratiæ in duplici naturæ ſtatu diſcrimine diſputant. Inde autem ſic argumentor: Gratia, quæ ſanat voluntatis infirmitatem, ſupponit illam adhuc infirmam eſſe ac invalidam, viribuſque indigentem. Atqui gratia efficax in præſenti naturæ ſtatu, ſecundùm omnes Thomiſtas, voluntatis infirmitatem ſanat, eâque homo lapſus indiget titulo infirmitatis. Ergo, juxta Thomiſtas omnes, gratia efficax non tantum phyſicè movet voluntatem ad operandum bonum, ſed etiam ampliores illi vires addit, quibus ad benè agendum indiget.

2°. Celebriores Thomiſtæ expreſſè docent gratiam excitantem, ſeu ſufficientem, non conferre vires omnes ad benè operandum requiſitas, novaſque vires per gratiam efficacem ſuppleri oportere.

Lemos, tom. 4 *Panopliæ*, part. 2. tract. 42. cap. 11. num. 136: „ Auxilium efficax, inquit, non ſolum habet applicare potentiam affectam „ auxi-

„ auxilio ſufficiente ad agendum,..... ſed eam prioritate rationis primò „ complet, in actum primum ultimatè reducendo: complet, inquam, „ primò dando vires efficaciſſimas ad agendum, ut S. Pater Auguſti- „ nus docet.“

Gonetus, tom. 4 *Manualis Thomiſtarum*, tract. 7. cap. 6: „ Minima „ gratia, inquit, ſufficit, quantum eſt de ſe & ex natura ſua, ad re- „ ſiſtendum cuilibet concupiſcentiæ; non verò quatenus eſt in tali ſub- „ jecto, cum pugna appetitûs & cum debilitate rationis propter igno- „ rantiam.“ Non confert ergo vires relativas & cupiditati ſuperandæ pares.

Maſſoulié in *S. Thoma ſui ipſius interprete*, quod opus apud omnes S. Thomæ diſcipulos magno in pretio eſt, differt. 4. q. 3. art. 9: „ Fa- „ temur, ait, ſufficienti auxilio completiſſimam eſſe potentiam in gene- „ re potentiæ veluti ſolitariæ, & ut ab actu ſecundo ſejungitur...... „ At verò quòd efficax gratia ſeu auxilium,..... veluti adæquatè ſump- „ tum, ſit aliqua virtus addita potentiæ, id eſt, vigor, & quæ poten- „ tiam cum actu ſecundo conjungat, neque negavimus, neque nega- „ mus; licet fortè eodem modo non omnes explicent, unde aliud ſen- „ tire exiſtimati ſunt.“ Igitur, ipſo teſte, eadem eſt cæterorum S. Thomæ diſcipulorum doctrina, tametſi non omnes eam eodem modo declaraverint. Tom. 2. pag. 381. col. 1.

Eruditus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis, in Juſtificatione Reflexionum Moralium, §. 9: „ S. Auguſtinus, ait, agnoſcit quoddam poſſe, quod „ eſt ipſum velle; quod à Chriſtianis ignorari non oportet. Aliud ergo „ ſecretum gratiæ, aliusque voluntatis effectus eis detegendus eſt; ſci- „ licet ſolam gratiam (efficacem intelligit) poſſe dare quoddam poſſe, „ quod deeſt conſequenter omnibus qui Deo ſeſe ſubmittere nolunt.“

Serry, non mediocre ſcholæ Thomiſticæ decus ac ornamentum, in *Auguſtino cum D. Thoma conciliato*, cap. 22. num. 3, non ſolum id docet, ſed etiam latè probat, atque ab adverſariorum calumniis vindicat. „ Adjutorii *quo* ſtatûs naturæ lapſæ id eſſe proprium ac peculia- „ re, inquit, ut non modò voluntatem applicet operi,..... verùm etiam „ vires addat novas, robur adjiciat, adeò eſt in Auguſtini doctrina cer- „ tiſſimum, ut planè mirer potuiſſe Theologos aliquos ea de re dubitare, „ gratiæque actualis efficacitatem in nuda voluntatis applicatione & deter- „ minatione (qualis etiam in natura innocenti contingeret) collocaſſe.“ Capite autem 26, cum ſibi objeciſſet non omnes Thomiſtas in eamdem opinionem ituros, reſpondet 1° Thomiſtas Alvarezio poſteriores, „ qui „ potentiam agendi, gratiis merè ſufficientibus datam, *plenam* vocant, „ *expeditam*, *completam*, ac etiam *proximam*, minus profectò cum an- „ tiquioribus convenire.“ 2°. Eoſdem candidè fateri ſuam opinionem, ſeu veriùs loquendi rationem, ab aliis recentioribus Thomiſtis non ap-

probari. Denique iſtam inter diſcipulos S. Thomæ diſceptationem verborum duntaxat pugnam eſſe: „ quandoquidem, inquit, illi ipſi recentiores Thomiſtæ, qui potentiam agendi omnino plenam, completam, „ expeditam, actuique proximam, gratiis ſufficientibus dari dicunt, novas nihilominus vires novumque robur per gratiam ſeipſâ efficacem „ afferri perinde fatentur, cùm & vim medicam efficaci gratiæ attribuant, & victricem in ea delectationem agnoſcant (quæ duo novarum virium novique roboris collationem important), celeberrimumque Auguſtini dictum, de gratia præbente vires efficaciſſimas voluntati, de gratia ſeipſâ efficaci interpretantur.“ Laudat inter alios Regi- naldum, qui, licet Alvaris loquendi modum ſecutus, diſcrimen gratiæ efficacis in duplici ſtatu in eo ponit, quòd in ſtatu innocentiæ novas voluntati vires non ſuppeditaverit, nunc verò ſuppeditet. Demum addit illam ipſam logomachiam non eſſe niſi apparentem. „ Qui enim, ait, „ agendi potentiam omnino plenam, completam, expeditam, actuique proximam, dicunt gratiis ſufficientibus dari, de potentia ſimplici, nuda ac ſolitaria loqui perhibentur: qui verò negant, idque „ efficaci gratiæ tribuunt, potentiam reipſâ agentem & operantem intelligunt.“

Reginald. lib. 2. de Mente Concilii Trident. cap. 30.

Poſt tam diſerta teſtimonia nullum dubium eſſe poteſt, quin ſchola S. Thomæ cum Auguſtinianis circa hoc caput in ipſa doctrinæ ſubſtantiâ conſentiat, tametſi nonnulli paulò aliter interdum locuti ſint.

Probatur 5° ex confeſſione ipſorummet adverſariorum.

1°. Non ſemel agnoverunt Jeſuitæ, poſitâ ſemel gratiæ ſeipſâ efficacis neceſſitate, negari non poſſe eam ampliores vires, novoſque potentiæ gradus voluntati addere. Omnium inſtar erit Suarez, de Divinis Auxiliis, part. 2. lib. 5. cap. 10. num. 15. §. *Non deſunt*, ſic loquens: „ In doctrina Auguſtini negari non poteſt quin hoc auxilium, ſi detur, „ maximè detur ut det vires voluntati.“ Id probat hiſce Auguſtini verbis: *præbendo vires efficaciſſimas voluntati;* ſicque concludit: „ Non eſt „ ergo dubium quin hoc auxilium ſit actus primus dans vires agendi „ voluntati, & cum illa ſimul efficiens actus ejus, tanquam principium eorum.“ Unde ſic arguo: Admiſſâ doctrinâ gratiæ per ſe efficacis, manifeſtè ſequitur per gratiam merè excitantem non conferri vires benè operandi, quæ ſint completæ, relativæ, & oppoſitæ cupiditati ſuperandæ pares. Atqui doctrina gratiæ per ſe efficacis non modò ſana eſt omniſque cenſuræ expers, ſed etiam certa & inconcuſſa eſt Eccleſiæ doctrina. Ergo certum eſt per gratiam excitantem, quam ſufficientem vocant, non dari vires perfectas, completas, relativas, tentationibuſque ſuperandis pares.

2°. Plurimi ex adverſariis fateri coguntur potentiam, quæ per gratiam ſufficientem datur, non eſſe immediatam, ſed tantum mediatam; v. g. gra-

gratiam converſionis ſufficientem ſatis virium non conferre, ut peccator ſeſe convertere reipſâ poſſit, ſed tantum ut gratiam uberiorem impetrare orando valeat. Atqui hoc ipſo illi ſaltem coguntur præcipuum cauſæ ſuæ præſidium deſerere, ſcilicet minimam gratiam ſufficere ad reſiſtendum cuilibet concupiſcentiæ, ac fateri potentiam per gratiam ſufficientem collatam non eſſe relativam, nec oppoſitæ cupiditati ſuperandæ parem.

Si reſpondeant potentiam illam non eſſe quidem ſemper relativam & proportionatam tentationi ſuperandæ, ſed ſemper ſufficere ad orandum; ego contra ſic repono: Ideò, ex vobis, gratia ſufficiens non ſemper dat potentiam relativam ad vincendas tentationes, quia tunc ampliori gratiæ auxilio ſeipſo efficaci opus eſt ad orandum, ut ſupra oſtendimus. Ergo gratia ſufficiens vires non dat, ſive immediatè, ſive mediatè relativas ad agendum, quàmvis veram & realem agendi potentiam ſemper conferat.

Probatur ultimò rationibus Theologicis graviſſimis.

Primam jam tetigimus. Quoties medicinali auxilio opus eſt âd benè agendum, toties, antequàm auxilium illud habeatur, non adſunt vires ad peccatum ſuperandum bonumque operandum neceſſariæ. Indigentia quippe medicinalis adjutorii infirmitatem & languorem ſupponit; cùmque infirmitas nihil aliud ſit quàm virium defectus, ſolâ profectò acceſſione & augmento virium ſuperari poteſt. Atqui de fide eſt omnem gratiam Chriſti, præſertimque efficacem, eſſe auxilium medicinale. „ Nunc „ enim, ut ait S. Auguſtinus lib. *de Correptione & gratia*, cap. 12. num. 37, „ poſteaquàm eſt illa magna peccandi merito amiſſa libertas" (qualis homini cum crearetur indita eſt), „ etiam majoribus ſeu potentiori- „ bus donis adjuvanda remanſit infirmitas." Nonnulli quidem Theologi, quos ſupra refellimus, dicere non dubitarunt gratiam ſufficientem non eſſe medicinalem; ſed nullus, quem ſciam, quidpiam ſimile de gratia efficaci commentus eſt. Quomodò autem gratia efficax medicam vim haberet, niſi homini etiam juſto vires adderet, novumque illi robur conferret?

Et ſanè, ut obſervat Maſſoulié, Differt. 3. quæſt. 3. art. 2, „ certum „ eſt de fide, quocunque tandem modo explicetur, efficaci gratiâ adju- „ vari voluntatem, augeri ipſius vires, quin etiam, ut à S. Auguſtino „ toties dictum eſt, tribui efficaciſſimas vires, quæ procul dubio, cùm „ homo non agit nec efficaci gratiâ movetur, quæcunque tandem illa „ ſit, non conferuntur." Nec aliam procul dubio ob cauſam efficax gratia adjuvantis nomen apud SS. Patres ac Theologos ſibi vindicat, quàm quòd voluntatem, jam quidem ex parte bonam & ſanatam, ſed adhuc infirmam & invalidam, confortet ac roboret. Quis enimvero fidelium, cùm ſe adjuvari à Deo poſtulat, non ſibi robur augeri expoſcit, vireſque ſuperandis tentationibus proportionatas ſibi deeſſe non confitetur? „ Qui dicit Deo: *Adjutor meus eſto*, ait alicubi S. Auguſtinus,

„ quod

„ confitetur ſe velle implere quod juſſit, ſed ab eo qui juſſit adjuto-
„ rium poſcere ut poſſit."

2°. Potentia bonum operandi, quam gratia Chriſti largitur, non eſt nuda & ſimplex potentia phyſica, quæ ad eſſentiam liberi arbitrii pertinet, ſed potentia moralis ab ipſa bona voluntate indiſtincta. Primum illud potentiæ genus, in ipſa liberi arbitrii facultate poſitum, tametſi vera realisque potentia ſit, omni prorſus robore ad bonum deſtitui poteſt, ac reipſâ talis eſt in infidelibus & aliis qui gratiæ Chriſti participes non ſunt. Altera verò non eſt ſimplex potentia, ſed quidam animæ vigor ex bona voluntate profluens, ideòque tantus, quanta eſt illius origo, bona ſcilicet & recta voluntas. Ex bona voluntate inchoata inchoatæ vires, ex provecta provectæ vires, ex forti & prompta robuſtæ ac validæ vires procedunt. Quisquis juſtitiam adeò vehementer diligit, ut propter eam omnes mundi & carnis illecebras contemnat, ille magnas ad implenda mandata vires habet. Qui verò juſtitiam minùs diligit quàm mundi voluptates bonaque peritura, vires quidem nonnullas habet, quatenus juſtitiam diligere incipit; ſed quia non ſatis eam amat, ut omnibus rebus creatis anteponat, conſequenter non habet ſatis virium ut gravem tentationem ingruentem ſuperet. Porro gratia excitans nonniſi parvam voluntatem inſpirat, ſolaque gratia efficax plenam & abſolutam voluntatem operatur: ac proinde gratia excitans non dat tantùm virium, quantum requiritur ad graviores tentationes ſuperandas, hocque ſolius efficacis gratiæ beneficium eſt. Quamobrem Richardus Victori-
ng. 71. nus præclarè dicit, lib. 1 *de Eruditione interioris hominis*, cap. 3: „ Quantum habes gratiæ, tantùm habes potentiæ (illius nempe moralis & conſequentis quæ à bona voluntate procedit); „ & quantum „ gratia accepta creſcit, tantùm & potentia tua proficit; & quantùm „ gratia minuitur, tantùm potentiæ tuæ detrahitur."

Enimverò undenam homini lapſo vires? Nonne ex gratia Chriſti? Peccato ſauciatus, viribusque attenuatus, nonniſi cœleſtis medici adjutorio amiſſas vires recuperat. Proinde, quæ adjutorium gratiæ menſura eſt, eadem eſt & virium. Porro ſi gratia quælibet excitans, etiam tenuis, daret vires completas, relativas, & cuilibet cupiditati ſuperandæ proportionatas, ſequeretur tantùmdem virium per parvam gratiam dari, quantùm per magnam datur: niſi velis per gratiam, cùm magna eſt, dari vires plusquàm completas; quod abſurdum eſt.

Uno verbo huc redit tota controverſia: an voluntas parva ac tenuis tantùmdem habeat virium; quantùm voluntas magna ac robuſta. Nam gratia excitans, in corde peccatoris, nihil aliud eſt quàm bona voluntas, ſed adhuc parva ac tenuis: oppoſita verò cupiditas, initio præſertim converſionis, eſt voluntas magna ac robuſta. Quis autem dicat, niſi quem delirare lubet, voluntatem parvam ac tenuem tantum poſſe, quantum magnam & robuſtam?

3°. Ea-

3°. Eadem veritas in converſione peccatorum manifeſtè declaratur. Nam, juxta conſuetum juſtificationis curſum, peccator non ſtatim atque gratiâ tangitur eas in ſeipſo vires experitur, quibus peccati jugum, quod dudum cervicibus ſuis impoſuit, excutere valeat: ſed paulatim in corde ſuo ſanctam dilectionem augeri, cupiditates minui, atque eâdem proportione ſuas ad bonum faciendum vires accreſcere ſentit; ferè quemadmodum (nam corporum cum animabus mira affinitas eſt), qui à gravi morbo relevantur, medicamentorum alimentorumque uſu ſuas vires paulatim renovari, totumque corpus lento progreſſu convaleſcere & ad priſtinam valetudinem redire ſentiunt. Non ignoro equidem quosdam vitiis immerſos divinæ gratiæ omnipotentiâ ſubitò in novos homines commutari, ſicut deplorati ægroti interdum divinâ virtute ſubitò ac perfectè ſanantur: ſed hæc miraculo fieri quis non videat? Quis neſcit peccatores, juxta conſuetum gratiæ ordinem, nonniſi per varios gradus aſſurgere, multisque repetitis auxiliis ad ſolidam converſionem perduci? Igitur, ut rectè concludit Maſſoulié, Diſſert. 4. q. 3. art. 4. pag. 364, „ & naturæ rerum, & providentiæ divinæ legibus re„ pugnat, ut primum illud & veluti infirmum auxilium, quo primò „ excitari incipit ad perfectam converſionem, completiſſimum ſit."

4°. Tria peccatorum genera diſtinguunt Theologi poſt SS. Patres: nempe peccata puræ malitiæ, peccata infirmitatis, & peccata ignorantiæ. Qui ex ignorantia peccant, carent legis cognitione. Qui peccant ex infirmitate, ſciunt quidem quid faciendum ſit, illudque agere vellent, ſed propter voluntatis debilitatem & languorem ſuccumbunt. Qui peccant ex pura malitia, ſcientes ac plenè volentes peccant. Porro ſi per gratiam excitantem dantur vires completæ, relativæ, mandatisque implendis pares, ubinam, quæſo, erunt peccata infirmitatis? Num infirmus eſt qui viribus idoneis pollet? Aut quomodò infirmitate peccat qui infirmus non eſt? Utique ſicut ex ignorantia nemo peccat, niſi qui caret ſcientiâ agendorum, ita nemo infirmitate peccat, niſi qui viribus deficit. Quid tamen in hominum, etiam juſtorum, vita hujusmodi peccatis communius?

5°. Tenetur homo nunquam peccare, nullumque etiam veniale peccatum admittere. Atqui nemo, etiam juſtorum, ſatis habet virium ut vitare poſſit omnia peccata venialia, juxta iſtam concilii Tridentini definitionem, ſeſſ. 6. canone 23: „ Si quis hominem ſemel juſtificatum „ dixerit poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi „ ex ſpeciali Dei privilegio, ... anathema ſit." Ergo falſum eſt per gratiam excitantem dari vires completas & relativas ad ſervanda omnia mandata.

Reſpondet Card. Biſſius juſtos, etſi non poſſint vitare omnia venialia peccata, *habere nihilominùs potentiam non ſolùm veram, ſed etiam perfectam, integram & completam vitandi omnia peccata venialia, & nullum* Inſtruct. Paſt. de 1716 contre 14 Lettres Theol. p. g. 181 & 265.

 com-

committendi; eamque potentiam illis per gratiam dari, ac nunquam deeſſe. Reſpondet è contrario Tournely „ de vitandis omnibus collectivè peccatis venialibus nullum extare præceptum.“ Ita ille quidem Synodo contradicit ac pugnantia loquitur; hic verò legem ipſam diſſolvit.

Tract. de Gratia, tom. 2. pag. 345.

Ille, inquam, Synodo apertè contradicit ac ſecum ipſe pugnat. Concilium anathemate damnat eum, qui dixerit juſtos, ſine ſpeciali privilegio, omnia venialia vitare poſſe: Billius è contra docet juſtos, abſque ſpeciali privilegio, per gratiam quæ illis nunquam deeſt, non modò vitare poſſe omnia venialia, ſed ad id potentiam habere integram, completam & perfectam. Quonam portento non poſſunt qui integrè, completè ac perfectè poſſunt? Vel potiùs quo portento potentiam perfectam, integram & completam habent, qui, Concilio ipſo pronuntiante, non poſſunt?

Hic verò, ut incommodum illud effugeret, legem ipſam diſſolvere non metuit. Lex quippe dicendo, *non concupiſces*, peccata omnia abſque ulla diſtinctione vel exceptione vitari jubet: contra verò ait Tournely „ de vitandis omnibus collectivè peccatis venialibus nullum „ extare præceptum.“ Audiamus nunc S. Auguſtinum, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 16. num. 23: „ NEQUE NEGAN- „ DUM EST hoc Deum jubere, ita nos in facienda juſtitia eſſe debere „ perfectos, ut nullum habeamus omnino peccatum. Nam nec pecca- „ tum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubetur ut non ſit...... „ Quomodò dimittenti dimittitur per Dei miſericordiam, ſi peccatum „ non eſt? Aut quomodò non vetatur per Dei juſtitiam, ſi peccatum „ eſt?“ Reverà ſi nullum hujuſmodi præceptum extaret, juſti, qui peccata omnia venialia non vitant, peccando non peccarent: utrimque anguſtiæ, ubi ſemel à vero deflexum eſt. Concludamus igitur juſtis ipſis non ſemper ineſſe, neque per gratiam habitualem, neque per gratiam actualem, potentiam viresque completas ac relativas ad vitanda omnia peccata, & ad implenda perfectè mandata.

Non idcirco vel Deus injuſtitiæ argui, vel homo in peccatis excuſari poteſt. Namque, ut obſervat Serri in *Schola Thomiſtica vindicata*, num. 35, „ quòd inefficaci gratiæ voluntas in actu ſecundo aſſentiri non „ poſſit, non à gratia oritur, uti cauſa, ſed à vitio & infirmitate na- „ turæ, quæ, nudis illis excitationibus illecta, ſatis non habet virium „ ut integrum illis præſtet aſſenſum. Si quâ itaque implendi præcep- „ tum impotentiâ laborat, quominùs illud implere completè poſſit „ impleatque reipſâ, quandiu ſolis inefficacibus gratiis excitatur, hæc „ vitio hominis naſcitur aliturque, adeòque culpâ non vacat. Naſci- „ tur, inquam, hominis vitio, quia naturæ corruptæ vitio fit, ut ſa- „ tis ad aſſentiendum integrè virium non habeat, donec potentioribus „ ſubſidiis adjuvetur. Alitur & vitio, quia nonniſi culpæ hominis depu-

„ ta-

„ tatur, quòd ſufficientibus auxiliis excitato efficacia auxilia denegen-
„ tur, quæ aſſenſum indubitanter elicerent.

Objiciunt 1° nonnullos SS. Patres: *Solvuntur objectiones*

S. Ambroſium, Serm. 19 in pſalm. 111. num. 4, ubi ait: „Numquid, *Tournely, tract. de Gratia, tom. 2. pag. 312.*
„ ſi quis oſtia domûs ſuæ claudat, ſolis eſt culpa quòd non illuminet
„ domum ejus? Ergo ſi quis peccatorum ſuorum repagulis obſervan-
„ dam mentem propriam judicaverit, & Verbi à ſe ſplendorem ſtultus
„ avertat, ac ſibi inferat inſipientiæ cæcitatem, cauſari poterit quòd ſol
„ juſtitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cœleſtis arguere?"

S. Auguſtinum, Enchiridii cap. 33: „ Si autem, inquit, reſpexerit
„ Deus, ut ad implenda quæ mandat ipſe adjuvare credatur, & agi
„ homo cœperit Dei ſpiritu, concupiſcitur adverſus carnem fortiore ro-
„ bore caritatis; ut, quàmvis adhuc ſit quod homini repugnet ex ho-
„ mine, nondum totâ infirmitate ſanatâ, ex fide tamen juſtus vivat,
„ juſtèque vivat, in quantùm non cedit malæ concupiſcentiæ, vincen-
„ te delectatione juſtitiæ." Supponit, inquiunt, S. Doctor caritatem in homine juſto fortiorem eſſe quâlibet concupiſcentiâ.

Sic etiam loquitur S Gregorius magnus, lib. 9 Moral. cap. 25: „ Pius
„ conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna tranſeat,
„ & per aſtutiam fortium humana infirmitas excidat. Unde & benè per
„ Paulum dicitur: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſu-*
„ *pra quàm poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſi-*
„ *tis ſuſtinere.* Niſi enim miſericors Deus cum viribus tentamenta mo-
„ dificet, nullus profectò eſt qui malignorum ſpirituum inſidias non
„ corruens portet: quia, ſi menſuram judex tentationibus non præbet,
„ eo ipſo protinus ſtantem dejicit, quo ultrà vires onera imponit."
Tantam lucem iſta verba præ ſe ferre ipſis videntur, ut expoſitione non indigeant.

Reſpondeo S. Ambroſii textum à quæſtione quam tractamus omnino eſſe alienum. Hoc unum quippe dicit S. Doctor, ex culpa hominis provenire quòd ſole juſtitiæ non illuſtretur: id verò ultrò concedimus. Quid autem inde exprimere poteris, ut probes per gratiam excitantem (quæ profectò non eſt in homine lumine ſolis juſtitiæ ſuâ culpâ non illuſtrato) dari vires relativas, & cuilibet tentationi ſuperandæ idoneas?

Nedum S. Auguſtinus loco citato doctrinæ noſtræ adverſetur, illam potiùs diſertè adſtruit: loquitur enim de gratia efficaci & adjuvante, quâ incipit homo agi ſpiritu Dei, atque ex fide juſtus juſtè vivit, malæ non cedens concupiſcentiæ. Quid autem verius quàm in hujuſmodi homine fortius eſſe robur caritatis quàm carnis, etiamſi, *nondum totâ infirmitate ſanatâ*, eas vires non habeat, quibus poſſit ſine ullo peccato vivere? Quid verò abſurdius quàm inde concludere hominem, qui nondum juſtus eſt nec juſtè vivit, qui malam concupiſcentiam

Digitized by Google

non vincit, ſed ab ea vincitur, concupiſcere adverſùs carnem fortiore robore caritatis? Multò conſultius foret ingenuè fateri doctrinam SS. Patrum ſibi contrariam eſſe, quàm talibus patronis gloriari quorum auctoritate conteraris.

S. Gregorius, de B. Job loquens, veriſſimè dixit dæmonis eum perdere volentis conatus illi obeſſe non potuiſſe, eoquòd Deus ſervum ſuum ultra vires ſuas tentari non permiſerit. Sed quod de B. Job aliisque electis indubitatum eſt, nimirum ſingulari Dei providentiâ ſic cum eis agi, ut non tententur ſupra quàm ferre poſſunt, poteſt ne, in mente S. Pontificis, reprobis in juſtitia non perſeverantibus applicari? Ab ipſomet diſcamus quinam ſint qui ſupra vires ſuas tentari non permittuntur. „ Qui ita percutitur, inquit lib. 14 Moral. cap. 17, ut vires „ illius à percuſſione ſuperentur, non hunc Dominus jam quaſi filium „ per diſciplinam, ſed quaſi hoſtem per iram ferit. Cum ergo virtutem noſtræ patientiæ flagella tranſeunt, valde metuendum eſt ne, „ peccatis noſtris exigentibus, non jam quaſi filii à Patre, ſed quaſi „ hoſtes à Domino feriamur.“ Igitur, juxta S. Gregorium, illi ſoli ſupra vires ſuas non tentantur, qui tentationes ſuperant, non certè per gratiam excitantem ſeu ſufficientem, ſed per efficacem. Ante ipſum Hormiſdas Romanus quoque Pontifex eadem Apoſtoli verba non de omnibus, ſed de ſolis electis intelligenda eſſe docuerat in Epiſt. 15 ad Poſſeſſorem. „ Deus, inquit, qui per Apoſtolum dixit: *Qui vos non dimi-* „ *ſit tentari ſupra id quod poteſtis*, ipſe pro ſua pietate, quos elegit ipſe, „ eos de laqueis adverſariorum ſicut ſemper eripiet.“

Tournely, ibid. Objiciunt 2°. Illam potentiam per gratiam ſufficientem dari decrevit Eccleſia, quæ negatur in 1ª & 2ª Propoſitione è Quinque ab Innocentio X in Janſenio damnatis. Atqui Janſenius nunquam negavit per gratiam ſufficientem, ſive parvam, dari abſolutam bonum operandi potentiam; ſed negavit duntaxat dari potentiam relativam. Ergo Eccleſia non tantùm abſolutam, ſed etiam relativam benè agendi potentiam per gratiam ſufficientem conferri definivit. Addunt illud ipſum ſolo illarum Propoſitionum contextu demonſtrari. Quid enim, inquiunt, ſignificant iſta 1æ Propoſitionis verba: *Juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, aliqua Dei præcepta ſunt impoſſibilia*, niſi illa eſſe impoſſibilia relativè ad præſentes juſtorum vires? Sive enim dicas, *ſecundùm præſentes vires*, ſive relativè *ad præſentes vires*, nonne unum & idem eſt? Ergo fides Eccleſiæ huic doctrinæ oppoſita hæc eſt: Juſtis, ſecundum præſentes, id eſt, relativè ad præſentes quas habent vires, Dei præcepta poſſibilia eſſe; ac conſequenter agnoſci debere per gratiam ſufficientem conferri potentiam implendi mandata, non tantùm abſolutam, quam Janſenius nunquam negavit, ſed etiam relativam, quam uni-

Ibid. pag. 328. cè negat. Idem patet ex damnatione ſecundæ Propoſitionis. Nam reſiſtere gratiæ interiori quid aliud eſt, quàm illam privare illo effectu quem.

Digitized by Google

quem habere poteſt, non abſolutè tantùm, ſed relativè ad præſentes hominis vires? Atqui definitum eſt per gratiam interiorem inefficacem dari non tantùm abſolutam, ſed etiam relativam bonum operandi potentiam.

Reſpondeo hujuſmodi interpretationibus ac ratiociniis non exponi aut defendi Conſtitutiones Pontificias, ſed injuriam graviſſimam ſummis Pontificibus inferri. Quemadmodum enim obſervat P. Maſſoulié, Diſſert. 3. quæſt. 3. art. 2: „Certum eſt de fide, quocunque tandem modo explicetur, „ efficaci gratia adjuvari voluntatem, augeri ipſius vires, quin etiam, ut „ à S. Auguſtino toties dictum eſt, tribui efficaciſſimas vires, quæ pro- „ cul dubio, cùm homo non agit nec efficaci gratiâ movetur, quæcun- „ que tandem illa ſit, non conferuntur. Quid igitur fiet? Ergo, ex D. „ Auguſtini ſententia, ergo ex principiis fidei, cùm deeſt ea adjuvans „ gratia, cùm deſunt hujuſmodi efficaciſſimæ vires ſuperadditæ volun- „ tati, præcepta divina impoſſibilia ſunt juſtis volentibus & conantibus: „ Tunc enim illis deeſt hoc adjutorium, deſunt efficaciſſimæ vires, qui- „ bus poſſibilia fiant. Adde quòd ex S. Thoma expreſſe deſumptum ſit „ quod ſupra retulimus, ſcilicet divinam motionem *eſſe complementum* „ *virtutis agentis ſecundi;* nec puto quiſquam exiſtimabit negaſſe D. „ Thomam divina præcepta eſſe hominibus poſſibilia. Utrumque igitur „ conjungi neceſſe eſt, ſcilicet & motionem divinam eſſe complementum „ virtutis agentis ſecundi, ſeu voluntatis vires augere, vel efficaciſſimas „ vires illi tribuere; & tamen divinorum præceptorum adimpletionem, „ etiam cùm deſunt hujuſmodi vires, eſſe poſſibilem homini."

Quamobrem ad 1um dico perabſurdum eſſe, ex mente Janſenii (qualiſcunque illa ſit, & de qua iſti etiam Janſenii impugnatores inter ſe mutuò contentioſiſſimè diſputant), judicare velle quid in V Propoſitionibus Rom. Pontifices, univerſaque cum eis Eccleſia Catholica damnaverint. Ex ipſo Propoſitionum illarum ſenſu obvio eruendus eſt error damnatus, & conſequenter definitum ab Eccleſia dogma. Poſteà inquiri poteſt quid Janſenius reipſâ docuerit. Verùm obſervatu valde dignum eſt à nullis victricius defendi Iprenſem Epiſcopum, quàm ab iis qui, cum Tournely aliiſque ſimilibus cæco partium ſtudio abrepti, contendunt in hoc illum erraſſe, quòd, admiſſâ in juſtis verâ, reali & abſolutâ potentiâ obſervandi mandata, eam potentiam adeò completam & relativam eſſe negaverit, ut novis viribus per efficacem gratiam conferendis non egeant. Hujuſmodi autem criminatione quid aliud agunt, quàm ut illum valde catholicè ſenſiſſe, ſeipſos verò à vera & germana Eccleſiæ doctrina alienos eſſe demonſtrent?

Ad 2um dico primam Propoſitionem damnatam fuiſſe ab Innocentio X veluti jam anteà anathemate damnatam, in Calvino ſcilicet. Senſus autem Calvini, quem etiam Propoſitionis verba indefinitè prolata exhibent, fuit juſtis, quantùmcunque velint & conentur ſecundùm præſentes quas in hac vita habent vires, aliqua præcepta, nempe Deum ex

Digitized by Google

toto corde diligendi, & non concupiſcendi, eſſe abſolutè impoſſibilia, illiſque, quandiu in terris vivunt, deeſſe gratiam quâ poſſibilia fiant. Hujus autem erroris cum doctrina noſtra quæ tandem connexio eſt?

Si autem iſtam Propoſitionem contra Logicæ leges ſic interpreteris, ut contendas eam de omnibus juſtis non debere intelligi, ſed de aliquibus tantùm, nihilominùs propoſitio hæretica erit, & à noſtra ſententia tantùm diſtans, quantùm ab errore diſtat catholica veritas. Senſus quippe erit juſtis illis qui, ſecundùm imperfectas quas habent vires, imperfectè volunt & conantur, mandata eſſe impoſſibilia. Id autem tanquam hæreticum & impium cum univerſa Eccleſia execramur. Abſit ergo à nobis ut damnatum in prima Propoſitione errorem tueamur. Sed videant adverſarii num ipſi potiùs illi multùm faveant, dum erroneum, à quo ille ſponte fluit, principium renovant, ſcilicet veram non eſſe implendi mandata potentiam, niſi quæ vires omnes complectatur ad ea actu implenda neceſſarias. Hoc namque principio ſemel poſito, manifeſtè ſequitur juſtos, quibus deſunt efficaciſſimæ vires quæ per gratiam efficacem conferuntur, non habere veram implendi mandata potentiam; adeòque mandata illis eſſe abſolutè impoſſibilia.

Iſta etiam Propoſitionis verba, *ſecundùm præſentes quas habent vires*, perperam omnino interpretatur Tournely. Ex ipſis enim Conſtitutionibus patet ea non referri, ut falsò ſupponit, ad vocem ſequentem, *impoſſibilia*, ſed ad præcedentes, *volentibus ac conantibus:* quanquam, etiamſi referrentur ad vocem *impoſſibilia*, nihil inde contra nos concludi poſſet. Aliud quippe eſt dicere juſtos imperfectè conantes & volentes ſatis virium non habere ad ſervanda mandata, quia carent efficaciſſimis viribus quas ſola ſubminiſtrat gratia efficax (quod unicè dicimus); aliud dicere illis juſtis, ſecundùm præſentes, aut relativè ad præſentes ipſorum vires, mandata eſſe impoſſibilia. Hoc enim ultimum qui dicit, negat veram potentiam ibi eſſe, ubi non ſunt vires omnes ad implenda mandata requiſitæ: qui error eſt Tournely ejuſque ſimilium.

Nihilò plus præſidii reportat ex damnatione 2ª Propoſitionis: *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Quid enim aliud, amabo, ex illius damnatione ſequitur, niſi in præſenti ſtatu dari gratias interiores quibus reſiſtitur? Id verò quis negat? Quibusnam tandem machinis inde extundes (de quo in Conſtitutionibus Pontificiis nullum omnino verbum, nullum veſtigium eſt) per illas gratias interiores, quibus reſiſtitur, tantùm roboris ac virium conferri, quantùm ad actualem præceptorum obſervationem requiritur?

Dices gratiæ non reſiſti, niſi quando privatur eo effectu ad quem producendum ſatis virium confert. Si ita eſt, nunquam reſiſtitur gratiis exterioribus, prædicationi Evangelicæ, legi ac doctrinæ. Nam fide certum eſt gratias exteriores non dare ſatis virium ad credendum & mandatis obtemperandum, immo nullas ex ſeipſis vires conferre. Porro ſi

Digitized by Google

ſi apud omnes in confeſſo eſt gratiis exterioribus reſiſti, tametſi vires ad benè agendum non tribuant, quantò magis dici poteſt homo reſiſtere gratiæ interiori, quæ fruſtratur eo effectu ad quem excitat voluntatem, & ad quem producendum, ſi non completas & relativas, nonnullas ſaltem vires ſubminiſtrat?

Attendite verò quantùm hallucinentur adverſarii. Ex eo quòd gratiæ excitanti reſiſtatur, concludunt eam dare ſatis virium ad tentationes reipſâ ſuperandas, cum contrarium potiùs concludere deberent. Nam ſi gratia excitans præberet quidquid virium ad peccatum reipſâ vitandum neceſſarium eſt, præberet illas *efficaciſſimas* de quibus loquitur S. Auguſtinus, & quibus Deus *facit ut faciamus;* adeòque non ei reſiſteretur, ſed eſſet ſemper efficax.

Inſtant. Voluntas eum gratiæ effectum aſſequi nunquam poteſt, quem Deus non vult ut aſſequatur. Atqui Deus non vult ut voluntas, quæ gratiâ duntaxat parvâ inſtructa eſt relativè ad oppoſitam majorem concupiſcentiam, aſſequatur plenum ac perfectum effectum, quia iſtud impoſſibile prorſus eſt. Quòd ſi dicatur Deus hunc effectum velle voluntate ſaltem antecedente, ſtatim reponimus, inquiunt, voluntatem illam abſtrahere à præſentibus ſubjecti circumſtantiis, ac conſequenter relativam non eſſe ad concupiſcentiam actualem ſuperiorem. Ergo integrum ſtat quod contendimus, gratiam illam parvam ſatis virium non habere, ut cum illa ſola voluntas poſſit plenum ſeu perfectum opus pietatis adimplere, nec Deum iſtud in his circumſtantiis velle. Si enim vellet, procul dubio fieret; voluntas enim Dei, ut centies repetunt Janſeniani, ſemper impletur. Ipſamet ſunt Tournelii verba. Tournely, ibid. pag. 325.

Reſpondeo nihil aliud hoc argumento probari, niſi Thomiſtas omnes Janſenianos eſſe, eorumque doctrinam in V Propoſitionibus damnatam. Quidquid enim hic prætenſis Janſenianis objicitur, Thomiſtis centies objectarunt Jeſuitæ, nec minùs adverſùs ipſos quàm adverſùs prætenſos Janſenianos valet, imò adverſùs utroſque æqualiter invalidum eſt. Nam ex eo quòd Deus non velit voluntate conſequente gratiam parvam aſſequi effectum plenum ac perfectum, ſequitur quidem voluntatem creatam nunquam producturam eſſe hujuſmodi effectum (quanquam, quod valde notandum eſt, voluntas divina nullomodò cauſa ſit hujus reſiſtentiæ, quæ tota provenit ex pravitate & obſtinatione voluntatis creatæ); ſed minimè ſequitur voluntatem creatam eum producere non poſſe. Quàmvis enim Deus non velit voluntate conſequente ut gratia parva effectum plenum producat, vult tamen ut voluntas creata veram habeat illius producendi potentiam.

Quod ait Tournely de voluntate antecedente ultro admittimus; atque inde concludimus, argumento ad hominem, per gratiam ſufficientem Thomiſtarum non præberi vires relativas ad tentationem graviorem ſuperandam. Conſtat quippe apud omnes Thomiſtas, Deum non velle

velle, niſi voluntate antecedente, effectum plenum & perfectum produci à gratia excitante. Atqui, fatentibus adverſariis, reipſâ voluntas antecedens abſtrahit à præſentibus ſubjecti circumſtantiis, ac, ut ipſimet conſequenter concludunt, relativa non eſt ad concupiſcentiam actualem ſuperiorem. Ergo, in doctrina & principiis omnium Thomiſtarum, gratia ſufficiens non dat potentiam & vires relativas ad concupiſcentiam actualem ſuperiorem: ac proinde in hoc definitum dogma nullatenus conſiſtit.

Ibid. pag. 314 & ſeq. Objiciunt 3°. Mandata Dei utilia hominibus eſſe non poſſent, nec juſtè imponi, niſi adjunctam haberent gratiam per quam illa impleri poſſent, relativè ad præcedentes circumſtantias in quibus homo conſtituitur. Ergo, cùm utiliſſima ſint Dei mandata, eam profectò gratiam exigunt, per quam non abſolutè tantùm & abſtractè, ſed hic & nunc ac relativè obſervari poſſint. Quamobrem S. Auguſtinus, lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 16. num. 45: „ Ex eo, inquit, quod non accepit nullus „ reus eſt, ex eo vero quòd non facit quod debet juſtè reus eſt: de- „ bet autem, ſi accepit & voluntatem liberam & ſufficientiſſimam facul- „ tatem.“ Et in lib. *de Correptione & gratia*, cap. 6. num. 9, cuidam monacho conquerenti immeritò ſe corripi quòd malè egerit, cùm non acceperit unde meliùs ageret, reſpondet injuſtam eſſe illius querelam, qui acceptam gratiam propriâ culpâ amiſiſſet. „ Si autem, ait, jam „ regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſuâ voluntate relabitur, „ certè iſte non poteſt dicere non accepiſſe, quia acceptam gratiam „ Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio...... An adhuc iſte, nolens „ corripi, poteſt dicere: quid ego feci, qui non accepi? Quem conſtat „ accepiſſe, & ſuâ culpâ quod acceperat amiſiſſe.“ Denique, aiunt, quid commodi homo actuali tentatione pulſatus referre poteſt ex illa gratia, quæ in præſentibus circumſtantiis ſatis virium non habet? Numquid medicus ægroto illudere non cenſeretur, qui pharmacum ipſi adhiberet abſolutè quidem aptum, ſed relativè inſufficiens, nec proportionatum præſenti morbo graviori ſanando?

Reſpondeo 1um retorquendo argumentum. Mandata Dei utilia hominibus non ſunt, niſi adimpleantur. Cum ergo utiliſſima ſint, ſemper adjunctam habere debent gratiam efficacem, ſine qua nunquam implentur. Si hæc argumentandi methodus prava ac frivola eſt, quid ſentiendum de argumento adverſariorum plane ſimili? Itaque

Reſpondeo 2° mandata ex ſe quidem utilia eſſe hominibus, quatenus eos & legis divinæ, & ſuæ libertatis, & propriæ imbecillitatis admonent; ſed eventu contingere ut in perniciem eorum vertant, qui illa non obſervant. Quod cum accidit, non profectò culpâ Dei, qui nec gratiam efficacem, nec ſufficientem Adæ poſteris debet, ſed propriâ hominis culpâ accidit. Sanè ſi excuſari à peccato nequaquam poſſunt qui nullo gratiæ Chriſti auxilio præveniuntur, ut paulò poſt oſtendemus, quam juſtam

juſtam excuſationem obtendere poſſent ii, qui per gratiam excitantem habent, etſi non relativam, veram tamen implendi mandata potentiam? Neque hic locum habere poteſt comparatio ſumpta à medico pharmacum relativè inſufficiens ægroto exhibenti: tum quia medicus tenetur omnem induſtriam ſuam adhibere ut commiſſos ſibi ægrotos ſanet, Deus verò nemini gratiam medicinalem conferre tenetur; tum quia corporaliter ægrotantis culpa non eſt quòd pharmacum ſibi datum optato effectu careat; contrà verò quòd gratia excitans effectu pleno ac perfecto careat, nonniſi pravitati ac reſiſtentiæ voluntatis attribui poteſt.

Ad ea quæ ex Auguſtino objiciuntur, reſpondeo illa non eſſe ad rem. Non primum quidem textum. Nam S. Doctor ibi loquitur de primo hominis ſtatu ante peccatum: in quo ſtatu fatemur ſufficientiſſimam rectè agendi facultatem creaturæ innocenti adeſſe debuiſſe. Conſule quæ hac de re dicta ſunt Libro III hujus Tractatûs. Non etiam alterum; quia non de gratia actuali excitante ibi agitur, ſed de habituali, quam omnes regenerati & juſtificati acceperunt, & quam quotquot amittunt, nonniſi culpâ ſuâ amittunt.

CAPUT QUINTUM.

An omnibus hominibus, urgente præcepto, detur gratia actualis ſufficiens ad implendum præceptum, vel ſaltem ad orandum.

QUATUOR ſunt circa hanc quæſtionem Theologorum ſententiæ.

Moliniani docent omnibus hominibus, etiam infidelibus, excæcatis & induratis præſtò eſſe, quoties aliquod præceptum urget, gratiam verè ac propriè ſufficientem, quâ uti vel non uti ab ipſorum voluntate unicè pendet, abſque alio gratiæ prævenientе auxilio.

Alii, poſt Alphonſum le Moyne, rejectâ illâ gratiâ quæ immediatè ſufficiat ad implenda mandata & ad ſuperandas tentationes, cenſent omnibus omnino hominibus dari, urgente aliquo mandato, gratiam plenè ſufficientem ad orandum, cujus pariter uſus à ſolo cujuſque libero arbitrio pendeat.

Utrique contendunt, poſitâ ſemel ordinatione hominis ad finem ſupernaturalem, Deum injuſtum fore, ſi hujuſmodi gratiæ auxilium non præberet, quotieſcunque mandatum aliquod implendum occurrit.

Nonnulli è ſchola Thomiſtarum ſentiunt gratiam quamdam poſſibilitatis, quam ſufficientem appellant, omnibus hominibus dari, inſtante præcepto: ita tamen ut, præter illam, aliud gratiæ adjutorium phyſicè

Digitized by Google

prædeterminans ad omnes & ſingulos pietatis actus neceſſarium ſit; quod quidem adjutorium aliis ex pura miſericordia datur, aliis juſto judicio non datur.

Hanc opinionem amplexus eſt Nicolius in ſuis de gratia generali ſcriptis. Docet quippe neminem adultorum eſſe, cui non detur auxilium aliquod ſupernaturale, quo ſi rectè uteretur (quod tamen ſine gratia per ſe efficaci fieri non poſſe declarat), ad ſalutem procul dubio perveniret. Iſtud auxilii genus omnibus commune imprimis poſitum eſſe dicit in primariorum legis naturalis præceptorum notitia, quæ in hominum etiam ſceleratiſſimorum mente nunquam penitus hac in vita deletur. Illum refellerunt Arnaldus ejus amicus, ſed veritatis amantior, Hilarion & D. Duguet. Ipſum autem Nicolium in ea opinione non admodùm firmum fuiſſe, apparet ex eadem ejus Epiſtola ad P. Queſnellum, 16. decembris 1694, in qua ſic loquitur: „ An rei veritas vel doctrina S. Auguſtini talem admitti gratiam patiantur, nihil „ certi habeo: reverà neſcio an dentur tales gratiæ generales; neſcio „ an S. Auguſtinus eas admiſerit: nihil hac de re affirmo, nihil nego. „ Tantùm contendo demonſtrari ratione non poſſe opinionis eas admittentis falſitatem, ac decem D. Arnaldi demonſtrationes ad illam expugnandam confectas non abſolutè concludere. Hoc duntaxat circa „ iſtud argumentum volui.“

Cæteri Thomiſtæ numero multò plures, multique alii graviſſimi Theologi, omnino negant gratiam ſufficientem omnibus dari, & eis quibus datur non ſemper toties dari, quoties mandatum aliquod implendum occurrit; contenduntque hanc ſuam doctrinam certam & indubitatam eſſe apud omnes SS. Patres, qui de gratia ex inſtituto contra Pelagianos ac Semipelagianos tractaverunt.

Obſervandum autem eſt quæſtionem hanc non eſſe niſi de gratia Chriſti propriè dicta. Fatentur enim omnes plurima eſſe tum externa, tum interna ſubſidia, quibus omnes homines ad bonum excitantur & à vitio avertuntur, & quæ, minùs propriè loquendo, gratiæque vocabulum latiori ſenſu accipiendo, nonnunquam à SS. Patribus gratiæ nomine donata ſunt. Tales ſunt hujus univerſi ſpecies & ordo; lex naturalis mentibus rationalibus à creatore inſculpta; innatus immenſæ & æternæ beatitudinis appetitus, quem explere nihil creatum valet; notio Dei nobis ab ortu indita; boni ac mali diſcretio; inclinatio quædam ad virtutum officia; virorum virtute præditorum amor & exiſtimatio; dictamen & remorſus conſcientiæ; pudor naturalis quo peccantes afficiuntur; timor pœnarum in altera vita luendarum ipſiſmet Ethnicis non penitus ignotarum, & alia id genus multa, quibus unumquemque identidem ad bonum provocari vel à peccato averti quis neget? Sed nullum horum ſufficit ad faciendum opera ex omni parte bona, & quæ ad Deum tanquam finem ultimum referantur; ac proinde confundi non debent cum

cum gratia Chriſti propriè dicta, de qua ſola hic agitur, & quæ in inſpiratione ſanctæ dilectionis poſita eſt.

Obſervandum 2° quæſtionem pariter non eſſe an Deus gratiam ſuam offerat, ſeu paratus ſit dare omnibus hominibus, ſi obicem illi non opponerent; ſed num reipſâ illam præbeat omnibus hominibus.

Obſervandum 3° quæſtionem quoque non eſſe an gratia ſufficiens omni tempore & momento detur. Concedunt enim Moliniani eam non ſemper & continuò dari, ſed utrùm detur pro tempore & loco, quoties nempe aliquod mandatum implendum, vel aliqua tentatio vincenda ſeſe offert.

Obſervandum 4° Theologos, affirmantes gratiam ſufficientem omnibus & ſingulis hominibus dari, unanimi conſenſu fateri (ſi perpaucos temerarios ſcriptores excipias) ſuam opinionem ad fidem non pertinere, ac liberum eſſe unicuique illam rejicere.

PRIMA PROPOSITIO.

Non datur omnibus hominibus, urgente præcepto, gratia actualis ſufficiens.

PROBATUR 1° hæc Propoſitio ex aliis benè multis, quæ in decurſu hujus Tractatûs aſſertæ ſunt. 1° Probatio ex multis aſſertionibus ſuperiùs demonſtratis.

Primò quidem Lib. III oſtendimus tres fuiſſe humani generis poſt Adami lapſum ſtatus ac veluti ætates, ante legem, ſub lege, ſub gratiâ: in primo naturam ſolam fuiſſe, abſque ſubſidio legis ſcriptæ & ſine adjutorio gratiæ; in ſecundo homines lege adjutos fuiſſe, ſed gratiâ Chriſti deſtitutos (ſi paucos excipias, quos ante legem & tempore legis ſpecialis gratiæ electio diſcrevit); in tertio veritatem & gratiam à Chriſto allatas fuiſſe. Oſtendimus inſuper illam ſtatuum diverſitatem aliquo ſenſu ad finem usque ſæculi duraturam eſſe; adeò ut plurimi homines ſoli ſuæ naturæ peccato corruptæ dimittantur, quales ſunt ii qui de myſterio Chriſti nihil audierunt; alii ſub lege adhuc aliquo modo conſtituantur, qui ſolo pœnarum metu vel bonorum temporalium ſpe mandata exteriùs obſervant, atque adeò non verè obſervant. Inde ſic argumentor: Certum eſt gratiam Chriſti non omnibus hominibus dari, ſi & ante legem & ſub lege vulgò non data fuerit, & ſi etiamnum plurimis ſine lege vel ſub legis ſervitute viventibus non detur. Atqui utrumque ex dictis Libro ſuperiore conſtat. Ergo gratia Chriſti non omnibus hominibus datur.

Digitized by Google

Et ſanè quiſquis humani generis hiſtoriam non omnino ignoratam habet, de iſta veritate dubitare vix poteſt. Nam qualis gratia ſufficiens data fuit ante adventum Chriſti tot gentibus, quas, teſtibus SS. Paulo & Barnaba, Act. XIV. 15, *Deus in præteritis generationibus dimiſit ingredi vias ſuas?* Quodnam gratiæ interioris lumen illuſtravit eos populos, qui, teſte Iſaia, cap. IX. 1, & Matthæo, IV. 16, antequàm Chriſtus ſol juſtitiæ oriretur, *ambulabant in tenebris & ſedebant in regione umbræ mortis*, illis nimirum *ignorantiæ temporibus quæ deſpexit Deus*, Act. XVII. 30? *Et quidem tunc etiam non ſine teſtimonio Deus ſemetipſum reliquit*, ut ait S. Paulus Act. XIV. 16. Sed quali teſtimonio? *Benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda noſtra.* Nulla in his gratiæ interioris mentio, quam tamen veluti præcipuum Divinitatis teſtimonium commemorare Apoſtolus debuiſſet, ſi reipſâ gentibus nunquam defuit.

Chriſto mortuo & ad dextram Patris ſedente, gentes, quæ erant *aliquando tenebræ*, factæ ſunt *lux in Domino*; ſed nondum omnes. Interim Judæi excæcati & usque ad tempus correctionis ſibimetipſis derelicti ſunt. Quiſquis verò iſtius populi obſtinatiſſimam duritiem & incredulitatem paulò attentiùs conſideraverit, ſimulque attenderit quod, Joannis XII. 39 & 40, dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos*, quomodò ſibi perſuadere poterit illi non deeſſe gratiam ſufficientem? „ Perpendite, obſecro, aiebat S. Prudentius Trecenſis, in Epiſtola ad Hincmarum & Pardulum, cap. 4, „ quare uni det Deus gratiam, alteri non det: quare poſt tot millia annorum pro redemptione humani generis Salvator venerit, &, exceptâ gente Judæorum, per tanta ſpatia temporum totus mundus ſine gratia Dei in errore remanſerit: quare ſolum Abraham, & non totum mundum, ad miſericordiæ ſuæ notitiam vocaverit: cur in ſolo vellere populi Judæorum tot annorum millibus ros divinæ gratiæ (nempe cognitio & cultus veri Dei) manſerit, & area totius orbis irrigari per Dei miſericordiam non meruerit; vel cur poſteà ſolum vellus, Judaicus ſcilicet populus, à Dei gratia aruerit, & gentium omnium aream ros divinæ miſericordiæ perfuderit.“ Tam grandibus exemplis adeò manifeſtè ſeſe demonſtrat noſtræ Propoſitionis veritas, ut etiam nolentium oculos feriat.

II°. Oſtendimus in Diſſertatione I hujus Libri gratiam Chriſti propriè dictam, ſine qua nullum bonum rectè fieri poteſt, eſſe inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus. Atqui certùm eſt non in omnibus eſſe dilectionem Dei, nec omnibus eam, quoties aliquod præceptum urget, divinitùs inſpirari. Ergo certum eſt gratiam Chriſti non omnibus eſſe communem.

III°. Oſtendimus primam gratiam eam eſſe, quâ in Chriſtum credere in-

incipimus. Porro non omnes credunt vel credere incipiunt Evangelio. Ergo &c. Hanc probationem mox fuſiùs proſequemur.

IV°. Demum oſtendimus gratiam excitantem, quam ſufficientem vocant, tametſi, ratione effectûs pleni & perfecti ad quem excitat, ſit inefficax, ſemper producere effectum aliquem, ad quem producendum immediatè à Deo ordinatur, nempe aliquod bonæ voluntatis initium, & nunquam omnino ſterilem & otioſam eſſe. Atqui nullus iſtiusmodi effectus in infidelibus & induratis deprehendi poteſt, & abſurdum foret dicere illos, quoties peccant, habere imperfectum ſaltem veri boni deſiderium. Non ergo datur omnibus hominibus, quandò peccant, gratia actualis ſufficiens.

Et hæc quidem ex hactenus demonſtratis conſequuntur: ut verò noſtræ Propoſitionis probationi nihil deſit, peculiaribus directiſque argumentis eam communire opus eſt. Quamobrem

Probatur 2° expreſſis Scripturæ & SS. Patrum teſtimoniis.

Inter plurima Scripturæ loca quæ afferri poſſent, hæc duntaxat ſeligo:.

Matthæi XI. 25, Chriſtus Patrem alloquens: *Confiteor tibi, Pater, inquit, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: ita, Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Ex quibus verbis ſic concludit B. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap 22: „ Quomodò gratia omnibus „ aſſeritur data, quæ à ſapientibus & prudentibus, teſte ipſo donante, „ monſtratur abſcondita?"

Matthæi XIII. 11, & Lucæ VIII. 10, Chriſtus ait diſcipulis ſuis: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, illis autem non eſt datum; & in parabolis loquor eis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Dicemus-ne illos, quibus non datum eſt noſſe myſterium Chriſti, gratiam ſufficientem habuiſſe?

Joannis III. 8, ait Chriſtus Nicodemo: *Spiritus ubi vult ſpirat.* Non ergo ubique & in omnibus ſpirat. Et Rom. IX. 15 & 18, S. Paulus ait: *Moyſi dicit* (Deus): *miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor...... Ergo cujus vult miſeretur*, gratiam indebitam largiendo, *& quem vult indurat*, non utique impertiendo malitiam, ſed non largiendo gratiam, uti exponunt SS. Patres.

Denique Actorum XVI. 6 & 7, Paulus & Silas, *tranſeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bythiniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Quid clarius quàm illis populis conceſſam non eſſe gratiam ſufficientem ad fidem amplectendam, quibus Evangelii prædicatio tunc fuit negata?

Qui inter SS. Patres de gratia ex inſtituto contra Pelagianos diſſeruerunt, hanc doctrinam tanquam indubitatam unanimi conſenſu aſſeruerunt.

 Illo-

Illorum dux ac princeps Auguſtinus multis eam in locis variiſque modis tradit. Primò Pelagium, gratiam in libero arbitrio & naturali poſſibilitate collocantem, hoc principio refellit, quòd liberum arbitrium à natura inditum omnibus hominibus commune ſit; gratia verò non communis ſit, ſed ſolis Chriſtianis propria. In Epiſtola 177, olim 95, quam unà cum quatuor aliis Africæ Epiſcopis ad S. Innocentium Romanum Pontificem ſcripſit, num. 7, ſic loquitur: „ Illam (Pelagius) „ confiteatur apertiſſimè gratiam, quam doctrina Chriſtiana demonſtrat „ & prædicat eſſe propriam Chriſtianorum.“ Advertamus iſta verba, quæ probant, juxta illos quinque Epiſcopos, hanc certiſſimam eſſe Eccleſiæ doctrinam à Pelagio neceſſariò confitendam.

In Epiſtola 186, olim 106, ad Paulinum, Alypii quoque nomine inſcripta, cap. 1. num. 1, hæc habentur: „ Dicit (Pelagius), inquiunt, „ ſe non debere exiſtimari ſine gratia defendere liberum arbitrium, cùm „ poſſibilitatem volendi atque operandi, ſine qua nihil boni velle atque „ agere valeremus, à creatore nobis inſitam diceret; ut videlicet, inquiunt, „ hæc intelligatur, doctore ipſo, gratia Dei, quæ Paganis „ atque Chriſtianis, impiis & piis, fidelibus atque infidelibus communis eſt.“ Igitur à veritate omnino alienum eſt gratiam Chriſti in aliquo collocari, quod impiis & infidelibus perinde ac piis & fidelibus commune ſit. Obſervandum autem eſt Scholaſticos, quos hîc refellimus, idcirco velle gratiam communem eſſe, ut per eam bonum volendi atque operandi poſſibilitas nemini deſit; hocque ipſum commentum propterea à SS. Doctoribus rejici, quòd ea poſſibilitas, ſi nuda ſit, ad naturam ipſam omnibus communem pertineat; ſi verò cum aliquo bonæ voluntatis initio conjuncta ſit, propria ſit fidelium.

Serm. 26, olim 11 de Verbis Apoſtoli, cap. 4 & 6: „ Communis „ eſt, inquit S. Auguſtinus, omnibus natura, non gratia. Natura non „ putetur gratia: ſed, & ſi putetur gratia, ideò putetur gratia, quia „ & ipſa gratis conceſſa eſt...... Exceptâ ergo illâ gratiâ quâ condita „ eſt humana natura (hæc enim Chriſtianis Paganiſque communis eſt), „ hæc eſt major gratia, non quòd per Verbum homines creati ſumus, „ ſed quòd per Verbum carnem factum fideles facti ſumus.“ Et cap. 8, commemorato Pelagianorum errore, quo gratiam dicebant eſſe ipſum liberum arbitrium: „ Videte, ait, quomodò illam generalem gratiam „ prædicent, quâ creatus eſt homo, quâ homines ſumus. Et utique „ & cum impiis homines ſumus; ſed non cum impiis Chriſtiani ſumus. „ Hanc ergo gratiam quâ Chriſtiani ſumus (proinde ſolis Chriſtianis propriam), „ ipſam volumus prædicent, ipſam volumus agnoſcant.“ Et cap. 11: „ Iſta gratia prædicetur, iſta eſt gratia Chriſtianorum per „ hominem Mediatorem...... Iſta, inquam, gratia prædicetur; contra „ iſtam gratiam ab ingratis non diſputetur...... Hæc eſt gratia per Jeſum „ Chriſtum Dominum noſtrum. Ipſe fecit nos, & antequàm om-

„ nino

Digitized by Google

„ nino eſſemus ipſe fecit nos, & factos & lapſos ipſe juſtos fecit „ nos, & non ipſi nos.“ Nullam hic gratiam mediam agnoſcit inter naturam gratis nobis donatam, quâ cum impiis homines & liberi arbitrii ſumus, & gratiam quâ fideles facti ſumus, & quam ſolis fidelibus propriam eſſe conſtat.

In libro *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 13. num. 25, eoſdem Pelagianos, gratiam dicentes eſſe naturam, ſic iterum confutat: „ Sed non „ eſt hæc gratia, quam commendat Apoſtolus, per fidem Jeſu Chriſti. „ Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum eſt nobis „ eſſe communem; gratia verò per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummo„ dò eſt, quorum eſt & ipſa fides.“ Et libro *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 5. num. 10: „ Gratia, inquit, quæ bonos diſcernit a ma„ lis, non quæ communis eſt bonis & malis.“

Profectò vel gratia ſufficiens, quam nonnulli Theologi omnibus dari contendunt, eſt gratia Chriſtiana quam Chriſtus nobis promeruit, à natura & à lege diſtincta, & tunc, S. Auguſtino docente, non omnibus, ſed ſolis fidelibus datur; vel ſi omnibus hominibus communis eſt, non eſt ea gratia quam Scripturæ commendant, & quam morte ſuâ Chriſtus nobis commeruit, ſed naturæ appendix eſt.

2°. S. Doctor expreſſè docet gratiam Dei aliis ex pura miſericordia dari, aliis juſto judicio non dari. „ Audiunt hæc, inquit lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 14. num. 35, „ & faciunt quibus datum eſt: non „ autem faciunt, ſive audiant, ſive non audiant, quibus non eſt da„ tum: *quia vobis*, inquit, *datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum;* „ *illis autem non eſt datum;* quorum alterum ad miſericordiam, alterum „ ad judicium pertinet illius cui dicit anima noſtra: *Miſericordiam &* Pſalm. 100.
„ *judicium cantabo tibi, Domine.*“ Et num. 37: „ Illis, qui veritatis v. 1.
„ exhortationem obedienter audiunt, ipſum donum Dei datum eſt, hoc „ eſt, obedienter audire: illis autem, qui non ſic audiunt, non eſt da„ tum.“ Idem confirmant SS. Doctores, quorum teſtimoniis probavimus ſupra gratiam certò producere effectum propter quem datur, atque inde demonſtrari illam datam non eſſe, quòd effectus non ſequatur.

3°. Non tantùm id docet S. Auguſtinus, ſed etiam tanquam catholicum dogma firmiſſimè credendum proponit in Epiſt. 217, olim 107, ad Vitalem, cap. 5. num. 16. „ Quoniam, inquit, propitio Chriſto, „ *Chriſtiani Catholici ſumus*,..... *ſcimus* gratiam non omnibus homi„ nibus dari...... *Scimus*, eis quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ „ dari. *Scimus*, eis quibus non datur, juſto judicio Dei non dari.“ Poſt tam apertam declarationem quis ultra ſupereſſe poteſt ambigendi locus?

Non minùs evidenter patet mens S. Doctoris ex eo quòd, oblatâ ſibi toties occaſione commemorandi gratiam illam ſufficientem omnibus pro loco & tempore datam, maximè ad compeſcendas monachorum Adru-

Digitized by Google

Adrumetinorum querimonias, qui immeritò ſe corripi dicebant, nullam tamen ejus mentionem unquam fecerit; imò in libro *de Correptione & gratia*, in quo illorum monachorum objectioni reſpondet, paſſim inculcat peccantes juſtiſſimè corripi, etiamſi gratiam benè agendi non acceperint, eoquòd pœna ſit peccati, ſaltem originalis, quòd ipſis non ſit data. Quin etiam, cap. 11. num. 32, diſertiſſime declarat adjutorium ſine quo bonum fieri poteſt, hoc eſt, gratiam ſufficientem, ut adverſarii fatentur, non omnibus dari. „ Nunc autem, inquit, quibus deeſt ta„ le adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum „ gratiam datur, non ſecundùm debitum."

His adde (quod non mediocrem vim habet) hanc doctrinam adeò certam & communem fuiſſe in Eccleſia, ut Pelagius, Catholicus videri volens, in Libello fidei, ſive Epiſtola ad S. Innocentium Rom. Pontificem, illam ſubdolè confiteri coactus fuerit. Sic quippe ibi loquebatur (apud Auguſtinum, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 31): „ In omnibus „ eſt liberum arbitrium æqualiter per naturam; ſed in ſolis Chriſtianis „ juvatur à gratia. In illis nudum & inerme eſt conditionis bonum: „ in his vero qui ad Chriſtum pertinent, Chriſti munitur auxilio." Quanta rerum mutatio! Olim, ad amoliendum à ſe hæreſis crimen, tenebatur Pelagius ſaltem ore confiteri gratiam Chriſti non niſi fidelibus dari: nunc verò, qui id aſſerunt, obtinere vix ab adverſariis poſſunt ut pro Chriſtianis habeantur.

S. Proſper, Semipelagianæ hæreſis poſt S. Auguſtini mortem ſtrenuus debellator, inter illius errores recenſet quòd gratiam ſufficientem, cujus uſus à libero hominis arbitrio pendeat, omnibus attribui contenderent, ſicque illum exprimit in carmine contra Ingratos, cap. 10:

Gratia, quâ Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur
Limite vobiſcum, & formam hanc adſcribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, ſtudeat communem afferre ſalutem
Omnibus, & totum peccato abſolvere mundum:
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque ſuo motû ſe extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ ſe non ſubtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet illuſtretque volentes.

His verbis adeò perſpicuè deſcribitur gratia ſufficiens Moliniana omnibus data, ut Joannes Martinez de Ripalda Jeſuita, in libro contra Baium & Baianos, Coloniæ edito anno 1648. diſput. 23. num. 84, nec non D. de Clermont Epiſcopus Lingonenſis in Proſpectu Cenſuræ adverſùs Hexapla, & alii ea protulerint, ut probarent, juxta S. Proſperum, gratiam ſufficientem omnibus hominibus reipſâ dari, non advertentes Semipelagia-

Digitized by Google

gianorum errorem à S. Proſpero impugnatum ibi exprimi, non ipſam S. Proſperi doctrinam, ſeque à S. illo Doctore tantum diſſentire, quantùm hæreticis ab eo confutatis conſentiebant. Videamus nunc quid hujusmodi doctrinæ opponat S. Proſper cap. ſequenti:

Dic unde probes quòd gratia Chriſti
Nullum omnino hominem, de cunctis qui generantur,
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit: nec enim vel tempore noſtro
Omnibus in terris jam certum eſt inſinuatum
Chriſti Evangelium: ne dicam exordia doni
Non potuiſſe ſimul toto decurrere mundo.

Probat S. Doctor liquidum eſſe gratiam non omnibus dari, ex eo quòd prædicatio ipſa Evangelica, ſine qua gratia interior non datur, nondum ad omnes homines perveniſſet.

Mercator, vel Sixtus Romanus Pontifex, vel quisquis alius auctor eſt Hypognoſticon, idem propugnat tanquam certum fidei dogma, non humanâ ratione ſcrutandum, ſed piâ ſubmiſſione venerandum. Cum enim, lib. 3. cap. 7, Pelagianorum nomine hanc ſibi objectionem propoſuiſſet: ſi gratia meritis non datur, „ cur non hoc (nempe credere) „ in omnibus operatur? An perſonarum acceptor eſt Deus?" ſuperbam illam quæſtionem his verbis reprimit: „ Si gratiæ illuminatione ſenſus „ tuus, hæretice, tenebris inſipientiæ eſſet exutus, crederes tantùm „ teſtimoniis divinis,...... & non quæreres, imò non diſcuteres Deus „ quare id non in omnibus operatur, quia benè & juſtè ſemper omnia „ quæcunque vult operatur..... Ideò, cur hæc illi operetur & illi „ non operetur, metuentem me & trementem judicia ejus inſcrutabilia „ & incomprehenſibilia nolo interroges, quia, quod lego, credo & „ veneror, non autem diſcutio. Quis eſt enim homo qui reſpondeat „ Deo?" Hæc, obſecro, audiant, qui clamitare non ceſſant injuſtum ac crudelem fore Deum, ſi gratiam ſuam non omnibus largiatur, ac peccato eos excuſari debere qui gratiam non habuerint, nonniſi iniquè ac deluſoriè corripi poſſe delinquentes, quibus gratiæ auxilium defuerit, & alia id genus arrogantiam ſpirantia, & à debita divinis judiciis, occultis quidem, ſed juſtiſſimis, reverentia prorſus aliena.

Synodus Præſulum Africæ in Sardiniam pro fide divinitatis Chriſti relegatorum, in Epiſtola ſua *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 4: „ Illi, inquiunt, qui gratiam divinitùs acceperunt, eò magis debent „ in ipſius gratiæ aſſertione firmari, quò eam vident non omnibus „ tribui." Et cap. 9 non ſolùm id definiunt, ſed infidelium exemplo manifeſtè demonſtrant. „ De gratia verò, aiunt, non dignè ſentit, „ quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non ſolùm non

Digitized by Google

„ omnium ſit fides, ſed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas „ fidei prædicatio non pervenit. Beatus autem Apoſtolus dicit: *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei quem non audierunt?* Non itaque gratia omnibus datur; quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt; „ nec credere poſſunt, ad quos invenitur ipſe fidei aditus minimè perveniſſe?“ Quibusnam aſſentiemur? Num ſanctiſſimo illi Præſulum ac Confeſſorum cœtui, gratiam non omnibus hominibus dari aſſerenti & ex Scripturis demonſtranti; an quibusdam modernis Theologis contrarium docere præſumentibus?

S. Fulgentius eamdem doctrinam ex ſacris Scripturis & ex ſanctis Patribus, qui eum præceſſerant, validiſſimè comprobat. Ex Scripturis quidem, cùm lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 17, ait: „ Non omnibus autem iſtam gratiam dari, &, quibus datur, non omnibus æqualiter dari, quisquis pie quærit, eloquiorum divinorum „ atteſtatione cognoſcit.“ Ex præcedentibus autem Eccleſiæ Doctoribus, cùm ibidem, cap. 15, hæc dicit: „ Dignum eſt, cariſſimi fratres, ut in ſingulis quibusque ſententiis, in quibus nubilo cujusquam „ obſcuritatis ambigimus, ſanctorum Patrum definitionibus hæreamus, „ quos præveniens miſericordia Dei illuminavit ut crederent, & ſequens „ inſtruxit ſpiritaliter ut docerent. Hi enim, Apoſtolicæ traditionis tenentes per omnia veritatem, certiſſimè cognoverunt, cognoſcendumque Libris & Epiſtolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari: gratuitum quippe donum eſt Dei gratia.“ Quid eſt quod in tam illuſtri teſtimonio deſideres? Habemus non ſolùm gratiam non omnibus hominibus dari, ſed etiam hanc doctrinam in ſacris ipſis Litteris fundari, Traditione Apoſtolicâ confirmari, perpetuo Patrum conſenſu, quorum definitionibus inhærendum eſt, roborari.

Adeò manifeſtum eſt ſanctos illos Doctores, quorum labore Pelagiana hæreſis protrita & extincta eſt, hanc doctrinam ipſius Eccleſiæ nomine adverſus hæreticos aſſeruiſſe, ut Vasquez non aliter ab illis expedire ſe potuerit, quàm apertè dicendo illos erraſſe. „ Fateor ſanè, inquit in primam partem D. Thomæ, q. 97. cap. 3, „ ſuſpecta mihi eſſe teſtimonia Profperi & Fulgentii, quòd diligentiſſimi & exactiſſimi Auguſtini diſcipuli ſint, & oppoſitam videantur ſequi ſententiam...... „ Enimverò eùm...... ex ſola Dei voluntate pendeat tale auxilium „ alicui denegare,.... ab Auguſtino & aliis petere poſſumus, unde „ hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti.“ Quanto potiori jure nos à temerario illo ſcriptore petere poſſumus, undenam contrariæ Dei voluntatis notitiam hauſerit, quæ, nedum ex Scripturis aut ex Traditione adſtrui poſſit, directè illis adverſatur. Eadem repetit in 1. 2. diſp. 143, cap. 4. „ Exiſtimat, inquit, Auguſtinus homines in hac vita, „ propter ingentia peccata in quæ fuerint prolapſi, aliquando ſufficientem

„ etiam

„ etiam auxilio ita deſtitui, ut deinceps non poſſint non peccare.
„ Mihi in hac parte non probatur doctrina S. Auguſtini, ut dixi 1 part.
„ quæſt. 97. cap. 3; ſed exiſtimo aliter philoſophandum eſſe de donis
„ quæ in primo parente perdidimus." O modeſtum hominem, & Eccleſiæ, quæ S. Auguſtini doctrinam toties approbavit, reverentem!

Non minori cum arrogantia loquitur Maldonatus, tom. 3. diſput. 2. cap. 4. „ Quod reſpondet S. Auguſtinus,..... reprobos extrinſecus qui- Pag. 114. col. 1.
„ dem vocari, intrinſecus autem non vocari, fateor me non intelligere.
„ Nam id dicere nihil aliud eſt quàm Deum facere ludificatorem ho-
„ minum, qui, cùm ſciat non poſſe eos venire ſine gratia ſua, vocet
„ eos non dando gratiam, &, quod multò pejus eſt, puniat eos quòd
„ non veniant." Non eſt jam cur conqueramur eadem in nos ab adverſariis probra conjici. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. Cum Auguſtino aliiſque antiquis gratiæ defenſoribus contumeliis & calumniis proſcindi, honori ac gloriæ ducendum nobis eſt.

Talia autem effutiendo quid aliud demonſtrant, quàm Semipelagianorum, qui Auguſtino aliiſque Catholicæ gratiæ defenſoribus eadem objecerunt, ſocios ſe eſſe. Sic enim Auguſtini ac Proſperi doctrinam vellicabat Fauſtus illorum coryphæus, lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 3: „ Nunc veniendum eſt ad illos qui, dum gratiam aliis dari,
„ aliis negari aſſerunt, munus gratiæ cum Pelagio perdiderunt." Et cap. 10: „ Hominis formator & rector bonæ voluntatis homini deputa-
„ vit uſum, ſibi reſervavit effectum. Non ergo æquum rectumque uni
„ velle conceſſit, & alteri denegavit...... Juſtitia ergo in homine, non
„ perſonale, ſed generale & publicum Dei munus, eſt aditus capeſſen-
„ dæ ſalutis. Omnibus itaque oblatum eſt, quod ab omnibus repoſcen-
„ dum eſt. Nam ſi circa hominis (ut dicunt) ſalutem ſpecialis eſt diſ-
„ penſatio, neſcio quomodò generalis poterit eſſe diſcuſſio." His addit, niſi gratia omnibus detur, fruſtra ad laborem & virtutem homines accendi, mandata eſſe impoſſibilia, injuſtum eſſe Deum, peccatum eſſe neceſſarium & inevitabile. Ibid. cap. 13 & 17, & alibi paſſim.

Habes, amantiſſime lector, ex una parte Auguſtinum, Proſperum, Fulgentium, Synodum ſanctiſſimorum Præſulum ac Confeſſorum, Eccleſiæ nomine aſſerentium gratiam Chriſti non omnibus hominibus dari: ex altera verò Vasquezium & Maldonatum, Societatis ſuæ nomine, adverſus hanc doctrinam egregioſque illius defenſores unà cum Fauſto Semipelagiano protervè inſurgentes. Qua ex parte ſtat veritas? An ab Auguſtino ejuſque diſcipulis, ad quos SS. Pontifices, Concilia Patreſque poſteriores de myſterio gratiæ inſtruendos nos remittunt? An à Fauſto, cujus ſcripta damnata & inter apocrypha relata ſunt à ſynodo Romana ſub Gelaſio?

Alii, quos tantis Doctoribus palam obtrectare pudet, reſpondent allatos textus de ſola gratia fidei perfecta, vel etiam de gratia habituali

& juſtificante intelligi debere. Sed undenam id probant? Certè qui generatim affirmant gratiam non omnibus dari, nullam gratiam Chriſti interiorem ac propriè dictam, quæ omnibus detur, admiſiſſe cenſendi ſunt, niſi contrarium aliis in locis dilucidè & apertè exprimant. Porro in Patrum à nobis allatorum ſcriptis nullum extat veſtigium gratiæ Chriſti omnibus conceſſæ, quàmvis de illa, ſi admiſiſſent, loquendi occaſio centies ſeſe obtuliſſet. Ergo illa reſponſio omni prorſus fundamento deſtituitur. 2°. Cui bono tantoperè inſtitiſſent SS. Doctores, ut probarent gratiam habitualem aut gratiam fidei perfectæ non omnibus dari? Quis enim id negavit unquam? Cui Pelagianorum aut Semipelagianorum in mentem unquam venit omnes homines juſtos aut fideles eſſe? 3°. Nihil aliud volebant Semipelagiani, quando gratiam omnibus hominibus dari contenderunt, niſi nemini hominum deeſſe auxilium quoddam generale, & quo uti vel non uti in ipſorum duntaxat arbitrio poſitum eſſet. Hoc in eis reprehenderunt S. Auguſtinus ejusque diſcipuli; atque è contrario conſtanter docuerunt gratiam Chriſti non omnibus eſſe communem, ſed fidelium propriam.

Reſpondet Thomaſſinus SS. Patres, ut probent gratiam non omnibus dari, frequentiſſimè niti exemplo parvulorum ſine baptiſmo morientium. Porro, inquit, gratia quæ illis parvulis non datur, eſt gratia habitualis, non actualis, cujus recipiendæ capaces non ſunt. Ergo de gratia habituali intelligi debent SS. Patres, cùm dicunt gratiam non omnibus hominibus dari.

Reſpondeo frigidiſſimum atque invalidum eſſe iſtud argumentum. Eo quippe ſimiliter probaretur Propoſitionem noſtram non de actuali gratia, ſed de habituali intelligi debere; ſiquidem nos eam infantium ſine baptismo pereuntium exemplo mox adſtruemus. Quomodò vir eruditus non animadvertit, quod vel ipſis tyronibus obvium eſt, optimè concludi gratiam generatim conſideratam non omnibus dari, ex eo quòd parvulis ſine ſalutis ſacramento hinc abreptis nulla gratia detur? Hujus conſecutionis tanta vis eſt, ut aliter elabi nequeant adverſarii, quàm, contra reclamantem evidentiam, ſupponendo Deum illis parvulis ſufficientia providiſſe media conſequendi ſalutem.

Ne quis autem exiſtimet doctrinam quam aſſerimus peculiarem fuiſſe SS. Patribus, qui adverſùs Pelagianos eorumque reliquias dimicarunt (quanquam ab eis potiſſimùm quid hac in re Eccleſia ſentiat diſcendum ſit), non abs re erit eam aliorum quoque SS. Doctorum ſuffragio communire.

S. Juſtinus Martyr hanc doctrinam ut certam ſupponit, cùm Judæos ſic alloquitur in Dialogo cum Tryphone, num. 55: „ Novæ, inquit, „ tibi videbuntur (demonſtrationes), quàmvis quotidie à vobis legan„ tur, ut vel ex hoc perſpectum habeamus vobis, ob veſtram nequi„ tiam, à Deo poteſtatem ſapientiæ, quæ illius verbis ineſt, intelligen-

„ dæ

„ dæ abſconditam fuiſſe, nonnullis exceptis, quibus, ſecundùm ſummæ „ ſuæ miſericordiæ gratiam, ut ait Iſaias, ſemen ad ſalutem reliquit „ (Iſaiæ I. 9), ne, ut Sodomitarum & Gomorrhæorum, ita & genus „ veſtrum periret.“ Superiùs dixerat, num. 32: „ Nunc in omni ſermo- „ ne ex ſanctis apud vos & Propheticis Scripturis omnem demonſtrandi „ rationem inſtituo, ſperans veſtrûm aliquem ex eo reperiri poſſe ſemi- „ ne, quod per gloriam ſabaoth reliquum ad ſalutem æternam factum „ eſt.“ Quid clarius quàm, juxta Juſtinum, illis omnibus, qui non pertinent ad illud ſemen à Deo ſibi miſericorditer relictum, gratiam non fuiſſe datam?

Tertullianus, lib. *de Patientia*, cap. 3, factâ mentione paſſionum, opprobriorum & dolorum Chriſti, dicit eorum „ magnitudinem apud na- „ tiones quamdam detractionem fidei eſſe,... probare autem his, quibus „ credere datum eſt, patientiam Dei eſſe naturam.“ Ergo, juxta Tertullianum, aliis datur ut credant, iis nempe qui credunt, aliis non datur.

S. Joannes Chryſoſtomus, hom. 26 in cap. 14 ad Rom. (tom. 9. pag. 717): „ Ne à Deo, inquit, rationes repetamus, neque exploremus „ cur hunc reliquit & hunc vocavit.“ Cenſuit igitur aliquos eſſe qui non vocantur à Deo, & in hoc profundum latere myſterium ratione humana minimè ſcrutandum.“

S. Iſidorus Peluſiota S. Chryſoſtomi diſcipulus, lib. 4. Epiſt. 59, explicans dictum Pauli, Rom. I, *tradidit eos in reprobum ſenſum, repleti omni malitia*, ſic loquitur: „ Hoc eſt, dimiſit, reliquit nudatos ſuo „ auxilio & præſidio...... Eos ergo, qui à ſeipſis repleti erant omni im- „ pietate, non immeritò deſerendo tradidit, non impellens in repro- „ bum ſenſum, ſed in eum cupidè ruentes & cum impetu relinquens.“

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2 Sent. cap. 15. num. 1: „ Nonnulli, ait, „ ita deſpiciuntur à Deo, ut deplorare mala ſua non poſſint, etiam- „ ſi velint.“ Numquid ejuſmodi hominibus gratiam ſufficientem præſtò eſſe dicemus?

Venerabilis Beda, Comment. in Joann. cap. 6, ad hæc verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, ſic loquitur: „ Ille venit quem gratia Dei prævenit...... O Judæi, Pater vos „ non docuit, quomodò poteſtis me cognoſcere? Omnes regni illius „ homines docibiles Dei erunt.“ Hæc verba deſumpſit ex S. Auguſtino, tract. 26 in Joann. num. 7.

Alcuinus Decanus Turonenſis, lib. 6 in Joannem, cap. 35: „ Multa „ dixit (Chriſtus), inquit, audientibus infidelibus, quæ in eorum „ cordibus locum non invenerunt, quia Spiritus ſanctus intus eos non „ docebat. Multa dicit quotidie per ſanctos prædicatores, quæ audien- „ tes interiùs non recipiunt, quia Spiritus ſanctus non ſuggerit eis in- „ teriùs quæ audierunt exteriùs.“

Hincmarus in Capitulo 2 Cariſiaco, lib. *de Prædeſtinatione*, cap. 21: „ Habemus, inquit, liberum arbitrium ad bonum præventum & ad- „ jutum gratiâ: & habemus liberum arbitrium ad malum deſertum gra- „ tiâ.“ Igitur, ex ipſo Hincmaro, liberum arbitrium ad malum gratiâ deſeritur ſibique relinquitur.

Florus Lugdunenſis Diaconus, lib. adverſùs Joannem Scotum, cap. 11: „ Deus ſolâ gratiâ ſuâ miſeretur cui miſeretur, manifeſtè cæteris, „ quibus hanc gratiam conferre noluerit, juſto & æterno ſuo judicio „ odio habitis atque damnatis.“

Mauguin, tom. 1. pag. 85.

Ratramnus Abbas Corbeienſis, lib. 2 *de Prædeſtinatione*: „ Si nullus „ bonus eſt, inquit, niſi quem bonum gratia præſtat, ut aliquis bo- „ nus ſit, gratiâ prævenitur; ut autem aliquis non bonus efficiatur, „ eâdem gratiâ deſeritur: quibus autem donum gratiæ tribuat, & qui- „ bus abſcondat, in illius eſt judicio, cujus & donum. Hæc eſt gemina „ prædeſtinatio ſupremi judicii librata diſcrimine, videlicet ut eis gra- „ tiæ munus divinitùs largiatur, quos æternitatis ſuæ judicio cœleſtis „ auctor ad hoc diſpoſuit; eis verò muneris hujus donum abſcondat, „ quos diſpoſitio ſuperni judicis in ſuis relinquere pravitatibus decre- „ vit...... Ille tantùm gratiâ prævenitur, quem cœleſte judicium ſta- „ tuit præveniendum: ille verò hujus extorris gratiæ deſeritur, quem „ ſupernus arbiter decrevit non prævenire.“

S. Anſelmus in dialogo *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 3: „ Quàmvis non omnibus (Deus) det (gratiam), quoniam cui vult „ miſeretur & quem vult indurat, nulli tamen dat pro aliquo præce- „ dente merito.“

S. Bernardus, ſerm. 73 *in Cantica*, num. 7, ait, „ ſecundùm diſpen- „ ſationem gratiæ, (eam) in præſenti vita aliis dari, aliis non dari, „ juſto quidem Dei judicio, ſed occulto.“

S. Thomas, quæſt. 24 de Veritate, art. 15, in corpore, dicit gratiam præparantem, „ ſi omnibus datur, non aliud videri eſſe quàm ali- „ quod naturale lumen: nam, inquit, in nullo inveniuntur omnes ho- „ mines convenire, niſi in aliquo naturali.“ Quod certè falſum eſſet ſi omnibus, quoties aliquod mandatum urget, ſupernaturale præſtaretur auxilium. Et 1. 2. q. 106. art. 3. ad 1: „ Humanum genus, inquit, prop- „ ter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ; & ideò qui- „ buscunque non datur, hoc eſt ex juſtitia; quibuscunque autem datur, „ hoc eſt ex gratia.“ Et 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1, loquens de gratia præparante, ſine qua dicit neminem poſſe obſervare mandata: „ Quod „ quidem auxilium, inquit, quibuscunque divinitùs datur, miſericordi- „ ter datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam „ præcedentis peccati, vel ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit „ in lib. *de Correptione & gratia*.“

Facultas Lovanienſis in Cenſura ſecundi articuli Leſſii: „ Quàmvis, in-

Digitized by Google

inquit, „ locutio de ſufficienti auxilio tolerari & excuſari aliquo ſenſu „ poſſit, quia videlicet nunquam Dei beneficia mundo defuerunt, qui- „ bus ſi adulti bene uſi fuiſſent, pervenire ad ſalutem potuiſſent, pro- „ priè tamen & exactè loquendo, quia (ut & ipſi fatentur) id ſolum „ ſufficit præter quod aliud neceſſarium non eſt, rectiùs veriusque dici- „ tur non fuiſſe toti Adæ poſteritati ſufficientia ad ſalutem auxilia da- „ ta, immo ne Judæis quidem ſub veteri adhuc teſtamento conſtitutis. „ Non enim dicendum eſt legem eis ad juſtitiam ſuffeciſſe, quam prop- „ ter infirmitatem ac inutilitatem ſuam reprobatam fuiſſe Apoſtolus „ teſtatur; quâ tamen ſi benè uſi Judæi fuiſſent, ad ſalutem pervenire „ potuiſſent."

Idem docet Facultas Duacena in Cenſura ejusdem propoſitionis, & ad articulum 19. „ Habere infideles, inquit, auxilium ſufficiens mora- „ le ad impletionem decalogi, usque adeò verum non eſt, ut nec fi- „ deles omnes id habere dicendum ſit. Nam ſi haberent omnes pec- „ catores & fideles, non eſſet neceſſaria oratio, quâ peterent à Deo ad- „ jutorium ad ejus mandata implenda: fruſtra enim petitur ut habeatur „ quod jam ſufficienter habetur."

Illis omnibus teſtimoniis apertè rejicitur non ſolùm opinio Molinia- norum, affirmantium omnibus hominibus dari gratiam verè ac propriè ſufficientem, ultra quam nulla alia præveniens gratia ad benè agendum requiratur; ſed etiam ſententia nonnullorum Thomiſtarum, quibus pla- cet auxilium ſupernaturale poſſibilitatis nemini (urgente præcepto) non dari, quo tamen nemo utatur absque auxilio per ſe efficaci, quod aliis datur ex miſericordia, aliis juſto & occulto judicio non datur. Nam Eccleſiæ Doctores non de aliqua peculiari & efficaci gratia, ſed de gra- tia Chriſti generatim conſiderata dicunt eam non omnibus homini- bus dari.

Hinc, quàmvis non pauci è recentioribus Scholaſticis, rationibus phi- loſophicis innixi, hujusmodi gratiam omnibus dari contendant, quâ man- datorum poſſibilitatem commodiùs explicent, major tamen pars diſci- pulorum S. Thomæ, magiſtri ſui & antiquorum Patrum doctrinæ in- hærens, id prorſus inficiatur, ut teſtatur Maſſoulié, differt. 1. q. 8. Pag. 185. col. 2. art. 9. „ Communis ſententia eſt, inquit, inter S. Thomæ diſcipulos, „ à Deo denegari obduratis, & excæcatis, & infidelibus, qui nihil unquam „ de fide audierunt, etiam ſufficientia auxilia quibus converti aut cre- „ dere poſſint." Qui verò aliter ſentiunt, eos Serry, lib. 3 *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis*, cap. 49 novæ editionis, *laxiores* Thomiſ- tas appellat, qui „ non ſatis attenderint, ex S. Auguſtini ac D. Tho- „ mæ principiis, nihil peccatorum imputationi impotentiam illam ob- „ eſſe, quæ propriâ ac liberâ iniquitate contracta eſſet."

Demum concilium Tridentinum, ſeſſ. 6 de Juſtificatione, cap. 3, doctrinam noſtram ſatis apertè confirmat, cum decernit, „ etſi (Chriſ- „ tus)

„ tus) pro omnibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipere, ſed eos duntaxat quibus meritum paſſionis ejus communicatur." Si enim non omnes mortis Chriſti beneficium recipiunt, profectò gratiam Chriſti, quæ præcipuum illius mortis beneficium eſt, non omnes recipiunt. Nec dicas dari quidem illam omnibus, ſed non ab omnibus recipi: nam Concilium non ſolum dicit non omnes illam recipere, ſed etiam non omnibus communicari meritum paſſionis Chriſti.

3° Probatio ex eo quòd gratia fidei, etiam inchoatæ, non omnibus detur, & ad omnes infideles Evangelii prædicatio non pervenerit.

PROBATUR 3° ex eo quòd gratia fidei, etiam inchoatæ, quæ prima gratia eſt, non omnibus detur, & quòd infideles, ad quos Evangelii prædicatio non pervenit, gratiæ Chriſti nullatenus participes ſint.

Hoc argumento planè invicto uſi ſunt S. Proſper & Patres Africani in Sardiniam relegati, quorum verba ſupra retulimus, & alii SS. Doctores modò appellandi.

Ut tota illius vis intelligatur, duo ſupponenda ſunt, quæ ſuperiùs probavimus: 1°. Fidem in Chriſtum mediatorem abſolutè neceſſariam eſſe ad ſalutem & veram juſtitiam conſequendam, ac proinde eos, qui nullum habent fidei initium, privari eo auxilio, ſine quo quidquam, quod Deo placeat, fieri impoſſibile eſt. *Sine fide enim*, ut ait Apoſtolus, Heb. XI. 6, *impoſſibile eſt placere Deo.* 2°. Gratiam fidei, ſaltem inchoatæ, eſſe omnium primam; atque adeò quibus gratia fidei non datur, iis nullam veram ac propriè dictam Chriſti gratiam conferri.

His ſuppoſitis, oſtendendum eſt non omnes homines ad fidem vocari, atque inde concludendum infideles negativos, qui de Chriſto nihil audierunt, ipſius gratiæ nullomodò participes eſſe.

Gratiam fidei non omnibus hominibus dari docet primùm Scriptura ſacra, ſive cùm memorat, Act. XVI, Paulum & Silam prohibitos fuiſſe à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia & in Bythinia; ſive cùm illi ſoli dicuntur crediſſe, quorum cor Deus aperuit *intendere his quæ dicebantur*, ibidem v. 14; ſive cùm ſoli fideles dicuntur vocati, v. g. 1 Cor. I. 23, ubi S. Paulus dicit: *Prædicamus Jeſum Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem ac Dei ſapientiam:* vocatorum nomine fideles intelligens, eoque indicans eos qui non credunt, etſi prædicatores exteriùs audierint, interiùs vocatos non eſſe: „ ut quos à fide ſignificabat alienos, ait auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 1. cap. 9, „ eos, quàmvis audiſſent Evangelium, oſtenderet vocationis extraneos."

2°. Idem docent SS. Patres.

S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 6. num. 11. „ Multi, inquit, audiunt verbum veritatis; ſed alii credunt, & alii contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cùm aliis præpatetur, aliis non præpa-

„ retur

„ retur, aliis non preparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt
„ utique quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio. *Quod quærebat Iſrael*, ait Apoſtolus, *hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt. Cæteri verò excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem......* Ecce miſericordiam & judicium." Et cap. 8. num. 15: „ Cùm Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt, prædicatore foriníecus inſonante, intus à Patre audiunt atque diſcunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus verò non audiunt neque diſcunt: hoc eſt, illis datur ut credant, illis non datur...... Neque enim audientes à non audientibus, ſed credentes à non credentibus diſcernebat, qui dicebat: *Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*" Rom. XI. 7. Iſai. 6. 9.

Lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 9. num. 21: „ Ex duobus, inquit, „ ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei." Tres hìc veluti claſſes hominum diſtinguuntur. Alii vocantur per gratiam efficacem, quâ fit ut vocantem ſequantur; alii vocantur tantummodò per prædicationem externam, aut, ſi velis, per gratiam interiorem mere excitantem, atque ita ut vocantem non ſequantur; alii nullatenus vocantur, adeòque gratiam non habent, neque exteriorem, neque interiorem, neque efficacem, neque ſufficientem, totumque hoc diſcrimen ab inſcrutabilitate judiciorum Dei unicè dependet.

Et in Epiſtola 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 3. num. 10: „ Non „ omnium, ait, eſt fides, qui audiunt verbum, ſed quibus Deus partitur menſuram fidei; ſicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, ſed quibus Deus dat incrementum." Porro ſi eis etiam, qui exteriùs audiunt, non omnibus gratia interior datur, quantò magis non audientibus non datur?

Semipelagianis intolerabilis hæc doctrina videbatur, ideòque, inter alia quæ S. Doctori objiciebant, apud S. Proſperum in Reſponſione ad Capitula Gallorum, non poſtremum iſtud erat, *quòd*, juxta ipſum, *non omnes homines vocentur ad gratiam*. Sed nedum eorum querelas approbaverit S. Proſper, è contrario ſtrenuè vindicavit quod immeritò illos offendebat, reſponditque ad 4 Capitulum, reverâ non vocari ad graiam eos „ quibus nondum ſacramentum crucis Chriſti & redemptio „ ſanguinis ejus innotuit:" nec enim poſſe dici „ ibi eſſe gratiæ vocationem, ubi matris Eccleſiæ adhuc nulla eſt regeneratio." Ibid. object. 15. num. 4.

Objiciebant etiam, Capitulo 5, „ quòd, ſecundùm Auguſtini doctrinam, qui vocati ſunt, non æqualiter ſunt vocati, ſed alii ut crederent, alii ut non crederent." Horrendam illam calumniam fortiter re-

repellit S. Doctor. „ Nimis abſurdum eſt, inquit, dicere quosdam ideò „ vocatos, ut non crederent, quaſi vocatio cauſa eis infidelitatis exti„ terit, & prædicatio fecerit infideles. Cæterùm ſi ad effectum plan„ tationis & rigationis aſpicitur, aliud actum eſt cum eis, quorum ex„ teriores aures corporali voce pulſatæ ſunt, aliud in eis quorum inte„ riorem ſenſum Deus aperuit.“ Quod manifeſtè ſupponit non omnibus, quibus Evangelium prædicatur, gratiam interiorem conferri. Idem aſſerit & probat in Reſponſione ad 5um Excerptum Genuenſium.

Joannes Maxentius, in fine Reſponſionis ad Epiſtolam Hormiſdæ: „ Fidem, ait Apoſtolus, non, ut delirat Fauſtus, generalem, ſed ſpe„ cialem eſſe, hoc eſt, non omnibus dari, docet dicens: *Non enim* „ *omnium eſt fides.*“

S. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 17: „ Bonæ voluntatis initium, inquit, in fide conſiſtere, liber Cantici „ Canticorum oſtendit...... Quam tamen fidem non omnibus dari B. „ Apoſtolus aſſerit, dicens: *Non enim omnium eſt fides:* Et rurſum: *Non* „ *omnes obediunt Evangelio.* Quibus autem datur, non æqualiter dari, „ eodem docente cognoſcimus, qui ait:..... *Et unicuique ſicut Deus* „ *diviſit menſuram fidei......* His atque hujusmodi teſtimoniis oſtendi„ tur nec omnibus dari gratiam, nec, quibus datur, æqualiter dari, „ ſed ſecundùm menſuram donationis Chriſti.“ Quibus verbis probatur gratiam non omnibus dari, nec, quibus datur, æqualiter dari, quòd fides, quæ gratiæ initium eſt, non omnibus datur, nec, quibus datur, æqualiter datur.

Eodem modo argumentatur S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2 Sententiarum, cap. 5. num. 6. „ Spiritualis gratia, inquit, non omnibus diſtri„ buitur, ſed tantummodò (ad id) electis donatur. Non enim omnium „ eſt fides, quam quidem etſi plurimi percipiunt, opus tamen fidei non „ conſequuntur.“

S. Gregorius magnus, lib. 27 *Moralium*, cap. 6, exponens hæc verba: *Dat eſcas multis mortalibus:* „ Notandum, inquit, quòd non ait „ omnibus, ſed multis; quia videlicet ſcriptum eſt: *Non omnium eſt* „ *fides*, & quibusdam dicitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo* „ *non eſtis.* Et rurſum: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit* „ *me traxerit eum.*“

Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, quæſt. 2. num. 34: „ Qui non credit, jam judicatus eſt. Sed cur credere noluit? Quia, „ ut ſcriptum eſt, *non omnium eſt fides*, & cur non ſit fides omnium, „ certus eſt limes, quem niſi impius excedere nullus audeat, quia illis „ non eſt datum: ſiquidem, cur eis non ſit datum, illius eſt ſolius „ conſilii, cujus, quanquam ſubinde ſit occultum, nunquam tamen „ eſt injuſtum judicium.“ Hunc ergo limitem non tranſcendamus, quem excedere velle impietas eſt.

Deni-

Denique Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Tenenda veritate Scripturæ*, cap. 12: „ Quid dicendum, inquit, de tanta multitudine impiorum, apud „ quos nullus unquam prædicator acceſſit; qui nullum unquam verbum fi- „ dei audierunt; qui utique nullatenus potuerunt credere ei quem non au- „ dierunt, neque audire ſine prædicante, neque prædicatorem recipere, „ qui nullus ad eos miſſus eſt? Si quis de talibus interroget quid in „ eis egerit voluntas Dei, qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad „ agnitionem veritatis venire, quid reſpondebitur? Nonne homo cautus „ & pius magis eliget tacere, aut certè cum Propheta exclamare: *Ju-* „ *dicia tua abyſſus multa;* & cum Apoſtolo: *ô profundum ſapientiæ &* „ *ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabi-* „ *les viæ ejus!*"

Tot tamque manifeſtorum teſtimoniorum vim effugere fruſtra conantur, qui reſpondent intelligi illa debere de fide perfecta, non verò de primis fidei inchoationibus. Unde namque id probant? Loquuntur SS. Patres de fide quæ eſt prima gratia, quæ bonæ voluntatis initium eſt, quæ præcedit omne meritum & quamlibet præparationem, ac proinde de primis inchoationibus fidei. „ Fides igitur & inchoata & perfecta „ donum Dei eſt, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 9. num. 15, „ & hoc donum quibusdam dari, quibusdam „ non dari omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris lit- „ teris repugnare."

Et certè gratia fidei, ſive perfectæ, ſive inchoatæ & imperfectæ, prædicationi Evangelii ita alligatur, ut, ſaltem juxta conſuetum gratiæ curſum, non detur, niſi quibus Evangelium annuntiatur. *Quomodò enim credent ei quem non audierunt* (Rom. X)? *Quomodò verò audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt niſi mittantur? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Quomodò ergo gratiam ſufficientem ad fidem amplectendam habere cenſeri poſſunt, qui de fide nihil unquam audierunt? Hæc adeò manifeſta ſunt, ut probatione non indigeant, cùm cuivis attendenti pateat quod ait Apoſtolus, Græcos omnes, antequàm ad fidem vocarentur, fuiſſe *ſine Chriſto, hoſpites teſtamentorum,* Epheſ. II. 12. *promiſſionis ſpem non habentes, ſine Deo in hoc mundo, tenebris obſcura-* Ibid. IV. 18. *tum habentes intellectum, alienatos à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.*

Probatur 4° exemplo excæcatorum & induratorum. 4ª Probatio ex excæcatis & induratis.

Excæcatio mentis & cordis obduratio duo includunt: unum quidem ex parte hominis, nempe averſionem à luce veritatis & obſtinatam in malo voluntatem; alterum ex parte Dei, ſcilicet gratiæ abſentiam. Nam non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam, ut ait ſanctus Auguſtinus, Ep. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 3. num. 14. „ Iſta verò cæcitas cordis, inquit idem S. Doctor, lib. 5 adverſus Julianum, cap. 3. num. 8, „ quam ſolus removet illuminator

Digitized by Google

„ Deus, & peccatum eſt quo in Deum non creditur, & pœna peccati „ quâ cor ſuperbum dignâ animadverſione punitur, & cauſa peccati, „ cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur.“

Non omnis peccator eſt induratus, ſed ille duntaxat qui *in profundum veniens peccatorum* omnia *contemnit*, quibus à peccato revocari poſſet. Quemadmodum enim multi ſunt gradus quibus ad perfectam juſtitiam pervenitur, ita multi ſunt peccati & obdurationis gradus. „ Medii ſunt, ait S. Bernardus in tract. de *Gradibus humilitatis*, cap. 21. num. 51, „ qui fatigantur, anguſtiantur, qui nunc metu cruciantur gehennæ, „ nunc priſtinâ retardati conſuetudine deſcendendo vel aſcendendo labo„ rant. Supremus tantùm & infimus (hoc eſt, valde bonus & valde „ malus) currunt abſque impedimento & abſque labore. Ad mortem „ hic, ad vitam ille feſtinat; alter alacrior, alter proclivior. Illum „ alacrem caritas, hunc proclivem cupiditas facit. In altero amor, in „ altero ſtupor laborem non ſentit. In illo denique perfecta caritas, in „ iſto conſummata iniquitas foras mittit timorem. Illi veritas, huic „ cæcitas dat ſecuritatem.“

Varios obdurationis gradus graphicè deſcribit idem S. Doctor lib. 1 *de Conſideratione*, cap. 2. num. 2. „ Primum tibi importabile videtur „ aliquid: proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeò grave; „ paulò poſt & leve ſenties; paulò poſt nec ſenties; paulò poſt etiam „ delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in aver„ ſionem.“ Et num. 3: „ Nec pergas quærere quod ſit *cor durum*. Si „ non expaviſti, tuum hoc eſt. Solum eſt cor durum quod ſemetip„ ſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid me interrogas? Interroga „ Pharaonem. Nemo duri cordis ſalutem unquam adeptus eſt, niſi „ quem fortè miſerans Deus abſtulit ab eo, juxta Prophetam, cor lapi„ deum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipſum eſt quod „ nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur „ precibus. Minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia „ eſt, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, „ impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad di„ vina, præteritorum oblitiviſcens, præſentia negligens, futura non pro„ videns...... Et ut brevi horribilis mali mala complectar, ipſum eſt „ quod non Deum timet, nec hominem reveretur.“

Plerique fideles, qui in peccati mortalis ſtatu vel etiam conſuetudine verſantur, internis identidem gratiæ actualis motibus pulſantur: qui tamen motus tantò rariores ac debiliores ſunt, quantò magis in pejus proficiunt, proindeque penitus extinguuntur in excæcatis & induratis, qui pietatis ac religionis ſenſum omnem exuerunt, ut liberius peccent. Obſervandum quippe eſt cum Bellarmino, lib. 2 *de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati*, cap. 14, „ ad excæcationem & obdurationem „ non ſufficere, ut quiſquis non videat vel non cedat; ſed requiri ut

„ non

„ non poſſit moraliter videre nec cedere. Id enim oſtendit nomen ex-
„ cæcationis & obdurationis. Cæci ſiquidem non dicuntur qui videre
„ poſſunt, licet non videant; & res duræ illæ dicuntur quæ nec ce-
„ dunt, ſi comprimantur, nec cedere queunt, & franguntur potiùs
„ quàm cedant...... Ex quo intelligimus non dici Deum excæcare
„ vel indurare, quando juvat hominem auxilio ſuo, ita ut ille verè
„ poſſit ſi velit, licet permittat eum labi, & eatenus deſerat, quia non
„ præbet auxilium quo ille infallibiliter velit. Alioqui omnes qui pec-
„ cant eſſent excæcati & obdurati, cùm nemo peccet niſi permittente
„ atque aliquo modo deſerente Deo: conſtat autem non omnes qui pec-
„ cant excæcatos vel obduratos propriè dici poſſe."

Paradoxi igitur inſtar eſt contendere excæcatis & obduratis, quoties peccant, adeſſe auxilium actuale ſufficiens ad vitandum peccatum mandatumque obſervandum. Cum enim excæcatio & obduratio ex parte Dei nihil aliud ſint quàm gratiæ ſubſtractio, quomodò ſufficienti auxilio inſtructi dici poſſunt, qui in ſtatu illo miſero verſantur? „ Non „ cogitat Pelagius, verba ſunt S. Auguſtini, lib. *de Natura & gratia*, cap. 22. num. 24, „ prævaricatorem legis quàm juſtè lux deſerat veri- „ tatis, quâ deſertâ, utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & „ cadendo vexetur, vexatusque non ſurgat."

Hinc indurati ſæpè dicuntur in Scriptura ſibi dimiſſi, deſerti, derelicti, traditi in reprobum ſenſum. An verò derelicti cenſendi ſunt, quibus, quoties præceptum aliquod implendum occurrit, ſufficiens gratiæ auxilium præſtò eſt? Auxilium-ne ſufficiens ad credendum in Chriſtum habebant illi Judæi, de quibus B. Joannes dicit cap. XII: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & corde non intelligant.* „ Quo loco notandum eſt, ait idem Bellarminus, lib. 2 *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 6, „ illud non poterant credere, non eſſe dictum „ ſolum propter præſcientiam futurorum...... Nam adjungit aliam cau- „ ſam ab excæcatione...... Porro excæcati non ſolùm non vident, „ ſed etiam, durante excæcatione, videre non poſſunt."

„ At, inquies, pergit ille, quàmvis excæcati videre non poſſint,
„ tamen removere poſſunt excæcationem, ſi gratiæ prævenienti cooperen-
„ tur. Fateor, inquit,...... ſed gratiam prævenientem non ſemper
„ adeſſe confirmo, idque colligi dico ex loco Evangelii jam citato.
„ Nam, cùm adeſt gratia præveniens, incipit homo videre, aut certè
„ poſſe videre; gratia enim præveniens illuminat cor. Proinde non eſt
„ ille ſimpliciter excæcatus, cui gratiæ divinæ lumen affulget: & ſi
„ ſemper adeſt gratia præveniens, per quam poſſent omnes peccatores
„ ſemper videre, nulli eſſent ſimpliciter excæcati, quod certè repugnat
„ Scripturæ allegatæ aliiſque quàmplurimis."

Hoc Bellarmini ratiocinio non ſolùm probatur excæcatis & obduratis

Digitized by Google

non ſemper dari auxilium gratiæ, ſed etiam eis omnino non dari, quandiu excæcati & indurati ſunt.

Eamdem doctrinam confirmat Eccleſiaſtes, cap. VII. 14, cùm ait: *Conſidera opera Dei, quia nemo poteſt corrigere quem ille deſpexerit.* Ex quibus verbis S. Gregorius magnus ſic concludit, lib. XI *Moral* cap. 5: „ Hinc eſt quòd Cain & divinâ voce admoneri potuit, & mutari non „ potuit, quia, exigente culpâ malitiæ, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat.“ Et poſteà explicans iſta B. Job verba: *Si incluſerit* (Deus) *hominem, nullus eſt qui aperiat:* „ Sicut nemo obſiſtit largitati vocantis, inquit, ita nullus obviat juſtitiæ relinquentis. Includere itaque Dei eſt clauſis non aperire. Unde „ & ad Moyſen dicitur de Pharaone: *Ego obdurabo cor ejus:* obdurare „ quippe per juſtitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam „ non emollit. Recludit itaque hominem, quem in ſuorum operum „ tenebris relinquit.“

Ne tamen inde inferas excæcatos & induratos eſſe omnino incorrigibiles, vel eorum ſalutem deſperandam eſſe. Quandiu enim hic vivunt, ſemper poteſt ſumma Dei miſericordia veræ converſionis donum eis impertiri, atque interdum, quàmvis rariùs, impertitur; ſed manifeſtè ſequitur eos, quandiu excæcati & obdurati remanent, non habere gratiam ſufficientem quâ poſſint ad Deum ſe convertere.

His principiis innixæ Facultates Theologicæ Lovanienſis & Duacena, damnarunt iſtam Leſſii & Hamelii propoſitionem, numero 14: *Indurati & excæcati habent ſufficiens auxilium ex parte Dei ut convertantur.* En Facultatis Lovanienſis verba: „ Mirum eſt illud non de fidelibus „ modò, ſed de induratis etiam & excæcatis dici, cùm hæc ipſa obduratio atque excæcatio à divini auxilii & ſupremæ lucis interclusione „ deſcendat. Quomodò id ergo auxilium ab iſtis haberi ſufficiens poteſt? At verò cùm certum ſit non præſtari à Deo ejuſmodi hominibus gratiam eam, quæ cor lapideum & cæcitatem auferat, manifeſtum eſt eos non habere auxilium ſufficiens ut convertantur, cùm „ ſine jam dicta gratia nullum eis auxilium ſufficiat.“ Duacena verò ſic loquitur: „ Neque induratus converti poteſt, niſi per gratiam auferentem cor lapideum & tribuentem cor carneum, quam utique, „ quandiu induratus eſt, non habet: neque excæcatus aſpicere poteſt „ lumen veritatis, niſi per gratiam tenebras ejus illuminantem, & velamen de corde ejus auferentem, quam ſimiliter, quandiu excæcatus „ eſt, non habet: neque infidelis quiſquam credere poteſt, niſi per „ gratiam quâ cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur, quam gratiam „ eum non habere, dum infidelis manet, perſpicuum eſt. Si ergo „ donum Dei nondum habet infidelis, quomodò dici poteſt habere ſufficiens auxilium ad ſalutem ex parte Dei, cùm abſque dono fidei „ non poſſit eſſe fidelis?..... Quibus quidem omnibus adhuc velle tri-

„ bue-

Digitized by Google

„ buere auxilium ſufficiens ad converſionem & ad ſalutem ex parte Dei, „ nimis abſurdum eſt, cum ejuſmodi dimiſſio, defectio, obduratio, „ excæcatio & traditio, ſignificent auxilii neceſſarii negationem vel ſub- „ ſtractionem."

5ª Probatio ex parvulis ſine baptiſmo morientibus.

PROBATUR 5° exemplo parvulorum in utero materno aut aliter ſine baptiſmo morientium.

Evidens eſt non omnibus hominibus dari gratiam ſufficientem, ſi evidens ſit, ut reipſâ evidens eſt, parvulis in utero matrum morientibus, aut quocunque alio caſu ſine baptiſmatis gratia decedentibus, non ſuppeditari ſufficientia ſalutis media; nam & infantes de numero ſunt hominum. Et ſi abſque ulla injuſtitia parvulis, ſolo originali peccato obligatis, media ad ſalutem abſolutè neceſſaria non dantur, quomodò adultis, multorum peccatorum actualium reis, gratia ſufficiens negari citra injuſtitiam non potuerit?

Si dicas Chriſtum per baptiſmi inſtitutionem illis parvulis ſufficienter providiſſe, ut ſalutem conſequi poſſint, ſed cauſarum ſecundarum ordinem, quem Deus interrumpere non tenetur, obſtare quominùs baptiſmum recipiant: „ Hæc reſponſio, uti obſervat Bellarminus, lib. 2 *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 12, „ non videtur digna Chriſtianis, qui „ providentiam Dei erga homines ex divinis Litteris & Apoſtolica „ traditione didicerint." Quaſi verò naturæ curſus aliud ſit quàm ipſa voluntas divina, ſicque inſtitui non potuerit, ut omnibus parvulis ſacramentum regenerationis abſque ullo impedimento miniſtretur. „ Quis „ audeat dicere, ait Vasquezius in 1 partem S. Thomæ, diſp. 96. cap. 2, „ ordinem illum cauſarum, qui partum infantis impedivit, vel in tali „ tempore ac loco natum interemit, non fuiſſe ſpeciatim à Deo præſti- „ tutum & ordinatum?... Cum enim omnium rerum & eventuum, „ præter peccatum, Deus ſit auctor voluntate & providentiâ ſuâ, ne- „ gari nequit mortem infantis in utero, vel extra tali loco & tempore, „ ab eo fuiſſe præfinitam, non ſolùm permittente & ſinente agere cau- „ ſas, ſed etiam ordinante & volente. Quare non dubito eos falli, qui „ hanc ſeriem cauſarum divinæ permiſſioni, non voluntati & ordinatio- „ ni, adſcribunt." Et verò ſi ita eſſet, non voluntati divinæ, ſed cauſis ſecundis gratiæ agendæ forent, quando non priùs parvuli moriuntur quàm fuerint renati in Chriſto.

Sed quale, obſecro, ſalutis medium parvulis priùs mortuis quàm natis ſufficienter providetur? Baptiſmus ne? Sed eum nec recipiunt, nec in utero matrum recipere poſſunt. Voluntas ne Dei, qui vult homines omnes ſalvos fieri? Sed hæc voluntas nihil quidquam in illis parvulis operatur, neque tollit obices quos facillimè tolleret ſi vellet. An demum neſcio quid aliud quod parvulis tribuitur, quodque baptiſmi defectum in eis ſuppleat? Sed hujuſmodi commentum ſi quis in medium proferre vellet, apertiſſimâ Chriſti ſententiâ, perpetuâ & conſtanti

Digitized by Google

ſtanti Eccleſiæ traditione, atque omnium Chriſtianorum fide ſtatim opprimeretur.

Hoc quoque tam invicto argumento uti non omiſerunt SS. Patres, ut gratiam non omnibus dari demonſtrarent, omniaque recentiorum effugia occluſerunt.

S. Auguſtinus in Epiſt. 194 ad Sixtum, cap. 7. num. 31: „ Iſti, inquit, „ Pelagiani, qui perſonarum acceptorem fieri exiſtimant Deum, „ ſi in una eademque cauſa ſuper alios veniat miſericordia ejus, ſuper „ alios verò maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt...... Quam, quæſo, allaturi ſunt cauſam, „ quòd alius ſic gubernatur ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium „ manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquàm ab eis baptizandus „ offeratur, expirat? An hoc fato vel fortunæ daturi ſunt? Non opi„ nor eos in tantam dementiam prorupturos, quantùmcunque nomen „ Chriſtianum tenere cupientes." Et num. 32: „ Et tamen providentia „ Dei, cui noſtri capilli numerati ſunt, ſine cujus voluntate non cadit „ paſſer in terram, quæ nec fato premitur, nec fortuitis caſibus impe„ ditur, nec ullâ iniquitate corrumpitur, ut renaſcantur ad hæreditatem „ cœleſtem non conſulit omnibus parvulis filiorum ſuorum, & nonnul„ lis conſulit etiam parvulis impiorum...... Nimiæ vanitatis & cæcita„ tis ſunt, ſi etiam, his conſideratis, non dignantur exclamare nobis„ cum: *ô altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!*"

In Epiſtola 217, olim 107, ad Vitalem, cap. 6. num. 19: „ Quo„ modo dicitur, inquit, omnes homines gratiam fuiſſe accepturos, ſi „ non illi, quibus non donatur, eam ſuâ voluntate reſpuerent, quo„ niam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, cùm multis non detur „ parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam „ voluntatem?"

Et lib. 4 *contra Julianum*, cap. 8. num. 45: „ Si mihi dixeris: Cur „ ergo non convertit omnium nolentium voluntates? Reſpondebo: Cur „ non omnes morituros adoptat lavacro regenerationis infantes, quo„ rum adhuc nullas, & ideò nec contrarias, invenit voluntates? Si hoc „ profundius eſſe perſpicis, quàm ut à te valeat inveniri, utrumque „ utrique noſtrûm profundum ſit, cur & in majoribus & in minoribus „ velit Deus alteri & non alteri ſubvenire, dum tamen certum & im„ mobile teneamus non eſſe iniquitatem apud Deum." Ubi videmus, quòd innumeris parvulis non ſubveniatur, non fortuitis caſibus, nec naturalium rerum ordini imputandum, ſed divinæ voluntati ac juſtitiæ attribuendum eſſe.

S. Proſper in Reſponſ. ad objectionem 4 Gallorum, moleſtè ferentium quòd non omnes homines ad gratiam vocari dicerentur, quàm verum illud ſit parvulorum exemplo demonſtrat. „ Reſpiciantur, ait, „ etiam inter populos Chriſtianos tot millia parvulorum, qui ex hac „ vita

„ vita ſine baptiſmo tranſierunt, & aliquo modo probentur vocati,
„ quibus nec plantator potuit prædicare, nec rigator potuit ſubvenire.“

Idem exemplum allegat ſynodus Præſulum Africæ in libro *de Incarnat. & gratia*, apud S. Fulgentium, cap. 30, ac concludit „ ſic Deum „ crudelem non eſſe in infantibus damnandis, quibus baptiſmatis beneficium non tribuit, ſicut injuſtus non eſt in majoribus, cum bonam „ non dat voluntatem.“

Demum adeò manifeſtum eſt ab ipſa Dei voluntate provenire, quòd plurimi parvuli baptiſmo priventur, ut omnes antiquos Scholaſticos id pro certo tenuiſſe teſtetur Vaſquez, largiſſimus alioqui gratiarum ſufficientium diſtributor, in 1 partem S. Thomæ, quæſt. 96. cap. 1 & 2.

6ª Probatio ab experientia.

PROBATUR 6° experientiâ.

Cum gratia Chriſti actualis nihil aliud ſit quàm illuſtratio intellectûs & pia motio voluntatis, ſive, quod idem eſt, pia cogitatio in mente & pia affectio in voluntate, inquirere an omnibus hominibus, quoties peccant, gratia actualis interior detur, nihil aliud eſt quàm inquirere an omnes homines, quoties peccant, pias habent in mente cogitationes piaſque affectiones in voluntate. Uniuſcujuſque igitur conſcientiam interrogemus, num ipſi, quoties in peccata abripiuntur, ſuam mentem ſuamque voluntatem piè affici ſentiant. Reclamat ſenſus intimus, atque ipſimet adverſarii, ſi bonâ fide loqui velint, profectò negabunt.

Nemo certè eſt cui non multa ſubrepant peccata ex ignorantia, ex errore & inadvertentia, abſque ullo in contrarium deſiderio vel conatu. Porro qui peccant ex ignorantia, carent cognitione; qui ex errore, carent notitiâ veritatis; qui ex inadvertentia, carent aſſenſione neceſſariâ ad peccandum tunc vitandum; qui abſque ullo in contrarium deſiderio aut conatu, carent omni pio motu voluntatis: & tamen de fide eſt illa omnia vera eſſe peccata. Hinc cum Bauny Jeſuita, in ſua *Summa de Peccatis*, docuiſſet nunquam peccato formali peccari, niſi præviâ cognitione peccati animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio quodam exſtimuletur, Facultas Pariſienſis doctrinam illam cenſurâ confixit anno 1641. „ Hæc propoſitio, inquit ſacra Facultas, falſa eſt, & viam aperit ad excuſandas excuſationes in peccatis.“ Lovanienſis quoque, decreto dato 4 Maii 1657, declaravit eam eſſe „ contra communia „ Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum ſcelera excuſare cum pernicie animarum.“ Eamdem, cum aliis plurimis, tum Pariſienſes, tum Rothomagenſes aliorumque diœceſeon Parochi ſcriptis graviſſimis oppugnarunt, ejuſque damnationem à ſuis Præſulibus impetrarunt, eamque in ſpurciſſima Piroti Jeſuitæ pro Caſuiſtis *Apologia* renaſcentem proſcripſit Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700. *Si peccatores conſummatæ malitiæ*, inquiebat ille, *cùm blaſphemant & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hiſce actio-*

actionibus non peccare. Horrendam illam propoſitionem his verbis proſcripſit illuſtriſſimus Cœtus: „ Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, per„ niciosa, bonos mores corrumpit, blaſphemias aliaque peccata excu„ ſat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata eſt:“ videlicet in Bauny. Conſule quæ dicta ſunt Lib. III, ubi oſtendimus ignorantiam aut inadvertentiam juris naturalis nunquam à peccato excuſare, peccatique philoſophici monſtrum confodimus.

Et ſanè, ut de plurimis ſileam, qui, penitus extinctis conſcientiæ ſtimulis, & *in magno verſantes inſcientiæ bello, tot ac tanta mala pacem appellant*, illos ne, quoties peccant, ſemper afficiunt pia cogitatio piaque cordis affectio, qui in inferno ſepulti adverſus ſeipſos ſic expoſtulant, Sapient. V: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Adfuit ne idololatris, quoties coram falſis numinibus procideſunt, ſalubris cogitatio, quâ de vanitate ſuorum idolorum admonerentur, piusque voluntatis motus ad ſacrilegum illum cultum deteſtandum? Adfuit ne Saulo, dum gregem Chriſti lupus ferox devaſtabat, pia cogitatio, vel cœleſtis motio, quâ in Chriſtum credere ſtimularetur? Num interfectoribus Apoſtolorum, arbitrantibus obſequium ſe præſtare Deo quoties in illos ſæviebant, affulſerunt pii motus, quibus ad eos venerandos fidemque amplectendam ſollicitarentur? Denique, ne ſimilia enumerando infinitus ſim, quis dicat nunquam inter ludendum juramenta & blaſphemias proferri, quin bonæ cogitationes piæque cordis affectiones præceſſerint? Hæc tamen & alia innumera peccata, quæ ex habitu vel ex ignorantia & incogitantia committuntur, vera peccata eſſe quis neget, niſi fortè quem Deus tradiderit in reprobum ſenſum? Quid dicam de peccatis omiſſionis, quibus, præ ardentiſſima voluptati ſuæ indulgendi lucrive faciendi cupiditate, ſic prætermittuntur quæ lege divinâ vel eccleſiaſticâ præcepta ſunt, ut illa implendi ne minima quidem cogitatio animam ſubeat?

Sap. XIV. 22.

Reſpondent nonnulli, in exemplis memoratis aliiſque ſimilibus, non deeſſe quidem menti ſupernas illas, quas dicunt, illuſtrationes ac motiones, ſed mentem aliis occupatam ac diſtractam illis non advertere. Lepida ſanè reſponſio! Quaſi verò cogitare actu poſſimus incogitantes, aut actu deſiderare non deſiderantes. Quàmvis enim, cùm actu cogitamus vel deſideramus, incertum nobis eſſe poſſit utrum illæ cogitationes illaque deſideria ex Deo ſint, an ex amore noſtri atque humano affectu ſurgant, fieri nequit ut neſciamus nos cogitare & deſiderare, cùm actu cogitamus ac deſideramus. Quot tamen peccata quotidie committuntur ab hominibus, qui bona fide affirmabunt ſe vel penitus ignoraſſe

raſſe malitiam actûs, vel ad eam nullatenus advertiſſe, vel aliquâ vehementi paſſione atque habitu abrepti nullum bonæ voluntatis motum expertos eſſe, quo ad vitandum peccatum excitarentur? *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis*, inquit Apoſtolus, 1 Cor. II. 11, *niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Credendum eſt igitur ſincero homini juranti ſe inter peccandum nec de actionis pravitate cogitaſſe, nec, ut ab illa abſtineret, interiùs excitatum fuiſſe. Nam, ut Bellarmini verbis utar, lib. 2 *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 6: „ Cùm vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei ſit actio noſtra, quàmvis non libera, nimirum bona „ cogitatio bonumque deſiderium repentè ac divinitùs immiſſum, quomodò poteſt fieri ut non ſentiatur à nobis, ſi ſit non ſolùm in no„ bis, ſed etiam à nobis? "

Tanti roboris eſt iſtud argumentum à quotidiana experientia petitum, ut ipſi etiam adverſarii eo potiſſimùm innitantur, ut probent gratiam prævenientem non quovis tempore ac momento dari. Theophilus Raynaldus in *Notis ſeu faculis ad idiotæ ſubobſcura quædam loca*, auctorem graviter carpit, eoquòd dixerat nullam non fuiſſe horam quâ gratiâ homo caruerit. „ Difficillimè videtur, ait §. 2, hæc verba cum „ experimento & veritate conciliare. Experimur ſiquidem non ſemper „ ac perpetuò affulgere intellectui noſtro divinum lumen, nec ſemper „ emicare in voluntate ſcintillam pietatis...... Plerùmque enim natu„ ralis diſtractio aliò avertit potentias, adeò ut nullâ ratione quidquam „ agitent ſpectans ad ſalutis negotium. Igitur ſaltem tunc abeſt à no„ bis divinus pulſus, qui ſitus eſt in ſubita illuminatione intellectûs „ & guſtu non libero voluntatis. Tam ergo experimur nos non exci„ pere continuè & citra ullam interruptionem divinas aſpirationes, quàm „ experimur nos non perpetuò & abſque ulla interruptione cogitare aut „ velle ſupernaturalia."

Hinc rurſus ſic argumentor: Ex ipſis adverſariis, inde invictè probatur gratiam prævenientem non omni momento dari, quòd non omni momento ad pietatem nos excitari ſentiamus. Ergo, à pari, ſi non, quoties peccamus, toties experimur nos ad vitandum peccatum interius ſollicitari, certum argumentum hoc eſt gratiam prævenientem non dari quoties peccamus. Atqui experientiâ conſtat plurima eſſe peccata quibus non præeunt cogitationes piæ, ac motus quibus ab illis revocemur. Ergo vel ipſa experientia demonſtrat non dari gratiam prævenientem, quoties præceptum aliquod urget.

Verùm etiamſi concederemus fieri poſſe ut motiones gratiæ actualis prævenientis non ſentiantur, quid, quæſo, abſurdius quàm ad peccatum vitandum ſufficientem dici eam cogitationem, quæ ne quidem ſentiatur? Ita-ne ſufficienter de aliquo urgente periculo monitus diceretur, cui dormienti & non audienti denuntiatum illud fuiſſet? Nam ea cogitatio, quæ nullatenus advertitur, planè ſimilis eſt voci non audi-

 tæ.

tæ. Hæccine ſalutis ſubſidia ſufficientia nobis afferunt ac tantoperè venditant Moliniani? „ Quas vires, amabo, ait Contenſonius, lib. 6. diſſert. 3. cap. 1. q. 5, „ dabit menti cogitatio, quæ utrùm menti inſit „ neſcio? Quomodò tentationis periculo opitulabitur non percepta in- „ ſpiratio? Hoccine eſt voluntatem ad bonum agendum malumque vi- „ tandum ſatis inſtruere, ſatis firmare, ſatis munire? Deus!..... „ qualis ſufficientia, quæ ipſâ inanitate inanior eſt!..... Sed durum eſt, „ inquies, juſtos gratiâ ſufficiente privare. Fateor; ſed quo, quæſo, „ privantur, ſi careant cogitatione quam menti ſuæ ineſſe neſciant? „ Non poſſunt certè ob illa præſidia ſibi erepta queritari, quæ, etiam „ dum adſunt, nihil intellectum illuſtrant, nihil permovent voluntatem. Ea ſic habere & iis carere, perinde eſt ac erit ſynonimum. „ Sed injuſtus erit Deus, addes, ſi, dum præcipit, vires ſufficientes „ non præbet. Eſto, ita ſit, inquam; nam quamcunque gratiam, „ etiam ſufficientem Deus non ex juſtitia, ſed ex miſericordia dat, „ aliàs non eſſet gratia. Sed juſtiorne erit Deus, ſi tale auxilium „ fluens, ut ſufficienter poſſimus, det, quod nec intellectus videt, nec „ voluntas ſentit? Si conqueri poſſint peccatores gratiâ ſufficienti ſibi „ debitâ carentes, nonne juſtiùs conquerentur quòd ſibi debitam tam „ malè ſolvat Deus?“

Reſpondent alii non eam adeſſe quidem ſemper, cùm præceptum urget, gratiam interiorem prævenientem, ſed Deum ſemper paratum eſſe eam dare, ſi velimus.

At hæc reſponſio vel illuſoria eſt, vel manifeſtè Semipelagiana. Vel enim fatentur gratiam interiorem prævenientem neceſſariam eſſe ut homo velit, vel exiſtimant hominem proprio motu ſuæ voluntatis aptare ſe poſſe ad recipiendam gratiam prævenientem. Hoc ultimum apertè hæreticum eſt, gratiæque prævenientis neceſſitatem funditùs tollit. Primum autem omnino verum & catholicum eſt: ſed quidnam inde ſequitur, niſi non in Deo, ſed in ipſo homine cauſam eſſe ut gratiâ non adjuvetur, quod concedimus; non verò gratiam interiorem omnibus dari, de quo tantùm hîc diſputamus?

7ª Probatio ex rationibus Theologicis.

PROBATUR 7° quibusdam aliis rationibus Theologicis.

1°. Fatentur adverſarii, ut modò obſervavimus, gratiam prævenientem non omni tempore ac loco dari. Non ergo datur quoties præceptum aliquod urget, ſi quædam ſint præcepta quæ hominem, quandiu ſuî compos eſt, omni tempore ac loco obligent. Porro talia ſunt præcepta: v. g. præceptum reſtituendi bona proximo injuſtè ablata, præceptum reconciliationis cum inimicis; quantò magis præceptum converſionis ad Deum? Nullum quippe tempus, quo peccator dici poſſit non teneri ad ſe convertendum per ſinceram pœnitentiam: lex quippe æterna, quæ jubet omnia eſſe ordinatiſſima, nullam vitæ partem excipit in qua peccatori liceat manere inordinatum, non ſolùm quia ſingulis diebus mori.

mori poteſt & manifeſtari ante tribunal Chriſti, ſed etiam quia ſumma juſtitia non permittit hominem vel ad horam eſſe injuſtum. Non rectè igitur ait Bellarminus, lib. 2 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 6, „ Scripturas, dum hortantur homines ad converſionem, id monere, ut, „ cùm à Deo vocantur & excitantur, non reſiſtant Spiritui ſancto.“ Quid enim, ſi Deus aliquem peccatorem nunquam interius excitaret ad pœnitentiam (quod certè poteſt qui gratiam ſuam nemini debet), num ille peccator nunquam teneretur converti ad Dominum? Quàmvis in injuſtitia perſeverando, non eſſet magis injuſtus? Quod ſentire cùm non minùs abſurdum quàm impium ſit, concludendum eſt præceptum *non tardare converti ad Dominum* ſemper urgere. Atqui tamen non ſemper adeſt gratia ad converſionem excitans, ſed datur quando & quibus Deus voluerit. Unde dicit Apoſtolus, 2 ad Timoth. II. 25, *cum modeſtia corripiendos eſſe eos qui reſiſtunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem:* idque Bellarminus ipſe fatetur ibidem. „ Non ſentimus, ait, aſſiduè nos illuminari à Deo, aut im„ mitti bona deſideria quibus excitemur ad converſionem. Non igitur „ ſemper habemus auxilium ſufficiens ad converſionem.“ Ergo gratia non ſemper, urgente præcepto, datur.

Et certè vel ipſi Ethnici agnoverunt nullam vitæ noſtræ partem vacare officio poſſe: nullum autem officium rectè impletur, niſi impleatur propter Deum, ad quem tanquam ad finem ultimum omnes actiones noſtras virtualiter ſaltem referri oportere ſupra probatum eſt. Ergo continuo nobis opus eſt gratiæ auxilio virtualiter ſaltem in nobis operante, eamque ob cauſam ſic orat Eccleſia Dominicâ 16 poſt Pentecoſten: *Tua nos, quæſumus, Domine, gratia ſemper & præveniat & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Atqui, fatentibus adverſariis, non adeſt omnibus hominibus continuum gratiæ auxilium Non ergo ſemper, urgente præcepto, gratia datur.

II°. Adverſa opinio inanibus nititur fundamentis, quibus convulſis, ipſa quoque corruat neceſſe eſt. Duas potiſſimùm ob cauſas gratiam ſufficientem omnibus, quoties præceptum urget, dari aſſerunt: nempe ut per ipſam fiant poſſibilia mandata, quæ, inquiunt, alioquin impoſſibilia forent; deinde ut hominum peccata juſtè ipſis imputari queant. Atqui hæc duo falſa prorſus & inania ſunt. Nam & omnes homines, per ipſam liberi arbitrii facultatem boni ac mali capacem, veram, realem & phyſicam, tametſi remotam, obſervandi mandata potentiam habent: quæ potenti licet ſine gratia non ſufficiat ad benè agendum, ad malum tamen ſibi ſufficit. Scio equidem Molinianos nullam veram ac realem agendi potentiam admittere, niſi quæ in virium æquilibrio conſiſtat; ſed hanc opinionem experientiæ ſimul ac religioni contrariam alibi repulimus.

Quod verò ad Alvarem ſpectat aliosque recentiores Thomiſtas, qui gratiam quamdam ſufficientem generalem admiſerunt, hâc ſolâ ratione illi innituntur, quòd liberum arbitrium, ut ſit phyſicè capax actionum ſupernaturalium, priùs elevari indigeat, ac donari per gratiam ſufficientem potentiâ ſupernaturali, quæ hujuſmodi actionibus producendis proportionata ſit. Verùm ſuiſmet principiis refelluntur. Cùm enim, juxta ipſos, gratia illa ſufficiens non ſolùm det poſſe, ſed, non quidem prioritate temporis, ſed prioritate naturæ ſive rationis, actus quoſdam imperfectos in voluntate & per voluntatem ipſam operetur, quorum reſpectu ſemper efficax eſt, quæro an voluntas, antequàm deliberatè concurrat ad hujuſmodi actus imperfectos producendos, inſtructa eſſe debeat potentiâ illâ ſupernaturali liberi arbitrii facultati ſuperadditâ, an non? Si priùs illâ inſtructa eſſe debeat, ergo, antequàm detur gratia ſufficiens, alia gratia ſufficiens præcedere debuit, & ante iſtam tertia, & ſic in infinitum. Si verò actus imperfecti, qui ex gratia ſufficiente exurgunt, producuntur à voluntate non priùs elevata ad agendum ſupernaturaliter, ſed uno & eodem ſufficienti auxilio ſimul & potentia perficitur, & actus imperfectus producitur, perſpicuum eſt gratiæ auxilium non ad hoc eſſe neceſſarium, ut homo habeat potentiam veram & phyſicam agendi, ſed tantùm ut potentia naturalis, quam habet per liberum arbitrium, gratiâ juvetur ad benè operandum.

Et certè duo duntaxat in voluntate diſtingui poſſunt, ſcilicet agendi potentia & ipſa actio. Potentia ſemper ineſt voluntati, ſive homo agat, ſive non agat: actio autem non adeſt niſi cùm agit. Porro gratiæ proprius effectus eſt ut faciat nos benè agere; ad hoc enim datur, ut bonum velimus & operemur, nec unquam datur quin aliquis actus bonus, ſaltem imperfectus, ſubſequatur. Ergo agendi potentia, quæ antecedit omnem actum, conſequenter antecedit omnem gratiam; ac proinde potentia benè agendi ab omni actu bono ſejuncta non ſurgit à gratia, ſed à libero arbitrio voluntati congenito. Hac de re plura dicemus poſteà, Cap. VII.

III°. Aſſignari vix poteſt in quo ſita ſit gratia generalis à Nicolio admiſſa. Nihil probabilius excogitare potuit inſignis ille Theologus, quàm ut eam reponeret in primariis legis naturalis principiis, quæ omnibus hominibus communia ſunt, & quibus ſi homines rectè uterentur (quod tamen abſque ſpeciali ac per ſe efficaci gratiæ auxilio fieri non poſſe confitetur), ad ſalutem dubio procul pervenirent.

Rectè quidem, quatenus generalia morum principia omnibus hominibus ineſſe, ac nonnullam boni cognoſcendi & operandi potentiam conferre dicit. At profectò non rectè, quatenus notitiam illam primorum legis naturalis principiorum ſupernaturalem gratiam eſſe contendit. Quid enim magis connaturale eſt quàm lex ipſa naturalis nobis congenita;

ſine

Digitized by Google

ſine qua homo nec rationalis foret, nec differret à brutis? Quomodò enim rationalis eſſet, ſi primis ratiocinandi principiis careret? Quomodò ad ſocietatem cum ſuis ſimilibus ordinaretur, ſi primarias morum regulas ignoraret, qualia ſunt iſta, alteri non faciendum quod tibi fieri non vis, beneficiis gratitudinem ac mutuam vicem rependi debere, parentes eſſe honorandos, bonum publicum privato anteponendum, principibus ac magiſtratibus obtemperandum, & ſimilia, quibus ſublatis periret tota ſocietas, nec debilitata tantùm eſſet humana natura, ſed & penitus extincta? Hinc primariæ illæ cognitiones, quàmvis per originale peccatum plurimùm obſcuratæ, non tamen omnino deletæ ſunt. „ Non enim uſque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema „ remanſerint, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 28. num. 48: „ id eſt, non omni modo deletum eſt quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impreſſum eſt...... Nam remanſit utique „ id quod anima hominis nonniſi rationalis eſſe poteſt.“

Quanquam igitur primariorum legis naturalis principiorum notitia magnum donum Dei ſit, non tamen gratia Chriſti eſt; ſed intra naturalium bonorum fines includitur, uti docet S. Auguſtinus lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 5. num. 10. „ In hac, ait, Apoſtoli evi„ dentiſſima intentione (*Quid habes quod non accepiſti?*), quâ contra hu„ manam ſuperbiam loquitur, ne quiſquam in homine, ſed in Domino „ glorietur, dona Dei naturalia ſuſpicari, ſive ipſam totam perfectam„ que naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſive vitiatæ „ naturæ qualeſcunque reliquias, nimis, quantum exiſtimo, abſurdum „ eſt. Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt „ hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus?... Sit ergo gratia „ naturæ attributa, quâ in ipſis hominibus... ingenioſi diſcernuntur à „ tardis, ac ſi quid ejuſmodi eſt. Sed non ſe ille, quem coercebat „ Apoſtolus, adverſus pecus inflabat, nec adverſùs hominem alterum, „ de aliquo naturali munere quod ineſſe poſſet & peſſimo; ſed aliquod „ bonum, quod pertineret ad vitam bonam, ſibi, non Deo, tribuens „ inflabatur, quando audire meruit: *Quis autem te diſcernit? Quid au„ tem habes quod non accepiſti?* Ut enim ſit naturæ fidem poſſe habere, „ numquid & habere? *Non enim omnium eſt fides*, cum fidem poſſe ha„ bere ſit omnium.“ Advertamus S. Doctorem non dicere, præter intelligendi ac ratiocinandi vim in primorum principiorum cognitione poſitam, aliud auxilium per ſe efficax neceſſarium eſſe ad implenda mandata, ſed apertiſſimè docere illam intelligendi vim majorem aut minorem, ipſamque habendi poſſibilitatem, inter naturæ bona omnibus communia computandam eſſe, neque ullatenus ad gratiam Dei per Jeſum Chriſtum pertinere.

Et certè veritati omnino repugnat obſcuram legis naturalis notitiam do-

donari nomine gratiæ ſufficientis, cùm nec legis ſcriptæ cognitio, quæ illâ multò certior & lucidior eſt, gratia ſufficiens dici queat. „ Si lex non „ eſt gratia, inquit idem ſanctus Doctor, in lib. *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 13. num. 25, „ quia, ut ipſa lex fiat, non poteſt lex adjuvare, „ ſed gratia; numquid natura erit gratia? Nam & hoc Pelagiani auſi ſunt „ dicere, gratiam eſſe naturam, in qua ſic creati ſumus, ut habeamus „ mentem rationalem, quâ intelligere valeamus facti ad imaginem „ Dei...... Sed non eſt hæc gratia, quam commendat Apoſtolus, per „ fidem Jeſu Chriſti." Ubi videmus intelligendi vim ipſamque imaginem Dei ad naturam hominis pertinere, nihilque medium agnoſci naturam inter & gratiam quæ à fide incipit. Præterea idcirco, ex S. Doctore, lex non eſt gratia, quia, ut ipſa lex fiat, non poteſt lex adjuvare, ſed gratia. Atqui pariter, ut lex naturalis obſervetur, non poteſt ipſa lex naturalis adjuvare, ſed gratia. Ergo cognitio legis naturalis veritatumque moralium non eſt gratia propriè dicta.

Enimverò in quo differt legis per Moyſen datæ cognitio à cognitione primariorum legis naturalis principiorum, niſi quòd illa multò diſtinctior ac firmior fuerit, hæc verò obſcurior denſioribusque offuſa tenebris? Hinc S. Paulus, Rom. VII. 7, de illis loquens qui legem divinam non acceperant, ait: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces:* id eſt, quàmvis, reflectendo ad prima morum principia, cognoſcere forſitan potuiſſem malum eſſe concupiſcere, ad id tamen caligine pravisque affectibus obſitus minimè attendebam, antequàm lex me exteriùs monuiſſet. Pariter, quàmvis nemo ſit adeò barbarus, ut neſciat nihil exiſtere niſi aliquâ cauſâ illud producente, unde per legitimam ac manifeſtiſſimam conſecutionem inferri poteſt à ſuprema & omnipotente cauſa creatum fuiſſe, ac proinde Deum exiſtere, & quidem unicum, ſummo cultu & amore proſequendum &c; quis tamen neſcit Judæos, per legem ſibi à Moyſe datam, ad hæc cognoſcenda multò magis adjutos fuiſſe, quàm barbaros ipſosque Philoſophos gentiles per inditam ſibi legis naturalis notitiam? Hinc idem Apoſtolus, Rom. II. 17, Judæum alloquens: *Noſti*, inquit, *voluntatem Dei, & probas utiliora, inſtructus per legem. Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege.* Ergo ſi lex, tam dilucidè demonſtrans homini quæ facienda ſunt, non tamen eſt gratia, ſed gratiæ paſſim opponitur in Libris ſacris; quanto minùs cognitio primariorum legis naturalis principiorum, quæ, ſi lumine legis ſcriptæ non adjuvetur, magna ſemper caligine multisque erroribus involvitur?

Denique notitia illa, quantùmcunque extollatur, longè inferior eſt ſpecialibus revelationibus à Deo immiſſis. Atqui S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 7 & 20, revelationes internas cœlitùs immiſſas non ad gratiam, ſed ad legem atque doctrinam pertinere docet. Ergo, à for-

fortiori, cognitio generalium principiorum legis naturalis ad gratiam Chriſti non pertinet.

IV°. Idem judicium hac in controverſia fieri debet de gratia interiori, ac de exteriori. Utraque æqualiter gratuita & indebita eſt; utraque ad ſalutem conſequendam neceſſaria. Sicut enim ſine gratia interiori nemo credit, nec benè vivit, ſic ſine Evangelii prædicatione nemo (ſaltem juxta leges ordinarias) in Chriſtum credere poteſt, quia *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, ut ait S. Paulus. Immo (quod valde notandum eſt) gratia interior providentiâ divinâ alligari ſolet mediis quibusdam exterioribus, ſine quibus vix unquam datur. Quamobrem, juxta SS. Patres, non raro contingit ut gratia exterior ſola ſit; nunquam verò ſine ſingulari miraculo accidit, ut gratia interior, nullâ exteriori præcedente, detur. Poteſt ſiquidem prædicator plantare & rigare, Deo incrementum non dante: at ubi deſunt plantator aut rigator, non dat Deus incrementum. Unde ſequitur gratiam exteriorem multò communiorem eſſe gratiâ interiori, adeòque hanc non omnibus dari, ſi illa non omnibus detur. Porro certum eſt, ipſiſque oculis conſpicuum, gratiam exteriorem, ad fidem Chriſti amplectendam abſolutè neceſſariam, non dari plurimis infidelibus, ad quos Evangelii prædicatio nondum pervenit; multos eſſe hæreticos & ſchiſmaticos in agris & villis commorantes, quibus Eccleſia Catholica, extra quam nemini ſalus eſſe poteſt, nunquam fuit annuntiata; quin etiam in ipſo Eccleſiæ Catholicæ ſinu plurimos verſari, qui, paſtorum incuriâ, præcipua religionis myſteria vel nullatenus, vel non ſufficienter docentur; qui in cæcos duces incurrunt, quibuscum ſimul in foveam cadunt; qui denique omnibus penè externis ſubſidiis ad ſalutem conſequendam inſtitutis deſtituuntur. Ergo, à pari, atque etiam à fortiori, gratia interior ſufficiens non omnibus datur.

SECUNDA PROPOSITIO.

Non datur quoque omnibus hominibus gratia ſufficiens ad orandum.

Hæc Propoſitio eſt adverſùs Alphonſum le Moyne, Tournely alioſque recentiores, qui contrarium aſſerunt. Sententiam ſuam ſic exponit Alphonſus le Moyne apud Antonium Arnaldum, à quo doctiſſimè confutatus eſt. „ Antequàm voluntas conſentiat vel in legem peccati, vel „ in legem Dei, hæc geruntur in anima: Hinc infunditur illi dilectio-

Apologie pour les SS. Peres défenſeurs de la grace, 3e part. 4e. point, art. 15.

„ nis aliquid à Deo, per quod inclinetur in rem quæ præcipitur: illinc „ verò ſollicitatur in contrarium per rebellem concupiſcentiæ motum. „ Interim, dum in iſto conflictu & certamine verſatur anima, inſpira- „ tur ipſi à Deo notitia tum infirmitatis, tum medici, ſimul & deſide- „ rium ſanitatis. Cui inſpirationi ſi conſentiat homo, & ad ipſum ſup- „ plici voluntate confugiat, gratiam ad implendum præceptum, eamque „ efficacem, conſequetur. Si verò animus, propter ſuperbiam, negli- „ gat orare & ad medicum confugere, deſeritur, & in peccatum ruit „ transgrediendo præceptum." Hæc ille, quæ non minus cum experientia quàm cum Scripturæ ac SS. Patrum doctrina pugnant.

Sequitur noſtra Propoſitio ex præcedente, quâ probatum eſt gratiam generatim ſumptam (ſub qua profectò gratia ipſa orationis comprehenditur) non omnibus dari. Si enim gratia ad orandum neceſſaria, quoties præceptum aliquod implendum occurrit, ſemper datur, falſò docent SS. Patres gratiam non omnibus dari, ut patet Capite III præcedentis Diſſertationis, ubi oſtendimus, ad orandum non minùs quàm ad rectè vivendum, gratiam requiri ſeipſâ efficacem: inde namque præcipuum Alphonſi le Moyne fundamentum evertitur.

Probatur nihilominus aliis momentis, quorum primum ſuppeditat S. Paulus, Romanorum X, docens gratiam fidei præcedere gratiam orationis. *Quomodò*, inquit, *invocabunt in quem non crediderunt?* Porro expreſſis Scripturæ ac SS. Patrum teſtimoniis modò oſtendimus gratiam fidei non omnibus hominibus dari. Ergo nec gratia orationis.

Nec dicas fidem, quæ orationi præire debet, non eſſe neceſſariò fidem in Mediatorem, ſed fidem in Deum, quæ ſolo naturali lumine acquiri poteſt. Nam contrarium apertè declarat Apoſtolus. Poſtquàm enim dixit: *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt?* continuo addit: *Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur?* Ergo fides, ſine qua Deus rectè invocari non poteſt, non eſt ſimplex cognitio exiſtentiæ & providentiæ Dei lumine naturali comparata, ſed fides propriè dicta, divinæ revelationi innixa, quæ haberi, niſi per Evangelii prædicationem, non poteſt. Cùm igitur perſpicuum ſit hanc fidem non omnibus dari, quomodò gratia orationis, quæ illam ſupponit & ſubſequitur, omnibus daretur?

Et certè fide Chriſtiana conſtat hominem, poſt Adæ peccatum, non habere acceſſum ad Deum niſi per unicum mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, vel diſtinctè, vel explicitè, vel ſaltem implicitè cognitum. Unde S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalm. 108. num. 9, & poſt ipſum S. Proſper & Beda in eumdem locum, exponentes hæc verba: *Oratio ejus fiat in peccatum*, docent „ orationem, quæ non fit per Chriſ- „ tum, non ſolùm non poſſe delere peccatum, ſed etiam ipſam fieri in „ pec-

„ peccatum." Quo pacto igitur gratiam ſufficientem ad orandum habere dici poſſunt, qui unicum illum Mediatorem, per quem ſolum piè & utiliter oratur, penitùs ignorant?

II°. Hanc B. Auguſtini doctrinam eſſe multa demonſtrant, atque imprimis quòd hujuſmodi gratiæ omnibus datæ nullam mentionem unquam fecerit. Si enim eam admiſiſſet, profectò alicubi, ſaltem occaſione toties datâ, illam commemoraſſet, maximè ut Monachorum Adrumetinorum & Presbyterorum Maſſilienſium querelis ſatisfaceret. Illi nolebant ſe corripi, ſed tantùm pro ſe orari, ut gratia, quâ carebant, ipſis donaretur. Hi verò S. Auguſtini doctrinam reprehendebant, ut nimiùm duram & ad deſperationem impellentem. Ad utroſque inſtruendos ac reducendos quid opportunius, quid conſultius, quàm reſpondere & peccantes juſtè corripi, quia, ſi gratia rectè vivendi illis defuit, non defuit ſaltem gratia Deum orandi nemini non conceſſa, quâ benè utendo efficacem actionis gratiam conſecuti eſſent; nullum deſperationi locum eſſe, quia per gratiam orationis, quæ ſemper ad manum habetur, totum ſalutis negotium in poteſtate hominis conſtituitur. Atqui S. Auguſtinus nuſquam ad iſtam reſponſionem confugit, imò eam ſatis apertè excludit, cùm docet juſtè corripi homines etiam auxilio gratiæ deſtitutos, eoquòd illa privatio pœna ſit præcedentis peccati, ſaltem originalis.

Nimis frivolum eſt quod nonnulli reponunt, S. Doctorem in libro *de Correptione & gratia*, cap. 2. num. 4, gratiam illam generalem orationis indicaſſe, ubi dicit: „ Intelligant, ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei „ ſe agi, ut quod agendum eſt agant, &, cùm egerint, illi, à quo „ agunt, gratias agant...... Quando autem non agunt, ſive omnino „ non faciendo, ſive non ex caritate faciendo, orent ut, quod nondum „ habent, accipiant." Si orare debent, inquiunt, habent ergo ad manum gratiam orationis.

Nimis, inquam, id frivolum eſt; tum quia, ſi ea S. Auguſtini mens fuiſſet, non unico verbo eam ſignificaſſet, ſed latè declaraſſet, præcipuumque ſuæ reſponſionis robur in ea poſuiſſet; tum quia hoc in loco ait quidem eos, qui, quod agendum eſt, non agunt, aut non benè agunt, orare debere (quis negat?); ſed gratiam ad orandum ſufficientem ſemper præſtò eſſe, nullomodò, nec clarè, nec obſcurè, inſinuat; tum denique quia non de omnibus hominibus ibi loquitur S. Doctor, ſed tantùm de filiis Dei, hoc eſt, de juſtis, qui per gratiam habitualem veriſſimam habent orandi potentiam.

Deinde S. Auguſtinus aliique gratiæ deſenſores ſæpiſſimè docent, inſcrutabile eſſe cur gratia illis detur, illis non detur. Illa autem quæſtio, in opinione quam refellimus, nihil habet inſcrutabile. Vel enim de gratia orandi intelligitur, vel de gratia benè agendi. Si primum, nullus eſt quæſtioni locus; ſiquid in gratia orandi omnibus indiſcrimi-

 natim

natim tribuitur. Si alterum, facillimè ſolvitur: illis quippe gratia benè agendi idcirco datur, quia orandi gratiâ rectè uſi ſunt, illis non datur, quia eâdem gratiâ uti neglexerunt. Ergo opinio quam refellimus SS. Patrum doctrinæ apertè adverſatur.

Denique S. Auguſtinus expreſſè docet gratiam orandi non omnibus, ſed aliquibus tantùm dari. Sic lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 14. num. 35, cùm obſervaſſet „ Dominum, & propter incipiendum dicere: „ *Credite in Deum, & in me credite*, & propter perſeverandum:“ *Oportet ſemper orare, & non deficere*, addit: „ Audiunt enim hæc & faciunt, „ quibus datum eſt: non autem faciunt, ſive audiant, ſive non au- „ diant, quibus non eſt datum.“ Non ergo omnibus datur ſive ut credant, ſive ut orent.

Magiſtro ſuo concinit S. Proſper, lib. *contra Collatorem*, cap. 11. num. 31, aliàs cap. 23. „ Imperantur, ait, iſta homini, ut ex ipſo „ præcepto, quo ei quod accepit (in Adamo) indicitur, agnoſcat ſeip- „ ſum id ſuo vitio perdidiſſe; & non ideò iniquam eſſe exactionem, „ quia ad reddendum quod debet idoneus non eſt, ſed à littera occi- „ dente confugiat ad ſpiritum vivificantem, & facultatem, quam non „ invenit in natura, quærat ex gratia (petendo ſcilicet ac pulſando). „ Quod ſi facit, magna eſt miſericordia Dei; ſi non facit, juſta eſt „ pœna peccati.“ Ipſum ergo donum orandi aliis ex gratuita miſericordia datur, aliis in pœnam peccati non datur.

III°. Si gratiam orandi omnibus dari neceſſe eſt, ut mandata fiant, ſaltem mediatè, poſſibilia, ſequitur, ut expreſſis verbis fatetur Alphonſus le Moyne, transgreſſionem mandatorum non eſſe liberam, adeòque in peccatum imputari non poſſe immediatè & ratione ſuî, ſed tantum mediatè & ratione ſuperbiæ vel deſidiæ præcedentis, per quam homo neglexit implorare auxilium Dei. Atqui hæc conſecutio planè deſtruit liberum arbitrium, quo nos potiri per ſenſum intimum conſcii ſumus, non ſolum ad orandum vel non orandum, ſed etiam ad ſervanda vel transgredienda cætera mandata. Eâ ſemel admiſſâ, nullum aliud ex ſeipſo peccatum erit niſi orationis defectus. Furta, adulteria, homicidia, blaſphemiæ, aliaque peccatorum monſtra, non erunt ratione ſuî vera peccata, quia non liberâ voluntate commiſſa, ideòque duntaxat imputabuntur, quòd poſtulatio gratiæ non præceſſerit. Tolle hujus unius præcepti transgreſſionem, quæ ſola ex ſe libera eſſe dicitur, maxima quæque crimina abſolutâ neceſſitate committentur, ac nullomodò peccati propriè dicti rationem habere pœniſque affici poterunt. Unum ergo duntaxat præceptum erit, reſpectu cujus liberi erimus, orandi ſcilicet præceptum: quoad cætera liberum arbitrium penitùs amiſſum & extinctum erit. Tales errores adeò craſſos & inauditos quis Chriſtianus non horreat?

Apud Arnaldum in Apologia SS. PP. gratiæ Chriſti defenſorum, part. 3. puncto 4, art. 15.

IV°. Reclamat ipſamet experientia. Nam non ſolùm nemo eſt, etiam apud

apud fideles & juſtos, qui, quoties peccat, maximè ubi ex ignorantia aut inadvertentia peccat, toties ſentiat ſibi ſubminiſtrari pios motus, quibus ad precandum Deum excitetur; ſed etiam plurimi fuerunt atque etiamnum ſunt infideles, qui legis divinæ obſervantiam à Deo poſtulandam eſſe vel penitus neſcierunt, aut etiam negaverunt. „ Quis v. g. ut Montaltii verbis utar, in Epiſtola 4 ad Provincialem, „ quis Phi-
„ loſophos, qui naturæ vires ſic extulerunt, quidquam de ejus vel
„ morbo vel medico ſuſpicatos putet? An hoc dicere ſuſtinebis, illos
„ ipſos qui hoc quaſi certiſſimum effatum pronuntiarunt, divinum mu-
„ nus non eſſe virtutem, nec pro ipſa quemquam Deo ſupplicaſſe, eos-
„ dem tamen de ea precibus efflagitanda ſæpius cogitaſſe? Quid Epicu-
„ rei, qui mundum negabant providentiâ regi? An illi etiam hæc
„ orandi deſideria ſentiebant, cum injuriâ Deum affici dicerent, ſi quis
„ ejus opem imploret, quaſi in ipſum ulla rerum noſtrarum ſollicitudo
„ & procuratio cadat? Poſtremò quis ſibi in animum inducat idolorum
„ cultores, vel athæos, toties hæc experiri deſideria precandi verum,
„ quem ignorant, Deum, ut ab ipſo veras, quas item ignorant, vir-
„ tutes accipiant?" Idem dicendum eſt de Judæis ignorantibus juſtitiam Dei & ſuam volentibus ſtatuere, nec non de Pelagianis liberi ſui arbitrii vires ad benè agendum ſibi ſufficere arbitrantibus. Quis enim ſibi perſuadeat illos, quoties aliquod mandatum ſervandum occurrebat, propriæ infirmitatis notitiam divinitùs accepiſſe, atque ad poſtulandum gratiæ auxilium, quo egere ſe non putabant, interiùs ſtimulatos fuiſſe?

Dices ne reverâ illos, quoties peccarunt, interiùs excitatos fuiſſe ad orandum, ſed præ ſuperbia vel ſocordia interiores eos motus non attendiſſe. Ergo iterum redeundum eſt ad cogitationes quæ non percipiuntur, & ad deſideria quæ non ſentiuntur.. „ En, ait P. Serry, in Schola Thomiſtica vindicata, num. 9, „ in quantas anguſtias adiguntur, ut gra- Pag. 27.
„ tiam ſaltem orationis, in omnes divinorum mandatorum tranſgreſſores
„ effuſam, poſitam dicant in excitatione quæ non excitat, in cogitatio-
„ ne de qua minimè cogitetur, in piis denique motibus, qui ab illis ipſis
„ qui moventur nullatenus ſentiantur: quaſi vel fieri poſſit ut quis exci-
„ tetur non excitatus, cogitet incogitans, immotus denique moveatur."

Solvuntur objectiones adverſùs primam Propoſitionem.

Objiciunt 1° nonnullos S. Scripturæ textus, quorum majorem partem jam ſatis expoſuimus. Cæteri ſunt hujuſmodi: Joann. I. 9: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Matth. XI. 28: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Rom. V. 10: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Ergo, inquiunt, nemo eſt hominum quem Deus non illuminet, nemo quem

quem non vocet ad Chriſtum, nemo cui gratiam, & quidem abundantem, non impertiatur.

Reſpondeo textum B. Joannis duplici ſenſu intelligi à SS. Patribus, vel de illuminatione ſupernaturali quæ fit per gratiam, vel de illuminatione naturali quâ cognoſcimus quidquid veri cognoſcimus. Qui de illuminatione ſupernaturali illum intellexerunt, vocem *omnes*, non de omnibus omnino hominibus, ſed per accommodam diſtributionem de omnibus qui illuminantur, expoſuerunt, adeò ut ſenſus ſit, omnes qui illuminantur, non illuminari niſi verâ illâ luce quæ Deus eſt; ne quiſquam putaret ab eo ſe illuminari, à quo audit ut diſcat, quemadmodum ait S. Auguſtinus, lib. 1 *de Peccat. meritis & remiſſione*, cap. 25 num. 3. Qui verò de lumine naturali textum eumdem interpretantur, docent omnes homines à Verbo illuminari, quatenus, quidquid veri naturaliter cognoſcunt, à vera illa luce omniſque lucis fonte in eos derivatur. Hæc autem interpretatio videtur magis genuina; tum quia S. Evangeliſta ibi enarrat attributa Verbi nondum incarnati, tum quia dicit veram illam lucem illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, in ipſo ortu: quibus verbis indicari videtur lumen ipſum rationis, quo veri intelligendi capaces ſumus. Quo autem modo intelligas, intacta manet noſtra Propoſitio. Quamobrem, cùm Hincmarus eo teſtimonio probare niteretur Chriſtum ſanguinem ſuum fudiſſe pro omnibus infidelibus, ſic reſpondet Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 27: „ Illud teſtimonium non videtur huic congruum aſſertioni; quia lux illa præſentiâ majeſtatis ſuæ in tenebris lucens, id eſt, in infidelium „ cordibus majeſtate conditoris ſuam præſentiam exhibens, operatur aliquid in eis, etſi non ut videant ipſam, tamen ut videant aliquid per „ ipſam, id eſt, ut intelligant inter juſta & injuſta, inter bonum & „ malum, inter agendum & non agendum, ut ſint inexcuſabiles in die „ quo judicabit Deus occulta hominum. Quæ tamen lux non à facie illis reſplendet, quia non ad eam attendunt, ſed velut à tergo eis relucet...... In hac tamen re, quâ ſanguis Domini Jeſu Chriſti etiam „ pro impiis in ſua impietate perituris fuſus eſſe aſſeritur, quid utilitatis in eis egerit nihil omnino invenitur, niſi ut...... hoc eis non in „ remedium, ſed in exitium convertatur.“

Textum S. Matthæi frequenter objecerunt Catholicis Semipelagiani, quemadmodum nobis nunc objicitur, ut probarent omnes indifferenter ad gratiam vocari; ſed inani prorſus conatu. Jubet quidem Chriſtus & hortatur exterius omnes quos alloquebatur, ut ad ſe venirent; ſed nequaquam dicit omnibus gratiam interiorem dari quâ poſſint venire. Immo contrarium aſſerit, Joann. VI. 66, ubi ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo.* Non omnibus autem dari ut ad Chriſtum veniant, inde manifeſtum eſt quòd non omnes veniant.

Apud Proſperum, Epiſt. ad Rufinum, cap. 3.

Denique

Digitized by Google

Denique, cùm S. Paulus dicit gratiam ſuperabundaſſe ubi abundavit peccatum, ſenſus non eſt gratiam magis abundaſſe extenſivè, hoc eſt, in plures homines diffundi, quàm peccatum; id enim abſurdum foret: ſed, juxta S. Thomam in hunc locum, ſenſus eſt 1° gratiæ majorem vim fuiſſe quàm peccati; ſiquidem gratia propriâ ſuâ efficaciâ peccatum ſuperavit. „ Sicut enim, ait Angelicus Doctor, magnitudinem morbi „ non ſanat niſi fortis & efficax medicina, ita requirebatur abundans „ gratia ad hoc ut ſanaret abundantiam deliſtorum.“ 2°. Tantam eſſe divinæ miſericordiæ potentiam, ut ex peccatorum abundantia majorem interdum humilitatem eliciat, quam ſequitur major gratiæ plenitudo. Ex quibus patet Apoſtolum non loqui de gratia ſufficiente quæ omnibus detur, ſed de gratia efficaci, quæ, omnium conſenſu, non omnibus tribuitur.

Nedum verò ex illo textu concludi poſſit omnibus præſtò eſſe gratiam ſufficientem, ſequitur è contrario Judæis legem gratiâ deſtitutam datam fuiſſe, quandoquidem teſtatur Apoſtolus *legem ſubintraſſe*, non ut homines adjutorio gratiæ legi adjunctæ juſti fierent, ſed *ut*, legis ipſius occaſione, *abundaret delictum*, hoc eſt, ut per continuam tranſgreſſionem legis, cujus *littera* ſine ſpiritu *occidit*, humanæ voluntatis infirmitas & pravitas demonſtrarentur, ac poſtmodùm daretur gratia, quæ peccato, legis occaſione aucto potius quàm ſanato, potentiori virtute mederetur.

Objiciunt 2° plurimos SS. Patres, quorum textus, ne quid à nobis diſſimulatum dicant, hic recenſebimus & exponemus. D. Languet, Epiſcopus Sueſſion. in Epiſt. 3 Paſtorali, part. 1. §. 121. 139. 145, & part. 2. § 15, & alibi paſſim.

S. Dionyſius, vel alius auctor ſub ejus nomine, lib. *de Divinis Nominibus*, initio cap. 4, ait „ donum divinum, hoc ipſo quod eſt, „ tanquam per eſſentiam bonum, omnibus exiſtentibus immittere ſum- „ mæ ſuæ bonitatis radios; quemadmodum ſol noſter, non ratiocinans „ aut præeligens, ſed, hoc ipſo quòd eſt, illuminat omnia lumen ip- „ ſius participare valentia.“

S. Cyprianus, Epiſtolâ 59 ad Fidum: „ Deus, inquit, ut perſonam „ non accipit, ſic nec ætatem, cum ſe omnibus ad cœleſtis gratiæ con- „ ſecutionem æqualitate libratâ præbeat patrem.“ Pag. 95.

Clemens Alexandrinus, lib. 2 Stromatum: „ Divinum Verbum, ait, „ clamavit, omnes ſimul vocans, eos quidem cognoſcens, & maximè, „ qui non erant crediturí; & tamen, quoniam in nobis eſt credere vel „ non credere, ut nulli poſſint cauſari ignorantiam, juſtam fecit voca- „ tionem.“ Pag. 370.

Arnobius, verſùs finem, hâc objectione ſibi propoſitâ, lib. 2 adverſus Gentes: „ Si generis Chriſtus humani, ut inquitis, conſervator adve- „ nit, cur omnino non omnes æquali munificentiâ liberat, qui æqua- „ liter omnes vocat? Haud ab indulgentia principali quemquam repel- „ lit, qui ſublimibus, infimis, ſervis, feminis, pueris uniformiter „ po- In Append. S. Cypr. pag. 39 & 40, & Bibl. PP. Colon. tom 3. pag. 170. col. 2.

„ poteſtatem veniendi ad ſe facit. Patet omnibus fons vitæ, neque „ ab jure potandi quiſquam prohibetur aut pellitur. Si tibi faſti- „ dium tantum eſt, ut oblati reſpuas beneficium muneris,..... quid „ invitans in te peccat, cujus ſolæ ſunt hæ partes, ut ſub tui juris ar- „ bitrio fructum ſuæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli „ eſt, inquit Plato, Deus cauſa, neque alterius voluntas adſcribi po- „ teſt cuiquam rectè, cum voluntatis libertas in ipſius ſit poſita liber- „ tate qui voluit."

Pag. 306. S. Hilarius, lib. 2 *de Trinitate*, num. 35: „ Munus, ait, quod in „ Chriſto eſt, omne omnibus patet unum: & quod ubique non deeſt, „ in tantùm datur, in quantùm quis volet ſumere; in tantùm reſidet, „ in quantum quis volet promereri." Et in pſalm. 118. litt. 2. num. 5: „ Stat ad oſtium Verbum Dei, & pulſat oſtium animæ noſtræ...... Vult „ ergo ſemper introire, ſed à nobis, ne introeat, excluditur. Claudi- „ mus enim per hæc corporis vitia animæ noſtræ aditum. Quæ ſi cœ- „ perit, emundatis omnibus, patere, illico introibit, modo ſolis, qui „ clauſis feneſtræ valvis introire prohibetur, patentibus verò totus im- „ mittitur...... Eſt enim Verbum Dei ſol juſtitiæ, aſſiſtens unicuique „ ut introeat, nec moratur lucem ſuam repertis aditibus infundere."

S. Ambroſius, lib. 2 *de Cain & Abel*, cap. 3. num. 11: „ Ideò, ait, „ omnibus opem ſanitatis detulit (Chriſtus), ut, quicunque perierit, „ mortis ſuæ cauſas ſibi adſcribat, qui curari noluit, cum remedium „ haberet quo poſſet evadere. Chriſti autem manifeſta in omnes præ- „ dicetur miſericordia, eoquòd, ii qui pereunt, ſuâ pereant negligentiâ; „ qui autem ſalvantur, ſecundùm Chriſti ſententiam liberentur, qui „ omnes homines vult ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire." Et in pſalm. 39. num. 20: „ Ille omnes ſuos vult eſſe, quos condidit „ & creavit. Utinam tu, homo, non fugias, & te ipſe à Chriſto abſcon- „ das! Ille etiam fugientes requirit, & abſconditos non vult perire, ſed „ clamat dicens: *Adam, ubi es?* Hoc eſt, homo, ubi es?"

Tom. 3. pag. 90. S. Gregorius Nyſſenus, in Oratione Catechetica, cap. 30: „ Si ali- „ quod bonum eſt fides, ait, cur, inquiunt, non ad omnes venit „ gratia?" Huic quæſtioni ſic reſpondet: „ Atque ſi hæc quidem in „ iis quæ dicimus à nobis adſtruerentur, quòd à divina voluntate ho- „ minibus fides diſtribueretur, ut pote quòd alii quidem vocarentur, „ cæteri autem eſſent expertes vocationis, opportunè hujuſmodi repre- „ henſio objiceretur myſterio. Si autem pariter ad omnes procedit vo- „ catio, nec auctoritatem, nec ætatem, nec gentium diſcernens diffe- „ rentiam (propterea enim, in primo initio prædicationis, divinâ in- „ ſpiratione unius & ejuſdem linguæ, cujus omnes gentes, repentè „ facti ſunt qui verbum miniſtrabant, ut nemo eſſet expers bonorum), „ quomodò conſentaneum adhuc fuerit ut Deum adhuc accuſent, quòd „ verbum non in omnes dominatum obtinuerit? Nam qui in univerſi-

„ tatem

Digitized by Google

„ tatem liberam habebat poteſtatem, propter ſummum in homines ho-
„ norem, dimiſit etiam aliquid in noſtra poteſtate, cujus unusquisque
„ noſtrûm ſolus eſt dominus. Hoc autem eſt liberi arbitrii libera
„ electio, quæ ſubjici nequit & ſui juris eſt, in libertate mentis & co-
„ gitationis ſita. Itaque in eos, qui ad fidem adducti non ſunt, cri-
„ minatio multò juſtiùs transferri queat, non in eum qui vocavit ad
„ conſenſionem...... Neque enim par erat ut, gratiâ in commune pro-
„ poſitâ, is, qui voluntariè ab ea abſceſſerat, non ſibi, ſed alii malam
„ ſuam ſortem adſcriberet.“ Et in Orat. 5 de Beatitudinibus: „ Non Tom. 1 pag. 804. D.
„ aliâ ratione potiri quis poteſt eorum quæ cupit, niſi ipſe ſibi donum
„ largiatur. Quamobrem Dominus dicit alicubi ad auditores: *Regnum* Luc. XVII.
„ *Dei intra vos eſt.* Et: *Quicunque petit accipit, & qui quærit invenit,* Matth. VI.
„ *& pulſanti aperietur;* ut & accipiendi quod deſideretur, & inveniendi
„ quod quæratur, & introeundi quò cupias, penes nos poteſtas ſit &
„ à noſtro pendeat arbitrio, cùm velimus.“

S. Ephrem, initio Serm. 24 in Mulierem peccatricem: „ Nunquam, Pag. 545.
inquit, „ gratia quemquam rejicit hominum ſalvari cupientium. Nam
„ quemadmodùm fons ſine intermiſſione ſcaturiens...... nunquam ali-
„ quem impedit affatim ex mundis ac limpidis ſuis aquis refici, ac
„ quidem gratis, cupientem; ſic & divina gratia omnibus expoſita eſt,
„ ac patet ſemper eâ frui volentibus, & unicuique quantùm voluerit.“

S. Baſilius, in Regulis breviùs tractatis, ad interrogationem 176, lo- In nova edit. tom. 2. pag. 474. al. tom. 2.
quens de dilectione inimicorum: „ Neque verò hoc præcepiſſet, inquit, pag. 593.
„ ut pote bonus & juſtus, niſi id faciendi tribuiſſet facultatem: quod
„ vel ipſi naturæ neceſſariò inſitum eſſe declaravit.“ Et ad interroga-
tionem 248: „ Si quis novit bonitatem Dei, qui vult omnes homines Ibid. pag. 498,
„ ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, diligentiamque didicit al. ibid. pag. 622.
„ Spiritûs ſancti in diviſione atque efficacia donorum Dei, ei comper-
„ tum eſt & notum intelligentiæ tarditatem, non ex benefacientis
„ ſegnitie, ſed ex eorum in quos beneficia conferentur incredulitate pro-
„ ficiſci. Nec injuria deprehenditur qui intelligentiæ expers eſt, tan-
„ quam qui claudat oculos, orto ſole, ut in tenebris degat, neque
„ ſurſum aſpiciat ut illuminetur.“

S. Hieronymus, in Epiſtola ad Cyprianum: „ Homo, inquit, à Edit. Eraſmi tom. 3. pag. 100 In nov. edit. tom. 2. pag. 696.
„ principio conditionis ſuæ Deo utitur adjutore; & cùm illius ſit gra-
„ tiæ quòd creatus eſt, illiusque miſericordiæ quòd ſubſiſtit & vivit,
„ nihil boni operis agere poteſt abſque eo, qui ita conceſſit liberum
„ arbitrium, ut ſuam per ſingula opera gratiam non negaret; ne liber-
„ tas arbitrii redundaret in injuriam creatoris, & ad ejus contumaciam,
„ qui ideò liber conditus eſt, ut abſque Deo nihil eſſe ſe noverit.“

S. Chryſoſtomus, Hom. 8, al. 7, in Joannem, num. 1, iſtam ſibi Tom. 8. pag. 48.
proponit quæſtionem: „ Si illuminat omnem hominem venientem in Al. tom. 8.
„ hunc mundum, quomodò tot homines non illuminati manent? Non pag. 50.

„ enim omnes Chriſti cultum cognoſcunt. Quomodò ergo illuminat om-
„ nem hominem?“ Sic autem eam ſolvit: „ Illuminat profectò quantùm
„ in ipſo eſt. Si qui verò, ſponte ſuâ mentis oculos claudentes, hujus
„ lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit quòd in te-
„ nebris maneant, ſed ex nequitia eorum qui ſe ſponte hoc privant
„ munere.. Gratia quippe in omnes effuſa eſt, non Judæum, non Græ-
„ cum, non barbarum, non feminam, non ſenem, non juvenem aver-
„ ſatur; ſed omnes ſimiliter admittit, & cum pari vocat honore. Qui
„ verò nolunt hoc frui dono, hanc ſibi ipſis cæcitatem imputent opor-
„ tet. Cum enim, aditu omnibus patente & à nemine intercluſo, qui-
„ dam ex voluntaria nequitia extra manent, ii ſuo tantùm vitio pereunt.“

Tom. 12. pag. 163. Al. tom. 6. pag. 850 & 851.

Rurſus, hom. 16 in Epiſtolam ad Hebræos: „ Hic ſolum oportet vel-
„ le, & ſequuntur omnia. Non licet dicere, non poſſum; hoc eſt
„ enim accuſare opificem. Nam ſi nos fecit imbecilles, & jubeat, ip-
„ ſius eſt accuſatio. Quomodò ergo, inquit, multi non poſſunt? Quia
„ nolunt. Quomodò ergo multi nolunt? Ex deſidia. Nam ſi velint,
„ poterunt omnino...... Deinde in omnibus non ſufficit ſolum velle,
„ ſed factum quoque eſt addendum. Quomodò ergo, inquit, dicebat
„ quòd ſufficit velle? Velle cum factis, rem & laborem ſuſcipere; ha-
„ bemus enim Deum adjuvantem & opem ferentem. Solùm eligamus,
„ ſolùm ad rem tanquam ad opus accedamus, tantùm ſimus ſolliciti,
„ tantum mentem adhibeamus, & omnia ſequentur.“

Tom. 15. magn. Bibl. PP. Col. p. 149. col. 1.

Paulus Oroſius in *Apologetico de arbitrii libertate:* „ Mea ſemper hæc
„ eſt fidelis atque indubitata ſententia, inquit, Deum adjutorium ſuum
„ non ſolum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob cre-
„ dentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur, verùm etiam univerſis in
„ hoc mundo gentibus, propter longanimem ſui æternamque clemen-
„ tiam, ſubminiſtrare: non, ut tu (Pelagium alloquitur) aſſeris cum
„ diſcipulo tuo Cæleſtio,..... in ſolo naturali bono & in libero arbi-
„ trio generaliter univerſis unam gratiam contributam; ſed ſpeciatim
„ quoque per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis
„ & ſingulis miniſtrare. Dicit enim Scriptura: *Qui fecit oriri ſolem*
„ *ſuum ſuper bonos & malos.* At tu fortaſſe reſpondes: ordinem ſuum
„ compoſita benè natura cuſtodit, ac per hoc Deus, elementariis ſemel
„ curſibus conſtitutis, facit inde quæ facit. Quid ergo de illa ſenten-
„ tiæ parte, quæ ſequitur, opinaris: *Dat pluviam ſuper juſtos & in-*
„ *juſtos?* Utique qui dat, cum vult, dat, &, ubi vult, dat, vel diſ-
„ penſando diſpoſitam conſtitutionem, vel effundendo propriam largi-
„ tatem...... Quid vero de ſpe vera generis humani? Quia, omnis qui
„ arat, in ſpe arat. Sperare autem non eſt poſſibilitatis propriæ, ſed
„ largitatis alienæ. Cum autem quis ſeminaverit, jactamque ſemen-
„ tem in ſinu terræ cultor abſconderit, non habet ultra quod faciat,
„ niſi ut oculos tendat ad cœlum, oret, non terram cui commiſit, ſed

„ Deum

„ Deum cui credidit, ut labores ejus vel matutino, vel ſerotino imbre fecundet...... Quantùm ergo de Dei adjutorio gaudeam, per id metire quod miniſtrari per ſingula etiam gentibus probo; ut manifeſtum nobis eſſet quem uſque in finem cavere, & quem ſine ceſſatione invocare debeamus...... Habes, ut arbitror, etiam in gentibus ſufficientem gratiæ cooperantis probationem: accipe manifeſtam quoque ſignificantiam de illo præcipuè dono, quod Eccleſiæ & corpori ſuo peculiare largitur...... Ex quo evidentiſſimè declaratum eſt nemini hominum deeſſe Dei adjutorium, præſertim cùm & ſeductor inſiſtat, & inſit infirmitas.“

S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 11 *in Joannem*, cap. 9: „ Quòd ſi proditor æqualiter aliis diſcipulis Salvatoris auxilium non habuiſſet, fruſtra hæc à nobis dicerentur.“ Sic hunc textum refert Illuſtriſſim. Languet Epiſcopus Sueſſionenſis: ſed in græco habetur, conſentitque latinus interpres: „ Oſtendat ergo aliquis non licuiſſe proditori, perinde ac aliis diſcipulis, Salvatoris auxilio frui,“ (nempe bonam voluntatem exhibendo, ut ibidem exponit S. Doctor) „ & nos victos fatebimur. Sin autem, perinde ac alii, divinâ ſeptus gratiâ, propria voluntate in perditionis barathrum decidit, quomodò non eum ſervavit Chriſtus, qui bonitatis ſuæ opem ei impertiit, &, quantùm ſpectat ad rationem auxilii, eum ſervaſſet, niſi voluntate ſuâ ipſe malum ſibi ultro accerſiſſet. Refulſit ergo in aliis gratia, quæ perpetuò ſervavit eos, qui ſuam voluntatem ei quodammodò cooperatricem adhibuerunt: ſic enim ſalutis cujuſque modus ordinatur.“ Tom. 4. pag. 977. Epiſtola 1 ad Illuſtr. Epiſcorum Bolonienſem, §. 71.

Ennodius Ticinenſis, lib. 2. Epiſt. 19: „ Inter homines, inquit, à rectì diſcordat affectu, qui à ſubjectis exigit quod in poteſtate non tribuit. Hoc de Deo quâ conſcientiâ ſentiatur advertite.“ Pag. 65.

S. Bernardus, in lib. *de Converſione ad Clericos*, cap. 2. num. 3: „ Vox ipſa ſe offert, inquit, ipſa ſe ingerit, nec pulſare interim ceſſat ad oſtia ſingulorum. Denique: *Quadraginta annis*, inquit, *proximus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde.* Adhuc nobis proximus eſt, adhuc loquitur, & non eſt fortè qui audiat. Adhuc dicit: *Hi errant corde;* adhuc ſapientia clamitat in plateis: *Redite, prævaricatores, ad cor.*“

Ex his omnibus concludunt SS. Patrum concordem ſententiam fuiſſe, gratiam omnibus hominibus dari.

Antequàm ad ſingula illa teſtimonia reſpondeam, nonnulla obſervari velim.

Obſervandum eſt 1° Deum, cujus natura bonitas, neminem à ſalute & juſtitia excludere, niſi qui ſeipſum propriâ ſuâ voluntate excludit. Hinc ſententiæ illæ in Scripturis frequentiſſimæ: Sap. XI. 24: *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Et

cap. XII 1: *O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus! Ideòque eos qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones & alloqueris, ut, relictâ malitiâ, credant in te, Domine.* Ezech. XXXIII 11: *Vivo ego, dicit dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* 2 Petr. III. 9: *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Abſit enim ut hæc & ſimilia à Spiritu veritatis fallaciter dicta eſſe ſuſpicemur. Hinc iſtud effatum SS. Patrum, *Deum eſſe de ſuo bonum, de noſtro juſtum.*

Obſervandum eſt 2° Deum ſummè bonum ſemper paratum eſſe gratiæ ſuæ munera hominibus tribuere, ſi ea ſincerè deſiderarent atque ab ipſo poſcerent. Nemo quippe hominum eſt, quantùmvis perditus ac ſceleratus, quem, tanquam filium prodigum pater ad ſe redeuntem, Deus non exciperet donisque ſpiritualibus cumularet. Pium quidem illum ad Deum redeundi & orandi affectum, quo proprio ſuo vitio liberâque voluntate homines deſtituti ſunt, Deus non omnibus dat, ſed quibus vult. At nihilominus veriſſimum eſt Deum, pro immenſis miſericordiæ viſceribus, paratum eſſe omnes, ſi vellent, immo ſi dare paratum pravâ ſuâ voluntate non repellerent, gratiâ ſuâ adjuvare.

Obſervandum eſt 3°, quàmvis nulla ex parte hominis afferri cauſa poſſit, propter quam gratia illi detur, cauſam tamen, propter quam non detur, ſemper eſſe in ipſo homine, non in Deo. Privationum namque ac defectuum cauſa eſſe non poteſt, niſi deficiens. Prima verò ac ſumma cauſa, ſicut omnium quæ ſunt efficiens & finalis cauſa eſt, ita eorum quæ non ſunt nullomodò cauſa eſt, neque efficiens, ſiquidem non ſunt, neque deficiens, cùm ſummè ſit. Unde S. Thomas, 1 2. q. 112. art. 3. ad 2, definit „ defectûs gratiæ primam cauſam eſſe ex nobis, „ ſed collationis gratiæ primam cauſam eſſe ex Deo, ſecundùm illud „ Oſeæ XIII: *Perditio tua ex te, Iſraël: tantummodò ex me auxilium* „ *tuum.*"

Obſervandum eſt 4° hominem in ſtatu naturæ corruptæ, præter defectum omni creaturæ eſſentialem, quo ad nihilum, unde producta eſt, ex ſeipſâ vergit, multiplex impedimentum gratiæ opponere, imprimis ignorantiæ & concupiſcentiæ inordinationem. Cùm enim gratia ſit lumen veritatis in mente & inſpiratio ſanctæ dilectionis in voluntate, nihil illam magis excludit ac repellit, quàm duplex illa per peccatum contracta pravitas. „ Nolunt homines, ait S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*. cap 17. num. 26, „ facere quod juſtum eſt; „ ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat...... Ignorantia „ igitur & infirmitas vitia ſunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut „ autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, „ gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non ad„ juventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo."

Si

Si autem quæras quomodò verum ſit, non in Deo, ſed in ipſis hominibus cauſam eſſe ut gratiâ non adjuventur, reſponſio in promptu eſt. Nimirum Deus, tanquam motor univerſalis, movet unumquemque prout cujusque affectionibus congruit: v. g. avarum non movet ad actus liberalitatis, à quibus avarus abhorret, ſed ad actus affectui ipſius prædominanti accommodatos. Cum igitur Adæ poſteri per concupiſcentiam prædominantem à Dei juſtitiæque dilectione averſi ſint, totique ad ſeipſos resque creatas converſi, ordini communi divinæ providentiæ repugnat ut ad pietatis actus, quos averſantur, applicentur, contra vehementem in creaturas quas amant propenſionem. Exigunt ergo, quantum in ipſis eſt, ut Deus eos ad bonum, quod facere nolunt, non adjuvet, ſed peccata peccatis addere ſinat. Hoc cordis ipſorum corruptio unicè appetit, hoc toto animi ardore proſequuntur; ſicque manifeſtum eſt quod ait S. Auguſtinus, in ipſis, non in Deo, cauſam eſſe ut ad pietatis opera facienda gratiâ non adjuventur, quatenus quod Deus præcepit partim eos latet per ignorantiam, partim non delectat propter cupiditatem. Quando igitur Deus facit ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes, ſpecialis & gratuita miſericordia eſt, extra & ſupra conſuetum providentiæ ordinem, hujusque à malo in bonum converſionis cauſa, non in voluntate humana, ut pote prius nolente ac repugnante, ſed in ſolo Deo altius miſerente quærenda eſt.

Aliam rationem, ſi tamen diverſa eſt, affert S. Thomas in 1. diſt. 40. q. 4 art. 2; nempe quòd homo mereatur privari eo bono quod non vult, juſtumque ſit ipſius averſionem hujusmodi privatione puniri. „ Hominem, inquit, carere gratiâ ex duobus contingit; tum quia iſte „ non vult accipere, tum quia Deus non ſibi infundit, vel non vult „ ſibi infundere. Horum autem duorum talis eſt ordo, ut ſecundum „ non ſit niſi ex ſuppoſitione primi. Cum enim Deus non velit niſi bo„ num, non vult Deus iſtum carere gratiâ, niſi ſecundum quod bonum „ eſt. Sed quod iſte careat gratiâ, non eſt bonum ſimpliciter: unde „ hoc abſolute conſideratum non eſt volitum à Deo. Eſt tamen bonum „ ut careat gratiâ, ſi eam habere non vult, & ad eam habendam ne„ gligenter ſe præparet, quia juſtum eſt; & hoc modo eſt volitum à „ Deo. Ex quo patet quòd hujus defectûs abſolutè cauſa prima eſt ex „ parte hominis qui gratiâ caret; ſed ex parte Dei non eſt cauſa hujus „ defectûs, niſi ex ſuppoſitione illius quod eſt cauſa ex parte hominis" Quamvis enim ſermo ibi ſit præſertim de gratia habituali, evidens eſt rationem ab Angelico Doctore allatam non minus validam eſſe reſpectu gratiæ actualis.

Inde ſequitur, ſi congruè & accuratè loqui velimus, dici non debere gratiam aliquibus denegari, ſed dicendum eſſe ſimpliciter gratiam non dari. Id enim propriè denegatur, quod cupienti ac poſtulanti non datur. Deus autem neminem accedere volentem aut poſtulantem repellit;

 ſed,

ſed, quidquid ad ſalutem pertinens non dat, contemnenti, recuſanti, nolenti non dat.

Obſervandum eſt 5° homines ſibi ſolis imputare debere quòd peccant, & quòd ad Deum non convertuntur; non autem abſentiæ gratiæ. Non enim ullâ neceſſitate, ſed ſuâ propriâ & liberâ voluntate ad peccandum ſeſe determinant. Ideò peccant, quia volunt. Ideò non convertuntur, quia nolunt. Ideò gratiâ non adjuvantur, quia ſuâ ſponte illam repellunt, impedimentumque ei opponunt. Nam reipſâ non peccarent, ſi nollent; converterentur, ſi vellent; gratiâ adjuvarentur, ſi obicem non ponerent. Meritò itaque concludit Alvarez „ hanc cauſalem eſſe falſam: „ *Quia homo non adjuvatur à Deo, ideò non convertitur*: hanc autem „ veram: *Homo ideò à Deo non convertitur, quia non vult converti, ſed* „ *in peccato perſiſtere.*"

Obſervandum eſt 6°, etſi omnibus hominibus non detur gratia interior, ad rectè agendum & ad removenda pravæ voluntatis impedimenta neceſſaria, nemini tamen deeſſe plurimas gratias exteriores, quæ ſolâ cordis duritiâ inutiles redduntur: quæ proinde, ſi ad corrigendam voluntatem non ſufficiunt, ſufficiunt tamen ut peccatores ſint inexcuſabiles. Invitantur omnes fideles exemplis & morte Chriſti, extremi judicii denuntiatione, gehennæ comminationibus, æternæ gloriæ pollicitationibus, Scripturarum admonitionibus & correptionibus, juſtorum, quibuscum vivunt, converſatione, Evangelicorum concionatorum adhortationibus. Ipſi quoque infideles ac barbari invitantur tum lege ipſâ naturali, quâ bonum & malum, juſtum & injuſtum diſcernere queunt; tum internis, quibus identidem punguntur, conſcientiæ aculeis; tum multimodis beneficiis, quibus jugiter afficiuntur, calamitatibus quibus plectuntur; tum ſtupendâ hujus univerſi ſtructurâ, pulchritudine, varietate, adminiſtratione, quibus omnibus enarratur gloria Dei; ita ut ſint inexcuſabiles, quia, cùm cognoſcant Deum, aut ſaltem ex iis, quæ ab illo facta conſpiciunt, cognoſcere facilè poſſint, non ſicut Deum glorificant, ideòque non glorificant, quia nolunt, quia totum affectum ſuum rebus inanibus ac tranſitoriis mancipare amant. „ Omnium ergo homi- „ num cura eſt Deo, ait S. Proſper in Reſpons. ad 8 objectionem calumnantium Gallorum, „ & nemo eſt quem non Evangelica prædicatio, „ aut legis teſtificatio, aut etiam natura ipſa conveniat." Denique cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ut præclarè dicit S. Auguſtinus, lib. 10 Confeſſ. cap. 6, „ undique mihi dicunt (Domine) ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles." Non proſunt iſta quidem ſine gratia interiore, ſed ſolâ hominis propriâ ſuâ voluntate obſurdeſcentis culpâ non proſunt. Quamobrem S. Doctor addit: „ Altiùs tamen tu miſereberis cui miſertus fueris, & miſericordiam „ præſtabis cui miſericors fueris: alioquin cœlum & terra ſurdis loquentur laudes tuas."

Ob-

Obſervandum eſt 7° veritatibus modò expoſitis abuſos olim fuiſſe Semipelagianos, ut contenderent bonæ voluntatis initium ab homine, profectum verò à Deo eſſe. Ex eo namque, quòd Deus paratum ſe declaret ad auxilium gratiæ omnibus petentibus, quærentibus & pulſantibus largiendum, concludebant præcedere debere ex parte ipſius hominis pia deſideria, fiduciam in medicum, recurſum ad Deum, ut gratiæ largitio non irrationabilis videatur, nullaque ſit apud Deum acceptio perſonarum. Hunc errorem univerſa damnavit Eccleſia, definivitque initium ipſum bonæ voluntatis non eſſe in nobis ſine præveniente ac ſpeciali gratiæ auxilio.

Obſervandum eſt 8° SS. Patres, qui Pelagianam hæreſim præceſſerunt, quàmvis ab illo errore alienos, & quoad ipſam doctrinæ ſubſtantiam S. Auguſtino aliiſque gratiæ defenſoribus conſentientes, minus tamen cautè & accuratè interdum locutos fuiſſe: quod etiam circa alia fidei dogmata plurimis Eccleſiæ Doctoribus contigit, qui ante ortas damnataſque hæreſes ſcripſerunt. Quis verò non intelligat, in iſta loquendi potiùs quàm ſentiendi varietate, illis potiſſimum Patribus adhærendum eſſe, quorum luculentiſſimis ſcriptis Pelagiana ac Semipelagiana pernicies devicta eſt, & ad quos Eccleſia de myſterio gratiæ erudiendos filios ſuos ſemper remiſit? Verbi gratiâ, nonnulli Patres dixerunt Deum, quantùm in ipſo eſt, paratum eſſe omnes illuminare & convertere, ſi id ipſi velint. Verum quidem hoc, ſi rectè intelligatur, ut illi procul dubio intellexerunt, id eſt, ſi ſic intelligatur, ut ſolius hominis culpa ſit quòd non illuminetur, nec convertatur. Sed quia hæc verba, *quantum in ipſo eſt*, & *ſi velint*, innuere videntur vel Deum non poſſe homines convertere, niſi ex ſeipſis id velint, vel ſaltem Deum expectare, non verò operari ipſorum voluntatem, ideò apud SS. Doctores, qui de gratia ex profeſſo tractârunt, nunquam illa reperies.

Obſervandum eſt 9° pleriſque textibus qui nobis objiciuntur, ſi ad vivum premantur, multo plus probari, quàm volunt ii à quibus proferuntur. Probarent ſiquidem gratiam non prævenire voluntatem & conatum hominis, ſed ea ſubſequi; quod ab Eccleſia jamdudùm damnatum eſt. Probarent etiam gratiam, non tantum urgente præcepto, ſed etiam quovis loco, tempore, horâ & momento nobis adeſſe; quod nec adverſarii concedunt. Probarent denique æqualem gratiam interiorem omnibus dari; quod nemo admittet.

His in anteceſſum obſervatis, reſpondeo citatos auctores non uno eodemque modo intelligendos eſſe.

Plurimi nihil aliud volunt, niſi Deum, qui ſol eſt juſtitiæ, omnibus præſentem eſſe, omneſque illuminari volentes illuminare; fontem vitæ omnibus patere, de illo bibere volentibus: ita ut, quicunque in tenebris manent atque fonte illo ſalutari non potantur, propriâ ſuâ culpâ liberaque voluntate pereant. Hic ſenſus eſt pſeudo-Dionyſii, Arnobii,

bii, S. Hilarii, S. Ambroſii, S. Gregorii Nyſſeni, S. Ephrem, S. Baſilii, S. Chryſoſtomi in 2° textu, & S. Cyrilli Alexandrini. Non enim dicunt gratiam interiorem omnibus dari, ſed omnibus proponi atque offerri, qui eam recipere voluerint: quod profectò verum eſt, modò ſubaudiatur quod fides docet, pium illum voluntatis motum, quo gratia deſideratur, præparari à Domino, atque in aliis quidem ex ſpeciali miſericordia præparari, in aliis juſto & inſcrutabili judicio non præparari, ut loquitur S. Auguſtinus. Inde autem merito concludunt peccantes ſibi ſolis, non Deo, imputare debere, ſive quòd peccant, ſive quòd auxilio gratiæ privantur. Nihil horum eſt quod, rectè & catholicè intellectum, non agnoſcamus, nec quidquam aliud, quisquis bona fide agere voluerit, ex ipſorum teſtimoniis extundere poterit. Concilianda ergo illa ſunt (nec difficilis eſt labor) cum doctrina quam S. Auguſtinus, à SS. Pontificibus & Conciliis hac præſertim in materia commendatus, adverſus inimicos gratiæ aſſeruit, non verò illius doctrinæ defenſoribus objicienda.

Multi alii de gratiis exterioribus loquuntur, quæ omnibus plus minùsve adhibentur, & quibus invitantur ad pœnitentiam. Clemens Alexandrinus & Gregorius Nyſſenus manifeſtè loquuntur de externa Evangelii prædicatione omnibus propoſita, & ad omnes gentes ac linguas ferri juſſa, quanquam nondum ad omnes etiamnum pervenerit. De ſolâ vocatione exteriori quoque exponi poteſt Arnobius. Conſtat enim eos, qui interiùs per gratiam vocantur, non æqualiter vocari, ſolamque prædicationem, quæ forinſecus adhibetur, æqualem aliquo ſenſu dici poſſe reſpectu omnium audientium. S. Baſilius inimicos diligendi facultatem, quam Chriſtum, ſimul cum illo præcepto, largitum eſſe dicit, partim in ipſius Chriſti exemplo, partim in præmiis huic dilectioni repromiſſis, partim in natura ipſa, quâ nobis ſimiles diligere admonemur, collocat, ut patet ex antecedentibus & conſequentibus: de gratia verò interiore, quæ ad diligendum inimicos omnibus detur, ne verbum quidem habet. S. Hieronymi ſenſus eſt vel gratiam ad ſingula opera bona nobis dari (nam de bonis duntaxat operibus ibi loqui videtur), vel gratiam ad ſingulos actus neceſſariam non eis negari, qui eam ut oportet poſtulant. Neuter ſenſus nobis adverſatur, nec favet adverſariis. Prorſus duplex diſtinguit gratiæ adjutorium: unum omnibus commune, quod nullo tempore, nullo momento, nullâ atomo ceſſat; alterum Eccleſiæ ſeu fidelibus proprium. Illud in beneficiis naturalibus à Deo conceſſis, in ſole quem oriri facit ſuper bonos & malos, in pluviis quibus ſubvenit ſuper juſtos & injuſtos, in telluris fecunditate, & ſimilibus, in quibus divinâ ope inceſſanter indigemus, atque ad ipſum confugere ſemper debemus. Gratia verò interior, quæ propriè gratia eſt, ſoli, juxta ipſum, Eccleſiæ datur. Quid inde commodè reportare poſſunt gratiarum ſufficientium largiſſimi diſtributores? Denique S. Bernardus

dus in eodem ipſo exponit loco quænam ſit illa vox *omnes ad pœnitentiam provocans*, dicitque nihil aliud illam eſſe, quàm admiſſorum peccatorum recordationem & conſcientiæ clamorem: quæ inter naturalia dona computari quis neſcit? Igitur ex horum Patrum dictis ſequitur quidem multiplicia beneficia omnibus hominibus à Deo præſtari, quibus culpâ ſuâ abutuntur, quod ultro admittimus: at gratiam Chriſti, gratiam novi teſtamenti, gratiam ſine qua quælibet alia dona, ſive exteriora, ſive naturalia, non proſunt ad ſalutem, omnibus hominibus, quoties peccant, ſemper adeſſe, quo tandem pacto inde elicias? Mens S. Cypriani nequaquam eſt gratiam ſingulis hominibus dari, ſed nullam ætatem à gratiæ largitate excludi. Refellit quippe ea in Epiſtola opinionem Fidi, exiſtimantis infantes ante octavum à nativitate diem baptizari non oportere; eum, inquam, refellit ex eo quòd nulla ætas, nullumque genus hominum divinam gratiam recipiendi incapax ſit. Quid iſtud ad præſentem controverſiam?

Denique Ennodium Ticinenſem, quem inter Patres recenſet Languetius, parum curamus, ut pote qui in ea ipſa, quæ objicitur, Epiſtola Semipelagianum ſe demonſtret, ut obſervavit Dupin, Bibliothecæ Eccleſiaſticæ ſæculo 6. Relatis quippe nonnullis ipſius Epiſtolæ verbis: „ En, ait, „ ſenſus Ennodii de gratia, qui multùm accedunt ad ſenſus Fauſti „ ac Presbyterorum Maſſilienſium, & cum S. Auguſtini & ejus diſcipu„ lorum doctrina non conſentiunt."

Objiciunt 3° ſanctum Auguſtinum nobis adverſari. Nam, inquiunt, 1° docet gratiam adeſſe omnibus hominibus; lib. quippe 3 *de Libero arbitrio*, cap. 19. num. 53. „ Rectè, inquit, fortaſſe quererentur, ſi „ erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò ubi„ que ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervien„ tem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, dili„ gentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non „ tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis „ quærere quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non col„ ligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata „ ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt ſcire utiliter quæri quod inu„ tiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut „ quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat cùm ſubvenit, „ nec laborat." Hæc verba, inquiunt, nusquam improbavit S. Doctor; imò rurſus commemoravit lib. *de Natura & gratia*, cap. 57. num. 81.

Tournely, tom. 2. tract. de grat. pag. 582 & ſeq. Epiſc. Sueſſion. Ep. Paſtorali, part. 1. §. 139 & 146.

2°. Docet Chriſtum, qui lux eſt hominis interior, ſemper nobis præſentem eſſe. „ Illud lumen, inquit, lib. 1 *de Geneſi contra Manichæos*, cap. 3. num. 6, „ non irrationabilium avium oculos paſcit, ſed pura „ corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & tem„ poralium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt: quod omnes ho„ mi-

Digitized by Google

„ mines poſſunt ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat „ venientem in hunc mundum.“ Et Tract. 1 in Joannem, num. 19: „ Fortè, ait, ſtulta corda adhuc capere iſtam lucem non poſſunt, quia „ peccatis ſuis aggravantur, ut eam videre non poſſint. Non ideò co„ gitent quaſi abſentem eſſe lucem, quia eam videre non poſſunt. Ipſi „ enim propter peccata ſua tenebræ ſunt; *& lux in tenebris lucet, &* „ *tenebræ eam non comprehenderunt.* Ergo, fratres, quomodò homo „ poſitus in ſole cæcus, præſens eſt illi ſol, ſed ipſe ſoli abſens eſt; „ ſic omnis ſtultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus eſt corde. „ Præſens eſt ſapientia, &, cùm cæco præſens eſt, oculis ejus abſens eſt. „ Quid ergo faciat iſte? Mundet cor, unde poſſit videri Deus.

3°. Docet neminem hac in vita ita excæcatum eſſe, ut ſupernæ lucis particeps non ſit. „ Ea eſt cæcitas mentis, inquit in pſalm. 6. num. 8; „ in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur, ſed „ nondum penitus cum in hac vita eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, „ quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra „ Deum ſit quisquis, dum tempus eſt, corrigi noluerit: penitus autem „ eſſe extra Deum, quid eſt niſi eſſe in ſumma cæcitate?“ Et in pſalm. 18. num. 7, explicans hæc verba: *Et non eſt qui abſcondat ſe à calore ejus*, ſic loquitur: „ Cum autem Verbum etiam caro factum eſt, & „ habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit „ ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis, & ipſam enim pene„ travit Verbi calor.“

Docet denique Deum nihil imperare, quin ſimul præbeat gratiæ auxilium. Enarrat. in pſalm. 56. num. 1: „ Neque, ait, imperaret hoc „ Deus ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret ut hoc ab homine fieret. „ Sed conſiderans infirmitatem tuam deficis ſub præcepto. Confortare „ in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum eſt. Adeſt ille qui „ præbuit exemplum, ut præbeat auxilium.“

Idem etiam docet S. Leo, Serm. 16 *de Paſſione Domini*, cap. 6, his verbis: „ Juſtè nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio, & benig„ nè incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam.“

Reſpondeo contra expreſſiſſima S. Auguſtini teſtimonia, quæ ſupra protulimus, in quibus, de gratia ex profeſſo tractans, tanquam certum & indubitatum aſſeruit gratiam non omnibus hominibus dari, nullius roboris eſſe poſſe quæ ex aliis libris aut ex ſermonibus ad populum habitis objiciuntur. Quamobrem

Ad 1um dico, libros de libero arbitrio à S. Doctore ſcriptos fuiſſe ante ipſius Epiſcopatum, dum adhuc verſaretur in errore Semipelagianorum, putaretque bonæ voluntatis ac fidei initium eſſe à nobis. Quid ergo concludi ex illis poteſt? Nec dicas textum mox relatum à S. Doctore retractatum non fuiſſe. Nam ſatis eſt eum vel ſemel apertè declaraſſe, ſe, antequàm Epiſcopus fieret, illo errore præoccupatum fuiſſe, ut iis

Digitized by Google

iis quæ tunc ſcripſit non deſeramus, niſi quantùm à poſterioribus ipſius ſcriptis non diſſentiunt. Hunc quidem textum in libro *de Natura & gratia* recitat, nec reprehendit; non tamen confirmat, ſed commemorat tantummodò, ut Pelagio, qui hæreſim ſuam illis de Libero arbitrio libris fulcire nitebatur, oſtenderet ſe vel tunc aliam gratiam, præter naturam, admiſiſſe. „ Ita exhortatus ſum, inquit, quantùm potui, ad „ rectè vivendum, & gratiam Dei non evacuavi, ſine qua natura hu- „ mana jam contenebrata atque vitiata illuminari non poteſt & ſanari: „ de qua re cum iſtis (Pelagianis) tota vertitur quæſtio, ne gratiam Dei, „ quæ eſt in Jeſu Chriſto Domino noſtro, perverſâ naturæ defenſione „ fruſtremus.“ Enimverò cùm Pelagius contenderet naturam hominis ſanam eſſe, & gratiâ medicinali neque ad credendum, neque ad benè agendum indigere, optimè refelli potuit illo textu, in quo & naturæ infirmitas, & gratiæ ſanantis neceſſitas ſatis apertè declarantur.

Ad 2um, è libro 1 de Geneſi contra Manichæos, dico veriſſimum eſſe omnes homines ad præcepta implenda ſeſe convertere poſſe, ſi velint; „ ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere cari- „ tatis ut poſſint; quod hic ideò dictum non eſt, quoniam præſenti non „ erat neceſſarium quæſtioni,“ ut ait ipſemet S. Doctor hæc verba recenſens, lib. 1 Retractat. cap. 9. num. 2. Porro manifeſtum eſt non in omnibus præparari voluntatem à Domino, nec ita augeri munere caritatis, ut poſſint implere mandata; ſiquidem non omnes volunt, nec omnes habent caritatis munus: quantò minùs ipſius augmentum?

Quod additur è Tract. 1 in Joannem, nedum probet gratiam omnibus hominibus dari, contrarium potiùs demonſtrat. Quàmvis enim lux vera ubique præſens adſit, nec ipſius defectu vel abſentiâ, ſed ſolâ noſtrâ culpâ non videatur à nobis, docet tamen S. Doctor multos eſſe qui capere & videre iſtam lucem non poſſunt. An, quæſo, ſufficienter adjuvantur ad videndum, qui, præ oculorum cæcitate, juſtitiæ lumen, tametſi ubique præſens, nec capere, nec videre poſſunt? Hinc quidem confirmatur quod ſupra diximus, ſoli homini imputandum quòd in tenebris & peccatis maneat. Sed quid prodeſt cæco præſentem habere ſolem, ſi deſit unde videat? Quid menti excæcatæ prodeſt ſupernam lucem ubique coruſcare, ſi careat oculis quibus videat? „ Ecce hic eſt & modò, „ & hic erat, & ſemper hic eſt, inquit S. Doctor, tract. ſeq. num. „ 8, & nunquam recedit, nusquam recedit. Opus eſt ut habeas un- „ de videas quod tibi nunquam recedit.“ Hos verò illuminatos cordis oculos, cœleſtis luminis videndi capaces, non omnes habere, & S. Auguſtinus ſupponit, & experientia ipſa demonſtrat.

Ad 3um, deſumptum ex Enarrat. in pſalm. 6, dico mentem S. Auguſtini non eſſe neminem hac in vita ſic excæcari, ut non habeat, quoties peccat, auxilium gratiæ ſufficiens ad non peccandum; ſed nullius hac in vita cæcitatem penitus inſanabilem eſſe, quoniam, quandiu pec-

cator quilibet adhuc eſt in via, ſemper ſperari poteſt ex Dei miſericordia illius converſio; cùm è contrario damnati penitus extra Deum ſint, omni correctionis ſpe in æternum deſtituti.

Calor Verbi, quem in umbram mortis penetraſſe dicit idem S. Doctor, in pſalm. 18, nihil aliud eſt quàm Evangelica prædicatio, quam paulò ante dixerat enarrare ubique gloriam Dei, Apoſtolis & Evangeliſtis applicando quod in eodem pſalmo dicitur: *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Hinc non dicit calorem illum ſemper penetraſſe infideles, ſed tantùm ex quo Verbum caro factum eſt, & quibus ejus incarnatio annuntiatur. Porro prædicatio exterior, etſi ad convertendos homines ſine interioris gratiæ auxilio non ſufficit, ſufficit tamen ut nullus mortalium, ad quos illa pervenit, excuſare ſe poſſit de umbra mortis, hoc eſt, de ſua infidelitate.

Ad 4um fidenter affirmo nullum ex S. Auguſtino locum proferri poſſe, in quo docuerit Deum nihil homini præcipere, quin ſimul cum præcepto præbeat gratiam ad illud implendum ſufficientem. Ait quidem in textu allato, & alibi paſſim, nullum eſſe præceptum quod per auxilium Dei impleri non poſſit, illudque auxilium piè & humiliter poſcentibus nunquam denegari; ſed gratiæ adjutorium omnibus vel ad præceptum implendum, vel ad gratiam potentiorem poſtulandam reipſâ dari, neque hîc, neque alicubi docet. Unde Facultas Duacena, in Cenſura ſua contra Leſſium & Hamelium, art. 3, obſervat „ præcepta & „ exhortationes non convincere jam omnibus datum eſſe, jamque ab „ omnibus haberi tale auxilium, ſed remittere ad illum qui dare poteſt, „ ut ab eo petant quod nondum acceperunt:“ alioquin orationem ipſam inutilem futuram, ut pote quâ id poſtularetur quod jam haberetur.

S. Leonis Auguſtini doctrinæ addictiſſimi non alia mens fuit. Reverâ Deus meritò videri poſſet injuſtus, ſi, magna præcipiendo, nullum, quo implerentur, auxilium præparaſſet, hominibusque ſe adjuvari humiliter poſtulantibus non auxiliaretur: hocque ſenſu Pontifex ait „ juſtè in- „ ſtare præcepto, qui præcurrit auxilio.“ At quænam, quæſo, injuſtitia eſt, ſi ſuperbis ac nolentibus auxilium gratiæ, quod, quantùm in ipſis eſt, repellunt, non tribuatur? Et verò eodem modo S. Leo aſſerit Deum præcurrere auxilio, quo addit Deum ducere ad gloriam. Atqui non omnes Deus ducit ad gloriam. Ergo nec omnes auxilio gratiæ adjuvat. Denique, quando SS. Patres dicunt Deum, qui præcepta dedit, gratiæ auxilium ad ea implenda ſubminiſtrare, auxilium efficax intelligunt, quod orando petimus, & ſine quo præcepta nunquam implentur: quaſi dicerent deſpondendum non eſſe animo propter infirmitatem noſtram, quia Deus dat quod jubet. Atqui certum eſt gratiam efficacem non omnibus hominibus dari.. Ergo ex hujusmodi textibus nihil adverſùs Propoſitionem noſtram concludi poteſt. Quòd verò SS. Doctores loquantur de gratia efficaci, quæ non omnibus datur, mani-

feſtum

feſtum eſt ex S. Auguſtino, lib. 4 *Operis imperfecti*, cap. 129, ubi ſic loquitur: „ Proinde hominibus naturâ filiis iræ propterea dantur „ præcepta vivendi, quia datur & gratia, ut, qui jubet, juvet, ac „ ſic mala, non ſolùm quæ voluntate ſunt addita, verùm etiam quæ „ ſunt congenerata, vincantur. Quod enim hominibus impoſſibile eſt, „ Deo facile eſt.“ Inde forſitan concludent adverſarii gratiam ſufficientem omnibus ſimul cum præceptis dari: ſed audiant S. Doctorem mentem ſuam exponentem, hancque concluſionem repellentem verbis immediatè conſequentibus: „ Quibus autem, ait, non datur gratia, „ propter quam dictum eſt: *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes* „ *quod non accepiſti?* prævaricatores fiunt accedente lege, non juſti.“ Non ergo omnibus datur gratia cùm præceptum datur, eoque diſcernuntur à prævaricatoribus juſti, quòd gratia his detur, illis non detur.

Objiciunt 4° auctorem librorum *de Vocatione gentium* gratiam generalem latè aſſeruiſſe toto ferè libro 2. Sic loquitur cap. 5: „ Quæ „ (gratia), etſi parcior ante atque occultior fuit, nullis tamen ſæculis „ ſe negavit, virtute unâ, quantitate diverſâ, conſilio incommutabili, „ opere multiformi.“ Et cap. 13, cùm ea retuliſſet quæ dixit Dominus ad Caïn, ut eum ab odio in fratrem averteret: „ Cum, inquit, „ talia ad Caïn loqueretur Deus, numquid ambiguum eſt voluiſ- „ ſe eum, & (quantùm ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe, „ ut Caïn ab illo impietatis furore reſipiſceret?“ Et cap. 15: „ Adhi- „ bita ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doc- „ trinæ, quæ etſi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, ſufficit tamen, „ ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſti- „ monium.“ Et cap. 29: „ Univerſitati hominum (quod abundè pro- „ bavimus) ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſem- „ per & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de ab- „ negato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſti- „ tia gloriari; cùm & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & „ iſtos Dei gratia perducat ad gloriam.“

Reſpondeo gratiæ nomen latius ſumi ab hoc auctore pro quovis beneficio hominibus gratis à Deo collato, in ordine ad ſalutem; quo ſenſu gratiam neminem præterire veriſſimum eſt. Sed, ut ejus mens, quæ non minus accurata quàm profunda eſt, plenius intelligatur, ad certa capita illam revocare opus eſt.

1°. Gratiam Chriſti interiorem ac propriè dictam non omnibus tribui affirmat, probatque, lib. 1. cap. 12, ex precibus quas Eccleſia fundit pro infidelibus, pro hæreticis & pro ſchiſmaticis, ut fides, agnitio veritatis, & unitatis amor eis tribuatur.

2°. Ait ad inſerutabilia Dei judicia pertinere, quòd gratia Chriſti (quæ propriè gratia eſt, & ſine qua nemo ad Deum converti poteſt)

 alliis

Digitized by Google

aliis detur, aliis non detur. „ Quòd ſi aliquos, inquit cap. 13, ſicut „ videmus accidere, ſalvantis gratia prætericrit, & pro eis oratio Ecclesiæ accepta non fuerit, ad occulta divinæ juſtitiæ judicia referendum, & agnoſcendum ſecreti hujus profunditatem nobis in hac vita „ patere non poſſe...... Nec ſapientiores aut ſcientiores B. Apoſtolo „ ſumus, qui, cùm de gratiæ potentia diſputaret, magnorum myſteriorum ingreſſus arcanum, iis, quæ impoſſibile erat enarrare, ſuccubuit...... Totam expoſitionis rationem tranſtulit in ſtuporem, & „ admirator eorum quæ protulerat, exclamavit & dixit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia „ ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini &c?*"

3°. Dicit profundiſſimam illam quæſtionem per liberi arbitrii velle & nolle non ſolvi. „ Profunditas illius quæſtionis, ait cap. 25, cur huic „ potiùs quàm illi donetur gratia, quam, ſecundùm admirationem „ Apoſtoli, impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non ſolvitur...... Quantùmlibet enim impiorum malignitas accuſetur reſiſtens gratiæ Dei, numquid probabuntur eam, quibus eſt „ collata, meruiſſe? Aut illa virtus gratiæ, quæ ſibi, quos voluit, „ ſubdidit, convertere eos, qui inconvertibiles permanſere, non potuit? Tales fuerunt qui ſunt attracti, quales hi qui in ſua duritia „ ſunt relicti; ſed illis tribuit gratia ſtupenda quod voluit, iſtis retribuit veritas juſta quod debuit: ut judicium Dei magis inſcrutabile „ ſit in electione gratiæ, quàm in retributione juſtitiæ." Adverte, quæſo, Lector, quantùm interſit adverſarios inter & iſtum auctorem. Adverſarii concipere nequeunt gratiam non univerſis dari, quàmvis univerſi eâ indigni ſint; hic autem miratur potiùs eam aliquibus pariter immeritis dari.

4°. Addit non omnem tamen gratiam infidelibus defuiſſe, eoquòd gratia Chriſti illis defuerit: tantam namque eſſe bonitatem Dei, ut eos etiam, ad quos Evangelii notitia non pervenit, innumeris beneficiis cumulaverit, quibus quòd malè uſi fuerint, ſibi ſolis imputare debent.

5°. Si verò quæras quænam ſint gratiæ illæ generales: reſpondet eas imprimis eſſe hanc aſpectabilem rerum univerſitatem, quæ tota, quanta eſt, enarrat gloriam Dei, & ad eum colendum quaſi manu ducit; omnia tum corporis, tum animæ gratis conceſſa beneficia, pluvias temporaneas, terræ fertilitatem, fructuum copiam, & alia id genus. Lib. 1, cap. 5, ait univerſitatem hominum convinci „ propheticas voces & „ præcepta legalia in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe. „ Unde & inexcuſabiles, inquit, facti ſunt, quia Deos ſibi Dei dona „ fecerunt, &, quæ creata erant ad utendum, venerati ſunt ad colendum." Et lib. 2, cap. 4: „ Quàmvis ſpeciali curâ atque indulgentiâ Dei populum Iſraëliticum conſtet electum, omneſque aliæ nationes vias ſuas ingredi, hoc eſt, ſecundum propriam vivere permiſſæ „ ſunt

„ ſunt voluntatem, non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis „ hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum „ nullis ſignificationibus admoneret." Quæ autem fuerint illæ admonitiones audiamus. „ Cœlum quippe ac terra & mare, omniſque creatura quæ videri & intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis utilitatem, ut natura rationalis, de contemplatione tot „ ſpecierum,..... ad cultum & dilectionem ſui imbueretur auctoris." Deinde laudat iſta Apoſtoli verba, Act. XIV: *Non ſine teſtimonio ſemetipſum* (Deus) *reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda noſtra*, ſtatimque addit: „ Quod „ eſt autem hoc teſtimonium, quod ſemper Domino deſervivit, & nunquam de ejus bonitate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis „ pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata „ largitio; per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur?..... Quod „ ergo in Iſraël per conſtitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur, hoc in univerſis nationibus totius creaturæ teſtimonia & bonitatis Dei miracula ſemper egerunt." Rurſus, cap. 9, cùm dixiſſet diverſis temporibus diverſas quoque fuiſſe menſuras donorum, addit Deum „ aliter juviſſe eos, quos ad cognoſcendum ſe cœli & terræ „ teſtimoniis conveniebat; aliter illos quibus non ſolum elementorum „ famulatu, ſed etiam doctrinâ legis, Prophetarum oraculis, miraculorum ſignis, & Angelorum cooperationibus conſulebat; & multò magis „ aliter miſericordiam ſuam univerſis hominibus declaraſſe, quando Filius Dei factus eſt filius hominis." Ex quibus omnibus patet hunc auctorem gratiæ nomine, quam omnibus collatam eſſe dicit, nihil aliud quàm externa naturæ beneficia intellexiſſe.

Iisdem ferè verbis loquitur S. Leo, tum. Serm. 7 de Jejunio decimi menſis, cap. 11, ubi ait „ per ipſa elementa mundi, tanquam per publicas tabulas, ſignificationem divinæ voluntatis nos accepiſſe, nec unquam ceſſare ſupernam admonitionem, quando, etiam de his quæ nobis „ famulantur, imbuimur;" tum Serm. 6 de Quadrageſ. cap. 1. „ Semper, ait, miſericordiâ Domini plena eſt terra: unicuique fidelium ad „ colendum Deum ipſa rerum natura doctrina eſt, dum cœlum & terra, mare & omnia quæ in eis ſunt, bonitatem & omnipotentiam ſui „ proteſtantur auctoris, & famulantium elementorum mirabilis pulchritudo juſtam ab intellectuali natura gratiarum exigit actionem." Tanta hæc ſententiarum atque etiam ſtyli ſimilitudo multis eruditis non immeritò perſuaſit, magno illi Pontifici adjudicandum eſſe præclarum illud opus *de Vocatione gentium*.

Nec ſanè mirabitur à tanto Pontifice bonorum naturalium teſtimonium tantopere commendatum fuiſſe, quiſquis adverterit ea ex ſeipſis maximum eſſe

eſſe divinæ bonitatis argumentum, ab ipſomet Chriſto propoſitum ut nos ad inimicorum dilectionem potenter accenderet. „ *Ego autem dico vobis*, inquit, Matth. V. 44 & 45, *diligite inimicos veſtros: benefacite illis qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

6°. Quantumcunque illa generalis gratia ab illo auctore prædicetur, docet tamen eam nemini prodeſſe poſſe ad ſalutem ſine ſpeciali & interiori gratia, quæ non itidem univerſis datur. Nam lib. 2. cap. 17, de illis populis loquens, quibus nondum prædicatum eſt Evangelium: „ Eis tamen, inquit, illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper om-„ nibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur: quàmvis tam „ acerbo natura humana vulnere fauciata ſit, ut ad cognitionem Dei „ neminem contemplatio ſpontanea plenè valeat erudire, niſi obumbra-„ tionem cordis vera lux diſcuſſerit; quam inſcrutabili judicio Deus bo-„ nus & juſtus non ita in præteritis ſæculis, quemadmodùm in noviſſi-„ mis diebus, effudit.“ Quamobrem ſuperiùs dixerat, cap. 4, menſuram illam generalem auxilii, non ſecus ac legem Moſaïcam, gratiâ Chriſti deſtitutam, litteram fuiſſe occidentem.

Quando igitur dicit illam *ſuffeciſſe aliquibus in remedium*, eos tantùm intelligit, in quibus gratiæ Chriſti adjutorium adjunctum habuit: alioquin, ſi per ſeipſam ſuffeciſſet, non aliquibus duntaxat, ſed omnibus, quibus data eſt, ſuffeciſſet, etſi non omnibus profuiſſet. Suffecit autem non ſimpliciter, ſed tantùm in genere gratiæ exterioris, ut idem ipſe auctor declarat, cùm dicit Deum, exteriùs loquendo ad Caïn, egiſſe, *quantùm ad illum medendi modum ſufficiebat*, ut à ſuo furore reſipiſceret. Nam de fide eſt allocutionem quamlibet externam, tametſi miraculoſa ſit, non ſufficere ad corrigendum cor. Unde S. Gregorius magnus, lib. 11 *Moralium*, cap. 5: „ Caïn, ait, & divinâ voce admoneri potuit, „ & mutari non potuit; quia, exigente culpâ malitiæ, jam intus Deus „ cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat.“

Ex his manifeſtum eſt auctorem librorum *de Vocatione gentium* ſolâ loquendi ratione à cæteris B. Auguſtini diſcipulis diſcrepare. S. Auguſtinus gratiam non appellat, niſi eam quæ interior eſt, ac prodeſt eis quibus datur; atque ideò gratiam omnibus dari negat. Auctor verò, de quo agimus, gratiam latiori ſenſu appellat quidquid gratis à Deo tribuitur in ordine ad ſalutem, etiamſi intra naturæ fines contineatur, eoque ſenſu gratiam multiplicem omnibus conferri dicit; eam interim, quæ verè ac propriè eſt gratia Chriſti, & quæ ſola ad juſtitiam perducit, ſolis fidelibus propriam eſſe definiens.

Episc. Sueſſion. Epiſt. 5 Paſtor. part. 2. §. 77, & 3 part. lect. 2. §. 48.

Objiciunt 5° S. Thomam ſic loqui, Comment. in 1 ad Corinthios, cap. 1. lect. 3: „ Fidelis eſt Deus: non autem videretur eſſe fidelis ſi „ nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis negaret, quantùm in ipſo „ eſt,

„ eſt, ea per quæ pervenire ad Deum poſſemus.“ Et in cap. 12 Epiſt. ad Hebr. lect. 3: „ Deus voluntate ſuâ liberaliſſimâ dat gratiam omni- „ præparanti ſe. Apocal. 3: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis „ aperuerit mihi, intrabo ad eum.* 1 Tim. II: *Qui vult omnes homines „ ſalvos fieri:* & ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantùm in ſe „ eſt, ſe communicat, ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis.“ Denique lib. 3 *contra Gentes*, cap. 159: „ Cum hoc ſit in poteſtate liberi ar- „ bitrii, impedire gratiæ receptionem, vel non impedire, non imme- „ ritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ recep- „ tioni. Deus enim, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam „ dare; *vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis „ venire*, ut dicitur 1 ad Timoth. II. Sed illi ſoli gratiâ privantur, „ qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut, ſole mundum „ illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc „ aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit niſi lumine ſolis „ præveniatur.“

Reſpondeo illis Doctoris Angelici textibus everti potiùs quàm adſtrui adverſariorum opinionem.

In primo quidem dicitur tantummodò Deus, quantùm in ipſo eſt, non negare auxilia gratiæ, quia reipſâ nemini illa ut oportet poſcenti denegantur: ſed ſicut non omnes petunt, ita nec omnibus dantur.

In duobus aliis non de actuali gratia agitur, ſed de habituali, quam de fide eſt nonniſi juſtis dari. Ait tamen S. Doctor eam nulli deeſſe, ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſeipſam communicare, quia videlicet voluntate Dei liberaliſſimâ datur omnibus qui ſe ad illam recipiendam præparant, & impedimentum non opponunt. Hoc quoque de fide eſt, & à nullo Catholico controvertitur. Quæſtio tantùm eſt, an omnibus hominibus detur auxilium actuale ſufficiens ad ſe præparandum ad gratiam habitualem, & ad removendum impedimentum. Porro S. Thomas in utroque loco diſertè docet hujuſmodi auxilium non omnibus dari. In Epiſtolam quidem ad Hebræos, immediatè poſt verba nobis objecta, hoc ſibi objicit: „ Si gratia non datur ex operibus, ſed tantùm ex hoc „ quòd aliquis non ponit obſtaculum, ergo habere gratiam dependet ex „ ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei; quod eſt error Pelagii.“ Sic autem reſpondet: „ Dicendum eſt quòd hoc ipſum, quòd aliquis „ non ponit obſtaculum, ex gratia procedit. Unde ſi aliquis ponat, „ & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt ex dono „ gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam...... Hoc autem donum „ gratiæ non eſt gratum faciens“ (hoc eſt, non eſt gratia ſanctificans & habitualis). „ Quòd ergo à quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, „ hoc eſt ex miſericordia Dei: quòd autem non removetur, hoc „ eſt ex juſtitia ejus.“ Non ergo datur omnibus auxilium ſufficiens ad removenda obſtacula gratiæ. Oppoſita Angelici Doctoris ratiocinatio

hoc in loco iſta eſt: Gratia habitualis nulli deeſt, quia nemini ſeſe ad illam præparanti negatur. Verùm ut homo ſe ad illam præparet, ſeu quod idem eſt, ut obſtaculum non ponat, opus eſt auxilio gratiæ prævenien-te: illud autem auxilium aliis ex miſericordia datur, aliis ex juſtitia non datur.

In lib. 3 *contra Gentes* agitur pariter de gratia habituali, eâque privari illi ſoli dicuntur, qui impedimentum ponunt. Sed adeſt-ne omnibus gratia actualis ad removendum illud impedimentum? Negat S. Thomas capitibus ſequentibus. Nam 1° docet juſtè imputari homini ad culpam quòd impedimentum gratiæ ponat: non ideò quòd ſemper habeat auxilium ſufficiens ad illud removendum (quod in opinione quam refellimus dicere debuiſſet), ſed quia defectus gratiæ pœna eſt præcedentis peccati. „Quàmvis autem, inquit cap. 160, illi qui in peccato „ſunt vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum „gratiæ præſtent vel ponant, niſi auxilio gratiæ præveniantur, nihilo-„minus tamen hoc imputatur eis ad culpam, quia hic defectus ex cul-„pa præcedente in eis relinquitur: ſicut ebrius ab homicidio non excu-„ſatur, quod per ebrietatem committit quam ſuâ culpâ incurrit." 2°. Addit homini imputandum eſſe quòd peccando impedimentum gratiæ ponat, quia, etſi non habet in ſua poteſtate ut omnino vitet peccatum, habet tamen poteſtatem vitandi hoc vel illud peccatum. „Un-„de, quodcunque committit, voluntariè committit, & ita non immeritò „ei imputatur ad culpam." 3°. Dicit, quando peccatores auxilio Dei præveniuntur, illud eſſe præter conſuetum providentiæ ordinem, quo unusquisque, prout affectus eſt, movetur à Deo; quemadmodum extra communem naturæ ordinem evenit cæcum illuminari aut mortuum reſuſcitari: ideòque non omnes auxilio divino præveniri ad ſeſe convertendum. „Licet autem, inquit cap. 16, ille qui peccat, impedimentum gra-„tiæ præſtet, &, in quantùm ordo rerum exigit, gratiam non deberet „recipere, tamen, quia Deus præter ordinem rebus inditum operari po-„teſt, ſicut cùm cæcum illuminat vel mortuum reſuſcitat, interdum, ex „abundantia bonitatis ſuæ, etiam eos, qui impedimentum gratiæ præs-„tant, auxilio ſuo prævenit, avertens eos à malo & convertens ad bo-„num. Et ſicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos „ſanat, ut in illis quos curat opus virtutis ejus appareat, & in aliis „ordo naturæ ſervetur; ita non omnes qui gratiam impediunt auxilio „ſuo prævenit, ut avertantur à malo & convertantur ad bonum, ſed „aliquos in quibus vult miſericordiam ſuam apparere, ita quòd in aliis „juſtitiæ ordo manifeſtetur....., Cum autem Deus hominum qui in „eiſdem peccatis detinentur hos quidem præveniens convertat, illos „autem ſuſtineat, ſive permittat ſecundùm ordinem rerum procedere, „non eſt ratio inquirenda quare hos convertat & non illos. Hoc enim „ex ſimplici ejus voluntate dependet, ſicut ex ſimplici ejus voluntate „pro-

„ proceſſit quòd, cùm omnia fierent ex nihilo, quædam facta ſunt aliis „ digniora, & ſicut ex ſimplici voluntate procedit artificis ut, ex eadem materia ſimiliter diſpoſita, quædam vaſa formet ad nobiles uſus, „ quædam ad ignobiles.“ Dicant nunc S. Thomam docuiſſe gratiam omnibus ſufficientem dari. Vide, ſi vacat, *Vindicias S. Thomæ circa gratiam ſufficientem*, in Cauſa Arnaldina.

Objiciunt 6° nonnulla Concilia: Valentinum III anni 855, can. 2, ubi legitur „ malos non ideò perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed „ quia boni eſſe noluerunt.“ Senonenſe anni 1528, parte 1, in decretis fidei, cap. 15, ſic definiens: „ Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas „ libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec mo„ mentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pul„ ſet.“ Et Colonienſe anni 1536, part. 7. cap. 32, cujus hæc verba ſunt: „ Quanquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per „ Patrem, attamen nemo hîc excuſationem prætexat quòd non traha„ tur, quòd ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirum per inter„ num & externum verbum commonens ut convertamur à via noſtra „ peſſima.“ Tournely, tom. 2 de Grat. pag. 581.

Reſpondeo eis, quæ ex concilio Valentino objiciuntur, ne umbram quidem difficultatis ineſſe. Quis enim neſcit malos non ideò perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia noluerunt? Poſſent ſanè, ſi vellent, & in tantùm non poſſunt, in quantùm nolunt. Sed daturne omnibus malis auxilium gratiæ interioris, ut velint? Id Concilium nullomodò attingit.

De Concilio Senonenſi dicebat Lemos, in Diſputatione 4 coram Paulo V, *illud Provinciale fuiſſe, nec per ſanctam Sedem confirmatum. Unde, quando aliquid in oppoſitum diceret, ex ipſo nullomodò ſumi efficax argumentum pro rebus fidei.* His adde verba memorata non continere concilii definitionem, quæ circa neceſſitatem gratiæ unicè verſatur, ſed aliquid incidens; atque inſuper plus illis probari quàm volunt ipſimet adverſarii. Probarent enim non ſolùm gratiam omnibus dari, ſed omni tempore ac momento dari; quod experientiæ repugnare fatentur qui pro gratia generali acriùs dimicant. Quamobrem vel deferendum eſt illud concilium, vel intelligendum de gratia prout abſtrahit ab interiore & exteriore. In Actis Lemoſii, pag. 114.

Idem reſpondeo ad concilium Colonienſe, quod alioquin eò minoris eſt auctoritatis, quòd nullius Epiſcopi ſubſcriptione fuerit munitum, Hermanuſque Archiepiſcopus Colonienſis, qui ſolus in Actis loquitur, poſteà hæreſim amplexus ſuâque ſede dejectus fuerit.

Objiciunt 7°. Deus vult voluntate ſincerâ omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: Chriſtus quoque pro omnium & ſingulorum hominum ſalute mortuus eſt. Atqui illa voluntas Dei non eſſet ſincera, nec Chriſtus verè dici poſſet mortuus pro omnibus, ſi

Digitized by Google

non omnibus hominibus darentur auxilia ſufficientia quibus ſalutem conſequi poſſint. Ergo.

Hujus objectionis ſolutio pendet ex dicendis Lib. ſequente de voluntate Dei circa hominum ſalutem, & de morte Chriſti pro omnibus. Quamobrem huic nunc ſuperſedeo, ea tantùm commemorare contentus quæ ſynodus Tridentina declarat, ſeſſ. 6. cap. 3: „ Etſi Chriſtus, inquit, „ pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium „ recipiunt, ſed ii duntaxat quibus meritum paſſionis ejus communi„ catur.“

Opponit Nicole, ut probet cognitionem veritatum moralium eſſe veram ac ſupernaturalem gratiam, opponit, inquam, nonnullos S. Auguſtini textus, atque iſtos imprimis: Lib. 14 *de Trinitate*, cap. 15. num. 21: „ Hinc eſt, ait, quòd etiam impii cogitant æternitatem, & „ multa rectè reprehendunt rectèque laudant in hominum moribus. „ Quibus ea tandem regulis cogitant, niſi in quibus vident quemad„ modùm quiſque vivere debeat, etiamſi nec ipſi eodem modo vivant? „ Ubi eas vident? Neque enim in ſua natura, cùm procul dubio men„ te iſta videantur, eorumque mentes conſtat eſſe mutabiles, has verò „ regulas immutabiles videat quiſquis in eis & hoc videre potuerit; „ nec in habitu ſuæ mentis, cùm illæ regulæ ſint juſtitiæ, mentes ve„ rò eorum conſtet eſſe injuſtas. Ubinam ſunt iſtæ regulæ ſcriptæ, „ ubi quid ſit juſtum & injuſtus agnoſcit, ubi cernit habendum eſſe „ quod ipſe non habet? Ubi ergo ſcriptæ ſunt, niſi in libro lucis illius „ quæ veritas dicitur, unde omnis lex juſta deſcribitur, & in cor ho„ minis qui operatur juſtitiam, non migrando, ſed tanquam impri„ mendo transfertur; ſicut imago ex annulo & in ceram tranſit, & „ annulum non relinquit? Qui verò non operatur, & tamen videt quid „ operandum ſit, ipſe eſt qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tan„ gitur.“ Lib. 2 de Serm. Domini in monte, cap. 9. num. 32: „ Om„ nis anima rationalis, etiam cupiditate cæcata, tamen, cùm cogitat & „ ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum eſt, non ei tri„ buendum, ſed ipſi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro ſui capa„ citate illuſtratur.“ Hoc autem lumen ſupernaturale eſſe teſtatur idem S. Doctor, Tract. in Joannem, num. 4. „ Lux mentium, ait, ſupra „ mentes eſt, & excedit omnes mentes.“ Et lib. *de Magiſtro*, cap. 11. num. 38: „ Ille autem qui conſulitur, docet, qui in interiore homine „ habitare dictus eſt Chriſtus, id eſt, incommutabilis Dei virtus atque „ ſapientia ſempiterna, quam quidem omnis anima rationalis conſu„ lit.“

Reſpondeo ultro à nobis admitti ac valde approbari quod ait S. Auguſtinus, nempe mentem rationalem nihil veri, præſertim quod ad mores pertineat, cognoſcere, niſi lumine ſummæ veritatis, quæ Deus eſt, illuſtretur; omnemque juſti & æqui cognitionem in nobis oriri à Verbo,,

bo, quod eſt lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; ſed malè inde inferri hujusmodi cognitionem eſſe gratiam ſupernaturalem & ſufficientem. Nec refert quòd lux illa ſit ſupernaturalis, cùm ſit ipſe Deus ſummaque veritas. Nam, quàmvis in ſeipſa ſupernaturalis, naturali tamen modo ſeipſam communicat, cùm primorum legis æternæ principiorum notitiam nobis imprimit: quemadmodum potentia creatrix, tametſi ſupernaturalis, non efficit ut res creatæ ſint ſupernatuales. Et certe idem judicandum eſt de cognitione primorum principiorum moralium, ac de amore boni in communi: ſicut enim prima morum principia in Deo & lumine à Deo ſubminiſtrato cognoſcimus, ita bonum illud, quod ſub ſummi boni notione omnes appetimus, nihil aliud eſt quàm ipſe Deus ſub illa ratione confuſè apprehenſus. Atqui innatus ille amor boni in communi eſt planè naturalis, & à voluntate inſeparabilis. Ergo, à pari, notitia primorum principiorum moralium omnino naturalis eſt, confundique non debet cum gratia propriè dicta.

Hinc S. Auguſtinus, tametſi ſæpiſſimè docuerit neminem eſſe tam injuſtum, qui in ſumma veritate & juſtitia, quæ Deus eſt, non interdum videat quid juſtum, quidve injuſtum ſit, nihilominus conſtanter aſſeruit, adverſus Pelagianos & Semipelagianos, gratiam non omnibus dari, ſola dona naturalia omnibus eſſe communia, fidemque eſſe primam gratiam, & ſimilia, quæ invictè demonſtrant illuſtrationem mentium à Verbo, quâ juſtitiæ regulas cernimus, pro naturali bono ab ipſo agnitam fuiſſe.

Denique negari non poteſt multarum veritatum moralium in dæmonibus ac damnatis manere certam cognitionem, in quibus tamen veram gratiam agnoſcere abſurdum foret.

Inſtat. Illæ cognitiones ſunt ſupernaturales, quæ 1° ſupponunt actionem Dei liberam in mentem hominis: 2°. quæ ex ſeipſis eo tendunt, ut nos ad Deum cognoſcendum & amandum invitent: 3°. quæ gratuitò nobis dantur, ſaltem quantum ad certum luminis gradum: 4°. quæ inæqualiter hominibus diſtribuuntur, aliis majores, aliis minores. Tales autem ſunt cognitiones veritatum moralium. Sunt ergo ſupernaturales.

Nego majorem. Nam quatuor illi caracteres omnibus donis naturalibus pariter conveniunt. Omnia nobis liberâ Dei voluntate præſtantur: omnia ideò præſtantur, ut eis tanquam mediis ad Deum cognoſcendum, amandum & colendum utamur: omnia nobis gratis donantur: omnia ſic diſpenſantur, ut in aliis majora, in aliis minora ſint. Præterea cognitionum moralium inæqualitas magna ex parte provenit ex cerebri conformatione, ex educatione, inſtitutione & attentione animi. Quàmvis enim Deus eas liberrimâ voluntate largiatur, id plerùmque non facit niſi pro menſura ſtudii, laboris & attentionis.

Inſtat rurſus. Illud eſt ſupernaturale, ad quod divino indigemus auxilio. Atqui ad cognoſcendas veritates morales indigemus auxilio divino, juxta illud S. Pauli, 2 Corinth. III. 5: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt;* & juxta concilium Arauſicanum II, can. 22, ubi definitur „ neminem „ habere de ſuo niſi mendacium & peccatum; ſi quid autem habet ho- „ mo juſtitiæ & veritatis, ex illo fonte eſſe, quem debemus ſitire in „ hac eremo." Ergo notitia veritatum moralium eſt ſupernaturalis.

Diſtinguo minorem. Ad cognoſcendum veritates morales indigemus auxilio divino naturalis ordinis, concedo: indigemus auxilio ſupernaturalis ordinis, iterum diſtinguo. Ad cognoſcendum veritates morales cognitione ſalubri & conjuncta cum aliquo divini amoris initio, concedo: ad cognoſcendum veritates morales cognitione infructuoſâ, merè ſpeculativâ & omni dilectione Dei deſtitutâ, nego. Omnis autem cognitio, præſertim ſi ad morum regulam pertineat, donum Dei eſt, & niſi Deo adjuvante non acquiritur: at non omne donum Dei gratia eſt ſupernaturalis, de qua hìc diſputamus. Gratia bonos facit, cognitio ſcientes tantùm: gratia ſemper prodeſt, plus aut minus; cognitio, ſi ſola ſit, nihil prodeſt, imò ſæpè nocet potiùs quàm juvat. Igitur ea ſola cognitio verè cœleſtis gratiæ munus eſt, quæ & piè ſcientes, & ſcientes pios facit; hoc eſt, quæ aliquem adjunctum habet ſanctæ dilectionis & pietatis motum; & de illa B. Pauli Patrumque Arauſicanorum verba intelligenda ſunt.

Solvuntur Objectiones adverſùs ſecundam Propoſitionem.

Ad probandum omnibus præſtò eſſe gratiam ſufficientem, ſaltem ad orandum, proferunt hæc imprimis S. Auguſtini dicta, lib. 1 Quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 1. num. 14: „ Hoc, inquit, reſ- „ tat in hac mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo juſtitiam „ cùm voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum cujus dono „ eam poſſit implere." Ergo, concludunt, ad id faciendum homo quilibet ſufficienter adjuvatur. Lib. *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 18. num. 37: „ Præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret „ Dei donum. Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi „ ſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret unde quod „ juberetur impleret." En, aiunt, gratia ſufficiens orationis (aliquid dilectionis), per quam homo poteſt impetrare gratiam rectè vivendi. Denique tract. 26 in Joann. num. 2: „ Nondum traheris, ora ut traharis." Quid autem juvaret hortari ad orandum, ſi ad orandum ſufficiens deeſſet auxilium?

Tournely, tom. 2. de Grat. pag. 451.

Reſpondeo illis textibus probari tantummodò teneri omnes poſtulare à Deo auxilium quo mandata impleant (quod quidem citra controver-

ſiam

ſiam eſt); minimè autem probari omnibus dari gratiam interiorem orationis.

Quod ſpectat primum textum, deſumptum ex libro primo ad Simplicianum, obſervandum eſt S. Doctorem, dum illum ſcriberet, tunc primum advertiſſe fidem ipſam eſſe donum Dei, ſicque „ in eo laboratum „ eſſe pro libero arbitrio voluntatis, ut tandem vicerit gratia Dei," ut ipſe dicit lib. 2 Retract. cap. 1. Illud autem non advertit niſi in ſolutione 2ª Quæſtionis Simpliciani, attendendo ad iſta Apoſtoli verba: *Quid habes quod non accepiſti?* Unde ſatis probabile eſt illum eo in luto aliquantulum adhuc hæſiſſe reſpondendo ad primam quæſtionem. Ut ut ſit, vel verborum nobis objectorum ſenſus eſt, libero arbitrio per ruinam primi hominis *victo, damnato, captivo, & nec ſaltem acceptâ lege victori, ſed potiùs prævaricatori*, nihil virium remanſiſſe, niſi quantum opus eſt ut ad Deum ſupplici pietate confugiat, ſeque adjuvari petat, quod eſt error Semipelagianorum: vel ſenſus eſt hominem victum captivumque ſub peccato non aliter à malis ſuis liberari poſſe, quam gratiæ Dei opem ſuppliciter implorando, quod eſt veriſſimum. Utrovis autem modo interpreteris, nihil inde concludi poteſt pro gratia orationis omnibus conceſſa, de qua nulla eo in textu mentio fit. Aliud quippe eſt hominem debere ad Deum confugere, quod nemo negat; aliud gratiam orandi ſemper homini adeſſe, de quo ſolùm hic agimus.

Alter textus nihil omnino probat. Præceptum quidem, hoc ipſo quòd ea imperat quæ difficilia videntur, nos admonet ut ad implenda mandata divinam opem imploremus; ſed exteriùs admonere non eſt gratiam & vires tribuere. Quamobrem S. Auguſtinus addit fruſtra liberum arbitrium lege commoneri, niſi dilectionis aliquid accipiat ad poſtulandum ipſius dilectionis augmentum. Omnibus autem, quibus dilectionis præceptum imponitur, dari ſimul aliquod dilectionis initium (quod ſolum in quæſtione eſt), ex verbis S. Doctoris ſine ullo prorſus fundamento concluderetur, cùm contrarium potius concludendum ſit. Quis enim ſibi perſuadeat omnes idololatras, quoties falſis numinibus procumbunt, omnes infideles à quibus Deus ignoratur, omnes impios qui Deum obliviſcuntur, quoties peccant, habere aliquod caſtæ dilectionis ſeu caritatis initium, quo ad pleniorem caritatem poſcendam excitentur?

Denique quis dubitat eis, qui nondum à Deo trahuntur, orandum eſſe ut trahantur; quod ſolum in tertio textu dicitur? Nec dicas fruſtra illos admoneri ut orent, ſi gratiâ orationis carent. Quomodò enim non advertis idem dici poſſe de cæteris Chriſtianæ vitæ officiis? Nunquam non excitandi ſunt homines ſive ad orandum, ſive ad alia quævis præcepta implenda, etiamſi non omnes gratiam habeant interiorem; quoniam, ſive adſit gratia, ſive non adſit, nihilominus lege tenemur, ac ſæpiſſimè, dum miniſtri exterius exhortando plantant & rigant, Deus latenter ſubvenit, & incrementum ſubminiſtrat occultus. Cæterum gratiam

tiam orationis non omnibus dari invictè probatur ex hoc ipſo quem objiciunt loco. Nam paulò ante dixerat S. Doctor: „ Magna gratiæ „ commendatio. Nemo venit niſi tractus. Quem trahat, & quem non „ trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, „ ſi non vis errare.“ Inde ſic argumentor: Ex S. Auguſtino, inſcrutabile eſt quare Deus hunc trahat, & illum non trahat. Atqui nequaquam hoc inſcrutabile foret, ſi omnibus præſtò eſſet gratia ſufficiens ad orandum: idcirco quippe ille traheretur, quia trahi ſe poſtulat; iſte non traheretur, quia non poſtulat.

CAPUT SEXTUM.

An ſaltem omnibus juſtis, inſtante præcepto, detur auxilium actuale ſufficiens ad implendum præceptum aut ad orandum.

PLURIMI Theologi non tantùm docent, ſed etiam de fide eſſe arbitrantur, juſtis, quoties peccant, nunquam deeſſe auxilium actuale ſufficiens, ſenſu ſaltem Thomiſtico, ad non peccandum; idque definitum eſſe exiſtimant damnatione primæ è V Propoſitionibus. Hanc opinionem amplexus eſt doctiſſimus Boſſuetus, eique permulti ejus potiſſimum auctoritate moti adhærent. Eam quoque lubentiſſimè ſequerer, niſi ad aliter ſentiendum non pauca nec levia momenta impellerent. Quid verò hac de re exiſtimandum mihi videatur, ſequentes Propoſitiones declarabunt.

PRIMA PROPOSITIO.

De fide eſt donum perſeverantiæ, ſine quo nemo uſque in finem perſeverare poteſt, non omnibus dari, eiſque, quibus datur, gratuitâ miſericordiâ dari; quibus non datur, juſto judicio non dari.

HÆC Propoſitio certa eſt apud omnes qui gratiæ ſeipſâ efficacis abſolutam ad perſeverandum neceſſitatem agnoſcunt. Evidens quippe eſt gratiam illam non dari juſtis non perſeverantibus. Si enim eam haberent, procul dubio perſeverarent.

Probatur inſuper apertiſſimis B. Auguſtini teſtimoniis. Lib. *de Correptione & gratia*, cap. 8. num. 17: „ Hic ſi à me quæratur cur eis „ Deus perſeverantiam non dederit, quibus eam, quâ Chriſtianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo. Non enim arroganter, ſed agnoſcens modulum meum audio dicentem Apoſtolum: „ *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Et: *O altitudo divitiarum* „ *ſapientiæ &c!* Tu autem, quisquis inimicus ejus gratiæ ſic interrogas, ipſe quid dicis? Benè quòd te non negas eſſe Chriſtianum, & „ Catholicum jactas. Si ergo confiteris donum Dei eſſe perſeverare in „ bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, „ puto quòd mecum pariter neſcis, & ambo hic inſcrutabilia Dei ju„ dicia penetrare non poſſumus: aut ſi ad liberum arbitrium hominis, „ quod non ſecundum Dei gratiam, ſed contra eam defendis, pertinere „ dicis ut perſeveret in bono quisque, vel non perſeveret, non Deo „ donante, ſi perſeveret, ſed humanâ voluntate faciente, quid molitu„ rus es contra verba dicentis: *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides* „ *tua?* An audebis dicere, etiam rogante Chriſto ne deficeret fides Pe„ tri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi „ eam usque in finem perſeverare noluiſſet? Quaſi aliud Petrus ullo „ modo vellet, quàm pro illo Chriſtus oraſſet ut vellet.“ Audimus gratiam perſeverandi non ſolùm in bonis operibus, ſed etiam in fide ſ.ipſâ efficacem eſſe; eam aliis dari, aliis non dari, atque ad inſcrutabilia Dei judicia pertinere cur his detur, illis non detur. Expaveſcit S. Doctor iſtam profunditatem, ſed nihilominùs indubitanter credit. „ Mi„ randum eſt quidem, inquit num. 18, multùmque mirandum, quòd „ filiis ſuis quibusdam Deus, quos regeneravit in Chriſto, quibus fi„ dem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſeverantiam, cùm filiis „ alienis ſcelera tanta dimittit, atque, impertitâ gratiâ, faciat filios ſuos. „ Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehementiſſimè ſtupeat? Sed „ etiam illud non minùs mirum eſt, & tamen verum, atque ita mani„ feſtum, ut nec ipſi inimici gratiæ Dei quomodò id negent valeant „ invenire, quòd filios quosdam amicorum ſuorum, hoc eſt, regenera„ torum bonorumque fidelium, ſine baptiſmo hinc parvulos abeuntes, „ quibus utique, ſi vellet, hujus lavacri gratiam procuraret, in cujus „ poteſtate ſunt omnia, alienat à regno ſuo, quò parentes mittit illo„ rum; & quosdam filios inimicorum ſuorum facit in manus Chriſtia„ norum venire, & per hoc lavacrum introducit in regnum, à quo eo„ rum parentes alieni ſunt; cùm & illis malum, & iſtis bonum meri„ tum nullum ſit parvulis, ex eorum propria voluntate. Certè hic ju„ dicia Dei, quoniam juſta & alta ſunt, nec vituperari poſſunt, nec „ penetrari. In his eſt & illud de perſeverantia, de qua nunc diſputa„ mus. De utrisque ergo exclamemus: *O altitudo divitiarum ſapientiæ* „ *& ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!*“ Tantæ

non dico tantùm auctoritati, ſed veritatis perſpicuitati opponi quid poteſt?

Idem S. Doctor, lib. *de Dono perſeverantiæ*, in quo quæſtionem iſtam ex profeſſo tractat, non aliam ejus ſolutionem dari poſſe aſſerit, niſi illis dari gratiam perſeverantiæ, quia de numero ſunt prædeſtinatorum, illis non dari quia de illo numero non ſunt. „ Cur, ait cap. 8. num. 19, „ (Deus) quibusdam, qui eum coluerunt bona fide, perſeverare us- „ que in finem non dedit? Cur, putas, niſi quia non mentitur qui
1.Joann. II. 19. „ dicit: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum?*" Et cap. 9. num. 21: „ Ex duobus „ itaque parvulis peccato originali pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, „ & ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur „ iſte ita vocetur ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, „ aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia usque in finem, huic non „ detur, inſcrutabilia ſunt judicia ejus. Illud tamen fidelibus debet eſſe „ certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe." Audimus iterum quanta cum fiducia, quanta cum firmitate S. Doctor inculcet, juſtis qui non perſeverant, non dari gratiam ad perſeverandum neceſſariam, quæ ſolis perſeverantibus datur, nullamque tantæ hujus diſcretionis cauſam afferri poſſe, niſi inſcrutabilitatem divinorum judiciorum.

S. Auguſtino adjungo S. Proſperum, in Reſponſ. ad objectionem 7 Gallorum. „ Cùm non dubium ſit, inquit, donum Dei eſſe perſeverantiam in bono usque in finem, quam iſtos, ex eo ipſo quòd non „ perſeveraverunt, non habuiſſe manifeſtum eſt, non eſt calumniandum „ Deo, quare iſtis non dederit quod aliis dedit; ſed confitendum eſt & „ miſericorditer eum dediſſe quod dedit, & juſtè non dediſſe quod non „ dedit: ne, quemadmodùm ex libero arbitrio oritur cauſa labendi, ita „ ex ipſo oriri videatur & ſtandi; cum illud humano fiat opere, hoc „ divino impleatur ex munere."

Demum hanc doctrinam apertè definivit concilium Tridentinum, ſeſſ. 6, cùm, can. 22, anathematizat „ quicunque dixerit juſtificatum vel „ ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum „ eo non poſſe." Et can. 16 decernit neminem juſtorum, citra ſpecialem revelationem, certum eſſe poſſe *magnum illud perſeverantiæ donum*, id eſt, ſpeciale illud auxilium, ſine quo, ut dictum eſt, juſtificatus in accepta juſtitia perſeverare non poteſt, *ſe certo habiturum*. „ Si quis, ait, „ magnum illud usque in finem perſeverantiæ donum ſe certo habiturum, abſolutâ & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit." De fide ergo eſt donum ſeu gratiam perſeverandi usque in finem non omnibus juſtis dari.

SE-

SECUNDA PROPOSITIO.

Certum eſt juſtos, dum peccant, non habere auxilium actuale efficax neceſſarium ad peccatum hic & nunc vitandum.

Probatur 1° exemplo piiſſimi regis Ezechiæ, de quo ſcribitur, 2 Paralip. XXXII. 31, quod, cùm ad eum veniſſent nuntii regis Babylonis, *dereliquit eum Deus ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.* Quid eſt enim *dereliquit eum Deus*, niſi ſibi ipſi permiſit, ut theſaurorum ſuorum oſtentatione manifeſtæ fierent, quæ in ejus corde latebant, vanitas inaniſque jactantia?

Probatur 2° exemplo Davidis de ſeipſo ſic loquentis, Pſalm. XXIX. 7 & 8: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum. Domine, in voluntate tua præſtitiſti* (præſtiteras) *decori meo virtutem. Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Hæc verba multi SS. Patres intelligunt de lapſu graviſſimo Davidis, qui contigit ſtatim atque Dominus faciem ſuam ab eo avertit, hoc eſt, gratiam ſuam favoremque ſuum ei ſubtraxit. „ Sed quia David filius erat promiſſionis, non per„ ditionis, didicit, Deo paululùm, (hoc eſt, ad tempus) deſerente, „ quid eſſet ipſe," ait S. Auguſtinus lib. *de Correptione & gratia*, cap. 9. num. 14.

Probatur 3° exemplo S. Petri. Hic Apoſtolus, antequàm Chriſtum ter negaret, juſtus erat, ipſius Chriſti teſtimonio. Poſtquàm enim Apoſtolorum ſuorum pedes lavit, dixit Jeſus: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Quibus verbis, teſte S. Joanne, cap. XIII, ſolum Judam excipiebat, à quo ſe mox tradendum prædixerat. Vide S. Hilarium, cap. 30 in Matthæum; S. Baſilium, homil. de Humilitate, num. 4; S. Hieronymum, Comment. in cap. 14 & 16 Matthæi.

Atqui B. Petrus tunc gratiæ adjutorio ſaltem efficaci, ad confitendum Chriſtum, atque ad non peccandum tentationemque ſuperandam prorſus neceſſario, caruit. Id affirmant:

S. Baſilius, hom. 22 de Humilitate, num. 4. „ Non es, inquit, „ beato Petro Apoſtolo præſtantior. Nec enim Dominum amore ma„ jori proſequi poteris, quàm qui ita vehementer dilexit, ut etiam vo„ luerit pro ipſo mori." (Tunc ergo procul dubio juſtus erat). „ Sed „ quia animo elatiori locutus eſt, cùm dixit: *Etſi omnes ſcandalizati* „ *fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*, timiditati humanæ traditus „ eſt, ceciditque in inficiationem, lapſu eruditus ad metum & ad cau„ tionem, docendusque infirmis parcere & debilibus, quòd & ſuam co„ gno-

„ gnovit infirmitatem, & perſpicuè intellexit quòd, quemadmodùm, „ cùm in pelago mergeretur, per Chriſti dexteram erutus eſt, ita in „ ſcandali procella, ob incredulitatem in peccandi periculum veniens, „ Chriſti virtute ſervatus ſit.“

S. Hilarius in Pſalm. 52. num. 12: „ Aliud eſt nolle, aliud non poſ- „ ſe. Territus enim Petrus per carnis ſenſum, etſi reſponſionis non „ potuit tenere conſtantiam, per fidem tamen animi ſtatim flevit.“ Et in Matth. cap. XXXII. num. 8: „ Quia ex infirmitate carnis vel am- „ biguus extitiſſet (Petrus), amariſſimè flevit, recolens trepidationis „ ipſius culpam ſe nec admonitum potuiſſe vitare.“

S. Ambroſius, lib. 10 in Lucam, num. 91 (laudatus ab Auguſtino lib. de Gratia Chriſti, num. 50), loquens de Petri lapſu: „ Hæc au- „ tem ſcripta ſunt, inquit, ut ſciamus neminem jactare ſe debere. „ Nam ſi Petrus lapſus eſt, quia dixit: *Etſi alii ſcandalizati fuerint in* „ *te, ego non ſcandalizabor*, quis alius jure de ſe præſumat? Denique „ & David, quia dixerat: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in* „ *æternum*, eam ſibi jactantiam obfuiſſe profitetur dicens: *Averiſti* „ *faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.*“

S. Joannes Chryſoſtomus, hom. 82, al. 83, in Matth. num. 3: „ Me- „ tus in Petro omnia ejecit, ingens enim erat: ingens verò fuit, quia „ auxilio ſuo Deus illum admodum nudavit: admodùm verò nudavit, „ quia vehemens in illo morbus erat arrogantiæ & contradictionis. Ut „ ergo radicitus hunc morbum tolleret, ideò permiſit ut illum terror „ invaderet.“ Et paulò poſt: „ Idcirco illum cohibuit, non ad nega- „ tionem impellens, abſit! ſed auxilio ſuo vacuum relinquens, huma- „ næ naturæ infirmitatem demonſtrans.“ Et hom. 73, al. 72, in Joann. num. 3: „ Quia ille (Petrus) in vehementia ſua perſeverabat, non in- „ jecit quidem, neque impulit ad negationem, ſed deſeruit, ut ſuam „ cognoſceret infirmitatem...... Itaque non quòd frigidus eſſet, ſed „ quòd ſupernâ nudatus eſſet ope, cecidit.“ Demum hom. 31 in Epiſ- tolam ad Hebræos, num. 3: „ Illa negatio non tam erat ſocordiæ & „ negligentiæ, quàm ex eo quòd Deus eum deſeruerat, erudiens ut hu- „ manam ſciret menſuram, & non repugnaret eis quæ dicebantur à ma- „ giſtro, neque ejus, quàm aliorum, eſſent elatiores ſpiritus; ſed ſciret „ quod abſque Deo nihil poteſt fieri.“ En quibus verbis & quoties S. Doctor declarat B. Petrum in illa tentatione derelictum fuiſſe à Deo, nudatumque auxilio ſine quo nihil fieri poteſt, quo tentationes vincantur mandataque impleantur.

S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 9. num. 24: „ Di- „ xerat & Petrus in abundantia ſua: *Animam meam pro te ponam*, „ ſibi feſtinando tribuens quod ei fuerat à Domino poſteà largiendum. „ Avertit autem ab illo faciem ſuam Dominus, & factus eſt conturba- „ tus, ita ut eum, mori pro illo metuens, ter negaret: ſed rurſum „ con-

Digitized by Google

,, convertit ad eum faciem ſuam Dominus, & culpam lacrymis diluit.
,, Quid eſt enim aliud, reſpexit eum, niſi faciem, quam paululum ab
,, eo averterat, revocavit ad eum?"

Serm. 285, cap. 3: ,, In corde ſuo præſumpſerat (Petrus) ſe pro eo
,, (Chriſto) moriturum. Viribus ſuis hoc tribuerat. Niſi paulisper
,, à regente deſereretur, non ſibi demonſtraretur...... Niſi deſertus non
negaret, niſi reſpectus non fleret."

Et in Serm. 124 de Tempore, num. 79, in Appendice: ,, Quid ho-
,, mo ſine gratia Dei poſſit, timor B. Petri Apoſtoli evidenter oſtendit.
,, Per ſolum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio,
,, promiſerat ſe pro Deo moriturum. Sed quid eſt homo ſine gratia
,, Dei, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum?...... Ideò B. Pe-
,, trum Dominus paululum ſubdeſeruit, ut in illo totum hominum ge-
,, nus poſſet agnoſcere nihil ſe ſine gratia prævalere." Privatus ergo
tunc fuit adjutorio, ſine quo nihil humana poteſt infirmitas.

Theodoretus in Pſalm. 118. v. 8: ,, Sæpius divina gratia nonnullos *In hæc verba: Non me derelinquas usquequaque.*
,, ad breve tempus deſerit, utilitatem illis hinc procurans. Sic magnus
,, Elias derelictus cum eſſet, in timiditatis affectum incidit...... Sic
,, D. Petrus negando prolapſus eſt; ſed protinus Dominus eum ſuffulſit.
,, Deſtitutus autem penitus divinâ ope Judas parata præda diaboli fuit.
,, Jure igitur Propheta precatur ne derelinquatur usquequaque, hoc
,, eſt, ne providentiæ gratiâ ſpolietur."

S. Prudentius Trecenſis, lib. *de Prædeſtinatione contra Scotum*, cap. 4: Mauguin, tom. 1. pag. 251.
,, Reſpectus deſuper (Petrus) ad ſe redit, qui paululum derelictus,
,, ut ita dixerim, à ſe ipſo receſſerat."

Theophylactus, in Lucam, caſum B. Petri exponens: ,, Petrus, ait,
,, parum derelictus, tametſi caritatem & fervorem habere videretur, ubi
,, reliquit eum Deus, ſupplantatus eſt ab inimico."

Rupertus Abbas, lib. 8 *de Gloria & honore Filii hominis*, verſus Tom. 2. pag. 78. col. 1.
finem: ,, Primus Apoſtolorum primus timuit, & mori timens vitam
,, negavit. Cur hoc? Niſi quia nondum illi dederas ut non timeret,
,, qui juſſeras ut non timeret. Poſtquàm illi dediſti, potuit facere
,, quod juſſiſti. Eſto igitur fortitudo noſtra, & fac in nobis quod tu
,, facere vis."

Joannes Thaulerus, *de Vita & paſſione Domini*, cap. 15, dicit ,, Pe-
,, trum jam ſibi relictum didiciſſe, quod in fervore illo poſitus agnoſcere
,, non potuit." Et paulò poſt: ,, Quia enim ſibi ipſi confidens ani-
,, moſè ſupra naturæ fragilitatem de ſe præſumpſerat, Dominus eum ſi-
,, bi ipſi relinquit, ut ſuam agnoſceret impotentiam & infirmitatem,
,, ſicque illico lapſus eſt."

Denique Cajetanus in cap. XXXVI Matthæi: ,, Conſidera & treme,
,, vir juſte, inquit...... Non ſumus ſufficientes ex nobis ad uſum ca-
,, ritatis & gratiæ, quam habemus in anima infuſam à Deo; ſed ege-

Digitized by Google

„ mus, ad utendum illâ, continuo gratuito Dei auxilio: quo quia ca„ ruit Petrus tunc, quando Deus dereliquit Petrum ſibi ipſi, prædito „ caritate & gratiâ habituali, ideò cecidit & perdidit caritatis gratiam. „ Sic Moyſes, ſic David cecidit."

Cauſam lapſûs B. Petri, gratiæque efficacis ad confitendum Chriſtum neceſſariæ defectum, egregiè deſcribit Boſſuetus in Meditationibus in Evangelia (Sermon après la Cene, 76e jour. Tom. IX. pag. 436 & ſeq.). Sic inter alia loquitur Præſul doctiſſimus: „ La faute, la grande faute „ (de St. Pierre), la cauſe de ſon renoncement, de ſon crime, & deja „ peut-être un terrible commencement de ce crime, c'eſt que Jeſus„ Chriſt lui diſant: *Vous ne pouvez pas*, au lieu de reconnoitre ſon „ impuiſſance & de lui dire,..... comme il avoit dit autrefois avec les „ autres Apotres (Luc. XVII. 5): Seigneur, augmentez moi la foi; „ rendez la force, rendez la toutepuiſſante;..... au lieu de s'humilier „ & de prier, il s'eleve contre J. C., & avec une temerité pitoiable, mais „ puniſſable, il dit qu'il peut à celui qui fait tout, & qui lui dit qu'il „ ne peut pas...... Mais enfin qu'eſt-ce qui faiſoit croire à S. Pierre „ qu'il pouvoit ce qu'il ne pouvoit pas, ſi ce n'eſt qu'il le vouloit, „ & qu'il croyoit avoir ſon pouvoir dans ſa volonté? En effet en cette „ occaſion qu'etoit ce que pouvoir, ſinon vouloir?..... Quand il s'a„ git de prendre la réſolution de marcher après J. C., de l'imiter, de le „ ſuivre, pouvoir c'eſt vouloir, mais vouloir fortement; c'eſt vouloir „ invinciblement, c'eſt avoir une volonté à l'épreuve de tous les perils „ & capable d'affronter la mort. La volonté de St. Pierre n'en etoit „ pas encore à ce dégré. C'eſt pourquoi J. C. lui dit qu'il ne pouvoit „ pas, qu'il ne vouloit pas encore aſſez; & lui, au lieu de ſentir qu'u„ ne volonté foible ne peut rien, & qu'elle ceſſe, pour ainſi dire, d'être „ une volonté dans une tentation qui la paſſe, diſoit hardiment qu'il „ pouvoit tout ce qu'il ſentoit qu'il vouloit, & qu'il vouloit avec „ force juſqu'à un certain point, mais non pas juſqu'au point qu'il „ falloit pour accomplir ſa promeſſe. C'eſt pourquoi J. C. lui diſoit, „ non pas ſimplement, vous ne pouvez pas, mais: *Vous ne pouvez pas* „ *me ſuivre maintenant*; & il ajoutoit: *Vous me ſuivrez un jour:* qui „ étoit lui dire, comme dit S. Auguſtin: Vous ne le pouvez pas encore, „ parceque votre volonté eſt foible, mais vous le pourrez quand vous „ aurez reçu une volonté aſſez forte. S. Pierre étoit juſte; car J. C. lui „ avoit dit, comme aux autres: *Vous êtes purs.* Mais ſa juſtice tenoit „ encore beaucoup de cette juſtice de la loi, qui croit qu'il n'y a qu'à „ vouloir & qu'à faire, ſans ſonger par qui on veut & par qui on fait. „ S. Pierre vouloit, mais il ne vouloit pas aſſez fortement; & il de„ voit avoir entendu que ce commencement de bonne volonté ne lui „ venoit pas de lui même, mais de Dieu. S'il l'eut entendu, s'il l'eut „ cru auſſi vivement qu'il falloit, il auroit commencé par confeſſer

„ que

„ que le peu qu'il pouvoit venoit de la grace, & que par conſequent, „ pour pouvoir beaucoup, il falloit encore que la grace donnat le pou- „ voir; c'eſt à dire qu'elle fortifiat ſa volonté foible, & qu'elle lui en „ inſpirat une ſi forte, que toute crainte cedat à ſa puiſſance."

Adeò clara ſunt iſta teſtimonia, ut ampliori expoſitione non indigeant. Uno quaſi concentu afferunt S. Petrum, quàmvis juſtum, ad tempus derelictum ſibique ipſi dimiſſum fuiſſe, ac privatum divino auxilio, ſine quo nec mori pro Chriſto, nec illum, occaſione licet urgente, confiteri poterat, potentiâ ſcilicet complectente tantas vires voluntatis, quantæ ad ſuperandam tentationem erant neceſſariæ.

Nec dicas S. Petrum præſumptione ſuâ juſtitiam jam amiſiſſe, priusquàm Dominum negaret: gratis quippe id ſupponitur, Patresque modò laudati contrarium ſenſiſſe videntur. Reverâ quàmvis negari non poſſit præſumptionem Petri, quæ tali deſertione puniri meruit, magnam culpam fuiſſe, eam tamen ex ſe mortalem extitiſſe quis certò affirmare audeat?

Verùm, etſi id concederemus, nihilominùs certum foret B. Petrum caruiſſe efficaci auxilio gratiæ, eo tempore quo in primum mortalè peccatum incurrit. Num, quæſo, auxilio efficaci, quo indigebat ad non præſumendum de ſe, inſtructus erat, qui ſuam ignorans infirmitatem, ſuoque in Chriſtum amore, ſincero quidem, ſed adhuc debiliore, cujus vires ipſum latebant, deceptus, putabat ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat? Quomodò non de ſe præſumeret, qui, vires ſuas ultra modum exaggerans, ſcandalum ſe paſſurum, Chriſto licet affirmante, ſuſpicari non poterat? Igitur, quodcunque primum B. Petri peccatum mortale fuerit, conſtat, ex conſtanti SS. Patrum doctrina, illum tunc caruiſſe auxilio ad non peccandum abſolutè neceſſario.

Quod autem B. Petro contigiſſe teſtantur SS. Patres, idem aliis quoque juſtis accidere docent.

S. Hieronymus, Dialogo 2 adverſùs Pelagianos, poſt medium: „ David, inquit, qui dixerat confidenter: *Ego in innocentia mea ingreſſus „ ſum: pes meus ſtetit in directo*, ... relinquitur parumper fragilitati „ ſuæ, &, ut vos dicitis, arbitrii libertati; & per adulterium lapſus in „ homicidium, poſteà loquitur: *Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam „ miſericordiam tuam.*" Multò ſuperius dixerat S. Doctor: „ Apoſtoli „ audiunt: *Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?* Non dixit (Chriſ- „ tus) noluiſtis; ſed non potuiſtis. Apoſtoli unâ horâ vigilare non „ poſſunt, ſomno, mœrore & carnis fragilitate ſuperati." En, Chriſto Domino atteſtante, Apoſtoli, paulò ante juſti declarati, vigilare non poſſunt, hoc eſt, ſatis virium ac proinde gratiæ non habent ad vigilandum, quanquam vigilandi & orandi præceptum tunc maximè urgebat.

S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 19. num. 32: „ Nos, ait, quantum conceſſum eſt, ſapiamus, & intelligamus,

„ mus, ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideò etiam ſanctis ſuis „ alicujus operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel „ victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo eſſe „ lucem quâ illuminantur tenebræ eorum, & ſuavitatem quâ dat fruc- „ tum ſuum terra eorum.“ Juſtis igitur ac ſanctis non ſemper adeſt, quoties aliquid boni agendum eſt, gratia actualis neceſſaria, quæ nihil aliud eſt quàm certa ſcientia victrixque delectatio.

Tom. 2 Tract. de Gratia, pag. 558. Miſerum eſt quod reſpondet Tournely, non ibi agi de præcepto aliquo ſervando, ſed de habenda perfecta juſtitia. Quaſi verò perfectio juſtitiæ non eis præcipiatur, quibus Chriſtus ait, Matth. V. 48: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Sed undenam probabit ibi agi de perfecta juſtitia, cum S. Auguſtinus expreſſè loquatur de *aliquo opere juſto* quod hic & nunc faciendum occurrit?

Meliori profectò fide agebat ultimo ſæculo Pereyret, unus è fervidiſſimis Antonii Arnaldi adverſariis. Fatetur enim in ſuo tractatu de Gratia, multiſque textibus demonſtrat, fidelibus & ſanctis, ex mente Auguſtini, non ſemper dari gratiam & auxilium, quo poſſint obſervare immediatè & proximè omnia mandata, etiam „ eo tempore quo ſunt „ obſervanda, & ad vincendas tentationes omnes, cum occurrunt & ſu- „ perandæ incumbunt.“

Vid. S. Auguſtin victorieux de Calvin & de Molina, 2e conference, chap. 13.

Non autem ſolam benè agendi, ſed etiam orandi gratiam, quâ infallibiliter oratur, & ſine qua nunquam rectè oratur, juſtis aliquando deeſſe teſtatur S. Auguſtinus, lib. 1 Quæſt. ad Simplicianum, q. 2. num. 21. „ Petere, ait, jubemur ut accipiamus, & quærere ut inve- „ niamus, & pulſare ut aperiatur nobis. Nonne aliquando ipſa oratio „ noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida & penè nulla, immo omnino „ interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? „ Quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud oſtenditur „ nobis, niſi quia & petere, & quærere, & pulſare ille concedit, qui „ ut hæc faciamus jubet? Igitur *non volentis neque currentis, ſed miſe-* „ *rentis eſt Dei.*“

Ibi maniſeſtè agitur de gratia ad orandum neceſſaria, & de tempore quo orandi præceptum inſtat, ut patet ex his verbis, *petere jubemur:* tamen declarat gratiam illam aliquando vel iis deeſſe, qui ad orandum accedunt; ideòque deeſſe, ut inde intelligamus hoc quoque gratiæ efficacis munus eſſe, ut petamus, quæramus & pulſemus.

Pag. 474. Richardus à S. Victore, Annotatione in pſalm. 136: „ Sterilitas ſa- „ nè actionum eſt, inquit, quando ſubtrahitur gratia benè operandi; „ ſterilitas ſermonum, quando ſubtrahitur gratia benè dicendi; ſterili- „ tas cogitationum, quando ſubtrahitur gratia rectè intelligendi; ſteri- „ tas affectionum, quando ſubtrahitur gratia rectâ affectandi. In his ſanè „ omnibus modò conceditur, modò ſubtrahitur gratia divina; ſed modò „ una, modo alia; nec ſolum malis, verum etiam bonis; ſed bonis

(ſeu

Digitized by Google

„ (ſeu electis) ad bonum ſuum, malis ad malum ſuum...... Ad hoc „ enim electis gratia divina aliquando ſubtrahitur, ut unusquisque in„ telligat quid ſit de ſeipſo: ad hoc autem datur vel reparatur, ut in„ telligat quid ſit ex munere divino. In uno eruditur ad contemptum „ ſui, in altero autem ad amorem Dei. Ex uno proficit ad humilita„ tem, ex altero promovetur ad caritatem." Ergo, juxta iſtum doctum & pium auctorem, gratia tum rectè dicendi, tum rectè cogitandi, tum rectè operandi, juſtis interdum ſubtrahitur, quamvis hæc omnia lege divinâ præcipiantur.

Idem declarat auctor *Imitationis Jeſu Chriſti*, lib. 3. cap. 55. num. 3. „ Sæpe, ait, multa bona propono; ſed, quia gratia deeſt ad adjuvandum „ infirmitatem meam, ex levi reſiſtentia reſilio & deficio" (quod peccato non vacat). Gratiam autem illam, quæ interdum juſtis deeſt ad benè agendum, abſolutè neceſſariam eſſe ſic docet numero ſequente: „ O „ quàm maximè eſt mihi neceſſaria gratia tua, Domine, ad inchoan„ dum bonum, ad proficiendum & ad perficiendum! Nam ſine ea nihil „ poſſum facere."

Probatur 4° ex perfectione juſtitiæ & immunitate ab omni peccato, etiam veniali, ad quam juſti omnes tenentur, quàmvis fide certum ſit nullum juſtum, abſque ſingulari Dei privilegio, gratiam habere neceſſariam ut vivere hìc poſſit ſine peccato. En præceptum quod juſtos urget, & ſæpiſſimè, & quoties venialiter peccant, ad quod tamen implendum gratia neceſſaria non ſuppetit. „ Neque negandum eſt, ait S. Auguſtinus, lib 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 16. num. 3, „ hoc Deum jubere, ita nos in facienda juſtitia eſſe debere perfectos, „ ut nullum habeamus peccatum. Nam neque peccatum erit, ſi quid „ erit, ſi non divinitùs jubetur ut non ſit." Hìc ergo adverſarios utrimque premunt anguſtiæ. Si dicant juſtos, per ordinaria gratiæ adjutoria, poſſe vitare omnia peccata venialia, incurrunt in anathema prolatum à concilio Tridentino, ſeſſ. 6. can. 13, in eos qui dixerint „ ho„ minem juſtificatum poſſe in tota vita peccati omnia, etiam venialia, „ vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio." Si fatentur juſtos per ordinaria gratiæ auxilia non poſſe vitare omnia peccata venialia, fateantur quoque neceſſe eſt juſtis ipſis, urgente præcepto, non ſemper dari actuale auxilium ad illud implendum neceſſarium.

Probatur ultimò certamine quod juſtis adverſùs ſuperbiæ vulnus ſibi inſitum perpetuò ſubeundum eſt. Ideò quippe tenentur ſuperbiam totis viribus expugnare, quia, præterquàm quòd ipſa peccatum eſt, ſuperni auxilii privatione ſæpè punitur, juxta illud Scripturæ oraculum: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Unde S. Leo, ſerm. 8 *de Epiphania*, cap. 3, commemoratis his Apoſtoli verbis: *Cum metu ac tremore veſtram ſalutem operamini; Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*, hæc addit juſtis omnibus valde per-

Digitized by Google

perſcrutanda: „ Et hæc ſanctis eſt cauſa tremendi atque metuendi, ne „ ipſis operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ, & remaneant in in„ firmitate naturæ.“ Non eſſet autem cur juſti gratiæ actualis deſertionem tantoperè formidare deberent, ſi, quandiu juſti ſunt, ſemper tantùm gratiæ ad manum haberent, quantùm ipſis ad vitandum peccatum opus eſt.

Iſtam gratiæ privationem, quâ latens in corde ſuperbia quandoque levis ſæpè punitur, piiſſimè deſcribit S. Bernardus, Sermone 54 in Cantica, num. 8. „ Currebam benè, inquit; ſed ecce lapis offenſionis in „ via, impegi & corrui. Superbia inventa eſt in me, & Dominus de„ clinavit in ira à ſervo ſuo. Hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & devo„ tionis inopia quam patior. Quomodò ita exaruit cor meum, coagu„ latum eſt ſicut lac, factum eſt ſicut terra ſine aqua? Nec compungi „ ad lacrymas queo, tanta eſt duritia cordis. Non ſapit pſalmus, „ non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non invenio. „ Ubi illa inebriatio ſpiritûs? Ubi mentis ſerenitas, & pax, & gaudium „ in Spiritu ſancto?“ Nec credas S. Doctorem loqui duntaxat de abundantia devotionis ſenſibilis, quæ, licet optanda & utilis, non tamen eſt neceſſaria: manifeſtè loquitur de interiori gratiæ auxilio, quo ſubtracto, in peccatum ſtatim labimur, ut probant quæ immediatè ſequuntur. „ Ideò ad opus manuum piger, ad vigiliam ſomnolentus, ad iram „ præceps, ad otium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, ſegnior „ obtuſiorque ad prædicationem.“ Addit, num. 9, „ interdum ſub„ trahi gratiam ſive retrahi, non pro ſuperbia quæ jam eſt, ſed quæ „ futura eſt niſi ſubtrahatur.“ Idem docet S. Gregorius magnus, lib. 2 *Moralium*, cap. 27. num. 36.

TERTIA PROPOSITIO.

Juſtis, qui imperfectè volunt & conantur, non deeſt auxilium Thomiſticè ſufficiens, quod in eis operatur ut conentur & velint.

Adeò per ſe evidens eſt iſta propoſitio, ut probatione non indigeat. Conſtat enim ſine gratia actuali neminem ea quæ ad ſalutem pertinent velle, & ad ea conari. Illa autem gratia non eſt efficax, ubi voluntas & conatus imperfecti ſunt, & effectum ad quem tendunt non aſſequuntur. Reſtat ergo ut juſti imperfectè volentes & conantes habeant actuale auxilium gratiæ excitantis tantummodò, & ſenſu Thomiſtarum ſufficientis.

QUAR-

QUARTA PROPOSITIO.

Nulla momenta ſunt, quæ probent juſtis, quoties peccant, ſemper adeſſe auxilium actuale gratiæ excitantis: plurima verò ſunt quæ ſuadent hujuſmodi gratiam non ſemper illis adeſſe.

DICO *non ſemper adeſſe:* nam dubitari non poteſt juſtis, quandiu juſti ſunt, plerumque dari gratiam actualem, vel potentiorem, vel debiliorem, quâ poſſunt divina implere mandata. Quæſtio itaque eſt duntaxat an hujuſmodi gratiæ auxilium juſtis præſtò ſit quoties peccant, & quoties præceptum aliquod obſervandum occurrit.

Suam hac de re mentem ſic delineavit Antonius Arnaldus in Diſſertatione Quadripartita de Gratia efficaci, part. 3. art 6 (Cauſæ Arnaldinæ pag. 367): „ Non mihi propoſitum eſt id quaſi pro certo dogmate „ conſtituere, quibusdam juſtis, tum cùm in peccatum mortale cadunt" (nam de venialibus multò confidentiùs loquitur) „ aliquando gratiam „ actualem deeſſe, ſed id tantùm declarare, nullam mihi in mentem „ venire rationem cur id non aliquando poſſit contingere: idcòque ſu„ per ea re mallem Eccleſiæ definitionem expectare, quàm id definire „ cujus mihi ratio non conſtet." Eisdem in terminis nos quoque continemus.

Certè cum fide certum ſit gratiam actualem, ſive magnam, ſive parvam, eſſe omnino indebitam, aſſerendum non videtur eam juſtis omnibus, quoties præceptum aliquod implendum eſt, nunquam non dari, niſi id in Scripturis vel Traditione revelatum reperiatur. Nedum autem ex Scripturis aut Traditione id habeamus, SS. Patres, in ſecunda Propoſitione citati, non diſtinguunt inter gratiam efficacem & gratiam excitantem, ſed, indefinitè loquendo, docent gratiam ad benè agendum neceſſariam aliquibus juſtis interdum ſubtrahi in pœnam elationis & ſuperbiæ; ſive judicio miſericordiæ, ut ipſo caſu ſuo edocti infirmitatem ſuam humiliter confiteantur, ſi filii ſunt promiſſionis; ſive judicio juſtitiæ, ſi propter ſua peccata damnandi præſciti ſunt.

Probatur inſuper ex definitione gratiæ excitantis. Ea quippe gratia nihil aliud eſt quàm pia illuſtratio intellectûs & pia motio voluntatis, ad cognoſcendum & faciendum bonum quod faciendum eſt. Atqui omnes juſti, quoties peccant, non ſemper habent piam agendorum cognitionem, nec pium voluntatis motum ad ea facienda; ut patet tum in eis qui ex ignorantia peccant, planè neſcientes quid faciendum ſit; tum in eis qui ex inadvertentia peccant, ſcientes quidem quid lex præ-

 cipiat,

cipiat, ſed ad illud minimè attendentes, nec ullo modo cogitantes; tum denique in eis qui, dum peccant, nullo voluntatis motu in oppoſitum feruntur, nullumque conatum adhibent. Ergo non omnes juſti ſemper habent, dum peccant, actuale gratiæ excitantis ac ſufficientis auxilium. Qualis enimverò illuſtratio mentis concipi poteſt in iis qui actu non illuſtrantur, & qui vel ignorant omnino, vel non cogitant quod agere debent? Qualis motio voluntatis in iis qui actu nec volunt, nec conantur?

Confirmatur iſta Propoſitio ex S. Auguſtino, lib. 2 *de Peccat. meritis & remiſſione*, cap. 17. num. 27. „ Ideò, inquit, quisque noſtrûm" (proinde ipſi etiam juſti) „bonum opus ſuſcipere, agere, implere nunc „ ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit „ non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe quòd ſcit & quòd delecta- „ tur; & ſic ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat quàm verè non de „ terra iſta, ſed ſpiritualiter dictum ſit: *Dominus dabit ſuavitatem, & „ terra noſtra dabit fructum ſuum.*" Sanè qui nec ſcit quod facere debet, nec eo delectatur, non habet actuale auxilium in cognitionis & amoris inſpiratione poſitum.

Lib. 6 *Operis imperfecti*, cap. ultimo: „ Nec hujus concupiſcentiæ „ reatus niſi in renaſcentibus ſolvitur, ut eo poſt hanc abſolutionem „ non inquinetur, niſi qui ei ad perpetrandum opus malum, ſpiritu „ adverſus eam vel non concupiſcente, vel non fortiùs concupiſcente, „ conſentit." Ergo, quando regenerati concupiſcentiæ conſentiunt, non ſolùm ſpiritus adverſùs eam non fortiùs concupiſcit, ſed aliquando etiam penitus non concupiſcit. Ubi autem ſpiritus non concupiſcit adverſùs carnem, gratiam actualem nullam eſſe manifeſtum eſt.

In libro quoque *de Spiritu littera*, cap. 36. num. 64: „ Quid verius, „ his impletis (duobus præceptis de dilectione Dei & proximi), imple- „ ri omnino juſtitiam? Veruntamen qui hoc attendit, etiam illud atten- „ dat, quàm in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem „ diligimus, placere vel non diſplicere quod facimus; & poſteà per „ Scripturam ejus, ſive certâ & perſpicuâ ratione commoniti, cùm di- „ dicerimus quod ei non placeat, pœnitendo precamur ut ignoſcat. Ple- „ na humana vita eſt documentis talibus." Quid manifeſtius quàm in hujusmodi offenſionibus, in quas, ſi commoneremur, nequaquam incideremus, non adeſſe nobis actuale auxilium, quo deprehendamus malum eſſe quod facimus, & quo excitemur ad non faciendum?

Eamdem doctrinam tradit Richardus à S. Victore, tract. 1 de Statu hominis interioris, cap. 31. pag. 35. „ Sicut ille ſolus, inquit, ſa- „ pienter diſcernit & prudenter ſibi conſulit, quem divina gratia inſpirat „ & ejus inſpiratio illuminat, ſic tunc ſolùm utrumque utiliter valet, „ cùm aſpirantem gratiam præſentem habet. Sed quis eſt qui in hac „ vita ſemper gratiam præſentem habeat, vel habere valeat?..... Divi-

„ nus

„ nus itaque ille internæ aſpirationis radius quandoque infunditur, quandoque ſubtrahitur...... Quid igitur mirum ſi omne cor mœret, quòd Dominicam lucem ſemper præſentem habere non valet, ſine qua nihil clarè perſpicit, nihil rectè diſcernit?“

Ut autem ex recentioribus Theologis aliquem proferam, en ſeſe offert Contenſonius, in *Theol. mentis & cordis*, lib 8. diſſert. 2. cap. 2. ſpecul. 1. „ Si per auxilium ſufficiens, inquit, intelligamus pias cogitationes & ſacras affectiones, id eſt, gratiam actualem, experientiâ ipſâ ſatis conſtat juſtos ordinarios non ſemper his motibus agi, ſubindeque nec illa auxilia ſufficientia ſemper habere. Pauciſſimæ enim ſunt animæ illæ, quæ ad altum illum ſanctitatis gradum pervenerint, in quo perenni cum Deo conjunctione fruantur, ad ſuperna deſideriis ſemper tendant, & in cœlis aſſiduâ cogitatione converſentur.“

Et verò quantam juſtis illis injuriam facimus, ſi ſentiamus nullum ab eis peccatum committi, quin prius à Deo illuſtrati & excitati divinis illis inſpirationibus reſiſtant; cum certum ſit, eos præſertim qui eminenti ſunt ſanctitate, vix aliter peccare quàm per ignorantiam aut per incogitantiam, nihilque eſſe, quo vel leviter Deum offenſum iri ſuſpicentur puriſſimæ illæ animæ, quod non ſummo ſtudio, ſummâ cautione ſtatim devitent? „ Et tamen, ait Contenſonius, lib. 6. diſſert. 3. cap. 1. q. 5, „ ipſi ſancti de quotidianis peccatis ſuis teſtimonium perhibent, & verum eſt teſtimonium eorum...... Et orant cum Propheta: *Ab occultis meis munda me, Domine:* nec tamen ab illis, ſive à Deo, ſive à ſe omnino excuſantur, ſed pro illis & puniuntur ſæpè, & conteruntur ſæpiùs, & ſemper humiliantur.“

Hæc momenta adeò valida ſunt, ut mirum mihi videatur Theologos non parvi nominis non ſolùm aliter ſentire, ſed etiam opinionem ſuam tanquam ad fidem pertinentem proponere. Vel enim tenentur dicere juſtos nunquam per ignorantiam aut incogitantiam peccare, vel, cùm ea peccata committunt, non peccare; vel eos incogitantes cogitare & non volentes velle; vel denique gratiam interiorem intellectûs & voluntatis aliud eſſe quàm piam cogitationem ac pium voluntatis motum: quæ ſingula cùm repugnent, hoc reſtat ut fateantur non dari omnibus juſtis, quoties peccant, actuale gratiæ auxilium.

His adde, argumenta quibus adverſa nititur opinio, ſi quid probarent, probatura eſſe non juſtis tantum, ſed omnibus hominibus gratiam dari Moliniſticè ſufficientem. Ideò enim gratiam ſufficientem juſtis ſemper adeſſe volunt, quòd alioqui præcepta non eſſent ipſis poſſibilia, nec eorum peccata imputabilia. Atqui ſi juſtis qui gratiam habent ſanctificantem, ſecluſo gratiæ actualis ſufficientis auxilio, mandata eſſent impoſſibilia, quantò magis infidelibus aliisque peccatoribus habituali gratiâ deſtitutis impoſſibilia forent? Deinde quo jure nonnulli dicunt mandata Dei, abſente auxilio Thomiſticè ſufficienti, juſtis non eſſe poſſibilia, eodem

eodem Moliniani frui ſe contendent, ut aſſerant gratiam ſuam ſufficientem ſolam eſſe quâ illa verè ac propriè poſſibilia fiant. Reverâ humana & ſuperba ratio, quæ ſortis ſuæ ſummam arbitram eſſe appetit, nunquam conticeſcet, niſi hujuſmodi auxilium omnibus dari agnoſcas, præter quod aliud non requiratur ad benè agendum. Talis autem gratiæ auxilium quantùm Scripturæ, Traditioni ſanæque doctrinæ repugnet, ſupra oſtendimus.

QUINTA PROPOSITIO.

Quàmvis gratia actualis, ſive efficax, ſive excitans, quam ſufficientem appellant, juſtis omnibus, inſtante præcepto, non ſemper detur, nihilominùs omnibus juſtis, ſive volentibus & conantibus, ſive non cogitantibus, adeòque nec volentibus nec conantibus, præcepta ſemper poſſibilia ſunt: habentque omnes juſti per gratiam habitualem & ſanctificantem vires ſufficientes in ſuo genere, ſi non ad præcepta difficilia immediatè implenda, ſaltem ad orandum; tametſi, ut hic & nunc applicentur hæ vires ad benè agendum, vel ad orandum, opus ſit adjutorio gratiæ actualis, quod non ſemper habent.

SEQUITUR hæc Propoſitio ex dictis ſupra, ubi oſtendimus gratiam habitualem verè ac propriè dici poſſe ſufficientem in ſuo genere, & conferre voluntati potentiam realem & permanentem obſervandi mandata. Hæc autem potentia non eſt tantùm phyſica & antecedens, ſed etiam moralis & conſequens, vireſque benè agendi complectitur. Cùm enim vires in amore ſitæ ſint, totæque ab illo pendeant, gratia habitualis, quæ, ſi non ipſa caritas eſt, à caritatis ſaltem dominio ſeparari nequit, non poteſt non præbere voluntati vires faciendi bonum & fugiendi malum.

Hæ vires non in omnibus juſtis æquales ſunt, ſed in aliis majores, in aliis minores, prout magis vel minùs in juſtitia profecerunt: ideòque inter juſtos quidem dicuntur fortes & perfecti, qui maxima & difficillima præcepta implere valeant; quidam verò debiles & imperfecti, qui eadem præſtare nondum valeant. B. Petro ante paſſionem Chriſti juſto quidem, ſed adhuc imperfecto, dicit Chriſtus: *non potes me ſequi modo.* At idem Apoſtolus indutus virtute ex alto, & caritatis ardore ſuccenſus, Dominum ſuum uſque ad mortem crucis intrepidè confeſſus eſt.

Verùm, etſi non omnes juſti, ſecundùm præſentes, quas per gratiam ſanctificantem habent, vires, graviores tentationes ſuperare adhuc idonei ſint,

ſint, nullus tamen juſtorum eſt qui per eamdem gratiam ſatis virium non habeat ſaltem ad orandum: quod ſi fideliter atque humiliter faceret, majus procul dubio gratiæ corroborantis auxilium à Deo impetraret, cujus ope imminentem tentationem vel ſuperaret, aut ſaltem effugeret.

Igitur omnibus juſtis mandata ſemper poſſibilia ſunt, non ſolum potentiâ illâ phyſicâ & naturali, quæ ineſt ipſis infidelibus, omni vigore & robore deſtituta, ſed etiam potentiâ morali & ſupernaturali, quâ ſatis virium habent vel ad implendum immediatè præceptum, vel ad implorandum novas ac majores vires.

Equidem vires illæ per gratiam habitualem ſubminiſtratæ in actum non exeunt abſque actuali Dei auxilio. Non ideò tamen non ſunt in ſeipſis ſufficientes, ſi juſtus eis uti voluerit. Verbi gratiâ, licet Petrus ante paſſionem Chriſti non ſatis virium haberet ad moriendum pro Chriſto, quia tamen ex caritatis habitu ſatis validus erat ut oraret ſi voluiſſet, quòd non oravit, non impotentiæ fuit, ſed ſocordiæ ac negligentiæ; cujus profectò nulla, præter ipſius voluntatem ſeipſâ deficientem, cauſa requirenda eſt.

SEXTA PROPOSITIO.

Juxta ordinarium divinæ providentiæ curſum, gratiæ actualis auxilia plus vel minùs, majora vel minora juſtis dantur, pro gradu & menſura gratiæ ſanctificantis in eorum cordibus diffuſæ.

CONSTAT iſta Propoſitio ex experientia, juxta quam viri eximiæ ſanctitatis perennem quamdam cum Deo conjunctionem habent, frequentiſſimis ad ſuperna deſideriis tendunt, ad quælibet pietatis & caritatis officia promptiſſimi ſunt, temporalia omnia ita deſpiciunt, ut nec mundi blanditiis moveantur, nec minis terreantur: cùm è contrario juſti imperfecti, aut in caritate minus formati, rariùs in Deum ſuſpirent, debilioribus motibus ad bonum impellantur, & multis tentationibus ſuccumbant, quæ à provectioribus facilè ſuperantur.

Hinc quidam juſti plurima facere poſſunt quæ alii non poſſunt. Quamvis enim omnes juſtificati per gratiam ſanctificantem poſſe quoddam in actu primo habeant, & actualibus auxiliis non deſtituantur, quidam tamen, pro gratiæ ſanctificantis gradu & menſura, majoribus auxiliis adjuvantur, quibus etiam graviſſimas tentationes ſuperant. Alii verò in minori juſtitiæ gradu conſtituti, minori etiam à Deo gratias actuales

tuales accipiunt, quibus leviores quidem tentationes ſuperant, ſed graviores ſuperare non poſſunt, eâ potentiâ quæ cum effectu conjuncta ſit.

Ex hoc certiſſimo principio fluunt duo graviſſima Chriſtianæ vitæ præcepta, quorum primo jubemur in juſtitia magis ac magis proficere ac firmari, ut tentationes graviores, quæ identidem ingruunt, majori caritatis robore vincamus, quibus juſtitia debilior opprimeretur. Altero monentur infirmi ne majora viribus ſuſcipiant, neque ſe eis negotiis implicent, ex quibus graves tentationes exurgunt. Nam, ut ait pius auctor *de Imitatione Chriſti*, lib. 3. cap. 7. num. 2: „ Quidam incauti „ propter devotionis gratiam ſeipſos deſtruxerunt, quia plus agere voluerunt quàm potuerunt, non penſantes ſuæ parvitatis menſuram, ſed „ magis cordis affectum ſequentes quàm judicium rationis: & quia majora præſumpſerunt quàm Deo placitum fuit, idcirco gratiam citò „ perdiderunt...... Qui adhuc novi ſunt & imperiti in via Domini, „ niſi conſilio diſcretorum ſe regant, faciliter decipi poſſunt & elidi.“

Quod experientia demonſtrat, confirmatur etiam ſuffragio celebriorum Theologorum, quorum aliquos appellare non abs re erit.

Eſtius in 2 Sent. diſt. 26. §. 22: „ Quantò perfectior eſt habitus, inquit, „ tantò perfectiores actus ex illo habitu per divinam motionem „ in homine producuntur. Movet enim Deus plerùmque ſecundum „ modum & perfectionem habituum quos dedit, ſicut in naturalibus.“

Contenſonius, lib. 8. differr. 2. cap. 1. ſpecul. 3. confectario 4: „ Conſiderandum eſt, ait, quod, licet ordo gratiæ, ut nomen ipſum ſonat, merè gratuitus ſit, totusque ex divina voluntate pendeat, ac „ proinde liberè à Deo, cujus judicia abyſſus multa, gubernetur, nihilominùs, juxta ordinatam Dei auctoris ſupernaturalis providentiam, invenitur in eo uſitatus quidam gratiæ curſus, à quo Deus „ raró, nec niſi noſtrâ culpâ abſcedit. Uſitatus autem ille gratiæ divinæ modus in eo poſitus eſt, ut, pro ratione & diſtinctione gratiæ & „ ſanctitatis habitualis, gratias actuales nunc validiores & frequentiores, nunc infrequentiores & invalidiores largiatur.“ Idem inculcat confectario 7, & concludit „ multùm juvare in gratia procedere & „ ire de virtute in virtutem, non ſolum quia habitualis infirmitas ſanatur & concupiſcentiæ æſtus temperatur, ſed etiam quia, pro diſtinctione gradûs ſanctitatis, diſtincta etiam auxilia conferuntur.“

Pag. 105. col. 1. Pag. 202. col. 2. Maſſoulié idem docet ac probat Differt. 1. q. 8. art. 10. & 12, & rurſus Differt. 3. q. 6. art. 4, ubi ſic loquitur: „ Quoties utplurimum „ majores ſunt ex divina gratia, vel ex intenſiore habitu, voluntatis „ vires, quàm ſit tentationis gravitas aut impetus cupiditatis, vincitur „ utplurimum tentatio: non quia alia prætereà gratia neceſſaria non „ ſit, ſed quia, ex divinæ providentiæ legibus, concurſus etiam in ordine ſupernaturali, nec ſolum in ordine naturæ, juxta prædominantem formam à Deo confertur: unde à juſto dicitur, ut notat S. Au„ guſti-

„ guſtinus: *Juſtum adjutorium meum à Domino.*“ Obſervat tamen, „ cum voluntas hominis viatoris à ſuo ultimo fine, ſcilicet Deo, ſe- „ juncta, quo ſolo firmari poteſt, ſemper in omnem partem vertibilis „ ſit, fieri inde ut nunquam hujuſmodi concurſus & adjutorium ita de- „ beatur, quin etiam denegari poſſit.“

Dixi hunc eſſe uſitatum gratiæ ordinem, quia Deus, occultis conſiliorum ſuorum judiciis, non ſolum nonnullos in juſtitia parum progreſſos graviſſimarum tentationum, quæ illorum vires habituales ſuperare videbantur, potentioris gratiæ actualis auxilio victores efficit, ſed etiam peccatores obduratos quandoque ſubitò emollit & ad eminentem virtutis gradum brevi provehit. Nonnunquam verò eximiæ ſanctitatis viros non valde gravibus tentationibus ſuccumbere permittit, ut omne os obſtruatur, &, qui gloriatur, in Domino glorietur.

Ex dictis colligere eſt juſtis, quandiu juſti ſunt, actualia gratiæ auxilia non diu deeſſe. Cùm enim in eorum corde caritas regnet, conſequens eſt ut pluribus ac majoribus motibus ad Deum ac pietatem, quàm ad peccatum, impellantur; quia, ut jam ſæpè diximus & repetere non piget, vacare non poteſt amor in corde amantis. Unde quando non ſolum ineſt aliquod ſanctæ dilectionis initium, ſed per infuſam juſtificationis gratiam caritas in corde dominatur, fieri vix poteſt ut ex juſtitiæ habitu non exurgant magis vel minùs frequentia boni deſideria. „ Voluntas quippe per habitum perfecta, ait S. Thomas in 2 diſt. 34. art. 3. ad 2, „ ab actu virtutis ut in minori parte deficit,“ habitu ſcilicet eam inclinante, & eum concurſum exigente, quo ad actus ſibi correſpondentes crebriùs moveatur.“ Quapropter SS. Patres, quorum teſtimonia ſupra prodita ſunt, non dicunt ſimpliciter juſtos gratiâ deſeri, ſed *aliquantùm*, *aliquantulùm*, *paululùm* deſeri vel ſubdeſeri. „ Deſerit aliquantulùm Deus unde ſuperbis, ait S. Auguſtinus, ut diſcas ſuperbus „ non eſſe.“

SEPTIMA PROPOSITIO.

Ut gratiæ auxilium, ſive efficax, ſive excitans, interdum juſtis non detur, in ipſis ſemper cauſa eſt, non in Deo: atque hoc ſenſu rectè intelligi poteſt neminem à Deo deſeri niſi priùs deſerentem.

Frequens eſt apud SS. Patres iſtud effatum, Deum neminem deſerere niſi prius deſeratur; ideòque neminem ob gratiæ privationem excuſare ſe poſſe, quia nemo niſi ſuâ culpâ illâ privatur. Multa jam hac de re-

re diximus capite præcedenti, in reſponſione ad ſecundam objectionem, quibus addi poſſunt ſequentia teſtimonia juſtos præſertim ſpectantia.

S. Chryſoſtomus, hom. 34 in Matth. al. 35. num. 3 (tom. 7. pag. 393, al. tom. 1. pag. 413): „ Qui negat Chriſtum, cùm dono gratiæ „ vacuus ſit, ita negat. Cur ergo accuſatur, inquies, ſi is qui negat „ ita derelinquitur? Quòd, qui derelinquitur, culpâ ſuâ derelinquitur."

S. Auguſtinus, lib. *de Natura & gratia*, cap. 26. num. 29, obſervat eo differre medicum hominem à Deo, quòd medicus ſanatum hominem in ſanitate non conſervet. „ Ipſe autem Deus, inquit, cùm per media- „ torem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, ſpiritaliter ſanat „ ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt, juſtificat impium, & eum „ ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamque „ perduxerit, non deſerit niſi deſeratur, ut piè ſemper juſtèque vi- „ vatur." Et ſanè, ut ratiocinatur Enarrat. in pſ. 66. num. 7, „ im- „ pium te quæſivit ut redimeret: redemptum deſeret ut perdat?"

S. Proſper in Reſponſ. ad Capitula Gallorum, object. 15. num. 7: „ Quàmvis omnis potentia Dei potuerit vires ſtandi præbere lapſuris, „ gratia tamen ejus non priùs eos deſeruit quàm ab eis deſereretur." Et in Reſponſione ad objectiones Vincentianas, object. 7: „ Dei vo- „ luntas eſt ut in bona voluntate maneatur, qui &, priuſquàm deſera- „ tur, neminem deſerit, & multos deſertores ſæpe convertit." Et ob- ject. 14: „ Deus receſſurum non deſerit antequàm deſerat; & facit „ plerùmque ne deſerat, aut etiam, ſi diſceſſerit, ut redeat."

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 2. cap. 12: „ Certiſſimè „ noverimus nullum fidelium à Deo non diſcedentem relinqui, neque „ cujuſquam ruinam ex divina eſſe conſtitutione diſpoſitam."

Tom. 2. pag. 64. col. 1. S. Bernardus, Meditatione 7. num. 1: „ Deus qui in te habitat, ſi „ tamen habitat, eripiet te à morte & à dæmone; fidelis enim ſocius „ eſt, nec deſerit ſperantes in ſe, niſi ipſe prior deſeratur."

Egregiâ ſimilitudine iſtud illuſtratur. Docet concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 16, „ Chriſtum Jeſum, tanquam caput in membra & tan- „ quam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influere; „ quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſub- „ ſequitur." Hoc poſito, quemadmodùm caput in membra & vitis in palmites jùgiter influunt id omne quo vivunt, vigent & operantur, & ſine quo deficiunt, areſcunt & moriuntur; ſi verò aliquod membrorum aliquiſve palmes influxum illum non recipit, hic defectus non capiti, non viti attribuendus eſt, quaſi ex ſeipſis influere deſinant, ſed ipſius membri ipſiuſque palmitis vitio, per quod influxus ille vel penitùs intercipitur, vel plurimùm minuitur: ita, quando juſti actuali influxu gratiæ vel omnino, vel aliqua ex parte deſtituuntur, in ipſis tantummodò cauſa eſt, non in Chriſto.

Notandum autem eſt Deum propriè non deſerere, niſi quando vel ab ani-

Digitized by Google

anima, quam inhabitabat, recedit, vel illuſtrationes & inſpirationes interiores, quas anteà largiri conſueverat, ſubtrahit. Quando verò alicui juſto non tribuuntur illuſtrationes & inſpirationes interiores, quas priùs non habuit, non deſertio eſt, ſed auxilii indebiti juſta negatio. Quando v. g. juſtus, urgente aliquo divinæ legis mandato, quod ignorat & addiſcere neglexit, actuali lumine veritatis (quod, juxta ordinarium providentiæ curſum, Deus diſpenſare non conſuevit, niſi pro modo & menſura diſpoſitionum habitualium, ut in præcedente Propoſitione dictum eſt) interiùs non illuſtratur, ut cognoſcat quod ſibi agendum eſt, non deſertio eſt, ubi nihil priùs collatum ſubtrahitur, ſed beneficii indebiti mera non largitio, cujus non alia cauſa eſt quàm negligentia quæ præceſſit, divinorumque mandatorum ignorantia culpabilis. Pariter cùm juſtus debilis & imperfectus in aliquam gravem tentationem incidit, quæ caritatis ipſius menſuram ſuperat, auxilioque tantùm debili & ſuis viribus habitualibus proportionato adjuvatur, & corruit, non deſeritur, ut pote qui, quantum ipſius diſpoſitioni congruit, adjutus eſt. Quòd verò non ampliùs adjutus fuerit, non Deo imputare debet, ſed ſibi ipſi, qui in juſtitia, quantùm debuerat, proficere non ſtuduit.

Sed cùm juſtus vel aliquid amittit quod jam acceperat, vel minùs adjuvatur quàm menſura ipſius cognitionis habitualis & gratiæ ſanctificantis poſtulare videtur, tunc verè aliquo ſenſu deſeritur: id autem nunquam accidit, niſi priùs ipſe Deum deſeruerit, vel aliquo præcedente peccato, vel affectionem & intentionem ſuam convertendo ad aliqua, quibus gratiæ auxilio impedimentum præbuerit.

Primò quidem privationem illam aliquo præcedente peccato, ſaltem veniali, utplurimùm meritus eſt. Quis enim eſt homo juſtus qui non peccet? Peccanti autem auxilium gratiæ juſtè ſubtrahi poſſe quis dubitet; cùm ipſe Languetus fateatur „ nullum eſſe juſtum, qui ſuis quotidianis delictis Deo non præbeat juſtas rationes ipſi denegandi auxilia gratiæ efficacis, ſine quibus nemo perſeverat, ſi in ſeveritatis rigore cum ipſo agere vellet?“ Quod autem ille confitetur de auxiliis efficacibus, de auxiliis quoque excitantibus dici eodem jure poteſt, cùm utraque pariter gratuita & indebita ſint. Quamobrem Richardus Victorinus, in tract. *de Statu interioris hominis*, cap. 22, cùm dixiſſet, pag. 31. col. 1, auxilium gratiæ homini, quandiu innocens fuit, ſubtrahi non potuiſſe, addit: „ Nunc autem, nunc omni horâ poteſt gratia juſtè „ ſubtrahi, quia nunquam poteſt homo ſine culpa inveniri.“

5ª Epiſt. Paſt. part. 2. §. 109, pag. 393.

Quanquam autem ſingula peccata venialia nonnullam auxiliorum gratiæ ſubtractionem mereri nata ſint, quædam tamen illam peculiariter accerſunt. Talia ſunt imprimis: 1°. Negligentia & tepor, juxta illud Apocal. III. 16: „ Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.“ 2°. Orationis neglectus. Sicut enim omni rectè petenti datur, ſic ad Deum non recurrenti, aut non ſicut oportet recurrenti, juſto judicio

Digitized by Google

non datur. 3°. Superbia & inanis de ſuis viribus præſumptio. *Deus quippe*, ut ſacer textus ſæpiſſimè denuntiat, *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam;* & qui dicit *in abundantia* ſua: *non imovebor in æternum*, ab illo facies Domini plerùmque *avertitur*, & corruendo in peccatum fit *conturbatus*. 4°. Ingratitudo erga dona jam accepta. „ Illum „ enim, qui de parvo gratias agit, ait S. Auguſtinus ſerm. 283, olim 42 de Diverſis, cap. 4, „ ad magnum Deus admittit: qui autem de mag- „ nis gratias non agit, & quod habet amittit.“ Et S. Bernardus, ſerm. 1. in capite Jejunii, num. 4: „ Non modò nihil augetur ingrato, ſed &, „ quod acceperat, vertitur ei in perniciem.“ 6°. Peccata ergà proximos, qualiacunque ſint: ſiquidem Chriſtus expreſſè declarat, Luc. VI. 37 & 38: *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare & non condemnabimini: dimittite & dimittemini: date & dabitur vobis. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum: eâdem quippe menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis.*

Si dicas rationem hanc non plenè ſatisfacere; quæri etenim quid cauſæ ſit cur Deus juſtum in primum veniale peccatum labi permittat: respondeo hujus permiſſionis non aliam cauſam quæri oportere, quàm juſtitiæ in hoc naturæ corruptæ ſtatu, in quo caro ſemper adverſus ſpiritum concupiſcit, infirmitatem, quæ tanta eſt in juſtis etiam perfectioribus, ut ſine ullo peccato vivere nequeant. Cùm ergo Deus juſtos in primum veniale peccatum labi permittit, non eis aufert quod donavit: „ ſine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei,“ ut dicitur Rom. XI. 19. Sed ideò illos non efficaciter adjuvat, quia caritatis imperfectio, quæ tota ab ipſis eſt, non niſi debilioribus auxiliis moduloque ſuo proportionatis adjuvari exigit.

Alia quoque negationis gratiæ cauſa eſt, & quidem proxima, nempe actualis converſio ad creaturas, quæ ex ſeipſa gratiam quodammodò repellit, & ejus defectum ordine ſaltem naturæ antecedit. Priùs eſt quippe voluntatem inordinatè converti ad bonum commutabile, quàm averti & deficere à bono incommutabili, ad quod anteà converſa erat. Cum enim voluntas non poſſit eſſe ſine aliquo amore, nec duobus amoribus oppoſitis ſimul actu deliberatè delectari, inde ſequitur eam non ante averti à bono quod amabat, quàm ad aliud ſe convertat. Unde quemadmodùm amor creaturarum non excluditur niſi amore creatoris, ita amor Dei, qui propriè gratia eſt, non excluditur niſi actuali inordinato amore creaturarum. Ut enim ait S. Auguſtinus, lib. 2 *de Serm. Domini in monte*, cap. 4, num. 14: „ Deus ſemper paratus eſt dare,..... ſed non „ ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur.“ Omne autem quod aliud excludit, illius privationem, ordine ſaltem naturæ, præcedit: ac proinde non ideò voluntas inordinatè convertitur ad ſeipſam vel ad alias creaturas, quia gra-

Digitized by Google

gratiæ auxilio, hoc eſt, actuali dilectione Dei deſeritur; ſed è contrario, quia inordinatè convertitur ad creaturas, hinc fit ut actuali Dei dilectione gratiæque auxilio priùs ſibi conceſſo ſeipſam privet. Igitur, ut ait S. Auguſtinus, lib. 13 de Civitate Dei, cap. 15, „ non deſeria eſt „ (anima) ut deſereret, ſed, ut deſereretur, deſeruit. Ad malum quippe „ prior eſt voluntas ejus: ad bonum verò prior eſt voluntas creatoris „ ejus.“ Unde lib. 4 Confeſſ. cap. 9. num 14, Deum alloquens: „ Te, inquit, „ nemo amittit, niſi qui dimittit,“ ad aliud ſcilicet affectum ſuum convertendo.

Idem docent alii Patres.

S. Bernardus, Meditat. 7. num. 1, cùm dixiſſet Deum non deſerere ſperantes in ſe, niſi prior ipſe deſeratur, exponens quid ſit Deum deſerere, ſubdit: „ Deſeritur autem cum cor per pravas & inutiles cogi- „ tationes vagâ mente diſcurrit. Idcirco, ait, omni ſolitudine & cuſ- „ todia illud cuſtodire & tenere debes, ut in illo Deus requieſcere „ poſſit.“

Præclarè id explicat S. Anſelmus multis in locis, præſertim in dialogo *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 4. En ipſius verba: „ Sic „ gratia ſubſequitur donum ſuum, ut nunquam, ſive magnum, ſive par- „ vum ſit, illud dare deficiat, niſi liberum arbitrium, volendo aliud, „ rectitudinem quam accepit deſerat. Nunquam enim ſeparatur hæc „ rectitudo à voluntate, niſi quando aliud vult quod huic rectitudini „ non concordat; ſicut cùm quis accipit rectitudinem volendi ſobrieta- „ tem, & rejicit eam volendo immoderatam bibendi voluptatem. Quod „ cùm facit ſuâ voluntate, & ideò ſuâ culpâ, perdit gratiam quam ac- „ cepit.“

Ne tamen inde concludas voluntatem hominis juſti cauſam pariter eſſe cur gratiæ auxilio non deſeratur. Nam longè aliter ſentiendum eſt de collatione vel de conſervatione gratiæ, ac de ejuſdem ſubſtractione. Quòd juſtus auxilio gratiæ non deſeratur, ſola miſericors & gratuita Dei voluntas in cauſa eſt: quòd autem eâ privetur, ſola ipſius voluntas cauſa eſt, quæ ad malum ſibi ſufficit. Neceſſe ergo non eſt ut juſtus auxilio quod accepit priùs privetur, quàm in peccatum incidat; ſed, ut gratiam ipſe non deſerat, ſpeciali auxilio gratiæ indiget, ut docet S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. num. 14 & 15. „ Si- „ cut operatur (Deus) ut accedamus (ad eum), ſic operatur ne diſce- „ damus...... Manus igitur Dei iſta eſt, non noſtra, ut non diſcedamus „ à Deo.“ Et cap. 16. num. 12: „ Voluntate ſuâ quiſque deſerit „ Deum, ut deſeratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideò petimus ne „ inferamur in tentationem, ut hoc non fiat; & ſi exaudimur, utique „ non fit quia Deus non permittit ut fiat.“

Idem autem obſervaverat S. Ambroſius in pſalm. 37. num. 55. „ Quàm- „ vis, inquit, (Propheta David) ſubſequatur juſtitiam, non ſuæ virtu- „ tis

„ tis putat eſſe, ſed gratiæ cœleſtis, ſi non deſeratur à Chriſto; eòque „ orat impenſiùs dicens: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne* „ *diſceſſeris à me.*" Uno verbo omnis boni noſtri prima & efficax cauſa Deus eſt: defectionum verò & privationum prima cauſa nobis ipſi ſumus. Vide P. Maſſoulié, Diſſert. 1. q. 8. art. 13 & 14, iſtud argumentum ex S. Thomæ principiis dilucidè tractantem.

Dices forſitan juſtum per converſionem ad creaturas Deum deſerturum non fuiſſe, ſi gratiæ auxilium habuiſſet, quo Deum non deſereret. Id quidem veriſſimum eſt. Fieri enim nequit ut, Deo operante ne deſeratur ab homine, homo deſerat Deum. Sed inde non ſequitur privationem gratiæ cauſam eſſe actûs inordinati, aut ei præſupponi, uti probat idem Maſſoulié triplici argumento petito ex S. Thoma. 1°. „ Quia „ actus per ſe intenditur ab agente, privatio verò gratiæ præter inten- „ tionem duntaxat conſequitur. 2°. Quia actus oritur à voluntate ut „ agente, privatio autem gratiæ in voluntate ut patiente recipitur; „ actio verò paſſionem antecedit. 3°. Quia actus inordinatus culpa eſt, „ ſubtractio gratiæ eſt pœna; culpa verò pœnam antecedit." Ergo priùs eſt ordine naturæ hominem ad creaturas affectu immoderato ſeſe convertere, quàm privari auxilio gratiæ, quàmvis eodem inſtanti temporis hæc duo exiſtant.

Cæterùm, ex ipſa voluntatis corruptione per peccatum originale contracta, & in juſtis ipſis ad mortem uſque permanente, ineſt ſemper in homine cauſa cur Deus eum permittat cadere in peccatum, ut ex SS. Auguſtino, Gregorio & Thoma obſervat Lemos, Panopliæ tom. 2. tract. 3 de Reprobatione, cap. 16. num. 237. „ Permiſſionis in pec- „ catum actuale cauſa eſt etiam originale peccatum, non per ſe, quia „ jam totaliter eſt remiſſum, ſed per effectum in baptizatis relictum. „ Potiſſimus enim effectus peccati originalis eſt, quòd homines juſtificati „ in accepta juſtitia ſtabiles non ſint, niſi ex ſpeciali dono gratiæ con- „ ſerventur: quod, quibus datur, ex miſericordia datur; quibus autem „ non datur, ſed ut cadant permittitur, juſtè ipſis, quod ipſi ex ſe „ poſtulant, tribuitur, quia id ex primi parentis peccato acceperunt..... „ Et ex conſequenti, cùm Deus quoſdam, & potiſſimè reprobos, cadere „ in actuale peccatum permittit, juſtè eis tribuit quod ipſi ex infirmi- „ tate ex peccato primi parentis derivata poſtulant; quæ proinde cauſa „ erit petens ut ſic à Deo cadere permittantur." Idem docet Gonetus in Clypeo Thomiſtico, diſput. 15. art. 3. §. 6.

Solvuntur Objectiones adverſùs ſecundam & quartam Propoſitionem.

Tournely, tr. de Grat. t. 2. p. 490. Objiciunt 1° hæc Apoſtoli verba, 1 Cor. X. 13: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, &c. Verum hujus textûs ſenſum ſupra jam declaravimus; ac probavimus eum non ſpectare om-

nes

nes juſtos, ſed tantùm illos qui piè ac fideliter petunt, & præſertim electos.

Objiciunt 2°. Concilium Arauſicanum II, can. 25, ſic loquitur: Tournely, ibid. pag. 494. & ſeq.
„ Hoc etiam ſecundùm fidem catholicam credimus, quòd, acceptâ per
„ baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperan-
„ te, quæ ad ſalutem pertinent poſſint ac debeant, ſi fideliter laborare
„ velint, adimplere." Præſtò eſt ergo, inquiunt, omnibus baptizatis auxilium gratiæ, cujus ope mandata implere poſſint. Hoc autem auxilium quodnam eſt, niſi gratia ſufficiens?

Reſpondeo: Nego conſequentiam. Concilium non dicit actuale gratiæ auxilium omnibus baptizatis dari, de quo unicè hic agitur; ſed omnes baptizatos, Chriſto auxiliante & cooperante, mandata implere poſſe ac debere. Quibus verbis profectò non gratiam quam ſufficientem vocant, ſed efficacem intelligit, quâ præcepta divina poſſibilia fiunt, eâ poſſibilitate quæ ſemper eſt cum effectu conjuncta. Quis enim gratiam merè ſufficientem appellet, quæ non operantibus utique non cooperatur? Ac reverâ ſoli gratiæ efficaci cooperantis nomen attribuit S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 17. „ Cùm volumus, inquit, „ & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine
„ illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona
„ pietatis opera nihil valemus." Senſus ergo canonis eſt, Dei præcepta baptizatis non eſſe impoſſibilia, quia per efficax gratiæ auxilium, quod rectè petentibus Deus non denegat, impleri poſſunt.

Objiciunt 3°. Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6 de Juſtificatione, cap. 11, Ibidem.
ſic loquitur: „ Nemo temerariâ illâ & à Patribus prohibitâ voce uti
„ (debet), Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſ-
„ ſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet & fa-
„ cere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis: cu-
„ jus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt & onus leve.
„ Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum,
„ ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermonem ejus: quod utique cum divino
„ auxilio præſtare poſſunt." Et canone 18 ejuſdem ſeſſionis: „ Si quis
„ dixerit Dei præcepta homini, etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto,
„ eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit." His verbis, aiunt, ſynodus decernit omnes juſtos Dei præcepta implere poſſe, aut ſaltem gratiam habere quâ, quod nondum poſſunt, petere poſſint: *Jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Decernit 2° mandata gravia non eſſe juſtis. Quomodò verò gravia non forent, ſi deſit gratia ſufficiens? Denique decernit omnes cum divino auxilio ſermones Chriſti ſervare poſſe. Nunquam ergo illis deeſt divinum gratiæ auxilium.

Reſpondeo in duplici illo textu nihil contineri quod innuat juſtis, quando præceptum aliquod implendum occurrit, gratiam actualem ſemper dari, quod tamen ſynodus apertè declarare debuit, ſi hæc illius mens

mena fuiſſet; ſed proſcribi errorem Lutheri & Calvini, contendentium Dei præcepta homini etiam juſtificato impoſſibilia eſſe, nulloque gratiæ auxilio hac in vita fieri poſſibilia; quem errorem Catholici omnes deteſtantur. Eum autem damnat ſancta ſynodus, quia *qui Chriſtum diligunt*, teſte ipſomet Chriſto, *ſervant ſermones ejus*. Patet ergo concilium non loqui de mera poſſibilitate, ſed de poſſibilitate cum effectu, quam imprimis negabant novatores, adeòque non de auxilio mere ſufficiente, cum quo mandata nunquam obſervantur, ſed de efficaci, quo fit ut reipſâ impleantur. Neque alia mens fuit S. Auguſtini libro *de Natura & gratia*, unde ſynodi definitio deſumpta eſt. Nam cap. 42 ſic loquitur S. Doctor: „ Neque de ipſa poſſibilitate contendo, cùm, ſanatâ & adjutâ „ hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in ſanctis pro„ veniat, dum caritas Dei, quantum pleniſſimè natura noſtra ſana at„ que purgata capere poteſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum „ ſanctum qui datus eſt nobis“ Deinde capite ſequenti ſic concludit: „ Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet & fa„ cere quod poſſis, & petere quod non poſſis.“ Nonne evidentiſſimum eſt S. Doctorem non loqui de nuda & ſimplici poſſibilitate, ſed de poſſibilitate cum effectu conjuncta, quæ gratiæ efficacis naturam ſanantis & adjuvantis proprium munus eſt? Non ergo alius Patrum Tridentinorum ſenſus fuit, ut ex ipſorum ſcopo manifeſtum eſt.

Ut tamen ſingula illius definitionis membra pleniùs intelligantur, ſynodus declarat 1° mandata non eſſe juſtis impoſſibilia, hoc eſt, obſervari ab eis poſſe cum gratiæ auxilio; quod negabat Lutherus. Declarat 2°, jubendo ſeu præcepta imponendo, nos admonere & facere quod poſſumus per gratiam viresque jam acceptas, & petere quod nondum poſſumus, hoc eſt, majus auxilium majoresque vires ad obſervanda majora legis præcepta. Declarat 3° Deum rectè petentes adjuvare, ut, quod præ virium debilitate nondum poterant, novarum virium acceſſione perficere poſſint. Declarat 4° mandata Dei gravia non eſſe, immo levia, non quidem omnibus, ſed iis qui Chriſtum ſincerè diligunt, atque ex ipſa dilectione ſermones ejus ſervant. Declarat 5° juſtos cum divino auxilio, quod ipſis dari ſemper poteſt, quodque ut oportet poſtulantibus nunquam denegatur, id præſtare poſſe. Hæc genuina eſt illius decreti interpretatio, in qua profectò nihil eſt quod Propoſitionibus noſtris vel tantillùm adverſetur, imò quod cum eis non optimè cohæreat.

Quod verò dicunt ſacram ſynodum, cùm dicit Deum jubendo monere & facere quod poſſumus, & petere quod non poſſumus, ſatis indicare gratiam ſaltem orationis ſemper omnibus juſtis dari, nimis ineptum eſt. Quaſi verò unum & idem ſit admonere & gratiam conferre, lexque jubens à ſpiritu adjuvante non differat.

Inſtant. Eadem ſynodus ibidem addit „ Deum ſuâ gratiâ ſemel juſtifi-

„ ca-

„ catos non deſerere, niſi ab eis priùs deſeratur.“ Atqui Deus juſtum deſereret, antequàm à juſto deſeratur, ſi præcepto urgente, auxilium ſufficiens non tribueret.

Tota hujus argumenti vis jam eliſa eſt ex dictis Propoſitione 7. Ut tamen difficultas omnis, ſi qua ſupereſſe poteſt, penitus evaneſcat, reſpondeo verba concilii, juxta pleroſque Theologos, id unum declarare, Deum juſtificatos non deſerere per ſubſtractionem gratiæ ſanctificantis, priusquàm ab ipſis per mortale peccatum deſeratur. Hæc interpretatio eſt Eſtii in 2. diſt. 26. §. 44. ad 5. „ Hoc, inquit, dictum eſt de gra- „ tia juſtificante, ut ex verbis ipſis patet, atque hunc ſenſum habet: „ Nunquam Deus gratiam ſanctificantem aufert ab homine, neque il- „ lius amicitiæ renuntiat, niſi propter peccatum ejus mortale. Nam „ mortale peccatum eſt quod gratiam expellit & amicitiam diſſolvit.“ Non minùs expreſſis verbis idem docent Sylvius in 1 part. q. 23. art. 5; Alvarez, lib. 7 *de Auxiliis*, diſp. 58, & diſp. 110. num. 19; Medina in 1 part. S Thomæ, q. 109. art. 4. prop. 4. obj. 3; Nazarius in 1 part. q. 23. art. 5; Ledeſma de Auxiliis, art 12. ad 7; Henricus à S. Ignatio, tom. 1 Ethicæ amoris, lib. 6. cap. 23. § 3; Antonius Reginaldus de Mente concilii Tridentini circa gratiam efficacem, part. 1. cap. 45; Serry Scholæ Thomiſticæ vindicatæ art. 10; Baronius in Manuductionis parte 3 dogmatica, diſp. 2. ſect. 3. art. 2. §. 4; Contenſonius lib. 8. diſſert. 2. cap. 2. ſpeculat. 1, & alii.

Hanc interpretationem manifeſtè confirmat tota textûs ſeriès. Nam paulò ante dixerat ſynodus, „ licet in hac mortali vita, quantùmvis „ ſancti & juſti, in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia di- „ cuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinere eſſe jus- „ tos.“ Hujus dicti rationem iſtam affert: „ Deus namque ſuâ gratiâ „ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.“ Ex quo patet, in mente concilii, eo ſenſu Deum juſtificatos non deſerere niſi priùs ab eis deſeratur, quòd gratia, quâ formaliter juſti ſunt, propter venialia peccata in quæ frequenter labuntur, non eis aufertur.

Moliniani ipſi, ſi conſequenter ſentire velint, ſynodi verba aliter intelligere nequeunt. Vel enim concilium loquitur de deſertione quæ fit per ſubſtractionem ſolius gratiæ ſanctificantis, vel de deſertione quæ fiat etiam per ſubſtractionem gratiæ actualis. Porro, juxta ipſos, Deus nemini unquam gratiam actualem ſubtrahit: non ſufficientem, quam etiam induratis dari volunt: non efficacem, ut pote quam à ſufficiente ſolo eventu diſcernunt. Reſtat ergo ut Patrum Tridentinorum verba non niſi de gratia ſanctificante intelligant.

2°. Poteſt nihilominùs concilii declaratio per extenſionem intelligi de ſubſtractione auxiliorum juſtis anteà conceſſorum, quibus nunquam niſi propriâ ipſorum culpâ privantur, in pœnam videlicet peccatorum venialium, ſine quibus vita cujuſlibet juſti, propter juſtitiæ imperfectionem,

non agitur. Quemadmodùm enim juſti Deum aliquatenus deſerunt ſuperbiendo, de ſe præſumendo, gratias ei non agendo, orare negligendo, deſidioſè vivendo; ſic merentur à Deo deſeri, nondum quidem per amiſſionem gratiæ ſanctificantis & virtutum infuſarum, ſed per privationem auxiliorum, quæ, juxta conſuetum divinæ providentiæ ordinem, niſi vigilantibus & orantibus non conferuntur.

3°. Quovis autem pacto intelligas, veriſſimum erit ſemper ex parte hominis cauſam eſſe cur auxilio gratiæ, ſive efficaci, ſive ſufficiente, non adjuvetur, adeòque Deum neminem deſerere, niſi priùs ab ipſo deſeratur. Ac nedum inde conſequatur omnibus juſtis, quoties præceptum urget, auxilium actuale ſufficiens ſubminiſtrari, ſequitur è contrario nullum eſſe juſtum qui ejusmodi auxilio jure privari non poſſit, quandoquidem in multis offendimus omnes, Deumque aliquatenus deſerimus.

Demum notandum eſt, etiam conceſſâ omnibus juſtis, quoties præceptum inſtat, gratiâ ſufficiente, difficultatem totam, quanta eſt, remanere, niſi (quod à mente Patrum Tridentinorum alieniſſimum fuit) gratiæ ſeipſâ efficacis neceſſitatem de medio penitus tollas, ac Molinismum purum putum amplectaris. Nam ſi gratia efficax ad omnes & ſingulos actus pietatis abſolutè neceſſaria eſt, quantùmvis ſufficientis auxilii, quod juſtis ſemper præſtò eſſe aſſeris, virtutem exaggeres, profectò Deus juſtum deſerere cenſebitur, cui auxilium efficax abſolutè neceſſarium non tribuit; immo illum etiam deſerit, cui, negatâ gratiâ congruâ, nonniſi incongruam tribuit. Recurrit ergo tota vis objectionis, ac ſemper quæritur quid cauſæ ſit cur Deus, qui neminem deſerit niſi prius deſeratur, homini juſtificato, ante omnem illius lapſum, non efficacem quâ omnino indiget, ſed ſufficientem tantùm ſive incongruam gratiam impertiatur, quam tamen præſcit nihil ei profuturam. Hujus quæſtionis non alia ſolutio eſt quàm ea quam ſupra protulimus; nimirum privationis gratiæ, ſive efficacis, ſive ſufficientis, cauſam eſſe infirmitatem voluntatis ex ingenita corruptione relictam, quâ ipſi etiam regenerati ad malum proclives ſunt, & nativam creaturæ è nihilo conditæ defectibilitatem, quâ fit ut homo, etſi juſtificatus, ſibi ſufficit ad recedendum à Deo; „ quia ad malum prior eſt voluntas ejus, ad bonum verò „ ejus prior eſt voluntas creatoris ejus," ut ait S. Auguſtinus, cap. 15. libri 13 *de Civitate Dei.* Igitur quòd homo Deum deſerat, ex ipſo homine eſt; quòd non deſerat, ex gratia Dei eſt, neminem niſi ſponte ſe avertentem deſerentis. Hinc S. Proſper in Reſponſione ad objectionem 15 Vincentii, cùm dixiſſet „ Deum receſſurum non deſerere ante- „ quàm deſerat, & facere plerùmque ne deſerat, aut etiam, ſi diſceſſit, „ ut redeat," ſtatim ſubdit: „ Cur autem illum retineat, illum non „ retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare; cum „ ſcire ſufficiat & ab illo eſſe quòd ſtatur, & non ab illo eſſe quòd „ ruitur."

Inſtant

Inſtant adhuc. Idem concilium, ibid. cap. 13, rurſus de juſtis hæc dicit: „ In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes „ debent. Deus enim (niſi ipſi illius gratiæ defuerint), ſicut cœpit „ opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.“ Quis, inquiunt, non videat concilium ibi loqui de actualibus gratiæ auxiliis, quæ ſibi ad perſeverandum non defutura juſtus quilibet firmiſſimè ſperare debet, niſi ipſe Dei gratiæ defuerit? Tournely, ibid. pag. 499.

Concedo totum. Sed quid inde? Juſtus quilibet firmiſſimè ſperare & confidere debet auxilium Dei ſibi non defuturum, & reverâ, ſi perſeveranter ſperet, hoc auxilium non ipſi deerit. Quis enim ſperavit in Domino, & confuſus eſt? Sed quoniam non omnes in auxilio Dei firmiſſimam ſpem ponunt, eoque defectu gratiæ deſunt, quid mirum ſi ipſis conſequenter auxilium gratiæ deſit?

Obſervandum eſt autem auxilium, de quo loquitur ibi ſynodus, eſſe auxilium efficax, non merè ſufficiens: eſt enim auxilium *quo Deus, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*, & cui ſpes Chriſtiana innititur. Atqui ſpes Chriſtiana non innititur auxilio ſufficienti, quod neminem unquam ſalvum fecit nec faciet, ſed auxilio efficaci, quod aſſiduis precibus implorandum nobis eſt, & quo ſolo ad ſalutem nos perventuros firmiſſimè confidere omnes debemus. Immeritò igitur ex hoc textu concludunt gratiam ſufficientem juſtis omnibus, occurrente præcepto, ſemper adeſſe.

Urgent. Idem concilium, cap. 16 ejuſdem ſeſſionis, de bonis juſtificatorum operibus ſic loquitur: „ Cùm Chriſtus Jeſus, tanquam caput „ in membra & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter „ virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit & „ comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent; nihil ipſis juſtificatis ampliùs deeſſe credendum „ eſt, quominùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, „ divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam...... „ verè promeruiſſe cenſeantur.“ Audis, ait Tournely, „ Chriſtum in „ juſtificatos jugiter virtutem influere. Audis nihil ampliùs ipſis deeſſe, „ ut divinæ legi ſatisfaciant. Quid ad rem noſtram ſplendidius ac evi„ dentius proferri poteſt?“

Planè audio hominem ſibi ſomnia fingentem, & poſt ſomnum nihil invenientem in manibus ſuis. Quid enimverò pro gratia ſufficiente, quæ omnibus juſtis, præcepto urgente, ſubminiſtratur, effici poteſt ex illis verbis, in quibus non de gratia ſufficiente, ſed de ſanctificante & de actuali efficace ſermo eſt? An, quæſo, per gratiam ſufficientem merentur juſti vitam æternam & divinæ legi ſatisfaciunt, cùm per eam, ſi ſola ſit, nullum fiat opus bonum? Quiſnam ergo ſynodi ſenſus eſt? Damnat errorem Lutheri & Calvini, quo meritum omne bonis juſtorum operibus abjudicabant, ut pote quæ, juxta ipſos, apparenter tantùm

 bona,

bona, reipſâ autem polluta & immunda ſint; decernitque bona opera quæ à juſtis fiunt, cum à Chriſti membris ipſiusque influxu procedant, verè bona eſſe, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfacere, & vitam æternam promereri. Quid verò iſta ad præſentem controverſiam pertinent?

Sed, inquies, ex concilio, *Chriſtus in juſtificatos jugiter virtutem influit.* Sanè virtutem gratiæ ſanctificantis, quæ radix eſt & principium meriti de condigno, jugiter in eos influit. Influit quoque, non jugiter, ſed quoties benè operantur, virtutem actualem efficacem, *quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur,* ut ſynodus loquitur. Sed inde concludere Chriſtum in juſtos, etiam cùm nihil operantur, vel quando peccant, virtutem actualem ſufficientem influere, nimis abſurdum eſt.

Objiciunt 3° Conſtitutionem Innocentii X, quâ damnatur ipſa prima è V Propoſitionibus Janſenio attributis. *Aliqua Dei præcepta juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia quâ poſſibilia fiant.* Ex hoc decreto, inquiunt, conſtat juſtis non deeſſe gratiam, quâ præcepta poſſibilia fiant. Atqui gratia quâ præcepta poſſibilia fiunt eſt gratia ſufficiens. Ergo illâ Conſtitutione definitum eſt juſtis nunquam deeſſe gratiam ſufficientem.

Reſpondeo, etiamſi concederetur gratiam actualem ſufficientem eam eſſe quâ mandata poſſibilia fiunt, inde inferri non poſſe illam omnibus juſtis dari; ſiquidem in memorata Propoſitione non de omnibus juſtis, ſed tantùm de juſtis volentibus & conantibus agitur; non omnes autem juſti volunt & conantur. Præterea ſequitur quidem ex hoc decreto juſtis volentibus ac conantibus præcepta eſſe poſſibilia; ſed non definitur per quam gratiam fiant poſſibilia: an per gratiam actualem ſeu efficacem, ſeu excitantem tantummodò, an per habitualem. Vel enim ea poſſibilitas intelligitur cùm effectu conjuncta, quam Lutherus & Calvinus in juſtis, quantùmcunque volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas in hac vita habent vires, reperiri negabant, ut Propoſitionis verba indefinitè prolata ſignificant; vel nuda poſſibilitas ab effectu ſejuncta. Si primum, dogma definitum hoc eſt, nulla eſſe Dei præcepta, quæ in hoc ipſo naturæ ſtatu per gratiam à juſtis integrè volentibus & conantibus impleri non poſſint; nec deeſſe hac in vita gratiam quâ mandata fiant illis poſſibilia, poſſibilitate cum effectu conjunctâ. Si alterum, veritas definita hæc eſt, nulla Dei præcepta juſtis volentibus & conantibus, quàmvis nonniſi imperfectè velint & conentur, eſſe impoſſibilia, nec deeſſe illis gratiam quâ poſſibilia fiant, quia nimirum tum habitualem, tum etiam excitantem gratiam habent, quæ ſingulæ veram ac realem poſſibilitatem conferant obſervandi mandata.

Quid verò dicendum eſt de juſtis non volentibus nec conantibus, de quibus in decreto nihil dicitur? Habent ſanè illi, vi gratiæ ſanctificantis

can-

Digitized by Google

cantis, veram, propriè dictam ac ſupernaturalem potentiam obſervandi mandata. „ Fateor ergo, ut utar verbis docti ac pii Contenſonii, lib. 6. Pag. 453.
„ differt. 3. cap. 1. q 5, omnes, maximè verò juſtos, ſecundùm præ-
„ ſentes quas habent vires, poſſe divina ſervare mandata, immo & pec-
„ cata venialia diviſivè vitare: ſed ad hoc ut poſſint, minimè requiritur
„ ut ſemper pias perſentiant cogitationes, alias ſemper actu bona cogi-
„ tarent; ſed ſat eſt quòd poſſint, ut reverà poſſint, ab actibus illicitis
„ & animum nimis, ſed venialiter, occupantibus abſtinere: maximè
„ quia piarum cogitationum ſubſtractio voluntaria eſt, ſaltem in ſua
„ cauſa, amore nimirum ſui & creaturarum; unde ipſa inconſideratio-
„ nis imprudentia & peccatum & pœna peccati eſt, ſpargente Deo pœ-
„ nales cæcitates ſuper illicitas cupiditates. Verè ergo catholicèque de-
„ finierunt SS. Pontifices juſtos, ſecundùm præſentes quas habent vi-
„ res, poſſe divina implere mandata, quia & gratiam, & virtutes infu-
„ ſas, & crebras habent inſpirationes, &, pro modo habitualis gratiæ
„ & ſtatu, modò majoribus, modò minoribus gratiis actualibus permo-
„ ventur, amplioribusque permoverentur niſi voluntariâ cæcitate ſæpè
„ nimis clauderent oculos cordis. Sed quòd actu infundantur omni-
„ bus, & ſingulis, & ſemper piarum cogitationum continentes motus,
„ non ſolùm non definiverunt, ſed non cogitare vel imaginari ſapientiſ-
„ ſimi Præſules potuerunt.

„ Quod verò dicunt nonnulli, addit, voluiſſe Romanos illos Antiſti-
„ tes, Deum juſtis ſemper actu immittere bonas cogitationes, ut auxi-
„ lium ſufficiens ſemper habere dicantur, ſed cogitationes illas animum
„ fugere mentemque latere; qui, inquam, hæc dicunt, SS. Pontifices
„ & reverà inhonorant, & ſententiam ſuam magis infirmant, falſam
„ doctrinam falſiori ratione cumulantes. Ubinam Pontificum aliquod
„ diploma legerunt, ubi affirmetur dari in nobis cogitationes nobis igno-
„ tas, ut per eas auxilium ſufficiens habere dicamur? Non poteſt cade-
„ re, non dico in Pontifices, non dico in Theologos, ſed nec in
„ homines, nec mulieres, nec infantes cadere, inquam, poteſt tale
„ commentum.“ Non ergo ultra progrediamur quàm præſcribunt Pon-
tificia decreta. „ Ex Innocentii quidem X habemus, inquit Henricus à
S. Ignatio, Ethicæ amoris tom. 1. lib. 9. cap. 29. §. 2. pag. 482,
„ gratiam illam (piam ſcilicet illuſtrationem & piam voluntatis af-
„ fectionem) non deeſſe juſtis volentibus & conantibus &c. Ibi ergo
„ ſiſtamus, neque hæc ad juſtos omnes, etiam non volentes nec co-
„ nantes, ſed velle & conari negligentes, extendamus...... Dicendum
„ juſtis non volentibus & conantibus, ſed velle & conari negligentibus,
„ orandi gratiam actualem non adeſſe.“

Objiciunt 4°. S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalm. 7, ad hæc verba: Tournely, ibid pag. 502.
Juſtum adjutorum meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde, hæc di-
cit, num. 10: „ Ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meri-

„ tum peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat, credens in eum qui juſ-
„ tificat impium: hic autem juſtum eſt, quia jam juſto tribuitur.“ Si auxilium, quod juſto datur, juſtum eſt, nunquam negatur à Deo juſto.

Reſpondeo adjutorium, de quo ibi loquitur B. Auguſtinus, eſſe adjutorium efficax, quod certum eſt non omnibus juſtis ſemper dari. Id patet 1° ex textu ipſo Scripturæ quem exponit S. Doctor, ubi de illo agitur auxilio quo Deus *ſalvos facit rectos corde:* nam adjutorium, quod ſalvos facit rectos corde, efficax eſſe quis dubitet? 2°. Agitur de auxilio quod juſti orando impetrant, ſeque accepturos confidunt. Quis verò juſtus ſibi ad perſeverandum popoſcit auxilium merè ſufficiens? Quamobrem S. Auguſtini verba vel non probant gratiam actualem ſemper juſtis dari, vel probarent nunquam eis deeſſe gratiam efficacem; quod nec ipſi concedunt adverſarii. Cur ergo adjutorium, quod peccatori petenti tribuitur, appellat adjutorium miſericors, illud verò, quod oranti juſto conceditur, vocat adjutorium juſtum? Quia ſcilicet peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat, nullum habet meritum, ſed pœnam tantùm meretur, ac propterea, quando exauditur, ex pura miſericordia exauditur: juſtus autem Deo jam acceptus eſt, & quamvis non ei debeatur donum orandi, tamen, quando cum recto corde orat ne malis corrumpatur, Deus ſibi ipſi ſuiſque promiſſis debet ut eum exaudiat. Unde ſubdit S. Doctor: „ Si enim medicinam exhibet, quâ ſanemur infirmi, quantò ma-
„ gis eam, quâ cuſtodiamur ſani, humiliter poſtulanti non denegat?
„ Quoniam ſi, cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mor-
„ tuus eſt, quantò magis nunc juſtificati ſalvi erimus ab ira per ip-
„ ſum?“

Cæterùm verſus Pſalmi 7 minùs rectè redditur per verba *juſtum adjutorium.* Vox juſtum pertinet ad præcedentia, *ſcrutans corda & renes Deus;* ita ut genuinus ſenſus ſit: *Scrutans corda & renes, Deus juſte. Adjutorium meum à Domino*, ut accuratè reddidit eruditus P. Houbigant his verbis: *Proba corda & renes, Deus juſte. Clypeus meus apud Deum eſt.* Quem ſenſum S. Auguſtinus in lingua hebraica parùm verſatus non animadvertit.

Inſtant. Idem S. Doctor, in lib. *de Correptione & gratia*, ſupponit omnibus juſtis adeſſe ad perſeverandum auxilium gratiæ ſufficiens. „ Si
„ enim, inquit cap 7. num. 11, ſicut veritas loquitur, nemo liberatur
„ à damnatione quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Jeſu Chriſti; &
„ tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt qui poterunt dicere non
„ ſe audiſſe Evangelium Chriſti, cùm *fides ex auditu* ſit; quantò minùs
„ ſe liberabunt qui dicturi ſunt, perſeverantiam non accepimus? Juſtior
„ enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm
„ dicentium non accepimus perſeverantiam; quoniam poteſt dici: ho-
„ mo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles;
„ nullomodò autem dici poteſt: id quod non audieras crederes ſi vel-
„ les.“

Digitized by Google

„ bis." Quomodò autem juſtus, qui non perſeverat, perſeveraret ſi vellet, niſi per gratiam ſufficientem haberet potentiam expeditam ad perſeverandum?

Reſpondeo mirum eſſe adverſarios tantoperè in his verbis confidere, quibus premuntur veriùs quàm juvantur. Quis enim negat juſtum perſeveraturum eſſe ſi velit, cùm perſeverare nihil aliud ſit quàm velle plenè & integrè; cùm è contrario nemo, etiamſi velit, iis quæ nunquam audivit credere ullatenus poteſt? Quo fit ut infideli, qui de Evangelio nihil audivit, non tam credendi voluntas quàm notitia credendorum & credendi poſſibilitas deſit; juſto autem non perſeveranti ſola deſit perſeverandi voluntas, qui ſanè defectus, nedum excuſare valeat, planè inexcuſabilem facit.

Inſuiſè admodùm reponit Tournely infidelem illum, cui, ex S. Auguſtino, nullomodò dici poteſt: *crederes ſi velles*, non ampliùs ſupponi carere notitiâ credendorum, proinde ſolam ipſi deeſſe credendi voluntatem; ſicut juſto mortaliter peccanti ſola deeſt perſeverandi voluntas. Quid enim manifeſtius quàm ibi opponi infidelem, qui, *non audito Evangelio Chriſti*, inde ſe excuſat, quòd non acceperit audientiam, & cui *nullomodò dici poteſt: id quod non audieras crederes, ſi velles;* opponi, inquam, juſto in fide & in juſtitia accepta non perſeveranti, immeritòque ſeſe excuſanti quòd perſeverantiam non acceperit, quaſi *in eo quod audierat ac tenuerat* non perſeveraret ſi vellet, cui ſola ad perſeverandum voluntas deficit? Ibid. pag. 507.

Nedum autem opinio quam refellimus illo textu fulciri poſſit, eo potiùs manifeſtè refellitur. Cùm enim juſti, amiſſâ juſtitiâ, inde ſe excuſatos putarent, quòd perſeverantiam non accepiſſent, quid illis reſpondere debuit S. Doctor, niſi injuſtè illos ſe excuſare, quandoquidem gratiam actualem ſufficientem ad perſeverandum acceperant, ſi reverâ ita ſenſiſſet? Non autem id reſpondet nec ullo modo inſinuat; immo manifeſtè ſupponit, juſtos qui non perſeverant, non accepiſſe perſeverantiam, hoc eſt, gratiam ad perſeverandum neceſſariam; quòd autem eam non acceperint, ad incomprehenſibilia Dei judicia pertinere. Ibidem enim, cap. 8. num. 17: „ Si à me, ait, quæratur cur eis Deus perſeveran„ tiam non dederit, quibus eam, quâ Chriſtianè viverent, dilectionem „ dedit, me ignorare reſpondeo. Non enim arroganter, ſed agnoſcens „ modulum meum audio dicentem Apoſtolum: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Et: *O altitudo* &c.

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

An gratiam ſufficientem dari neceſſe ſit, ut mandata ſint poſſibilia, ut peccatum juſtè imputetur, & ut delinquentes rectè corripi queant.

Adversùs doctrinam hactenus aſſertam tria potiſſimùm opponebant olim Pelagiani & Semipelagiani, & etiamnum gratiæ ſeipſâ efficacis inimici opponunt. Primum eſt, mandata fore impoſſibilia, ſi ſimul cum mandato non datur gratia ad eorum obſervationem neceſſaria. 2um. Peccata juſtè imputari non poſſe, niſi ad ea vitanda ſufficiens auxilium ex parte Dei præceſſerit. „ Si nihil Deus famulo dedit, inquiebat Fauſtus, lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 4, „ à famulo quid „ repoſcit?“ Et lib. 2. cap. 7, loquens de infidelibus: „Inexcuſabiles „ apud Deum non eſſent, inquit, niſi & extrinſecus & intrinſecus co„ piam percipiendæ veritatis habuiſſent.“ Sociniani quoque in Catechiſmo Eccleſiæ Polonienſis, ſect. 6. cap. 10, ſic loquuntur: „ Neque „ quidquam Deus ſupra vires à quoquam exigere cenſendus eſt, cum „ ſit ſapientiſſimus, juſtiſſimus, optimus: aut auxilium ſuum ulli de„ negat, ex iis quibus voluntatem ſuam patefacit; alioquin contuma„ ces juſtè punire non poſſet, imò nec contumaces eſſent ulli.“ 3um. Peccantes immeritò corripi, qui auxilio ad non peccandum neceſſario caruerint. Hæc tria totidem Propoſitionibus refellemus.

PRIMA PROPOSITIO.

Neceſſe non eſt gratiam actualem dari ut mandata dicantur & ſint verè poſſibilia.

Conſiderari poteſt hæc Propoſitio vel reſpectu juſtorum, vel reſpectu peccatorum, aut etiam infidelium excæcatorum & obduratorum.

Cardinalis Biſſius, in Mandato contra Inſtitutiones Theologicas P. Juenin, & in Documento Paſtorali anni 1716 contra 14 Epiſtolas Theologicas, Tournely in ſuo tractatu de Gratia (tom. 2. pag. 563), Languetus & alii complures docent de fide non eſſe mandata cæteris hominibus, juſtis exceptis, non eſſe impoſſibilia; quia, inquiunt, fide Catholicâ

tholicâ non tenemur credere Deum omnibus hominibus largiri gratias ſufficientes quibus poſſint mandata obſervare.

Sed errant illi graviſſimè. Nam ſancti Patres, quoties docent mandata Dei non eſſe impoſſibilia, ſeu Deum impoſſibilia non præcipere, non de juſtis tantummodò, ſed generatim & abſolutè id pronuntiant, ut ex ipſorum teſtimoniis alibi relatis manifeſtum eſt. Præterea vel de fide eſt mandata nunquam eſſe abſolutè impoſſibilia, vel catholicè dici poteſt aut Deum punire transgreſſionem præceptorum quæ obſervare impoſſibile fuit, aut certè aliquas præceptorum transgreſſiones, eorum videlicet quæ obſervare impoſſibile ſit, impunitas fore: quorum unum juſtitiæ divinæ omninò repugnat, alterum aperte adverſatur Scripturæ ſacræ, quæ omnes peccatores terræ diſperdendos pronuntiat, ut Pſalm. V. 7: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium;* & alibi paſſim. Inde autem ſic argumentor: Ex unanimi SS. Patrum conſenſu & ex fide catholica, Deus impoſſibilia non jubet. Atqui, fatentibus adverſariis, de fide non eſt (imò omnino falſum eſt) gratiam omnibus hominibus, inſtante præcepto, dari. Ergo, ut mandata dicantur & ſint poſſibilia, neceſſe non eſt ut habeatur gratia actualis ſufficiens.

Alio modo iſtud argumentum proponi poteſt. S. Auguſtinus aliique gratiæ defenſores pro certo affirmant gratiam non omnibus hominibus dari, ſimulque aſſerunt præcepta Dei non eſſe impoſſibilia. Ergo fixum ratumque habuerunt, ad poſſibilitatem mandatorum non requiri ut auxilium mandatis obſervandis neceſſarium actu habeatur.

Præterea Theologi omnes conſentiunt gratiam ſufficientem non ſemper atque omni momento dari. Attamen nullum momentum eſt quo mandata non ſint poſſibilia. Ergo poſſibilitas mandatorum nullatenus pendet à gratia ſufficiente. Hinc Bellarminus, lib. 6 *de Gratia & lib. arbitrio*, cap. 15, cum adverſùs aſſertam gratiæ prævenientis neceſſitatem ſibi objeciſſet peccatorem converti non poſſe, ſi, ut convertatur, opus habeat gratiâ præveniente: „ Reſpondeo, inquit, converſionem ſemper „ eſſe in poteſtate liberi arbitrii, quoniam ſemper poteſt converti quan- „ do voluerit...... Cæterùm ipſum velle credere aut converti non po- „ teſt homo habere, niſi per gratiam prævenientem acceperit ut poſſit. „ Atque hoc eſt quod ſupra diximus, habere hominem ad actus pieta- „ tis, ante omnem gratiam, liberum arbitrium, & potentiam remotam, „ ſed non proximam.“

Duplex diſtinguitur mandatorum poſſibilitas: una nuda, ſimplex & ab actu ſejuncta; altera ultimò completa & cum effectu conjuncta. Ad hanc alteram non ſatis eſt gratia quam vocant ſufficientem, ſed requiritur gratia efficax, quam certum eſt eos non habere, qui præceptum non implent: ad illam verò tum ex parte hominis ſufficit potentia naturalis

liberi arbitrii, quâ ſemper poteſt ſervare divina mandata ſi voluerit, tum ex parte Dei potentia gratiam largiendi quâ obſerventur. Ergo, ad explicandam poſſibilitatem mandatorum, minimè recurrendum eſt ad gratiam ſufficientem, quæ, urgente præcepto, nunquam deſit.

Hoc docet Sylvius, non ultimum ſcholæ Duacenæ decus, in 1. 2. q. 109. art. 4. „ Sive detur, inquit, aliqua gratia quæ tantùm eſt „ ſufficiens, ſive non detur, ea, ſecundùm rei veritatem, eſt imperti- „ nens ad ſalvandum quòd homo poſſit divina mandata ſervare; partim „ quia, ut ipſe illa ſervet, illa gratia non ſufficit, ſed oportet quòd „ etiam adſit gratia efficax, quæ & à ſolo Deo pendet, & gratis ſeu ſi- „ ne merito tribuitur; partim quia, juxta communem ſententiam, gra- „ tia illa non ſemper datur, & tamen homines viatores ſemper poſſunt „ divina mandata ſervare, & per conſequens etiam tunc quando non „ habent gratiam ſufficientem. Ergo, ut obſervatio mandatorum dica- „ tur eſſe poſſibilis, non eſt neceſſe venire eò ut dicatur quòd habeant „ gratiam ſufficientem.“

Idipſum confirmat Eſtius, non ſolùm Duacenæ Academiæ, ſed etiam totius Belgii ſplendor, in 2. diſt. 26. §. 41., ubi cùm ſibi objeciſſet „ auxilium illud non eſſe in poteſtate hominis, præſertim ejus qui de gra- „ tia nihil unquam audivit, ſed tantùm ducitur lumine rationis hu- „ manæ, & proinde totius legis obſervationem tali homini eſſe ſimplici- „ ter impoſſibilem,“ ſic reſpondet: „ Quidam reſpondent nullum eſſe „ hominem, cui non ſemper adſit obvium & paratum à Deo auxilium „ gratiæ, per quam poſſit totam legem ſervare & vitare peccata, modò „ velit, ut poteſt, eo uti per liberum ſuum arbitrium; ſed hæc reſpon- „ ſio neque Scripturis ſacris, neque doctrinæ SS. Patrum conſonat, ne- „ que cum efficaci Dei operatione conſentit, ac neque Auguſtinus, ta- „ metſi hoc argumento vehementer preſſus à Pelagianis, unquam iſtius- „ modi reſponſionem adhibuit.“

Aliter ergo exponenda eſt poſſibilitas mandatorum. Ac primùm quidem, reſpectu omnium hominum, mandata ſemper ſunt poſſibilia, quatenus nullum eſt quod per gratiam Dei obſervari non poſſit. Nam, ut obſervat idem Eſtius, in 3. diſt. 27. §. 6, „ dicimus impoſſibile, non „ quod homo propriis naturæ viribus facere nequit, quo modo ſine du- „ bio impoſſibilia ſunt homini præcepta Dei;.....: ſed quod, ſecundum „ modum gratiæ quam in hac vita juſtificatis communicat Deus, fieri „ ab homine non poteſt: talem enim impoſſibilitatem præceptorum Dei „ contra doctrinam catholicam defendunt hujus temporis hæretici.“ Enimverò ſicut Catholici dicunt homini hac in vita impoſſibile eſſe, habitâ ratione curſûs ordinarii gratiæ, vitare omnia peccata venialia collectivè ſumpta, ita Calviniani docebant impoſſibile eſſe, cum omnibus gratiæ auxiliis quæ juſtis hac in vita ſubminiſtrantur, ullum præceptum omni

ex-

Digitized by Google

ex parte ita implere, ut in ejus obſervatione non peccetur lethaliter; quem errorem damnavit ſynodus Tridentina can. 18 ſeſſ. 6. „ Si quis di„ xerit præcepta Dei homini, etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto, „ eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.“

Sic poſſibilitatem mandatorum explicat paſſim S. Auguſtinus: v. g. lib. *de Perfectione juſtitiæ hominis*, cap. 2: „ Reſpondemus, ait, vitari poſ„ ſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum „ Dominum noſtrum.“ Lib. *de Natura & gratia*, cap. 69. num. 83: „ Eo ipſo quo firmiſſimè creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non „ potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in „ difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia caritati, cui „ uni Chriſti ſarcina levis eſt, aut ea una eſt ſarcina ipſa quæ levis „ eſt. Secundùm hoc dictum eſt: *Et præcepta ejus gravia non ſunt*, „ ut, cui gravia ſunt, conſideret non potuiſſe divinitùs dici, *gravia* „ *non ſunt*, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus cui gravia non ſunt, „ & petat quo deſtituitur, ut impleat quod jubetur.“ Et lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 16. num. 32: „ Magnum aliquid Pelagiani „ ſe ſcire putant, quando dicunt: *Non juberet Deus quod ſciret non* „ *poſſe ab homine fieri.* Quis hoc negat? Sed ideò jubet aliqua quæ non „ poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.“ Igitur, juxta S. Doctorem, eo ſenſu mandata non ſunt impoſſibilia, quòd per gratiam & caritatem, quæ, etſi non ſemper habetur, poſtulari tamen & ſperari à Deo ſemper debet, impleri poſſint.

Similem ſolutionem affert S. Proſper in Reſponſione ad objectionem 6 Vincentianam. „ Hoc, inquit, inter malos homines diſtat & dæmo„ nes, quòd hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſerea„ tur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla eſt in æternum ſervata „ converſio.“ Ubi notandum eſt cum Eſtio S. Doctorem dicere, *ſi Deus miſereatur*, non autem, ſi ipſi velint auxilio ſibi dato vel oblato uti.

Eadem doctrina eſt S. Thomæ, 3 part. q. 86. art. 1. in corp., ubi probat erroneum eſſe dicere „ quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, „ de quo quis pœnitere non poſſit; non ſolum quia per hoc tolleretur „ libertas arbitrii (quam rationem modò attingemus); ſed præſertim „ quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam *moveri poteſt* cor „ uniuscujusque peccatoris, ſecundùm illud Prov. XXI: *Cor regis in* „ *manu Domini; quòcunque voluerit, vertet illud.*“

Neque hoc in loco tantùm Angelicus Doctor hanc interpretationem adhibet, ſed & alibi ſæpiſſimè. Sic 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1: „ Dicen„ dum, ait, quòd ſi in poteſtate hominis dicatur eſſe aliquid, excluſo „ auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo ad quæ non poteſt ſine „ gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimi„ liter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxi„ lio gratiæ: quod quidem auxilium, quibuscunque divinitus datur,

 „ mi-

„ miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non da-
„ tur, in pœnam præcedentis aut ſaltem originalis peccati, ut Au-
„ guſtinus dicit in lib. *de Correptione & gratia.*"

Ibid. q. 156. art. 2. ad 1: „ Homo poteſt vitare peccatum & facere „ bonum, non tamen ſine auxilio divino...... Unde, per hoc quòd „ homo indiget divino auxilio ad hoc quòd ſit continens, non exclu- „ ditur quin incontinentia ſit peccatum." Quam autem ob cauſam? An quia iſtud auxilium nunquam non præſtò eſt? Minimè: ſed quia dicitur in 3 Ethicorum: *Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus:* quod axioma pariter laudat 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. „ Illud, inquit, „ quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omnino „ impoſſibile, ſecundùm illud Philoſophi in 3 Ethic: Quæ per amicos „ poſſumus, aliqualiter nos poſſumus." Ubi manifeſtè intelligitur non auxilium quod ſit actu conceſſum, ſed quod à Deo concedi & impetrari poteſt. Quemadmodum enim ad actualem obſervationem præceptorum requiritur auxilium actu præſens, ſic ad poſſibilitatem mandatorum ſatis eſt quòd auxilium ad ea implenda neceſſarium haberi poſſit.

Denique in Quæſtionibus diſputatis, q. 24 de Veritate, art. 14. ad 1: „ Illud, inquit, quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad „ ſervandum; quia & ſubſtantiam actûs" (hoc eſt, externum officium) „ poteſt ex libero arbitrio ſervare; & modum, quo elevatur ſupra fa- „ cultatem naturæ, prout ſcilicet fit ex caritate, poteſt ſervare ex dono „ gratiæ."

Magiſtri expoſitionem diſcipuli ſtudioſè amplexi ſunt. Lemos in Panoplia, lib. 4. part. 2. tract. 3 de Gratia ſufficiente, cap. 10. num. 145: „ Qui nullomodò auxilium habent ſufficientis gratiæ, inquit, dicuntur „ poſſe ſalvari per potentiam quæ eſt in Deo, qui poteſt eis auxilium „ tribuere quo ſalventur, & per remotam potentiam liberi arbitrii, quæ „ illud auxilium à Deo recipere poteſt." Et cap. 20: „ Ad ſalvandam „ hanc propoſitionem, quòd omnes homines poſſint, ſi velint, ſervare „ mandata divina, non requiritur quòd omnes homines habeant de „ facto ſibi datum divinum auxilium; ſed quòd per liberum arbitrium, „ ſi velint, & per divinum auxilium gratiæ, quod Deus eis dare po- „ teſt, poſſint verè divina ſervare mandata, imputanturque homini „ tunc peccata, licet non habeat auxilium ſufficiens quo converti poſ- „ ſit, quia ex ſua priori culpa ad talem neceſſitatem & impotentiam ſe „ coarctavit."

Optima eſt hæc interpretatio, difficultatemque à radicibus abſcindit. Ut enim egregiè animadvertit Maſſoulié, Differt. 1. q. 8. art. 9, in eo poſita eſt difficultas omnis & controverſia, „ quo pacto homo poſ- „ ſit implere præcepta, non quomodocunque, ſed potentiâ cum actu „ conjunctâ." De ea etenim ſolliciti erant Pelagiani & Semipelagiani, & etiam nunc Moliniani ſolliciti ſunt, non de nuda poſſibilitate nun-

Digitized by Google

quam cum actu conjuncta. „ De ea (quoque) D. Auguſtinus perpetuò „ ſe loqui ſignificavit, atque eam potentiam conferri homini per divinum adjutorium *quo*, ſeu per efficaciſſimam gratiam, quæ in homine „ operatur non ſolum poſſe velle, ſed etiam ipſum velle, contendebat..... Igitur ex D. Auguſtino D. Thomas reſpondet: Ideò poſſumus divina præcepta implere, quia poſſumus gratiam percipere, quâ „ ea impleamus. Atque ea communior ſolutio eſt & compendioſior, „ quâ difficultas omnis obtruncatur.“

Alia tamen eſt ſolutio, eaque frequens apud Thomiſtas, & veriſſima, ſcilicet mandata Dei, etiam abſente gratiâ efficaci, non eſſe impoſſibilia, quia omnes homines per flexibilem liberi arbitrii facultatem habent potentiam, remotam quidem, ſed veram, realem ac phyſicam implendi mandata. Hujuſmodi potentiam cuivis homini ante omnem gratiam ineſſe probavimus Lib. III, agendo de libero arbitrio. Et certè gratia, ſive efficax, ſive inefficax, nihil aliud eſt quàm auxilium divinitùs adjuvans potentiam naturalem, atque adeò illam ſupponens. Ergo ante omnem gratiam homo habet potentiam ingenitam obſervandi mandata; quæ potentia, licet, quando ſola eſt, mandatis implendis non ſufficiat, ſufficit tamen ut mandata ſint poſſibilia.

Iſtam quoque ſolutionem S. Auguſtinus aliique Patres exprimunt, cùm dicunt (dicunt autem ſæpiſſimè) omnes homines poſſe divina mandata implere, ſi velint: quo ſignificatur eos non potentiæ, ſed voluntatis tantum defectu non implere quæ ſibi à Deo præcepta ſunt; & impotentiam, quæ in multis hominibus, v. g. induratis, reperitur, eſſe planè voluntariam.

Quamobrem, verè ac propriè loquendo, nunquam homines peccant quia non poſſunt à peccato abſtinere, ſed quia nolunt; qui utique, ſi vellent, poſſent, & in tantùm non poſſunt, in quantùm nolunt. Hinc B. Chryſoſtomus, hom. 68, al. 67, in Joann. n. 2. (tom. 8. pag. 406), exponens hæc verba cap. XII. 39: *Propterea non poterant credere* &c, ſic loquitur: „Non potuerunt, hoc eſt, noluerunt:“ obſervatque hunc loquendi modum non infrequentem eſſe in Scripturis, ut cùm Chriſtus, Joann. VII. 3, cognatis ſuis ſecundùm carnem, qui in eum non credebant, dixit: *Non poteſt mundus odiſſe vos*; & Jeremiæ XIII. 23: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam & pardus varietates ſuas, & vos poteritis benè facere, cùm didiceritis malè.* Ubi, inquit S. Doctor, „ non „ intelligitur quòd impoſſibile ſit eis benè operari; ſed, quia nolunt, „ ideò non poſſunt.“ Multa alia Scripturarum exempla ſuppetunt. Sic Geneſ. XXXVII. 4, de Joſephi fratribus dicitur: *Non poterant ei quidquam pacificè loqui.* Sap. XII. 10: *Naturalis malitia eorum, & non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Matth. XII. 34: *Genimina viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali?* Joann. VIII. 43: *Non poteſtis audire ſermonem meum.* Ibid. XII. 39 & 40: *Quomodò poteſtis*

teſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Sic etiam in communi hominum uſu dicitur: *Non poſſum hunc hominem diligere:* ubi ſola voluntatis repugnantia impotentia appellatur; & alia id genus.

S. Auguſtinus commentans eadem verba Joann. XII (tract. 53 in Joann. n. 5): „ Dicitur nobis, inquit: ſi non potuerunt credere, quod peccatum eſt hominis non facientis quod non poteſt facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodò dicit Evangelium: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum?* " Numero autem 6 ſic reſpondet: „ Audiſtis, fratres, propoſitam quæſtionem, nempe quam profunda ſit cernitis...... Quare autem non poterant, ſi à me quæratur, citò reſpondeo quia nolebant. Sed aliam cauſam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum...... *Quia dedit illis Deus ſpiritum compunctionis &c.* Etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe reſpondeo. Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo & non adjuvando: quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt." Addit num. 9: „ Non itaque mirum eſt ſi non poterant credere, quorum voluntas ſic ſuperba erat, ut ignorantes juſtitiam Dei ſuam vellent conſtituere." Et num. 10: „ Hinc & illi credere non poterant; non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed, quandiu talia ſapiunt, credere non poſſunt."

Hujusmodi impotentiam planè voluntariam & ex pravo voluntatis affectu conſequentem admittere omnes tenentur. Cùm enim ad benè agendum bonâ voluntate imprimis opus ſit, quisquis non habet voluntatem bonam, aut non ſatis validam habet, hoc ipſo caret aliquo ad benè agendum abſolutè neceſſario; ac proinde dici poteſt non poſſe benè agere, juxta receptum apud omnes loquendi uſum, quo carentes aliquo ad agendum neceſſario dicuntur non poſſe. Hanc, inquam, impotentiam admittere omnes tenentur, totaque Eccleſiam inter & Pelagianos, nos inter & Molinianos controverſia in hoc poſita eſt, unde ſit in hominibus bona illa voluntas, ſine qua mandata non implentur, & quâ certiſſimè implentur. Sed eam planè reſolvunt illi textus à SS. Patribus gratiæ defenſoribus tam ſæpè laudati: *Præparatur voluntas à Domino*, &c, *Deus eſt qui operatur & velle.*

Verùm eam impotentiam cave ne ſumas pro vera, reali & phyſica impotentia. Ad quidlibet faciendum duo requiruntur, faciendi facultas & voluntas. Multa poſſumus facere, quæ, quia deeſt voluntas, non facimus. Alia facere volumus, ſed, quoniam facultas non ſuppetit, non facimus. Poteſt avarus divitias in arca reconditas egenis liberaliter diſtribuere, ſi velit; ſed non erogat, quia non vult. Vult homo miſericors egenos opibus ſublevare; ſed, quia facultates deſunt, non facit quod vult. Uterque dicitur non poſſe, ſed ſenſu planè diſſimili. Avarus

rus non poteſt conſequenter tantùm & impropriè loquendo; quia non poteſtate, ſed voluntate duntaxat deſtituitur. Homo verò miſericors, cui opes non ſuppetunt, abſolutè & propriè loquendo non poteſt, quia, quod ex animo vult, exequendi facultatem non habet.

Præclarè id explicat S. Auguſtinus lib. *de Spiritu & littera*, cap. 31. n. 53. „ Cùm duo quædam ſint velle & poſſe, inquit, unde nec qui „ vult continuò poteſt, nec qui poteſt continuò vult, quia, ſicut vo„ lumus aliquando quod non poſſumus, ſic etiam poſſumus aliquando „ quod nolumus &c. Sicut qui vult habet voluntatem, ita poteſta„ tem qui poteſt. Sed ut poteſtate aliquid fiat, voluntas aderit...... „ Hinc eſt quod etiam illi qui cogunt aut ſuadent, ſolent dicere: quod „ habes in poteſtate, quare non facis, ut hoc malo careas? Et qui om„ nino facere non poſſunt quod ideò coguntur ut faciant, quia poſſe „ creduntur, ſolent excuſando reſpondere & dicere: facerem ſi eſſet in „ poteſtate. Quid igitur ultra quærimus, quandoquidem hanc dicimus „ poteſtatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi? Unde hoc quiſque „ in poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.“

Ex hoc lucidiſſimo textu perſpicuum eſt nulli hominum mandata eſſe propriè loquendo impoſſibilia. Si enim id omne poſſibile eſt quod facere poſſumus, ſi volumus, omneſque homines poſſunt mandata implere, ſi velint, non defectum potentiæ prætexant qui peccant, ſed voluntatis pravitatem accuſent.

At, inquies, quomodò omnes homines dicuntur poſſe implere mandata ſi velint, ſi gratiam non habent quâ id velle & exequi poſſint? Num homini pecuniam nullam habenti rectè diceretur: hunc fundum emeres, ſi velles?

Reſpondeo hujuſmodi comparationes, à rebus voluntatis dominio minimè ſubjectis petitas, ſemper vitioſas eſſe. Aliter quippe judicandum eſt de actionibus, quæ, tametſi firmiſſima adſit voluntas, fieri tamen propter externa impedimenta nequeunt; aliter de actionibus, quæ, ſi voluntas adſit, illico fiunt, quoniam iſtas facere nihil aliud eſt quàm velle fortiter & integrè. Talis eſt autem obſervatio mandatorum. Nam omnia præcepta in una caritate Dei & proximi continentur: hanc autem caritatem habet quiſquis habere vult, & tantùm habet quantùm habere vult, cùm amare non aliud ſit quàm velle. In hujuſmodi præceptis rectè dicitur homini: faceres ſi velles; nec reſpondere quiſquam poteſt: non poſſum velle, cùm nihil magis ſit in poteſtate voluntatis quàm ipſa voluntas. Unde B. Cæſarius, hom. 7: „ In habenda dilectione, inquit, „ nemo ſe poteſt poteſt excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere, „ non poſſum jejunare: numquid poteſt dicere, non poſſum orare?“ Et S. Leo, ſerm. 6 in Quadrageſima, cap. 4: „ Dilectio, quæ ſimul Deo „ hominique debetur, nullis unquam impeditur obſtaculis, ut non ei „ ſemper benè velle ſit liberum.“ Inconſultè ergo homo gratiâ deſtitutus

Edit. Baluz. Ju App. S. Aug. Serm. 225. n. 2, 3 & 5.

tutus comparatur, quoad obſervationem mandatorum, cum homine pecuniæ inopiâ laborante, qui fundum emere omnino non poteſt, etiamſi ardentisſimè velit. Huic enim deeſt, non voluntas, ſed ſola emendi facultas: illi è contrario facultas non deeſt benè agendi, ſed ſola deeſt bona voluntas; quæ ſi adeſſet, nullâ interpoſitâ morâ benè ageret. Ut ergo juſta fiat comparatio, ſic inſtituenda eſt, ut ex utraque parte omnia ſint paria; v. g. ut peccator auxilio gratiæ deſtitutus comparetur cum homine locuplete & avaro, qui amico ſuo agellum donare poſſet, ſi vellet, ſed ex nimia habendi cupiditate non velit. Quemadmodum enim huic homini, cui ſola deeſt benefaciendi voluntas, rectè diceretur: agellum amico donare poſſes, ſi velles; ita peccatori, cujus totus defectus in voluntate prava poſitus eſt, rectè dicitur: poſſes implere mandata, ſi velles. Quàmvis enim præparetur bona voluntas à Domino, tamen, quòd voluntas mala ſit, ſolus homo in cauſa eſt.

Illis ergo duobus modis mandata ſunt omnibus hominibus poſſibilia: 1°. Quia nullum eſt mandatum quod impleri non poſſit cum auxilio gratiæ, quam Deus dare ſemper poteſt, nec ulli rectè petenti denegat. 2°. Quia per naturalem liberi arbitrii facultatem ineſt unicuique potentia phyſica obſervandi mandata ſi voluerit, ac, ſi non impleantur, ſola voluntas in cauſa eſt.

Verum, præter illam potentiam liberi arbitri omnibus communem, quæ remota eſt, habent fideles potentiam proximiorem per fidem: habent juſti potentiam adhuc propinquiorem per gratiam ſanctificantem & habitum caritatis infuſum: habent denique omnes juſti, qui piè volunt & conantur, potentiam aliquo ſenſu proximam per auxilium actuale quod ſufficiens vocant; quanquam hujus auxilii proprium munus non tam ſit conferre potentiam benè agendi, quàm aliquem bonæ voluntatis motum inſpirare.

Objicies. Gratia actualis dat poſſe; ſiquidem, juxta conſtantem SS. Patrum doctrinam, homo nihil rectè agere poteſt ſine gratia. Ergo, ubi non eſt gratia, ibi nec rectè agendi potentia: adeòque præcepta ſunt impoſſibilia.

Diſtinguo antecedens. Gratia dat poſſe morale & cum actu conjunctum, concedo: dat ſimpliciter poſſe phyſicum & ab actu ſejunctum, nego. Confundunt adverſarii duo genera potentiæ, quæ tantùm à ſe invicem diſtant, quantùm à cœlo terra. Cùm enim ad quodvis liberè agendum duo requirantur, ſcilicet facultas ſeu potentia, & voluntas, hinc duplici ſenſu valde diſpari dicitur homo poſſe & non poſſe. Simpliciter & abſolute dicitur poſſe, quisquis pollet facultate agendi, & reipſâ ageret ſi vellet: is autem non poſſe, qui caret hujusmodi facultate, &, etiamſi vellet, agere non poſſet. Hoc ſenſu homo ſanus & integris cruribus dicitur poſſe ambulare, non poſſe volare. Moraliter vero dicitur poſſe, qui non ſolum habet facultatem quâ poſſit,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam voluntatem, quâ id quod poteſt facto perficit: è contrario dicitur non poſſe, qui, licet facultatem habeat quâ poteſt, ſi velit, aliquid operari, voluntatem contrariam gerit. Hoc ſenſu Chriſtus dicebat Judæis: *Quomodò vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Quomodò enim non poterant credere? Numquid potentiâ credendi, tot viſis miraculis, deſtituebantur? Nequaquam: ſed voluntatem gerebant fidei adverſam, quæ quandiu ſtabat, fieri non poterat ut crederent. Quis enim credit nolens?

Jam verò gratia actualis dat quidem iſtud poſſe morale, quatenus dat bonam voluntatem ad benè operandum neceſſariam, & ſine qua nihil rectè fieri poteſt. Plenam quidem & completam voluntatem dat gratia efficax; imperfectam autem & adhuc invalidam dat gratia parva & inefficax: ſed gratia, ſive parva, ſive magna, non dat poſſe phyſicum, hoc eſt, facultatem benè agendi, imò illam neceſſariò ſupponit. Eſt enim auxilium ſanans voluntatem, & applicans potentiam ad bonum amplectendum. Ergo, quàmvis gratia actualis det quoddam poſſe, inde non ſequitur hominem, abſente gratiâ actuali, non poſſe obſervare mandata, ſed ſequitur tantùm eum id nolle.

Et certè, quando Scripturæ & SS. Patres docent nihil boni fieri poſſe ſine auxilio gratiæ, de gratia efficaci procul dubio loquuntur, ut Capite præcedenti oſtendimus. Proinde aut nihil probant adverſarii, aut probant gratiam ipſam efficacem omnibus dari, eaque ſi deſit, mandata eſſe impoſſibilia; quod abſurdum eſt atque hæreticum.

Objicies 2°. Homo lapſus, abſente gratiâ ſufficiente, caret etiam potentiâ phyſicâ benè agendi, ſi etiam homo innocens absque auxilio gratiæ phyſicè impotens fuiſſet ad perſeverandum. Atqui etiam homo innocens, ſi ei defuiſſet adjutorium ſufficiens, phyſicè impotens fuiſſet ad perſeverandum in accepta juſtitia, ſiquidem, teſte S. Auguſtino, ea in hypotheſi non ſuâ culpâ cecidiſſet. En verba S. Doctoris, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 11. n. 32: „ Si hoc adjutorium vel angelo vel „ homini, cùm primum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natu- „ ra facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non „ utique ſuâ culpâ cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo „ manere non poſſent.“ Ergo, à fortiori, homo lapſus, ſi careat gratiâ ſufficiente, non habet phyſicam benè agendi potentiam.

Reſpondeo 1° malè prorſus concludi auxilium ſufficiens omnibus dari, in impotentia phyſica alioqui verſaturis, cùm S. Doctor ſtatim ſubdat: „ Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; „ quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debi- „ tum; & tantò amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, „ quibus id dare Deo placuit, ut non ſolum adſit ſine quo permanere non „ poſſumus, etiamſi velimus, verùm etiam tantum ac tale ſit ut velimus.“ Definit ergo S. Doctor illud adjutorium, ſine quo Adamus perſeverare non

potuit, nunc in pœnam peccati non omnibus dari, & ſic dari quibus datur, ut non ſolùm ſit adjutorium *ſine quo*, verùm etiam adjutorium *quo* & ſeipſo efficax. Quid inconſultius quàm ex eo textu concludere gratiam omnibus dari, in quo contrarium diſertis verbis aſſeritur?

2°. Nego minorem. Quomodò enim homo innocens phyſicè impotens fuiſſet ad permanendum in juſtitia, ſi adjutorium *ſine quo* illi defuiſſet, qui & liberum arbitrium ſanum & integrum habebat, & per gratiam ſanctificantem virtutesque infuſas vires magnas acceperat, & nullâ ad peccandum concupiſcentiâ impellebatur? Quo ergo ſenſu, inquies, in illa hypotheſi non ſuâ culpâ cecidiſſet? Quia nimirum, licet multiplici potentiâ præditus, caruiſſet illâ perſeverandi facilitate, ſuavitate & delectatione, quæ beatum illum & innocentem ſtatum decebat. Sibi quippe debebat Deus optimus, ut creaturam innocentem inſtrueret potentiâ non tantùm verâ & phyſicâ, ſed etiam completâ, expeditâ & ſufficientiſſimâ ad operandum bonum ſuaviter & delectabiliter; hocque fuit proprium munus adjutorii *ſine quo*: ac proinde, ſi ante omne peccatum homo innocens eo caruiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſet, ut pote nullâ ſuâ culpâ privatus auxilio ſine quo perſeverare non potuiſſet niſi cum aliquo faſtidio; ſicque caruiſſet illâ facilitate completâ & felici, quæ beato illi ſtatui congruebat. . Nunc verò, amiſſâ per peccatum innocentiâ, ingens rerum mutatio facta eſt. Gratiæ originalis voluntariis deſertoribus nihil præter ſupplicium debetur. Sola illis remanſit potentia phyſica à libero arbitrio inſeparabilis, nec excuſare jam poteſt infirmitas & impotentia voluntatis, quia peccato contracta eſt, neque eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.

Hanc reſponſionem confirmat Gregorius Ariminenſis, in 2 Sentent. diſt. 26. „ Secundùm ſtatum præſentem, inquit, homo eſt impotens „ ad benè agendum ex ſe propter culpam originalem. Ideò ſi alicui „ Deus non auxilietur modo illo ſpeciali ad benè agendum, non propreà excuſatur à peccato. Secus autem fuiſſet, ſi primo homini, an„ tequàm peccaſſet, tale auxilium defuiſſet.“

Quæres an catholico ſenſu dici poſſit aliquibus hominibus, v. g. induratis, præcepta eſſe impoſſibilia?

Reſpondeo multiplici ſenſu aliquid dici impoſſibile. 1°. Quod in ſe abſolutè repugnat. Sic impoſſibile eſt aliquid eſſe ſimul & non eſſe. 2°. Quod, juxta communem naturæ curſum & conſtitutas à Deo leges, contingere nequit. Sic impoſſibile eſt ſolem eclypſim pati niſi per interpoſitionem lunæ. Sic, juxta ordinarium gratiæ curſum, impoſſibile eſt hominem in terris vivere ſine peccato. 3°. Quod ideò fieri non poteſt, quia naturalis facultas penitus amiſſa eſt. Sic cæco impoſſibile eſt videre ſolem. 4°. Quod fieri non poteſt eoquòd potentia naturalis, tametſi ſana, aliquo externo obſtaculo impeditur, ne in actum exire poſſit. Sic homini ſanis oculis prædito, ſed in tenebris conſtituto, lumen videre,

&

& homini membris integro, ſed catenis ligato, ambulare eſt impoſſibile. 5°. Quod fieri non poteſt eoquòd naturalis potentia debilitata ſit, qualis eſt potentia ambulandi in homine languido & viribus exhauſto. 6°. Quod fieri non poteſt ob vehementem inclinationem voluntatis in oppoſitum; v. g. avarum, dum avarus eſt, omnia bona ſua in eleemoſynas erogare.

Certum eſt nulli hominum præcepta Dei eſſe impoſſibilia quinque primis ſenſibus. Non 1°, quia quemlibet hominem mandata ſervare ex ſe non repugnat. Non 2°, quia nemo eſt, dum in vivis agit, quem miſericordia divina prævenire non poſſit, & cujus converſionem à Deo ſperare ac petere non debeamus. Non 3°, quoniam naturalis potentia liberi arbitrii, etſi imminuta & attenuata per peccatum, non tamen penitus extincta eſt. Non 4°, quia obſtacula, quibus peccatores impediuntur ne ad Deum redeant ejusque mandata obſervent, non externa ſunt, ſed à ſola voluntatis reſiſtentia & pravitate oriuntur. Non 5°, quia languor & infirmitas peccato contracta, non corpus aliasque facultates à voluntate diverſas, ſed ipſammet voluntatem afficit. Proinde de ſolo ſexto impoſſibilitatis ſenſu poteſt eſſe difficultas; an ſcilicet, ratione vehementis inclinationis ad malum, præcepta dici poſſint aliquibus hominibus impoſſibilia.

Notandum eſt autem duobus modis quæſtionem proponi poſſe. 1°. Si quæratur an poſſibile ſit hominem converti & mandata divina obſervare ſine gratia. 2°. Si quæratur an peccatori auxilio gratiæ deſtituto mandata ſint impoſſibilia. Primæ quæſtionis ſenſus eſt compoſitus; ac proinde reſpondendum eſt impoſſibile eſſe peccatorem converti & mandata obſervare ſine gratia, quia repugnat conjungi hæc duo, peccatorem non habere gratiam neceſſariam ad converſionem, & tamen, ſtante illa hypotheſi, converti. Altera quæſtio, ſi verba propriè ſumuntur, ſenſum habet, ut aiunt, diviſum; ideòque reſpondendum eſt peccatori gratiæ auxilio deſtituto mandata non eſſe impoſſibilia, tum quia gratiam recipere poteſt quâ convertatur & mandata impleat, tum quia per ingenitam liberi arbitrii facultatem potentiam habet, remotam quidem, ſed veram ac realem implendi mandata ſi voluerit. Quemadmodùm ſi de avaro quæras an poſſibile ſit eum, quandiu in avaritia perſeverat, bonis ſuis ſe exuere eaque in pios uſus expendere, planè negabo. Si autem quæras ſimpliciter an eidem avaro poſſibile ſit bona ſua profundere; reſpondebo id eſſe illi abſolutè poſſibile, quia poteſt avaritiam deponere ſi velit, vel incurrendo in vitium oppoſitum, vel ſincerâ cordis converſione inordinatum divitiarum affectum ex animo deponendo.

Notandum eſt deſuper non parum diſcriminis eſſe inter duas iſtas propoſitiones, quæ primâ fronte ſimiles videri poſſent: homo gratia deſtitutus non poteſt implere divina mandata, &, homini gratiâ deſtituto mandata ſunt impoſſibilia. Diſcrimen eſt quòd impotentia propriè ſe

teneat ex parte ſubjecti ſive hominis, qui, dum gratiâ deſtituitur, dicitur non habere potentiam omnem & vires requiſitas ad actualem obſervationem præceptorum, quàmvis non careat potentiâ phyſicâ & remotâ. Quamobrem admitti debet iſta propoſitio, ut pote in ſacris Litteris & in ſcriptis SS. Patrum, necnon in communi hominum loquendi uſu frequentiſſima. Impoſſibilitas verò propriè cadit in ipſum præceptum, quaſi impleri non poſſit; quod falſum eſt & hæreticum. Nam, ut ſupra ex S. Thoma diximus, „ illud quod poſſumus cum auxilio di„ vino, non eſt nobis omnino impoſſibile."

Fatendum tamen eſt SS. Patres interdum uſos eſſe hac *impoſſibilitatis* voce: v. g. S. Hieronymus, lib. 2 Comment. in Jeremiam, cap. 6. v. 10, ad hæc verba: *Cui loquar, & quem conteſtabor ut audiat? Ecce incircumciſæ aures eorum & audire non poſſunt.* „ Non poſſunt audire, inquit, „ quia aures circumcidere noluerunt. Nec tamen vacat impoſſi„ bilitas ſupplicio, quia de contemptu & infidelitate deſcendit." S. Auguſtinus, lib. 1 *Retract.* cap. 22. n. 4: „ Cùm, inquit, volun„ tas fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, „ etiam quod difficile atque impoſſibile fuit." Et Enarrat. in pſalm. 106. n. 5, deſcribens ſtatum hominis adhuc ſub peccato conſtituti: „ Invenit ergo, ait, ſe ligatum difficultatibus cupiditatum, & non poſſe „ viam propter compedes ambulare: incluſum ſe ſentit difficultate vi„ tiorum, &, tanquam muro impoſſibilitatis erecto portiſque clauſis, „ quà evadat, ut rectè vivat, non invenit." S. Proſper in eumdem pſalmum: „ Humiliati ſunt per experimenta impoſſibilitatis ſuæ, & in„ venerunt ſe ſine adjutorio Dei nihil poſſe." Et Sent. 32: „ Legem „ per ſervum miſit, cùm gratia ipſe deſcendit: ut, quia lex oſtendit „ peccata, non tollit, volentes legem ſuis viribus exequi, nec valen„ tes, cogantur ad gratiam (confugere), quæ & impoſſibilitatis mor„ bum, & inobedientiæ aufert reatum." S. Leo, Serm. 42, qui eſt 5 de Quadrageſima, cap. 1: „ Si quid ſibi impoſſibile, inquit, aut arduum „ in mandatorum effectibus experitur, non in ſe remaneat, ſed ad ju„ bentem recurrat." Et Serm. 88, qui eſt 5 de Jejunio ſeptimi menſis, cap. 21: „ Ne uſque ad inertem deſidiam deſperatione ducamur. „ Quæ impoſſibilia ſunt homini ex impoſſibilitate propria, poſſibilia „ ſpondet ex virtute divina, ... ut auctor itineris fiat poſſibilitas am„ bulantis." Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, q. 1. n. 17: „ Cur, dicet aliquis, velut poſſibile præcipitur quod poſteà impoſſibile „ demonſtratur? Profectò, ut, dum conatur quis, nec ſufficit quæ ju„ bentur implere, illuc fatigatione humiliatus recurrat, unde petendo, „ quærendo, pulſando accipiat quod deſiderat, & non in ſe, ſed in „ Domino de omnibus beneficiis ejus glorietur." S. Bernardus, Serm. 50 in Cantica, n. 2: „ Deus mandando impoſſibilia non prævaricatores „ homines fecit, ſed humiles." Hanc forſitan ob cauſam concilium Tri-

Digitized by Google

Tridentinum, ubi de mandatorum poſſibilitate ſermonem facit, non de omnibus generatim hominibus, ſed de ſolis loquitur juſtificatis, ut obſervat Eſtius in 3. diſt. 27. §. 6. „ Idcirco, ait, ad hominem juſtifi„ catum ſuam definitionem reſtringunt Patres Tridentini, quòd (non „ abſolutè, ſed) quodam ſenſu homini gratiâ Dei deſtituto ſit impoſſi„ bilis præceptorum Dei obſervatio.“

Cæterum illa SS. Patrum dicta vel accipienda ſunt in ſenſu compoſito, quòd ſcilicet impoſſibile ſit mandata impleri ſine auxilio gratiæ: vel hoc duntaxat voluerunt, hominem gratiæ auxilio deſtitutum non habere vires ad implenda præcepta requiſitas, ſalvâ ſemper & integrâ permanente facultate liberi arbitrii & abſolutâ poſſibilitate mandatorum.

Quoniam tamen hic loquendi modus minùs uſitatus eſt criminationibusque obnoxius, atque inſuper illo inſigniter abuſi ſunt Lutherus & Calvinus, multò conſultius eſt eo penitus abſtinere, ne offendiculum cuiquam pariatur.

SECUNDA PROPOSITIO.

Ut peccata jure merito imputari poſſint, neceſſe non eſt gratiam ſufficientem præceſſiſſe.

HANC Propoſitionem præcedentia invictè demonſtrant. Nam 1° oſtendimus gratiam actualem plurimis hominibus, inſtante præcepto, non dari. Atqui eiſdem hominibus peccata imputari certiſſimum eſt. Hinc, cùm Germanus Bechefer Jeſuita, in Theſibus Pariſiis propugnatis 14 Decembris 1699, aſſeruiſſet „ errare illos, qui aiunt peccatores „ nonnullos ita deſeri à Deo, ut ab interiori illius luce penitus ſecludantur, tametſi peccatori planè obcæcato & obdurato peccata nihilominùs imputentur;“ tam gravis inde orta eſt offenſio, ut plurimi Doctores eam Archiepiſcopo Pariſienſi Noallio, paulò poſt Cardinali, palam denuntiandam cenſuerint. Imminentem ſibi procellam ut declinaret auctor Theſeos, per Rectores Collegii & Novitiatûs ſequentem declarationem Archiepiſcopo ſtatim obtulit: „ Primùm profiteor nunquam in ea me ſententia fuiſſe, ut crederem eos, qui vocantur ex„ cæcati & indurati, non peccare amplius, vel ſua illis peccata mini„ mè imputari à Deo; imo me ſemper tenuiſſe, & nunc etiam tenere, „ ex Scriptura & Patribus certò conſtare quòd peccent, & quòd pec„ cata illis imputentur. Profiteor inſuper, quantumvis mihi perſuaſum

„ ſit obduratos nequaquam omni carere interiori gratiâ, quæ ad im-
„ plenda præcepta ſufficiat, haud propterea voluiſſe me ullâ cenſurâ
„ notare illos, qui nec pauci ſunt nec infimi nominis, Theologos ex
„ Catholicis, quos contraria in opinione æquè in Eccleſia permiſſa ver-
„ ſari certum eſt: neque, cùm in prædicta propoſitione dixi errare
„ illos, aliud à me intellectum eſſe, quàm quod fallantur.“ Hæc ille,
non rectè profecto quatenus falli putat eos qui dicunt excæcatos & in-
duratos carere gratiâ interiore, quæ ad implenda præcepta ſufficiat; rectè
tamen quatenus, ad fugiendam cenſuram, coactus eſt profiteri *ex Scrip-
tura & Patribus certò conſtare, quòd excæcati & indurati*, quos gratiâ
ſufficiente deſtitui ex Scriptura pariter & Patribus oſtendimus, *verè pec-
cent, & quòd peccata illis imputentur*. Et ſanè ſi quid obſtaret quominus
peccatoribus auxilio gratiæ carentibus peccata imputentur, maximè quia
impoſſibile illis eſſe cenſeretur à peccatis abſtinere. Porro ſuperiore Pro-
poſitione demonſtratum eſt nequaquam illis mandata eſſe impoſſibilia.

Probatur inſuper directè præſens Propoſitio illis Scripturæ teſtimoniis,
quæ docent plurima peccata, Deo juſtè deſerente, aliis peccatis gravio-
ribus puniri. Id copioſè probat S. Auguſtinus multis in locis. Lib. *de
Nat. & grat.* cap. 22. n. 24: „ An nulla, inquit, pœna eſt eorum, de
„ quibus dicit Apoſtolus, *quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum*
Rom. I. „ *glorificaverunt aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus*
„ *ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum?* Utique iſta obſcuratio
„ vindicta & pœna jam fuit; & tamen per hanc pœnam, id eſt, per
„ hanc cæcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura & gravia
„ peccata prolapſi ſunt. *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.*
„ Gravis hæc pœna eſt, ſi quis intelligat; & ex hac pœna vide quò
„ ierunt? *Et immutaverunt*, inquit, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimi-
„ litudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum,
„ & ſerpentium.* Iſta fecerunt ex peccati pœna, quia obſcuratum eſt
„ inſipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia, licet pœnalia,
„ etiam ipſa peccata ſunt, adjungit & dicit: *Propterea tradidit illos
„ Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam.* Ecce quemadmodum
„ Deus graviùs condemnavit, tradens illos in deſideria cordis eorum in
„ immunditiam. Videte etiam ex hac pœna quid faciant. *Ut contume-
„ liis*, inquit, *afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Et quia pœna eſt iſta
„ iniquitatis, cùm ſit & iniquitas, evidentiùs commendat dicens: *Qui
„ transmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſervierunt
„ creaturæ potiùs quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.
„ Propter hoc*, inquit, *tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Ecce
„ quoties vindicat Deus, & ex eadem vindicta plura & graviora peccata
„ exurgunt...... Atque ut oſtenderet ſic eſſe iſta peccata, ut etiam pœ-
„ næ ſint peccatorum, etiam his adjunxit: *Et mercedem mutuam, quam
„ oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Videte quoties vindicet,
„ ca-

,, eademque vindicta quæ pariat pulluletque peccata. Adhuc attendite:
,, *Et ſicut non probaverunt*, inquit, *Deum habere in notitia*, *tradidit illos*
,, *Deus in reprobam mentem*, *ut faciant quæ non conveniunt*, *repletos omni*
,, *iniquitate &c.* Hic nunc iſte (Pelagius) dicat: Non debuit ſic vin-
,, dicari peccatum, ut peccator per vindictam plura committeret."
Cap. 23, n. 25, ſic pergit: ,, Fortaſſe reſpondeat Deum ad iſta non
,, cogere, ſed dignos deſeri tantùm deſerere. Et ſi hoc dicit, veriſſimè
,, dicit: deſerti quippe, ut dixi, luce juſtitiæ, & per hoc contenebra-
,, ti, quid faciant aliud quàm hæc omnia quæ commemoravi, opera
,, tenebrarum?"
Eamdem materiam tractat lib. 5 contra Julianum, cap. 3. n. 12,
ſicque concludit: ,, Cùm ergo dicitur tradi deſideriis ſuis, inde fit
,, reus, quia deſertus à Deo cedit eis atque conſentit, vincitur, capi-
,, tur, traditur, poſſidetur; *à quo enim quis devictus eſt*, *huic & ſervus* 2 Petri, II. 19.
,, *addictus eſt*: & fit ei peccatum conſequens præcedentis pœna pecca-
,, ti. An non eſt pecatum & pœna peccati, ubi legitur: *Dominus enim* Iſai. XI 14.
,, *miſcuit illis ſpiritum erroris*, *& ſeduxerunt Ægyptum in omnibus operi-*
,, *bus ſuis*, *ſicut ſeducitur ebrius?* Non eſt peccatum & pœna peccati, ubi
,, Deo dixit Propheta: *Quid errare feciſti nos*, *Domine*, *à via tua? Ob-* Iſai. LXIII. 17.
,, *tudiſti corda noſtra*, *ne timeremus te?* Non eſt peccatum & pœna pec-
,, cati, ubi rurſus Deo dicitur: *Ecce tu iratus es*, *& nos peccavimus*; Iſai. LXIV. 5
,, *propterèa erravimus*, *& facti ſumus ſicut immundi omnes?*" Deinde, pro- & 6.
latis adhuc aliquibus aliis Scripturæ textibus: ,, Multa alia, inquit,
,, commemorare poſſumus, in quibus liquidò apparet occulto Dei judi-
,, cio fieri perverſitatem cordis, ut non audiatur quod verum dicitur,
,, & inde peccetur, & ſit ipſum peccatum præcedentis etiam pœna pec-
,, cati. Nam credere mendacio & non credere veritati, utique peccatum
,, eſt. Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ, occulto judicio Dei,
,, ſed tamen juſto, etiam pœna peccati monſtratur: quale eſt etiam il-
,, lud quod ad Theſſalonicenſes ſcribit Apoſtolus: *Pro eo quòd dilectionem* 2 Theſſ. II. 10.
,, *veritatis non receperunt*, *ut ſalvi fierent*, *& ideò mittet illis Deus*
,, *operationem erroris ut credant mendacio.* Ecce pœna peccati peccatum
,, eſt: utrumque claret, breviter dictum eſt, apertè dictum eſt." Et
num. 13: ,, Quid dicis eſſe quod ſcriptum eſt: *Et propheta ſi erraverit*, Ezech. XIV. 9.
,, *& locutus fuerit*, *ego Dominus ſeduxi prophetam illum*, *& extendam ma-*
,, *num meam ſuper eum*, *& exterminabo eum de medio populi mei Iſ-*
,, *rael?*..... Vides falſa prophetantis peccatum eſſe pœnam peccati.
,, An & hic dicturus es, quod ait, *ego Dominus ſeduxi prophetam il-*
,, *lum*, intelligendum eſſe, deſerui, ut pro ſuis meritis ſeductus erraret?
,, Age ut vis: tamen eo modo punitus eſt pro peccato, ut falſum pro-
,, phetando peccaret." ,, Iſta conſidera, inquit S. Doctor lib. 4 Op.
imp. cap. 35, ubi in eodem argumento verſatur, ,, & noli oblatrare
,, veritati, ne in te quoque agnoſcatur hæc pœna." Ibid. lib. 6, cap.
10,

10, ad idem demonſtrandum hos quoque commemorat textus: Rom. XI. 7: *Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt; cæteri vero excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque ad hodiernum diem.* Et Pſalm. 68 v. 24: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Et v. 28: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam.* Et Joann. XII. 41: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Et poſteà ſic proſequitur: „ Hæc commemoravi, ut intelligas, ſi poſſis, fieri per „ pœnam, procul dubio juſtam, ut non credant homines excæcato cor„ de, cùm per miſericordiam fiat ut credant liberâ voluntate. Quis „ enim neſcit neminem credere niſi libero voluntatis arbitrio? Sed pa„ ratur voluntas à Domino, nec omnino eruitur à ſervitute mala ſuis me„ ritis debita, niſi quando per gratuitam gratiam paratur à Domino."

Ex his omnibus Scripturarum textibus, ſimulque B. Auguſtini luculentiſſimis expoſitionibus manifeſtum eſt, plurimos peccatores juſto Dei judicio deſeri ſibique dimitti, ac, nedum inde excuſentur, in graviora prolabi peccata, quæ ipſis juſtè imputantur. Dicent ne adverſarii, eos quos Deus tradit in deſideria cordis ſui, apponens iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, quorum oculos excæcat & cor indurat, tunc habere auxilium actuale ſufficiens ad vitandum peccatum? Quid abſurdius? Profectò longè aliter ſentit S. Auguſtinus, quandoquidem aſſerit illos juſto judicio deſeri luce ſapientiæ, ſicque deſertos & contenebratos nihil aliud poſſe facere quàm opera tenebrarum, & inde reos fieri, quia deſerti à Deo cedunt atque conſentiunt pravis ſuis deſideriis, vincuntur, capiuntur, trahuntur, poſſidentur, nec erui à miſera, cui ſponte ſubjacent, ſervitute peccati, niſi per miſericordiam planè gratuitam, quæ non omnibus impenditur, præparetur ſeu creetur in eis bona voluntas à Domino.

Probatur 3° SS. Patrum teſtimoniis, qui expreſſè docent peccata imputari, ac juſtè imputari, eis qui gratiæ auxilium ad ea vitanda neceſſarium, culpâ utique ſuâ, non habuerunt.

Id ex profeſſo aſſerit S. Auguſtinus adverſùs Pelagianos, in Epiſt. 194, olim. 105, ad Sixtum, cap. 6. n. 22, his verbis: „ Sed excuſabunt „ ſe, inquit, homines qui nolunt rectè & fideliter vivere, dicentes: „ Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam, unde „ benè viveremus, non accepimus?" En objectio Pelagianorum, quam ad nauſeam recantant etiamnum recentiores nonnulli. Audiant S. Doctorem ipſis & illis ſimul ſolidiſſimè reſpondentem: „ Non poſſunt, ait, „ veraciter dicere nihil mali ſe feciſſe, qui malè vivunt. Si enim ni„ hil mali faciunt, benè vivunt: ſi autem malè vivunt, de ſuo malè

„ vi-

Digitized by Google

„ vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod inſuper addide-
„ runt.“ Hæc prima eſt reſponſio: excuſari non poſſunt qui malè vivunt, quia de ſuo malè vivunt. Deinde, num. 23, oſtendit objectionem Pelagianorum, ab Apoſtolo dudum præoccupatam, divinitùs repulſam fuiſſe. „ Quonam, inquit, iſti ſe excuſabunt modo? Nempe illo
„ quem breviter velut ex eorum voce ſibi objecit Apoſtolus, ut dicant:
„ *Quid adhuc conqueritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Hoc eſt Rom. IX. 19.
„ enim dicere: Quid de nobis fit querela, quod Deum offendamus malè
„ vivendo, cùm illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obdura-
„ vit miſericordiam non præſtando? Si ergo illos non pudet hac excuſa-
„ tione non nobis, ſed Apoſtolo contradicere, cur nos pigeat eis, quod
„ dixit Apoſtolus, hoc idem atque identidem dicere: *O homo, tu quis es* Ibid. v. 20 & 21.
„ *qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quare ſic*
„ *me feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa*, utique
„ meritò rectèque damnata, *facere aliud vos in honorem* indebitum prop-
„ ter miſericordiæ gratiam, *aliud in contumeliam* debitam propter iræ juſti-
„ tiam?..... Satis ſit interim Chriſtiano ex fide adhuc viventi... noſſe vel
„ credere, quòd Deus neminem liberet niſi gratuitâ miſericordiâ per Do-
„ minum noſtrum Jeſum Chriſtum, & neminem damnet niſi æquiſſimâ ve-
„ ritate per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.“ 3°. Num. 25 oſtendit excuſari nullomodò poſſe illos, qui, acceptâ notitiâ veritatis, gratiam benè vivendi non receperunt, cùm etiam illi non excuſentur, qui veritatem ignorant, & quibus nec lex data, nec evangelium fuit prædicatum. „ Si, inquit, iſtos inexcuſabiles dicit Apoſtolus, qui invi-
„ ſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicere potuerunt,
„ nec obedierunt tamen veritati, ſed iniqui & impii permanſerunt,.....
„ quantò magis inexcuſabiles ſunt, qui ex lege ejus inſtructi confidunt ſe
„ eſſe duces cæcorum?..... Eis quippe dicit: *Propterea inexcuſabilis es*, Rom. II. 1.
„ *ô homo omnis qui judicas: in quo enim alium judicas, teipſum condem-*
„ *nas: eadem enim agis quæ judicas.*„ Addit n. 26: „ Dicit etiam ipſe Joann. XV. 22.
„ Dominus in Evangelio: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, pecca-*
„ *tum non haberent* (incredulitatis quo nolunt credere in me): *nunc au-*
„ *tem excuſationem non habent de peccato ſuo.*“ (Non dicit: ſi gratiam eis interiorem & ſufficienrem non dediſſem, ſed, *ſi non veniſſem & locutus fuiſſem eis*, ſignificans hoc ipſo illos inexcuſabiles eſſe, quòd ipſum miracula patrantem & vidiſſent & audiviſſent). „ Hanc eos excuſatio-
„ nem non habere aſſerit, inquit S. Doctor, quâ poſſint dicere: non
„ audivimus, ideo non credidimus.“ Et num. 27: „ Secundùm hanc in-
„ excuſabiles dicit Scriptura divina quoſcunque ſcientes peccare convincit.
„ Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit, qui non audierunt; *qui-*
„ *cunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*: & quàmvis ſe Rom. II. 12.
„ ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe
„ feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi

„ ejus, quo malè uſus eſt, libero voluntatis arbitrio, etiam quod tran-
„ ſiret in poſteros, manaſſe peccatum."

Eisdem armis Semipelagianos debellat lib. *de Correptione & grat.* cap. 7. num. 11. „ A damnatione, inquit, non ſe liberabunt, qui potu-
„ runt dicere non ſe audiviſſe Evangelium Chriſti, cum fides ex auditu
„ ſit: quantò minùs ſe liberabunt qui dicturi ſunt: perſeverantiam non
„ accepimus? Juſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus
„ audientiam, quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam; quo-
„ niam poteſt dici: homo, in eo quod habueras & tenueras, in eo per-
„ ſeverares ſi velles; nullo autem modo dici poteſt: id quod non au-
„ dieras crederes ſi velles." Reverà nemo ſalutem vel juſtitiam aſſequi, imò nec benè vivere poteſt, abſque fide Chriſti; nec in Chriſtum credere quiſquam poteſt niſi Chriſtum prædicantes audierit. Attamen certum eſt non omnibus prædicari Chriſti Evangelium, ac proinde non omnes habere etiam externa auxilia ſufficientia ad ſalutem, neque idcirco illos, qui de Chriſto nihil audierunt, excuſari poſſe in peccatis contra legem naturalem ipſis plerùmque, magna ſaltem ex parte, ignotam. Recole, ſi placet, quæ de ignorantia juris naturalis alibi diximus. Quomodò ergo excuſari poſſent, qui per legem & evangelium quæ facienda ſunt cognoſcunt, & quibus ſola deeſt faciendi voluntas?

Idem S. Doctor hanc veritatem adeò diſertè aſſerit ac probat Quæſt. 50 in Deuteron., ut nihil validius deſiderari poſſit. Exponens enim hæc verba Moyſi, cap. 29. n. 4: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſint audire, usque in præſentem diem*, ſic loquitur: „ Nullomodò increpans & arguens hoc diceret, niſi ad
„ eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quiſquam ſe ex
„ hoc excuſabilem putet. Simul enim oſtendit & ſine adjutorio Domini
„ Dei eos intelligere & obedire non poſſe oculis cordis & auribus cor-
„ dis, & tamen, SI ADJUTORIUM DEI DESIT, NON IDEÒ ESSE
„ EXCUSABILE hominis vitium, quoniam Dei judicia, quàmvis oc-
„ culta, tamen juſta ſunt." Hic agitur de adjutorio ſine quo nec intelligere, nec obedire poterant Judæi; ſimulque aſſeritur, ſi adjutorium illud deſit, ut reverà, teſte Moyſe, Judæis deerat, non ideò peccatores excuſari apud Deum. Porro non mentem ſuam privatam ibi aperit S. Auguſtinus, ſed apertiſſimo ſacrorum eloquiorum teſtimonio planè demonſtrat.

Non minùs expreſſè idipſum canit S. Proſper in Carmine contra Ingratos, cap. 32, his verbis:

Non autem rectè nec verè dicitur illos,
Qui ſunt exſortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,
Peccati non eſſe reos, quia recta gerendi
Non data ſit virtus.

Ob-

Obſervat autem conſequens eſſe ut qui aliter ſentiunt peccatum originale nonniſi vocetenus confiteantur.

S. Fulgentius, lib. 2 *de Veritate Prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 20, commemoratis his S. Pauli verbis: *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* hæc conſequenter addit: „ Solent enim homines in tenebris propriæ cæcitatis extantes, cùm audiunt gratiâ Dei præveniri & immutari hominum voluntates, videntque ſe pro tenebroſi cordis perverſitate culpari, excuſationi ſuæ de juſta Dei voluntate injuſtum captare ſuffragium, ut exinde majus recipiant punitionis augmentum. Accuſant enim Deum, à quo gratiam non accipiunt, & ſeipſos excuſant, qui Deum juſtum vitio ſuæ iniquitatis offendunt. Ipſi ſibi ſuis manibus inferunt plagas, ac medico non dubitant irrogare calumniam; tanquam cauſa occiſionis propriæ non in illo ſit qui ſeipſum interficit, ſed in eo qui minùs ei ſalubri curatione ſubvenerit. Medicina quippe non mortis, ſed curationis eſt cauſa; cui utique non rectè mors adſcribitur, ſi peſſimo vulneri, quod ſibi homo intulit, minimè præbeatur. Juſtitiæ quippe eſt, ſi vulneratus ille relinquatur, ut mortem, quam ſibi ſpontaneis operibus adſcivit, inveniat; miſericordiæ autem, ſi ab eo medicus mortis perniciem beneficio gratuitæ curationis excludat.“

S. Aëlredus, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 13 & 14 (Bibl. PP. Colon. tom. 13. pag. 911), hanc ſibi proponit quæſtionem: „ Sed quod, inquis, hominis vitium, ſi bonam non habuerit voluntatem, quam nec propriis viribus acquirere, nec adeptam ſuis poterit viribus retentare?“ Reſpondetne ideò vitium eſſe hominis, quòd ad manum habeat gratiæ auxilium ſufficiens, cujus ope bonam voluntatem habere valeat? Nequaquam: ſed ait idcirco impotentiam benè agendi non excuſare, quia voluntaria & ex peccato eſt. „ Bonæ voluntatis conditus (homo), inquit, „ cujus eſt vitio pejoratus? Cur non juſtiſſimè ipſa ei impotentia imputetur, quam non ei creator impoſuit, ſed cui ipſe ſe ſponte ſubmiſit? Et ſi fortè æquum non videtur ut hinc culpetur, ſi nunc bonam non habet voluntatem, quam quidem habere non poterit ſi non acceperit, injuſtum ne quòd ei imputetur quòd acceptam amiſit? Injuſtum ut imputentur mala, quæ, nullo cogente, deliquit?“.

Tam expreſſis textibus innixus ſapientiſſimus Lemos, Baſtidæ Jeſuitæ in Congregationibus de Auxiliis ſic inferenti: „ Si omnibus non datur auxilium ſufficiens, ergo, quando homo peccat, non poteſt illi imputari ad culpam,“ confidenter reſpondit, in Congregatione 45 coram Clemente VIII, *hanc illationem eſſe Pelagianam.*

Omittere non debemus declarationem centum Galliarum Epiſcoporum, anno 1720, in Expoſitione doctrinæ, art. 3, in quo ſic loquuntur: „ Ce ſeroit une témérité de traiter d'erreur l'opinion de pluſieurs ſavants Theologiens, qui enſeignent que la grace ſuffiſante n'eſt pas

„ donnée aux aveuglés & aux endurcis, & qui ne croient pas qu'elle „ ſoit accordée à tous les infideles. Il ſeroit encore plus temeraire, „ quelque ſentiment que l'on ſoutienne, de dire que les aveuglés & les „ endurcis ne pechent pas, & que leurs pechés ne leur ſont pas im„ putés."

Probatur ultimò pluribus abſurdis atque impiis, quæ ex oppoſita opinione ſponte derivantur.

Primum eſt, gratiam neceſſariam eſſe ad peccandum, tanquam conditionem ſine qua non propriè peccatur, aut ſaltem peccatum non eſſe veri nominis peccatum, nec juſtè imputari poſſe. Id ſanè tum perabſurdum eſt, tum etiam repugnat unanimi doctrinæ SS. Patrum, qui aſſerunt liberum arbitrium ſibi planè ſufficere ad malè agendum. „ Ad „ peccandum, ait S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione* n. 5, „ non adjuvamur à Deo; juſta autem agere non poſſumus, niſi ad„ juvemur à Deo: ſicut oculus corporis non adjuvatur à luce, ut ab „ eadem luce clauſus averſusve diſcedat; ut autem videat, adjuvatur „ ab ea, neque hoc omnino, niſi illa adjuverit, poteſt." Et Serm. 156, olim 13 de Verbis Apoſtoli, cap. 11. n. 12: „ Agis quidem, illo „ non adjuvante, liberâ voluntate, ſed malè. Ad hoc idonea eſt volun„ tas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancil„ la...... Ad malè agendum habes ſine adjutorio Dei liberam volunta„ tem." Vide, ſi placet, lib. 1 Contra duas Epiſtolas Pelagianorum, c. 2. n. 5 & cap. 3. n. 6, & lib. 2. c. 5. n. 9; lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 3. n. 7; S. Proſperum in Reſponſ. ad 6 objectionem Gallorum; S. Fulgentium, lib. 2 *de Verit. Prædeſt. & grat.* cap 7.

Reſpondent ſua in opinione gratiam neceſſariam non eſſe ad peccandum; non enim influere in peccatum, ſed magis avertere à peccato.

Sed miſera planè reſponſio. Eſto; gratia non influat in peccatum:-num ideò minùs illa in opinione requiritur, ut conditio ſine qua homo non liberè peccaret? Id autem expreſſè negat S. Auguſtinus. „ *Ad malè* „ *agendum*, inquit, habes ſine adjutorio Dei liberam voluntatem."

Quanta rerum converſio! Non tantùm in ea opinione gratia neceſſaria foret ad pecandum, ſed etiam neceſſaria non foret ad non peccandum. Si enim gratia non datur, non peccatur, aut ſaltem peccatum non imputatur. Ergone ea foret mortis Chriſti utilitas, quòd gratiam nobis promeruerit, quâ peccare & damnationem æternam mereri poſſumus? Cumque Scriptura & SS. Patres doceant legem ſine gratia occidere, è contrario dicendum foret legem ſine gratia non poſſe occidere, quia, ſi deſit adjutorium gratiæ, transgreſſio legis jam non imputaretur. Quæ aures Chriſtianæ talia patienter audire poſſunt?

II°. Sequitur gratiam homini lapſo debitam eſſe, adeòque jam non eſſe gratiam. Quid enim magis debitum eſt, quàm illud, quod ſi non detur, juſta eſt in peccatis excuſatio? Quid verò certius quàm gratiam,

hoc

hoc ipſo quòd gratia eſt, eſſe omnino indebitam? „ Ac per hoc, ait S. Auguſtinus, Ep. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 6. n. 29, „ univerſi, qui ſe in negotiis & iniquitatibus excuſatos volunt, ideò juſtiſſimè puniuntur, quoniam, qui liberantur, non niſi gratiâ liberantur. Nam ſi excuſatio illic juſta eſſet, non inde jam gratia, ſed juſtitia liberaret. Cùm verò non liberat niſi gratia, nihil juſtum invenit in eo quem liberat, non voluntatem, non operationem, non denique ipſam excuſationem; nam ſi hæc juſta eſt, quisquis eâ utitur, merito, non gratiâ, liberatur."

Et ſanè incarnatio Chriſti fons eſt & origo omnium gratiarum, quandoquidem nulla niſi per ipſum ipſiusque merito nobis datur. Quid verò magis homini indebitum quàm incarnatio Filii Dei, quam nimiæ caritati, quâ Deus dilexit nos, Scripturæ attribuunt? Numquid verò, ſi Chriſtus non veniſſet, peccata hominibus non imputarentur? Si ita eſt, ergo Deus peccatoribus debuit ut eis Filium ſuum unigenitum daret; aut ſaltem Filii ſui incarnationem ſupplere debuit, largiendo omnibus, independenter à ſanguine Mediatoris, gratias ſufficientes. Ergo gratis Chriſtus mortuus eſt, nihilque nobis promeruit, quod, eo etiam non incarnato nec paſſo, non pariter habuiſſemus, alioqui excuſabiles & inculpati futuri. Hæc autem quantùm à veritate & pietate abhorreant, nullus verè Chriſtianus non ſentit. Ergo, ut concludit Bellarminus, lib. 2 *de Gratia & lib. arb.* cap. 4, „ nulla eſſet in Deo iniquitas, ſi non ſolùm aliquibus, ſed etiam omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem negaret. Hæc propoſitio, addit ille, certiſſima eſt apud eos qui ex divinis Litteris peccatum originale noverunt." Quamobrem, nedum conqueri debeamus quòd non omnibus detur auxilium gratiæ, maximas è contrario gratias agere Deo debemus quòd aliquibus illud largiatur. Vid. S. Anſelmum in Profologio, cap. 9, 10 & 11.

Reſpondent non abſolutè gratiam homini deberi, ſed tantùm poſito quòd ipſi imponantur præcepta ſupernaturalia. Gratia ſufficiens, ait Suarez, in 1 part. S. Thomæ, tract. de prædeſt. & reprobat. lib. 2. cap. 9. n. 5, „ licet non ſit debita naturæ ſecundùm ſe ſpectatæ, & multò minùs ut affectæ originali peccato, eſt nihilominùs aliquo modo debita naturæ ordinatæ ad finem ſupernaturalem cum debito illum procurandi." Idem communiter ſentiunt cæteri Jeſuitæ.

Erroneam illam & frivolam diviſionem divinorum præceptorum in naturalia & in ſupernaturalia ſupra explofimus, oſtendimusque præcepta divina, quæ omnia in præcepto diligendi Deum & proximum continentur, & naturalia eſſe hoc ſenſu, quòd in ipſa hominis natura fundetur illorum obligatio, & ſupernaturalia quatenus ſine adjutorio gratiæ impleri nequeunt. Sed quidquid ſit de illa diviſione, de qua impræſentiarum non agitur, hoc ſaltem fide certum eſt, præſentem hominum ſta-

tum talem eſſe, ut jubeantur habere fidem, ſpem & caritatem, easque virtutes ſine gratia Chriſti haberi non poſſe. Num, quæſo, Scripturæ & SS. Patres, quando gratiam homini non deberi docuerunt, de homine chimerico & in altero ſtatu conſtituto locuti ſunt? Nonne de Adæ poſteris, prout nunc ſunt, ad finem ſupernaturalem ordinatis aſſerunt gratiam eis non deberi? Denique (quod totam abſolvit quæſtionem, omnemque tollit ambiguitatem) Scripturæ & SS. Patres de una eademque gratia utrumque ſimul pronuntiant, eam & abſolute neceſſariam, & omnino indebitam eſſe. Nihil igitur fingi poteſt ab Eccleſiæ doctrina magis alienum, quàm gratiæ adjutorium indebitum non confiteri, niſi poſito quòd non ſit neceſſarium, & quòd nulla ſit ordinatio ad finem ſupernaturalem.

III°. Sequitur peccatum imputari non poſſe, quin præceſſerit non ſolùm actualis cognitio peccati, ſed etiam pius ad illud vitandum voluntatis motus. Id autem eſt pejus aliquid errore peccati Philoſophici. Nam Philoſophiſmus, à Sede Apoſtolica, applaudentibus omnibus Catholicis, damnatus, ad veri nominis peccatum æternâ pœnâ dignum exigebat tantummodò cognitionem illius diſſormitatis à lege divina; hæc verò opinio, præter illam cognitionem, requirit inſuper pium & ſupernaturalem motum voluntatis, quo excitatur ad abſtinendum ab illo peccato. Ergo, ſi error peccati Philoſophici tantum ſuî horrorem undique concitavit, quantò potiori jure damnanda eſt opinio, quæ peccatum imputari non poſſe aſſerit, niſi gratia ſufficiens, hoc eſt, pia intellectûs illuſtratio & pia motio voluntatis præceſſerint?

IV°. Denique, ſi quid hominem gratiâ ſufficiente deſtitutum à peccato excuſaret, maximè impotentia faciendi bonum, & quædam peccandi neceſſitas, in qua, hoc ipſo quòd gratiâ caret, verſari ſupponitur. Porro hæc ratio nulla eſt multis de cauſis.

Ac primò quidem, quia hujuſmodi neceſſitas (ſi tamen neceſſitas dici poteſt, quæ ab ipſa voluntate oritur) peccati pœna eſt, ſaltem originalis. Hanc rationem ſuppeditant, poſt S. Auguſtinum, S. Anſelmus, Hugo à S. Victore & S. Thomas.

S Anſelmus, in dialogo *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 7, quærit „ cur arguantur illi qui verbum Dei non ſuſcipiunt, „ cùm hoc facere nequeant ſine gratia eorum voluntates dirigente:" ubi manifeſtè ſupponitur gratiam, ſine qua verbum Dei ſuſcipi non poteſt, non omnibus præſtò eſſe. Sic autem reſpondet: „ Notandum eſt quia „ impotentia, quæ deſcendit ex culpa, non excuſat impotentem, culpâ „ manente...... Hoc ipſum namque quia non habet (natura humana), „ quod per ſe reſumere nequit, eſt illi habendi impotentia; in quam „ ideò cecidit, quia ſponte deſeruit quod ſervare potuit. Quoniam ergo peccando deſeruit juſtitiam, ad peccatum illi imputatur impoten-
„ tia

„ tia, quam ipſa peccando ſibi fecit." Addit tantùm abeſſe ut impotentia illa valeat peccata excuſare, ut è contrario non parva culpa ſit ex tanta boni facilitate, quam in creatione accepimus, in tantam impotentiam incidiſſe. „ Poſſumus etiam, inquit, rationabiliter aſſerere, quia, „ quòd à prima conditionis humanæ dignitate ac fortitudine atque pul- „ chritudine minorata & corrupta eſt, illi ad pœnam imputatur. Per „ hoc enim minoravit, quantum in ipſa fuit, honorem & laudem Dei. „ Quippe ſecundùm dignitatem operis laudatur & prædicatur ſapientia „ artificis. Quantò igitur natura humana pretioſum opus Dei, unde „ ipſe glorificandus erat, in ſe minoravit atque fœdavit, tantò ſuâ „ culpâ Deum exhonoravit."

Hugo à S. Victore, lib. 1 *de Sacramentis*, part. 7. cap. 23: „ Si excuſabilis videtur homo, inquit, pro eo quòd natura, infirmitate mor- „ talitatis corrupta, affectum ſuum jam ex neceſſitate ultra menſuram. „ effluentem per ſe cohibere non poteſt, conſiderandum eſt quòd non „ poteſt excuſare illa neceſſitas, quam præcedens operata eſt voluntas. „ Culpa enim voluntaria pœnam meruit, pœna autem operata eſt infir- „ mitatem, infirmitas verò induxit neceſſitatem: & idcirco, quia ne- „ ceſſitatem operata eſt voluntas, voluntatem ipſam excuſare non poteſt „ neceſſitas."

Demum S. Thomas, lib. 3 *contra Gentiles*, cap. 160. n. 3: „ Quàm- „ vis autem, ait, illi qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per pro- „ priam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent vel ponant, ut „ oſtenſum eſt, niſi auxilio gratiæ præveniantur, nihilominùs tamen „ hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente „ in eis relinquitur: ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per „ ebrietatem committit, quam ſuâ culpâ incurrit."

Reverâ quis de Deo juſtè conqueri poſſit, quòd ſibimetipſis derelinquat eos qui ſui juris eſſe voluerunt, quòdque gratiam ſuam eis non donet, qui acceptam rejecerunt, & indignos illâ ſeſe in dies præbent, nova peccata prioribus addendo?

Secundò. Iſta neceſſitas & impotentia non ſolùm præcedentis peccati pœna eſt, ſed etiam tota voluntaria eſt. Oritur enim à vehementi inclinatione voluntatis ſeſe ultro avertentis à ſummo bono & ad caduca convertentis. Quomodò juſtè non imputaretur voluntati quod ab ipſa procedit? Aut quomodò à voluntate alienum eſſe poteſt, quod ipſa vult & imperat?

Fateor peccatorem excuſandum fore, ſi extrinſecâ quâdam neceſſitate ad peccandum invitus traheretur, ſi pravis ſuis affectibus exui ex animo vellet, ſi apud Deum dolens ingemiſceret opemque adjutricem imploraret. Verum amat languores ſuos, explendis ſuis libidinibus totus inhiat ac delectatur, nequaquam vult illa deponere, gratiamque medicinalem, nedum ſupplex poſtulet, procaciter repellit. Quid ergo juſtæ excu-

excuſationis prætendere queat, cùm ipſe faciat, &, quia vult, faciat? Quo jure de gratiæ abſentia expoſtulet, quam nec petit, nec deſiderat? Ut enim ait S. Bernardus, Serm. 81 in Cantica, n. 7: „Neſcio quo pra-„ vo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mu-„ tata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cum voluntaria ſit, excu-„ ſare valeat voluntatem, nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere ne-„ ceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodò voluntaria.“

Diximus jam, nec ſatis dici poteſt, quia nunquam poteſt ſatis attendi, longè aliter ſentiendum eſſe de impotentia quam pariunt impedimenta externa & à voluntate prorſus independentia, quàm de impotentia interna & voluntaria, quæ nihil aliud eſt quàm affectio voluntatis in aliquid inordinatum, adeò fortis ut inde abſtrahi nolit. Illa planè excuſat à peccato; hæc auget potiùs quàm excuſat peccatum. Non poſſum ſubvenire pauperi, quia unde ſubveniam non habeo: excuſatio eſt legitima. Non poſſum meipſum determinare ad ſubveniendum pauperi, quia divitiis meis nimis adhæreo: non excuſationis titulus eſt, ſed majoris cauſa damnationis; *quia ubi eſt major inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi eſt gravius peccatum*, ait S. Thomas, 2. 2. q. 156. art. 3. Quis v. g. abſolvendum putat homicidam, aut alterius capitalis criminis reum, eoquòd juret ſe tanto voluntatis ardore ad malum impelli, ut cohibere ſe nequeat? Nonne quantò perverſior, tantò graviori pœnâ dignus omnium hominum judicio cenſebitur? Porro ſi leges humanæ hujuſmodi excuſationem non admittunt, ſed ſeveriùs damnant, eam ne lex divina admittet?

Tertiò. Abſentia gratiæ excuſare forſitan poſſet, ſi peccati cauſa eſſet vel directa vel indirecta: id verò dici nullomodò poteſt. Non enim, quia caret auxilio gratiæ, ideò induratus in vitiorum cœno magis ac magis ſeſe immergit; ſed quia vitiis immodicè delectatur. Auxilium gratiæ cauſa eſt bonorum operum: at gratiæ privatio nequaquam cauſa eſt peccati; quoniam „ liberum arbitrium ad malum ſibi ſufficit, ad „ bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono,“ ait S. Auguſtinus. Hinc Eccleſiaſticus, cap. XV. 11 & ſeq. ait: *Ne dixeris: per Deum abeſt; quæ enim odit ne feceris. Non dicas: ille me implanavit; non enim neceſſarii ſunt ei homines impii. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum.* Et Oſeæ XIII. 9: *Perditio tua, Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum.*

Duas præſertim ob cauſas peccatum abſentiæ divini auxilii attribui nequit. Prima eſt quòd liberum arbitrium, ut modò dixi, ad peccandum ſibi ſufficiat: altera quòd auxilium gratiæ nulli debeatur. Hanc rationem attingit Angelicus Doctor, 1. 2. q. 79. art. 1. in corp. „Con-„ tingit, inquit, quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitan-„ dum peccatum, quod ſi præberet non peccarent; ſed hoc totum facit „ ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, cùm ipſe ſit ſapientia „ &

Digitized by Google

„ & juſtitia. Unde non imputatur ei quòd alius peccet, ſicut cauſa „ peccati: ſicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis ex „ hoc quòd non gubernet navem, niſi quando ſubtrahit gubernatio„ nem, potens & debens gubernare.“ Deus autem non tenetur impedire ne homo, qui vult peccare, reipſâ peccet; & quando id præſtat, non ex debito & juſtitia, ſed gratuitâ miſericordiâ præſtat.

Quartò. Impotentia faciendi bonum & peccandi neceſſitas nunquam tales ſunt hac in vita, quin ſemper poſſit homo, quantùmvis induratus, abſtinere à peccato & facere bonum, ſi voluerit, ut Propoſitione præcedenti monſtratum eſt. Prætereà, ut ait S. Thomas, lib. 3 *contra Gentes*, cap. 160. num. 3, „ licet ille, qui eſt in peccato, non ha„ beat hoc in propria poteſtate, quòd omnino vitet peccatum, habet „ tamen poteſtatem nunc vitare hoc vel illud peccatum: unde, quod„ cunque committit, voluntariè committit, & ita non immeritò ei im„ putatur ad culpam.“

Enimverò in præceptis divinis duo ſunt diſtinguenda: ſcilicet ſubſtantia operum faciendorum aut vitandorum, & finis, nimirum ut ex amore Dei fiant aut vitentur. Porro ad faciendam ſubſtantiam operum, v. g. ad dandam eleemoſynam, ad fugiendas tentationes & occaſiones peccati, ad reſtituendum bona injuſtè poſſeſſa, ad jejunandum, ad abſtinendum ab ebrietate, à ſpectaculis, à voluptatibus illicitis &c, gratiæ Chriſti adjutorium abſolutè non requiritur; poſſunt enim illa omnia & ſimilia fieri ob finem ultimum à Deo diverſum. Sed illâ indigemus tantummodò, ut ea propter Deum & ex ipſius dilectione, ſine qua nihil ex omni parte bonum eſt, faciamus. Certum autem eſt, eos qui ex defectu gratiæ peccata ſua excuſant, non ex impotentia agendi propter Deum ſeſe excuſare, ſed ex difficultate ipſorum operum quoad ſubſtantiam conſideratorum, quæ tamen, ut dixi, ſine adjutorio gratiæ fieri abſolutè poſſunt. Proinde immeritò defectum gratiæ prætendunt homines, ad excuſandas excuſationes in peccatis; cum nemo dicere audeat ſe non poſſe diligere Deum, qui ſummum bonum eſt, & cujus dilectio totius legis eſt plenitudo. Ideòque S. Thomas, Q. 24 de Verit. art. 14. ad 2, dicit, „ quòd rectè homo corripitur, qui præceptum non implet, „ quia ex ejus negligentia eſt quòd gratiam non habet, per quam po„ teſt ſervare mandata quantùm ad modum“ (hoc eſt, ex dilectione Dei), „ cùm poſſit nihilominùs per liberum arbitrium ea ſervare quan„ tum ad ſubſtantiam.“

Quintò. Denique peccatum, hoc ipſo quòd ineſt voluntati, ſive detur, ſive non detur gratia quâ vitari poſſit, juſtè imputari à Deo, conſtat certiſſimis exemplis, quæ ad obſtruendum contradicentium ora planè ſufficiunt. Primum eſt dæmonum & hominum damnatorum, quibus gratiam ſufficientem dari nemo hactenus dicere auſus eſt; quos tamen in omnibus ſuis actibus peccare & verè peccare docet Theologorum

princeps Angelicus Doctor, q. 23 *de Veritate*, art. 7. ad 6, ubi ſic loquitur: „ Aliquis dicitur obſtinatus dupliciter: uno modo ſimpliciter, „ quando ſcilicet habet voluntatem irreverſibilem malo adhærentem; & ſic „ ſunt obſtinati illi qui ſunt in inferno, non autem aliquis in hac vita „ exiſtens. Illi autem qui ſunt in inferno adhuc tenentur ad confor- „ mitatem (cum voluntate divina), ad quam quàmvis pervenire non „ poſſint, ipſi tamen hujus impotentiæ ſibi cauſa extiterunt; unde non „ conformando peccant, quàmvis fortè non demerentur, eoquòd non „ ſunt viatores.“ In dubio quidem relinquit S. Doctor an damnati demereantur; ſed eos verè peccare non dubitat. Si autem peccando non demereantur, id inde tantum repetit, quòd non amplius ſint in ſtatu viatorum; non verò quòd priventur auxilio gratiæ. Ut dicamus quod res eſt, ſive quod nobis videtur, damnati non merentur quidem augmentum pœnæ, ut pote qui ſunt in termino, ſed merentur perennitatem pœnæ. Quapropter de illis dicitur Eccli. XXXIX. 33: *In furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua.* Si enim (quod nunquam futurum eſſe fides docet) verâ & piâ cordis compunctione ad Deum converterentur, veniam utique obtinerent, eorumque ſupplicium finiretur. Idcirco igitur ſine fine punientur, quia ſine fine peccabunt. Unde meritò dicit Steyaertius Doctor Lovanienſis, Aphorism. part. 1, diſp. 40: „ Neſcio „ quâ ſpecie defendi poſſit peccari non poſſe ſine gratia. Siquidem cer- „ tiſſimum eſt miſericordiæ Dei eſſe, quòd non omnes in primo Adam „ lapſi nunc generatim eodem auxilio deſtituimur; & reverâ fuiſſemus „ deſtituti, niſi ſecundus Adam per ſanguinem ſuum nobis ſuccurriſſet, „ peccaturi interim & de ſcelere in ſcelus ruituri, non ſecus ac modò „ dæmones cum participibus damnationis ſuæ peccant continuò, omni „ tamen auxilio gratiæ deſtituti.“ Idem docet Eſtius in 4. diſtinct. ultimâ, §. 1. „ Omnino dicendum, inquit, damnatos, ſive dæmones, „ ſive homines, non tantùm peccare poſſe, ſed & continuò peccare.“

Alterum exemplum eſt parvulorum in Chriſto non regeneratorum. Dicant, obſecro, adverſarii an credant imputari parvulis originale peccatum. Negare profectò non poſſunt, niſi Pelagianos ſe profiteri velint. Attamen in illorum parvulorum poteſtate non eſt carere illo peccato, nec habent auxilium ſufficiens, cujus ope illud vel non contrahere, vel contractum expiare valeant, antequàm per baptiſmi gratiam regenerentur, ad quam plerique non perveniunt. Si ergo Deus miſericors & juſtus, imò ipſamet miſericordia & juſtitia, tot infantibus ſine lavacro renovationis ex hac vita ereptis imputat, & in æternum imputabit delictum, cui actuali ſuæ voluntatis motu nunquam conſenſerunt, quomodò injuſtus foret hominibus induratis, quos gratiæ ſuæ auxilio non præveniſſet, imputando peccata, quæ propriâ & liberâ ſuâ voluntate commiſerunt?

Objiciunt. S. Auguſtinus, in Expoſitione quarumdam Propoſitionum Epiſto-

Epiſtolæ ad Romanos, prop. 62, dicit, indurato jam Pharaone, ejus inobedientiam non fuiſſe ex ſeipſa imputatam, ſed tantùm ratione præcedentis infidelitatis. „ Non hoc illi imputatur, inquit, quòd tunc „ non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non „ poterat; ſed quia dignum ſe præbuit cui cor obduraretur priore infi- „ delitate. Sicut enim, in iis quos elegit Deus, non opera, ſed fides „ inchoat meritum, ut per munus Dei benè operentur; ſic, in eis quos „ damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipſam „ pœnam malè operentur.“ Ergo peccata, quæ fiunt ab induratis gratiâ non adjutis, non ſunt veri nominis peccata, neque ipſis imputantur.

Nego conſequentiam. Sequeretur enim ad ſummum ea peccata imputanda non fore, ſi obduratio non eſſet pœna præcedentis peccati. Quoniam verò nemo niſi in pœnam alicujus peccati obduratur, nullus eſt obduratus, quantùmcunque auxilio gratiæ careat, cui peccata non imputentur. Cæterum obſervandum eſt inſuper hæc à S. Auguſtino ante ipſius Epiſcopatum ſcripta fuiſſe; quo tempore putabat fidem eſſe à nobis, ac proprio merito fidei aut infidelitatis dari aut non dari à Deo gratiam benè operandi, ac proinde ex illo textu nihil poſſe concludi ab adverſariis.

TERTIA PROPOSITIO.

Nec injuſta, nec inutilis eſt correptio delinquentium, etiamſi gratiam ad non peccandum neceſſariam non habuerint.

MONACHI quidam Adrumetini, S. Auguſtini temporibus, ex doctrina gratiæ per ſe efficacis concludebant, piè quidem orari poſſe pro delinquentibus, ut det illis Deus pœnitentiam, ſed non debere illos corripi, ut pote qui gratiam benè agendi non acceperint. „ Ergo, inquiebant, apud S. Auguſt. lib. *de Correpe. & grat.* cap. 3. n. 5, „ præcipiant tantummodò nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt, & ut faciamus, orent pro nobis: non autem nos corripiant & arguant ſi non „ fecerimus.“ Et cap. 4. n. 6: „ Præcipe mihi quid faciam, &, ſi „ fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi ut facerem dedit; ſi autem „ non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt ut det „ quod non dedit, id eſt, ipſam, quâ præcepta ejus fiunt, fidelem Dei „ & proximi caritatem. Ora ergo pro me ut hanc accipiam, & per „ hanc ex animo cum bona voluntate quæ præcepit faciam. Rectè au-

Digitized by Google

„ tem corriperer, ſi eam meâ culpâ non haberem, hoc eſt, ſi eam poſ„ ſem mihi dare vel ſumere ipſe, nec facerem; vel ſi, dante illo, ego „ accipere noluiſſem. Cùm verò & ipſa voluntas à Domino præparetur, „ cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle, & non „ potiùs ipſum rogas ut in me operetur & velle? "

Totus eſt in eo libro S. Auguſtinus ut huic querimoniæ ſatisfaciat, idque egregiè præſtat. Reſpondet imprimis tria illa omnino fieri debere, id eſt, & præcipi quod faciendum eſt, & corripi delinquentes, & orari pro delinquentibus; quoniam Apoſtoli & præcipiebant quæ fie-
Cap. 3 num. 5. rent, & corripiebant ſi non fierent, & orabant ut fierent. „ O homo, inquit, „ in præceptione cognoſce quid debeas habere; in correptione „ cognoſce tuo te vitio non habere; in oratione cognoſce unde accipias „ id quod vis habere." Et cap. 14. num. 43: „ Patiantur ergo homi„ nes ſe corripi quando peccant, nec de iſta correptione contra gratiam „ argumententur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccato „ juſta pœna debetur, & ad ipſam pertinet juſta correptio, quæ medi„ cinaliter adhibetur, etiamſi ſalus ægrotantis incerta eſt; ut, ſi is qui „ corripitur ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſa„ lubre medicamentum; ſi autem non pertinet, ſit ei correptio pœnale „ tormentum. Sub iſto ergo incerto ex caritate adhibenda eſt, cujus „ exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur orandum eſt ut ſanetur." Et poſteà, cap. 16. num. 49: „ Quæ cùm ita ſint, nec gratia prohibet „ correptionem, nec correptio negat gratiam:" hoc eſt, illa omnia quæ in Scripturis canonicis æqualiter commendantur, æqualiter etiam à nobis præſtanda eſſe, quàmvis fortaſſe ignoremus aut difficilè intelligamus quo pacto conciliari poſſint; „ cavendumque ne, dum timemus „ ne tepeſcat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio," ut ait idem Doctor, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 16. n. 39.

Dixi correptiones juſtè & non inutiliter adhiberi, etiamſi non omnibus detur auxilium gratiæ.

Primò quidem juſtè adhibentur. Si enim peccata, quæ ab hominibus auxilio gratiæ deſtitutis committuntur, Dei juſtitia imputat, ut in præſenti Propoſitione probatum eſt, cur eadem non juſtè corriperentur ab iis qui vice Dei in terris præſunt? „ Neque enim dilectionis viſcera „ majora geſtamus, ait S. Auguſtinus libro citato *de Correptione & gratia*, cap. 16. n. 49, „ quàm B. Apoſtolus, qui dicit: *Corripite in-*
1. Theſſal. V. 14. „ *quietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad*
1. Timoth V. 20. „ *omnes?*..... Dicit etiam: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæ-* „ *teri timorem habeant:* quod de his peccatis accipiendum eſt quæ non
Matth. XVIII. 15. „ latent, ne contra Domini ſententiam putetur locutus. Ille enim di„ cit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum.* „ Veruntamen & ipſe ſeveritatem correptionis eò uſque perducit, ut
Ibid. v. 17. „ dicat: *Si nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publica-* *nus*..

„ *nus*. Et quis magis dilexit infirmos quàm ille qui pro nobis factus „ eſt infirmus, & pro nobis ex ipſâ infirmitate crucifixus?"

Injuſta procul dubio foret peccatorum correptio, ſi non propriâ quiſque voluntate peccaret; ſicut injuſtè corriperetur quiſpiam coquòd diſtortus aut gibboſus natus eſſet. Sed cùm nemo niſi culpâ ſuâ propriâque voluntate ſit malus, vitiumque ſit non mediocre nolle corripi, æquum eſt peccatores pro modo culparum corripi, non ſolùm quia peccaverunt, ſed etiam quia corripi ſe nolunt. „ Quicunque igitur Dei præcepta jam „ tibi nota non facis, inquit S. Doctor, ibid. cap. 5. n. 7, „ & corripi „ non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non „ vis enim tua tibi vitia demonſtrari, non vis ut feriantur, fiatque tibi „ utilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, „ ut, cùm deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſupplices „ ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium eſt quòd malus „ es, & majus vitium corripi nolle, quia malus es: quaſi laudanda vel „ indifferenter ſint habenda vitia, ut neque laudentur neque vituperentur."

2°. Inde etiam patet non inutiles eſſe correptiones: tendunt enim per ſe ad correpti converſionem; nonnunquam etiam illam, Deo adjuvante, procurant; & ſi fortè correpto non proſunt, aliis utiles ſunt, ac præſertim electis.

Tendunt quidem ad correpti converſionem. Sicut enim per præcepta diſcit homo quid agere debeat, ut ignorantiam cauſare non poſſit; ſicut conſiliorum ope cognoſcit quid ſit optimum; ſicut per admonitiones revocatur ad conſiderationem ſuorum officiorum, & per exhortationes illorum honeſtatem, gravitatem, neceſſitatem magis attendit: ita per correptionis aculeum excitatur redire ad cor, agnoſcit ſuam difformitatem, dolore pungitur, pudore afficitur, timore angitur, ſibimet diſplicere cogitur & ad Deum ſupplex confugere. „ Dolor quippe ille, quo ſibi diſplicet, inquit S. Auguſtinus ibidem, „ quando ſentit correptionis aculeum, ex- „ citat eum in majoris orationis affectum, ut, Deo miſerante, incre- „ mento caritatis adjutus deſinat agere pudenda & dolenda, & agat „ laudanda atque gratanda."

Non omnibus quidem, qui corripiuntur, prodeſt iſte pudor ac dolor (eſt enim correptio gratia duntaxat exterior, quæ, ſi adjunctum non habeat interiorem Spiritûs ſancti motum, hominis malitiâ nocet potiùs quàm proficit); ſed plurimis divinâ miſericordiâ admodum proficua eſt. Quot enim ſunt quibus correptio fuit emendationis & ſalutis occa- „ ſio! Tunc autem eſt ſalubris, ut ibidem dicitur, quando ſupernus „ medicus reſpicit; non enim aliquid proficit, niſi cùm facit ut pecca- „ ti ſui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui reſpexit Apoſto- „ lum Petrum negantem, & fecit flentem? Unde & Apoſtolus Paulus, 2 Timoth. II. „ poſtquàm dixit cum modeſtia corripiendos eſſe diverſa ſentientes, 25 & 26.

„ protinus addidit: *Nequando det Deus eis pœnitentiam ad cognoſcendam* „ *veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad* „ *ipſius voluntatem.*“ Non dicit Apoſtolus corripiendos eos eſſe, quoniam non carent ſufficienti gratiæ auxilio, ſed quia fieri poterat ut Deus correptionem illam ſalubrem redderet, & daret eis gratiam pœnitentiæ, quam eos, quandiu captivi tenentur ad diaboli voluntatem, non habere apertè ſupponit.

Cùm verò nos, quos prædeſtinationis arcanum latet, planè ignoremus quibus profutura ſit correptio, & quibus non profutura, omnibus peccantibus correptionis remedium magna cum caritate impertiri debemus, Deum ſimul deprecantes ut, quibus medicinam exteriùs exhibemus, eis pœnitentiam interiùs infundat, ut ait his verbis S. Auguſtinus, ibidem, cap. 16. n. 49: „ Quantum ad nos pertinet, qui prædes- „ tinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc ſalvos „ omnes fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, „ adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſevera correptio; Dei eſt au- „ tem illis eam facere utilem, quos ipſe præſcivit & prædeſtinavit „ conformes fieri imaginis Filii ſui.“ Correptionis orationi conjunctæ utilitatem eodem modo explicat Doctor Angelicus, 2. 2. q. 83. art. 7. ad 4. „ Orantes, inquit, non pro omnibus peccatoribus exaudiun- „ tur, ſed pro quibusdam; exaudiuntur enim pro prædeſtinatis, non „ autem pro præſcitis ad mortem: ſicut etiam correctio, quâ fratres „ corrigimus, effectum habet in prædeſtinatis, non in reprobatis, „ ſecundùm illud Eccleſ. 7: *Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpe-* „ *xerit......* Sed ſicut nulli, quandiu vivit hîc, ſubtrahendum eſt cor- „ reptionis beneficium, quia non poſſumus prædeſtinatos diſtinguere à „ reprobatis, ut Auguſtinus dicit in lib. de Correptione & gratia; ita „ etiam nulli eſt denegandum orationis ſuffragium.“

Et ſanè ſi ægris corporibus medicamenta non inutiliter, imò neceſſariò applicantur, quæ non omnes tamen à morte vel à morbo liberant; ſi agricolæ ſemina terræ committunt, quæ non omnia fruges editura ſunt, quis cujusquam hominis ideò eſſe negligendam correptionem credat, quòd, an converſionis donum habiturus ſit, ignoretur? Iſtam comparationem adhibet S. Paulus, 1 Cor. III. 6 & 7. *Ego plantavi*, inquit, *Apollo rigavit; Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Fruſtra in ſerendo, in rigando, in excolendo agro ſudat agricola, niſi Deus det inſuper incrementum. Num propterea agricola aut ſerere non debet, aut inutiliter ſemen ſpargit? Nequaquam. Quàmvis enim incertum ſit an, eo ſerente & laborante, daturus ſit Deus incrementum, hoc tamen certum eſt, ſi ille nihil ſeverit, nullum fore incrementum, nullum fructum producendum. Similiter, quàmvis fruſtra prædicent, exhortentur, corripiant qui aliis præſunt, niſi Deus in auditorum cordibus interiùs

Digitized by Google

teriùs operetur, non tamen à corripiendo & exhortando ceſſare debent; quia, ſi non fecerint, nullus orietur juſtitiæ & pietatis fructus; ſi autem fecerint, forſan orietur.

Talis quippe eſt conſuetus divinæ providentiæ ordo, ut ad hominis ſalutem duo gratiarum genera concurrant, exteriora ſcilicet & interiora. Exteriora nihil proſunt abſque interioribus, ſicut nec agricolæ induſtria abſque ſuperna benedictione. At interiora dari non ſolent, niſi exteriora comitentur vel præceſſerint; quemadmodùm divina providentia nullum fructum nutriendis hominibus idoneum proferre ſolet ex ea tellure quæ inculta ſit. Unde dicit Apoſtolus, Rom. X. 17: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Perinde ſe habent res omnes humanæ. Nulla enim externa ſubſidia per ſe ſola proficua ſunt: neque alimenta nutriunt, neque medicamenta ſanant, neque amici protegunt, neque opes liberant, niſi hæc omnia divina potentia occultè & efficaciter operetur; & tamen quis negat ejuſmodi ſubſidia adhiberi debere, & non inutiliter adhiberi? Proinde „ intelligendum eſt, ait S. Auguſtinus, lib. 4 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 16. n. 33, „ & hominum officia, ipſo Spiritu ſancto largiente, in docendis etiam ipſis „ doctoribus non debere ceſſare; & tamen neque qui plantat eſſe aliquid, neque qui rigat, ſed Deum qui incrementum dat...... Sicut „ enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonniſi eis proſunt quibus Deus operatur ſalutem, qui & ſine „ illis mederi poteſt, cùm ſine ipſo illa non poſſint, & tamen adhibentur, &, ſi hoc officioſè fiat, inter opera miſericordiæ vel beneficientiæ deputatur; ita & adjumenta doctrinæ (exhortationis, correptionis, & ſimilium) tunc proſunt animæ adhibita per hominem, cùm „ Deus operatur ut proſint, qui potuit Evangelium dare homini etiam „ non ab homine, neque per hominem.“

Hoc argumentum profundè tractat S. Anſelmus in dialogo *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 6. Obſervat Deum, quemadmodùm in prima creatione arbores & fructus produxit ſine ſemine, eiſque ſemina indidit, ex quibus deinceps uſque ad ſæculi finem arbores naſcerentur, ita Prophetis, Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis ſpiritualia ſemina commiſit, terræ ſpirituali mandanda, ſine quibus (ordinariè loquendo) nullæ virtutis fruges eduntur. „ Sicut igitur, ait, terra non germinat „ naturaliter ea quæ maximè neceſſaria ſunt ſaluti corporis noſtri ſine „ ſeminibus; &, licet Deus non det incrementum omni ſemini, non „ tamen ceſſant agricolæ noſtri ſeminare in ſpe meſſis aliquantulæ: ita „ terra cordis humani non profert fructum fidei & juſtitiæ ſine congruis ſeminibus; &, quàmvis non Deus faciat cuncta hujuſmodi ſemina germinare, tamen præcipit agricolis ſuis in ſpe inſtantiſſimè verbum ſuum prædicare.“ Et ſicut nec telluris ariditas, nec pluviarum penuria, nec imbrium nimia abundantia, nec ventorum vis, nec tempeſta-

peſtatum inordinatio agricolas impediunt, quominùs ſtudium laboremque ſuum impendant, imò, quò ſpes minor eſt percipiendæ meſſis, eò acriùs ruſticis inſtant operibus; ita nihil prorſus à docendis ignaris, à torpentibus excitandis, à peccatoribus corripiendis deterrere debet illos, quos tanto miniſterio præfecit Deus optimus.

Non omnibus autem, qui docentur vel corripiuntur, præſtò eſſe gratiæ auxilium, manifeſtè demonſtrant hæc verba quæ Chriſtus auditoribus ſuis, qui utique aures carnis apertas habebant, identidem dicebat:
Luc. VIII. 8. *Qui habet aures audiendi, audiat.* „ Aures autem audiendi, ipſum eſt „ donum obediendi," ut exponit S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 14. n. 37, ubi addit: „ Exhortamur ergo atque prædica„ mus: ſed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt; qui „ verò eas non habent, fit in eis quod ſcriptum eſt, ut audientes non „ audiant, audientes videlicet corporis ſenſu non audiant cordis aſ„ ſenſu."

Verum, etiamſi correpti non emendentur, non idcirco penitus inutilis eſt correptio. Prodeſt enim & ei qui corripit, ſi ex caritate id faciat, quæ nunquam ſuâ mercede apud Deum defraudatur, & cæteris electis, qui inde magis ac magis diſcunt quanta ſit durities cordis, quod unctio gratiæ non emolliverit, quàm fruſtra adhibeantur monita, exhortationes, reprehenſiones, ubi Deus non interius operatur velle; quàm immeritò in ſeipſis glorientur Eccleſiæ miniſtri, quorum ſpiritualis labor animas Chriſto parturire videtur, cum *neque qui plantat* ſit aliquid, *neque qui rigat*, ſed *Deus, qui incrementum dat;* quantum malum ſit à Deo deſeri & cordi ſuo indurato derelinqui; quàm gratuitâ miſericordiâ electi ſint à maſſa perditionis diſcreti.

CAPUT OCTAVUM.

Proponuntur & expenduntur nonnullæ quæſtiones circa gratiam, tum efficacem, tum inefficacem.

An gratia dici poſſit omnibus oblata?

QUÆRITUR 1° an gratia dici poſſit omnibus oblata?

Reſpondeo id veriſſimè dici poſſe, modò rectè intelligatur. Nam, ut ait S. Auguſtinus, lib. *de Serm. Domini in monte*, cap. 3. num. 14, „ Deus „ ſemper paratus eſt dare lucem ſuam nobis, non viſibilem, ſed intel„ ligibilem & ſpiritualem; ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, „ cùm inclinamur in alia & rerum temporalium cupiditate tenebramur." Enimverò nemo eſt ad quem aliquo pacto non dirigantur iſtæ moni-

tiones: *Petite & accipietis; quærite & invenietis; pulſate & aperietur* Matth. VII. 7.
vobis. Et rurſus: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, &* Ibid. XI. 28.
ego reficiam vos. Et apud Iſaiam: *Omnes ſitientes venite ad aquas; &* Iſai. LV. 1.
qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Proinde nemo eſt cui gratia aliquo ſenſu non offeratur.

Ex quo tamen Semipelagiani docuerunt gratiam adjutricem ſic offerri omnibus, ut ad eam recipiendam præparare ſe quisque valeat absque prævenienti efficacis gratiæ auxilio, raro admodum hac loquendi ratione uſi ſunt SS. Patres. Et meritò ſanè: qui enim gratiam omnibus offerri dicit, inſinuare videtur in poteſtate cujusque eſſe propriis arbitrii ſui viribus eam ſibi comparare (qui error eſt Semipelagianorum), niſi addat neminem venire ad Chriſtum & ejus gratiæ participem fieri, niſi Pater cœleſtis traxerit eum.

Quando gratia dicitur offerri omnibus, quænam gratia intelligenda eſt?

Quæritur 2°, quando gratia dicitur omnibus offerri, quænam gratia intelligatur, utrùm excitans, an adjuvans & efficax?

Reſpondeo intelligi procul dubio gratiam efficacem ſeu adjuvantem. Ea ſola quippe gratia homini offertur, quæ volentibus datur, & quam deſiderare & petere debemus. Porro gratia, quæ jam volentibus datur, & quam orando petere debemus, non eſt gratia ſufficiens ſeu excitans tantummodò, quæ nonniſi prima bonæ voluntatis & orationis initia inſpirat, ſed efficax ſeu adjuvans, quæ facit ut bonum quod volumus, facto perficiamus.

An liberum arbitrium ex ſeipſo aliquid operetur, quando conſentit gratiæ excitanti & vocanti?

Quæritur 3° an liberum arbitrium ex ſeipſo aliquid operetur, quando conſentit gratiæ excitanti & vocanti?

Reſpondet Alvarez, lib. 9 *de Auxiliis*, diſp. 95, juxta doctrinam S. Thomæ, duplici ſenſu poſſe intelligi liberum arbitrium moveri & aliquid operari ex ſeipſo. 1°. Ita ut, ex ſe moveri, ſignificet moveri à principio intrinſeco & efficienter influente in actum. 2°. Ita ut, ex ſe moveri & aliquid operari, ſignificet moveri independenter à primo agente ſeu prima cauſa efficienter & phyſicè movente. In primo ſenſu verum eſt liberum arbitrium ex ſeipſo moveri & operari, quando gratiæ conſentit, quia tanquam facultas activa movet ſeipſum & efficienter producit ſuum actum. In ſecundo autem ſenſu falſum eſt, quia ipſe conſenſus voluntatis eſt effectus divinæ motionis, gratiæque operantis in nobis & velle & perficere.

Notandum verò iſtiusmodi phraſes ambiguas admodùm parcè & nonniſi cum explicatione adhibendas eſſe.

An dici poſſit aut debeat hominem rectè uti poſſe gratiâ ſufficiente, ſi velit.

Quæritur 4° an dici poſſit aut debeat hominem rectè uti poſſe gratiâ ſufficiente, ſi velit?

Reſpondeo id optimè dici poſſe, eo ſenſu quo S. Auguſtinus multoties dixit omnes homines poſſe implere divina mandata, ſi velint, modò addatur, uti addit S. Doctor, ut id velint præparari voluntatem à Domino, non ſanè per gratiam ſufficientem, ſed per efficacem. Verùm

iſta propoſitio ſimpliciter & ſine addito enuntiari non debet, eoquòd imperitos in errorem inducere nata ſit, quaſi à ſolo libero arbitrio, ſufficiente tantummodò gratiâ inſtructo, pendeat illam reddere efficacem, atque ad Deum converti abſque alio prævenienti auxilio, uti ſentiunt Moliniani.

Quid ſentiendum de iſta propoſitione: *Si homo gratiæ ſufficienti non reſiſteret, gratiam efficacem obtineret?*

Quæritur 5° quid ſentiendum ſit de iſta propoſitione: *Si homo gratiæ ſufficienti non reſiſteret, gratiam efficacem obtineret?*

Reſpondet Lemos in Panoplia, lib. 4. tract. 3. part. 2. cap. 4, iſtam propoſitionem ſumi poſſe in quadruplici ſenſu: 1°. Ut ſenſus ſit, fieri poſſe hominem benè uti auxilio merè ſufficiente, ac propterea recipere auxilium efficax. „ Sic autem intellecta, inquit, valde falſa eſt, & damnatum continet ſenſum, quia jam efficax dabitur ex merito hominis benè utentis ex ſe ſufficiente.“ 2°. Ut ſenſus ſit, fieri poſſe ut homo non quidem benè utatur gratiâ ſufficiente per actum poſitivum, ſed ei tamen ex ſeipſo non reſiſtat, atque idcirco Deus ei conferat auxilium efficax. Verum, præterquàm quòd facile non eſt concipere quid ſit hujuſmodi non reſiſtentia abſque ullo actu poſitivo voluntatis, iſta explicatio in priorem coincidit, & cum illa pariter rejicienda eſt. Tertius ſenſus, quem tamen minùs propriè attribui propoſitioni fatetur Lemoſius, eſt, ideò efficax auxilium non dari, quia homo non benè utitur ſufficienti. De propoſitione ſic intellecta dicemus paulò poſt „ Quartus ſenſus, inquit, magis proprius, in illa propoſitione importat ut ſit „ merè conditionalis, ita ut nihil ponat in eſſe circa poſſibilitatem vel „ impoſſibilitatem antecedentis, ſed ſolum dicat bonam eſſe illationem „ inter antecedens & conſequens: taliter quòd, licet fieri non poſſit „ ut benè utatur homo ex ſe auxilio ſufficienti, tamen, hoc incompoſ„ ſibili admiſſo, benè ſequatur quòd, ſi homo benè utatur auxilio ſuf„ ficienti, ei datur efficax. Et forſan in hoc ſenſu illam admittunt „ S. Thomæ diſcipuli; ſed tum dicendum eſt, ad omnem falſitatem & „ æquivocationem tollendam,..... conſequens eſt impoſſibile, ergo & „ antecedens. Impoſſibile eſt enim quòd ei detur auxilium efficax, quia „ jam illud eſſet debitum illi, & per conſequens gratia non eſſet; quod „ eſt impoſſibile. Unde etiam antecedens eſt impoſſibile, quòd nempe „ homo benè utatur ſe ſolo auxilio ſufficienti.“

An iſta cauſalis vera ſit: *Quia homo non benè utitur gratiâ ſufficiente, ideò non habet efficacem.*

Quæritur 6° an iſta cauſalis vera ſit: *Quia homo non benè utitur gratiâ ſufficiente, ideò non habet efficacem?*

Reſpondeo, cùm ſufficiens auxilium non omnibus detur, illius non bonum uſum aſſignari nôn poſſe univerſaliter, tanquam cauſam propter quam non datur gratia efficax: ac proinde falſa eſt propoſitio, ſi indefinitè accipiatur. Multi enim ſunt quibus non ideò non datur auxilium efficax, quòd non rectè utantur ſufficienti; quippe qui careant etiam auxilio excitante. Si verò reſtringatur propoſitio ad eos qui gratiâ excitante reipſâ præveniuntur; reſpondeo veriſſimum eſſe ideò illis non dari gratiam efficacem, quia reſiſtendo gratiæ excitanti obſtaculum oppo-

ponunt, quod Deus removere non tenetur. Nec dicas hominem non poſſe gratiâ excitante benè uti, niſi efficax acceſſerit. Quàmvis enim homo nihil præſtare ex ſeipſo poſſit, quo gratiæ auxilium ſibi acceſſat, poteſt tamen ex ſeipſo ponere obſtaculum gratiæ. Verbo dicam: nunquam in homine cauſa eſt, propter quam gratia efficax ei detur; ſemper autem cauſa eſt cur ei non detur, ſive avertendo ſe à lumine, ſive gratiæ excitanti reſiſtendo.

Quid ſentiendum de iſta cauſali propoſitione: *Ideò homo non convertitur, & gratiæ ſufficienti non obſequitur, quia non habet efficacem?*

Quæritur 7° quid ſentiendum ſit de iſta cauſali propoſitione: *Ideò homo non convertitur, & gratiæ ſufficienti non obſequitur, quia non habet efficacem?*

Reſpondeo eam omnino falſam eſſe ac rejiciendam. Nulla enim cauſa eſt non converſionis, niſi voluntas ipſa creata ad malum ſibi ſufficiens. „ Unde hæc certa conſtansque regula ſtatuenda eſt, ait P. Maſſoulié, Diſſert. 1. cap. 8. art. 11, „ non ideò peccare hominem & auxilio ſibi „ dato non uti, quia caret majori illo auxilio quo ageret; ſed contra „ idcò carere majori illo auxilio & efficaci, quia peccat: neque alteram „ hujus cauſam quærendam eſſe, cur auxilio ſufficienti non utatur, præ- „ ter ipſam voluntatis pravitatem, quæ eſt primum principium deficiens."

Pag. 196. col. 1.

Ex dictis facillimum eſt judicare de omnibus quæſtionibus quæ hac in materia proponi poſſunt, ſi ſemper habeamus ob oculos iſtam & ſentiendi & loquendi normam: omnis boni cauſam & radicem ad Deum referri oportere; omnis verò mali, defectûs aut privationis cauſam à ſola voluntatis pravitate oriri. Perverſus uſus liberi arbitrii vel gratiæ ipſimet libero arbitrio tanquam cauſæ totali, bonus verò Deo tanquam primo auctori ac motori attribui debet; & ideò hæc cauſalis eſt vera: Quia homo non vult benè uti auxilio prævenientis gratiæ, ideò illo non utitur; nec cauſa ulterior requirenda eſt, cùm prorſus nulla ſit. Hæc autem falſa eſt: Quia homo vult benè uti gratiâ excitante, ideò illâ utitur, ſi agitur de prima radice illius boni uſûs. Quàmvis enim voluntas hominis ſit cauſa proxima & immediata boni uſûs gratiæ, non tamen eſt prima illius cauſa, cùm ideò velit benè uti auxilio gratiæ, quia Deus vult & facit eum velle.

An rectè dici poſſit in ſolo Deo cauſam eſſe, ut homo ad ipſum convertatur?

Quæres 8° an rectè dici poſſit in ſolo Deo cauſam eſſe, ut homo ad ipſum convertatur?

Reſpondeo affirmativè. Sic enim loquuntur S. Auguſtinus & S. Proſper. Ille in lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 5. n. 12: „ Ut de cœlo vocaretur (Saulus), inquit, & tam magnâ & efficaciſſimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola." Hic verò in carmine adverſùs Ingratos, cap. 14:

Ut tamen his ſtudiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.

 No-

Digitized by Google

Notandum verò eſt cum Alvare, diſp. 100 de Auxiliis, n. 4, multùm inter ſe differre iſtam propoſitionem: Solus Deus eſt cauſa ut homo convertatur; & iſtam: Solus Deus cauſa eſt converſionis; quia non eſt idem utriusque attributum. Converſionis quidem non ſolus Deus cauſa eſt: nam homo realiter influit in ſuam converſionem, phyſicè cooperando gratiæ. Sed ſolus Deus cauſa eſt quòd homo convertatur; quoniam ſolus facit ut homo, qui à bono averſus erat, velit & operetur bonum.

Pariter, ſi quæratur an effectus gratiæ ſit à ſolo Deo, negandum eſt; quia liberum arbitrium à Deo motum gratiæ cooperatur ad producendum illum effectum. Si autem quæratur an efficacia gratiæ ſit à ſolo Deo, affirmandum eſt; eoquòd gratia efficaciam ſuam non deſumat à conſenſu ſeu cooperatione voluntatis creatæ, ſed à ſeipſa & ab omnipotentia divina, ut probatum eſt ſupra.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO SEXTA.

De cauſis & occaſionibus gratiæ.

Duo hìc expendenda ſeſe offerunt. 1um. An aliqua ſit cauſa ſive occaſio, quâ Deus moveatur ac determinetur ad dandam gratiam illis quibus eam dat. 2um. An, poſito quòd Deus ſolâ ſuâ voluntate moveatur ad dandam gratiam, eam nihilominùs certis quibusdam mediis ordinariè alliget, ſine quibus aut nunquam, aut rarò eam largiatur.

Circa primum varii ſeſe offerunt refellendi errores. Primus eſt Pelagianorum, qui contendebant gratiam ſecundùm merita uniuscujusque dari; ſeu præcedere debere aliquam ex parte hominis præparationem, cujus merito gratiam, ſive habitualem, ſive actualem, ſibi compareт.

Secundus eſt Semipelagianorum, qui ſentiebant hominem non quidem bonis operibus præcedentibus mereri gratiam, ſed per aliquod fidei ac bonæ voluntatis initium, ſine gratiæ medicinalis ope conceptum, eam impetrare: ita tamen ut huic bonæ voluntatis initio non inſit ratio meriti propriè dicti, ſed tantum meræ occaſionis, ut ſcilicet collatio gratiæ, uni potiùs quàm alteri impertitæ, non irrationalis cenſeatur.

Tertius eſt Molinæ ejusque ſequacium, qui docent ex certa lege, & pacto quodam Patrem inter & Chriſtum inito, gratiam dari omnibus per ſolas naturæ vires facientibus quod in ſe eſt, ad obſervandam legem naturalem.

Quartus eſt Suaris, qui cenſet gratiam certò dari omnibus qui ei ex ſeipſis obicem non ponunt. Ait quippe, tract. de Gratia, part. 1. lib. 4. cap. 15, „ conditionem, ſub qua Deus promiſit omnibus adultis proximum auxilium ſufficiens ad ſalutem ſeu fidem, ſolum negativè eſſe intelligendam, id eſt, ſi homo ex parte ſua impedimentum divinæ vocationi non poſuerit; & eodem modo exponendum eſſe illud axioma: *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*, intellectum de prima gratia auxiliante; ut, facere quod in ſe eſt, tantùm ſit non ponere obicem. Unde, ſi lex naturæ ſervetur, tantùm id ſervire ad impedimentum removendum, non quia illa ſit aliqua ratio obtinendi gratiam."

Quintus eſt Malebranchii, qui humanitatis Chriſti deſideria, à Verbo divino non determinata, vult cauſam eſſe occaſionalem, quâ Deus moveatur ad dandum gratiam certumque gratiæ gradum. Scilicet, juxta hunc auctorem, cùm Deus ſincerè velit omnes homines ſalvos fieri, gratiam, & quidem efficacem, omnibus hominibus dare vellet, immo reipſâ daret, ſi voluntatibus particularibus res à ſe creatas adminiſtraret. Quia verò ſuprema ipſius ſapientia, quam neceſſariò conſulit, præſcribit ut omnia fiant modo ſimpliciſſimo, modusque ſimpliciſſimus ille ſit, in quo voluntates particulares parcè admodùm adhibentur, omniaque aut ferè omnia per voluntatem Dei generalem moraliter determinandam à quibusdam cauſis occaſionalibus, ideò Deus decrevit illis gratiam ſuam dare, eumque gratiæ gradum conferre, pro quibus & quem cauſa occaſionalis poſtulaverit. Iſta autem cauſa occaſionalis, moraliter determinatrix divinæ voluntatis in ordine ſalutis, eſt humanitas hypoſtaticè unita Verbo. Ut verò iſto modo plures homines ad juſtitiam & ſalutem pervenirent, Deus primùm exploravit quænam, ex omnibus humanitatibus poſſibilibus, illas cauſæ occaſionalis partes meliùs & fecundiùs impletura eſſet. Ex ea præſcientia humanitatem Chriſti tanquam omnium aptiſſimam elegit, eamque ab initio ſuæ conceptionis perſonæ Verbi copulavit. Sancta illa humanitas, jam tunc edocta cujus rei gratiâ ad tantum dignitatis culmen fuiſſet evecta, ſtatuit templum ſpirituale conſtruere quàm potuit ampliſſimum; &, prout proſpectûs ab ipſa excogitati executio poſtulabat, gratiæ auxilia nunc his, nunc illis, proprio voluntatis ſuæ motu, nec determinato à Verbo, apprecatus eſt. Quia verò mentis cujuſlibet creatæ capacitas finita eſt, non potuit omnes & ſingulos homines attendere; ac propterea non omnibus gratiæ auxilium datur, & multis datur inefficax. Vide fuſiorem expoſitionem hujus ſyſtematis Lib. I.

Sextus error eſt ejusdem Malebranchii, ut & Molinæ, qui ſentiunt per ſtudium & induſtriam miniſtrorum, qui ultro ſe movent, ſive ad prædicandum, ſive ad conferenda ſacramenta, determinari Deum ad concedendam gratiam audientibus vel ſacramentum aliquod ſuſcipientibus. „ Sæpè dependet à ſacerdote, ait Malebranchius, in Reſpons. ad Diſſert. Arnaldi, cap. 11. n. 11, adminiſtrare ſacramenta utri voluerit è „ duobus hominibus ſpiritum extremum agentibus, ejuſque voluntas li- „ bera & nullatenus determinata, vel juſſis particularibus, vel impreſ- „ ſionibus invincibilibus, erit, per præſcientiam & providentiam Dei, „ cauſa occaſionalis prædeſtinationis unius ex ſanctis."

Prætermitto 7um errorem quorumdam veterum Scholaſticorum, qui cenſuerunt eum, „ qui habet meliora naturalia, de neceſſitate habiturum ma- „ jorem gratiam & gloriam." Is reperitur, ad calcem Magiſtri Sententiarum, nonus inter errores de conſilio Magiſtrorum Pariſienſium damnatos, anno 1240, à Guillelmo Pariſienſi Epiſcopo: „ contra quod, inquiunt Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus & Magiſtri, „ firmiter credendum eſt & nullatenus dubi-„ tandum, quòd, ſecundùm quod præordinatum eſt & prædeſtinatum „ à Deo, dabitur gratia & gloria.“

Ad præfatos errores refellendos, oſtendemus 1°, adverſùs Palagianos, gratiam non ſecundùm merita hominum dari.

2°. Adverſùs Semipelagianos & Molinam, nullam eſſe legem nullumque pactum dandi gratiam facientibus quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus; & adverſus Suarem, legem quoque non eſſe dandi gratiam eis qui ex ſolis naturæ viribus non ponunt ei obicem.

3°. Humanitatem Chriſti perperam aſſignari à Malebranchio ut cauſam occaſionalem, quâ Deus determinetur ad conferenda gratiæ auxilia; cùm è contrario omnes motus humanitatis Chriſti determinentur à Deo & à perſona Verbi, cui hypoſtaticè unita eſt.

4°. Voluntatem, induſtriam & dexteritatem miniſtrorum non eſſe cauſam ſeu occaſionem, quâ Deus moveatur ad concedendum auxilium gratiæ.

5°. Illis omnibus remotis, inquiremus quare Deus gratiam aliis tribuat, aliis non tribuat, & quare his potiùs quàm illis.

6°. Denique diſquiremus an Deus, gratiam largiendo, utatur cauſis quibusdam inſtrumentalibus, eamque alliget ejusmodi mediis exterioribus, & quænam illa ſint.

CAPUT PRIMUM.

An gratia ſecundùm merita hominum detur.

QUÆSTIO non eſt cum Pelagianis de meritis quæ per gratiam comparantur: certum quippe eſt, exceptâ primâ gratiâ, quæ fidei donum eſt, ſubſequentes ordinariè loquendo non dari niſi petentibus; petitionemque, ſi rectè fiat, non eſſe ſine aliquo merito, non quidem de condigno, ſed de congruo. Hoc ſenſu gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ut ait S. Auguſtinus. Sed quæſtio eſt de prima gratia, an ſcilicet boni aliquid ex naturæ viribus eam antecedat, cujus merito retribuatur. Si enim prima gratia præcedit & inchoat omne meritum, ſequentes quoque, etſi meritis dari videantur, omnino gratuitæ ſunt, quoniam illud ipſum quod eas impetrat donum Dei eſt.“ Gratia „ non ſolùm adjuvat juſtum, ait S. Auguſtinus, lib. de Patientia, cap. 20. n. 17, „ verùm etiam juſtificat impium. Et ideò, etiam cùm adjuvat „ juſtum & videtur ejus meritis reddi, nec ſic definit eſſe gratia, quo„ niam id adjuvat quod ipſa eſt largita.“

PRO-

P R O P O S I T I O.

Gratia eſt omnino gratuita, nec datur ſecundùm ulla merita humana.

PROBATUR omnibus argumentis quibus oſtendimus nihil boni fieri poſſe ſine gratia; bonæ voluntatis initium, etiam tenuiſſimum, eſſe gratuitum Dei munus; non poſſe hominem ſeſe ad gratiam præparare absque gratiæ præparantis adjutorio; nec non iis argumentis, quibus Libro ſequenti monſtrabimus prædeſtinationem pendere à ſola Dei voluntate, & nullam præſupponere prævisionem meritorum.

Probatur prætereà expreſſis Scripturæ ſacræ oraculis, SS. Patrum teſtimoniis & Conciliorum definitionibus.

Primò quidem oraculis Scripturæ ſacræ. Job, cap. XLI. 2: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? Omnia quæ ſub cœlo ſunt, mea ſunt.* Quam ſententiam eisdem fermè verbis inculcat S. Paulus, Rom. XI. 35 & 36: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula.* Vid. S. Auguſtinum, Serm. 26, olim 11 de Verbis Apoſt. c. 13 n. 14.

Iſaiæ XLVIII. 1: *Scio quia prævaricans prævaricaberis, & transgreſſorem ab utero vocavi te. Propter nomen meum longè faciam furorem meum, & laude meâ infrænabo te, ne intereas...... Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* Nulla ibi merita præcedentia apparent, niſi mala.

Ezechiel, XXXVI. 22, prænuntians gratiam novi teſtamenti, quàm gratuita illa futura eſſet his declarat verbis: *Hæc dicit Dominus: Non propter vos ego faciam, domus Iſraël, ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus...... Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos: & dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri...... Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus; notum ſit vobis. Confundimini & erubeſcite ſuper viis veſtris, domus Iſrael.* Nullum quoque hic verbum eſt quo Pelagianorum arrogans hæreſis non conteratur, & quo merita qualiacunque gratiam præcedentia non excludantur.

Rom. III 24: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Cap. IV. 4: *Ei qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum...... ſicut & David dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus.* Et cap. XI. 5: *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia,*

tia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia. Ubi videmus adeò repugnare gratiam dari ſecundùm qualiacunque opera, ut, ſi meritis reddatur, jam non gratia, ſed merces ſit ac debitum.

Epheſ. II. 8: *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

2 Timoth. I. 8: *Deus nos liberavit & vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia.*

Merita quidem, ſed mala, commemorat idem Apoſtolus ad Titum, III. 3: *Eramus enim*, inquit, *aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit ſalvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

1 Cor. XII. 11: *Omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* „ Ubi utique, ait auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 2. cap. 7, „ ſi meritorum cauſas voluiſſet intelligi, diceret: divi- „ dens ſingulis prout merentur.“

Eodem ſenſu Chriſtus ait Nicodemo, Joann. III. 8: *Spiritus ubi vult ſpirat*, atque, ut addit S. Greg. Nazianzenus, Orat. 44. pag. 709. B, „ ſuper quos vult, quando & quomodò, aut quantùm voluntas aut „ merita hominum id exigunt.“

Item, Joann. XV. 16, Chriſtus omnes in ſe credituros in perſona Apoſtolorum alloquens: *Non vos*, inquit, *me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Quæ verba ſic exponit S. Auguſtinus, tract. 26 in Joann. num. 2: „ Audi, ingrate, ingrate, audi...... Non eſt ut dicas: ideò electus ſum, „ quia jam credebam; ſi enim credebas in eum, jam elegeras eum...... „ Non eſt ut dicas: antequàm crederem, jam bona operabar; ideò elec- „ tus ſum. Quid eſt enim boni operis ante fidem, cùm dicat Apoſto- „ lus: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt?* Quid ergo dicturi ſu- „ mus audiendo: *non vos me elegiſtis*, niſi quia mali eramus, & elec- „ ti ſumus ut boni per gratiam nos eligentis eſſemus? Non eſt enim „ gratia, ſi præceſſerunt merita. Eſt autem gratia: non ergo invenit, „ ſed efficit merita.“

Et certè, quotquot gratiæ participes ſunt, vel ex Judæis vocantur, vel ex Gentilibus. Atqui in utriſque gratia non invenit ulla merita, niſi mala. Unde dicit Apoſtolus, Rom. XI. 32, *Deum concluſiſſe omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur;* & Galat. III 12, *Scripturam concluſiſſe omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus:* id eſt, ut eluceat gratuita Dei vocantis miſericordia.

Quid de ipſo S. Paulo dicemus? An propter merita electus eſt, qui prius erat *blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus*, ut ipſe confitetur, 1 Tim. I. 13? Illam adeò gratuitam miſericordiam ſibi præſtitam

dicit exemplar eſſe & normam gratiæ omnibus deinceps credituris impendendæ. Addit quippe ibidem, v. 15 & 16: *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi vitam æternam.*

2°. Idem docent SS. Patres.

S. Juſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone (novæ edit. pag. 209): „ Cùm in ſtupris, inquit, & omni prorſus ſordida actione verſaremur, „ per gratiam à noſtro Jeſu ſecundum voluntatem ipſius Patris conceſſam, „ ſordida omnia, quibus induti eramus, mala exuimus,..... ac tanquam ex igne extracti ſumus, cùm prioribus peccatis expurgati, tum „ ex tribulatione exeundi,.... ſi mandata ejus obſervemus."

Origenes, in cap. 4 Ep. ad Rom, exponens hæc verba: *Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio*, ait: „ Sicut hoc, quòd ſubſiſtimus, non poteſt intelligi quia ex operis noſtri mercede ſubſiſtimus, „ ſed evidenter Dei munus eſt quòd ſumus, & gratia conditoris qui nos „ eſſe voluit; ita &, ſi hæreditatem promiſſionis Dei capiamus, divinæ „ gratiæ eſt, non alicujus debiti aut operis merces. Quòd ſi fortè hoc „ ipſum videatur, quod dicitur ex fide, non eſſe gratis, quippe ſi offerenda ſit fides primum ab homine &c." Reſpondet fidem ipſam, ex Apoſtolo, eſſe donum Dei, ac proinde nullum in homine bonum eſſe quod antecedat gratiam Dei.

S. Baſilius magnus, hom. 20, aliàs 22, de Humilitate, tom. 3. pag. 159, commemoratis his Apoſtoli verbis: *Quid habes quod non accepiſti?* „ Non tu, inquit, Deum cognoviſti per tuam juſtitiam, ſed Deus „ cognovit te propter ſuam bonitatem. *Cùm cognoveritis Deum*, in- „ quit, *quin potiùs cogniti ſitis à Deo.* Non tu apprehendiſti Chriſtum „ per virtutem tuam, ſed Chriſtus te per adventum ſuum apprehen- „ dit...... *Non vos me elegiſtis*, inquit Dominus, *ſed ego elegi vos.*"

S. Gregorius Nyſſenus, tract. 1 in pſalmos, cap. 8 (tom. 1. p. 279), exponens hæc verba: *Confitemini Domino, quoniam bonus* &c, ſic loquitur: „ Ob ſolam bonitatem Deum glorificare jubet; hoc videlicet ſi- „ gnificans, quia, quidquid boni & ſalutaris à Deo mortalibus ve- „ nit, id univerſum venerit gratiâ & bonitate illius, cum in nobis „ nulla ejus accipiendi cauſa ineſſet."

S. Ambroſius, in pſalm. 43. n. 11, ait Deum, „ quòd in aliquo præ- „ paret ſibi ſuæ ſanctificationis habitaculum, id utique non hæreditario „ jure, nec noſtrorum contemplatione meritorum, ſed pro ſua gratia „ conferre." Et num. 47: „ Ergo &, ſi quis redemptus eſt de populo Ju- „ dæorum,..... redemptus eſt gratis: quod te docet Apoſtolus dicens: „ *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.* Ubi à gratia, „ non utique merito operum, nec juſtificatione operum, ſed liberalitate de-

„ donantis, electione redimentis; quod æquè Scriptura te docuit, di-
„ cente Apoſtolo Paulo: *Si à gratia, jam non ex operibus; alioquin*
„ *gratia jam non eſt gratia.*“ Et in Exhortatione ad Virginit. cap. 7.
n. 43, donationem gratiæ cum ſorte comparans: „ Sicut ſortis even-
„ tus, inquit, non in noſtra eſt poteſtate, ſed quem caſus attulerit;
„ ſic gratia Domini non quaſi ex mercedis merito, ſed quaſi ex volun-
„ tate defertur. Unde & Apoſtolus ait de diviſionibus gratiarum quæ
„ diverſo modo Dei ſervulis deferuntur: *Hæc autem omnia operatur unus*
„ *atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult:* prout vult, inquit,
„ non prout debetur.“

Idem frequenter inculcat S. Joannes Chryſoſtomus. Sic hom. 18 in Epiſt. ad Romanos, n. 5: „ Gratias, inquit, Deo agamus quòd ex „ ſalvatorum numero ſumus, quodque, cùm non poſſimus ex operibus „ ſalutem nanciſci, ex Dei dono ſervati ſumus.“ Hom. 19 in eamd. Epiſt. n. 7, in iſta verba: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* „ Nec „ mutuum, inquit, debet alicui, quaſi ab illo acceperit; ſed ipſe ſem- „ per beneficiorum primus auctor eſt.“ Initio hom. 1 in Epiſt. 1 ad Corinth. „ Deus hoc voluit ut vos ſic ſalvi eſſetis. Nos enim ni- „ hil præclarè egimus, ſed per voluntatem Dei ſalutem invenimus; „ &, quia id ipſi placuit, vocati ſumus, non quòd digni eramus.“ Et hom. 72, al. 71, in Joan. num. 3: „ Non enim veſtris præcedentibus „ meritis debitum perſolvi, ſed ipſe cœpi, inquit.“

Totus eſt in hoc probando S. Auguſtinus in ſuis contra Pelagianos ſcriptis. Ac primùm quidem ex ipſo gratiæ vocabulo iſtud demonſtrat Conc. 2 in pſalm. 70. num. 1. „ Si propterea gratia eſt, ait, quia „ gratis eſt, nihil tuum præceſſit ut acciperes. Nam ſi aliqua bona „ opera tua præceſſerunt, pretium accepiſti, non gratiam: pretium au- „ tem quod nobis debebatur, ſupplicium eſt.“ Tract. 3 in Joann. n. 8: „ Unde vocatur gratia? Quia gratis datur. Non enim præcedentibus „ meritis emiſti quod accepiſti.“ Et poſteà: „ Quid eſt gratia? Gratis „ data. Quid eſt gratis data? Donata, non reddita. Si debebatur, „ merces reddita eſt, non gratia donata.“ Et lib. *de Peccato origin.* cap. 24. n. 28: „ Non erit gratia ullo modo, niſi fuerit gratuita om- „ ni modo.“

Id etiam inde demonſtrat, quòd proprium munus gratiæ ſit auferre cor lapideum & dare cor carneum. „ Numquid enim poſſumus niſi ab- „ ſurdiſſimè dicere, inquit, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 14. num. 24, „ bonum meritum bonæ voluntatis in homine præceſſiſſe, ut „ evelleretur ab eo cor lapideum; quandoquidem ipſum cor lapideum „ non ſignificat niſi duriſſimam voluntatem, & adverſùs Deum omnino „ inflexibilem? Ubi enim præcedit bona voluntas, jam non eſt utique „ cor lapideum.“

Plura alia S. Doctoris teſtimonia lege, ſi placet, Epiſt. 186 ad Pau-

linum,

Digitized by Google

linum, cap. 2. n. 4; Epiſt. 194 ad Sixtum, cap. 3. n. 6; Serm. 168, cap. 5, & 169. cap. 2; lib. *de Patientia*, cap. 20. 21 & 22; lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 5, & lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 13. Obſervare ſufficiet eum in Epiſtola 217, olim 107, ad Vitalem, cap. 5. n. 16, inter inconcuſſos fidei catholicæ articulos iſtum reponere: „ Quo- „ niam, inquit, propitio Chriſto, Chriſtiani Catholici ſumus,..... ſci- „ mus gratiam Dei nec parvulis, nec majoribus ſecundùm merita noſ- „ tra dari."

Auctor Hypognoſticon hoc ipſum dogma plurimis Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmat lib. 3. cap. 5. 6 & 7. Sic autem loquitur cap. 5: „ Non ergo homo voluntate ſuâ adhuc in vitio liberi arbitrii claudican- „ te prævenit Deum, ut cognoſcat & quærat eum, tanquam gratiam „ pro meritis accepturus; ſed præcedit miſericordiſſimâ gratiâ ſuâ Deus „ hominis ignorantis, necdum ex ſe quærentis, voluntatem liberi arbi- „ trii, ut eum ſe ſcire & quærere faciat." Et cap. 7: „ Hæc eſt fides „ catholica, quam ſi ſequi velis, non eris de judiciis Dei incomprehen- „ ſibilibus curioſus & contentioſus, ſed eris cum Catholicis humilis & „ manſuetus."

S. Proſper, in Epiſt. ad Rufinum, cap. 1, dicit „ ex Pelagianæ hæreſis „ impietatibus unam eſſe blaſphemiam, nequiſſimum & ſubtiliſſimum ger- „ men aliarum, quâ dicunt gratiam ſecundùm merita hominum dari." Et cap. 2: „ Gratia, inquit, ſi meritis redditur, & non ipſa eſt bono- „ rum creatrix, fruſtra gratia nominatur."

S. Leo in Epiſtola 6, olim 86, ad Nicetam Aquileienſem, cap. 3: „ Gratia utique, inquit, niſi gratis detur, non eſt gratia, ſed merces „ retributioque meritorum, dicente B. Apoſtolo: *Gratiâ ſalvi eſtis per* „ *fidem, & hoc non ex vobis* &c. Omnis itaque bonorum operum do- „ natio, divina præparatio eſt, quia non prius quiſquam juſtificatur „ virtute quàm gratiâ, quæ unicuique principium juſtitiæ & bonorum „ fons atque origo meritorum eſt."

Idem docent S. Gelaſius in Epiſt. 7 ad Epiſcopos per Picenum; S. Gregorius magnus, lib. 33 Moral. cap. 20. n. 25; S. Anſelmus in dialogo de Concordia grat. cum lib. arbitrio, cap. 3; S. Bernardus, ſerm. 1. Tempore Paſchali, n. 5 &c.

Denique contrarium errorem in Pelagianis deteſtati ſunt concilia Dioſpolitanum, Carthaginenſe, Arauſicanum II, proprioque ore damnare coactus eſt ipſe Pelagius. Unde S. Auguſtinus, lib. de Dono perſeverantiæ, cap. 2. n. 56: „ Quid eſt ingratius, inquit, quàm negare ip- „ ſam gratiam Dei, dicendo eam ſecundùm merita noſtra dari? Quod „ in Pelagianis fides catholica exhorruit, quod ipſi Pelagio capitale cri- „ men objecit, quod ipſe Pelagius, non quidem amore veritatis Dei, „ ſed tamen ſuæ damnationis timore damnavit."

Antiquorum conciliorum definitiones renovavit ſynodus Tridentina, ſeſſ. 6.

Digitized by Google

ſeſſ. 6. cap. 5, ubi „ declarat exordium juſtificationis in adultis à Dei „ per Jeſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab „ ejus vocatione, quâ, nullis eorum præcedentibus meritis, vocantur: „ ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem diſponantur."

Objiciunt. Narrat Euſebius, lib. 6 Hiſt. Eccleſ. cap. 4, Baſilidem, unum è ſatellibus quibus ſancta virgo Potamiæna tradita fuerat, cum illam à plebis petulantia & à perditorum laſcivia defendiſſet, mercedem inde reportaſſe: virginem quippe pro illo oraviſſe, veramque converſionem & gratiam martyrii precibus ſuis ei impetraſſe. Ergo nonnullis ſaltem propter meritum gratia datur.

Reſpondeo probabile eſſe Baſilidem non ſine aliqua in Chriſtum fide illa humanitatis officia ſanctæ virgini exhibuiſſe; ſed, poſito quòd absque ulla fide id præſtiterit, mercedem ibi vocari non ipſius converſionem, ſed Potamiænæ virginis pro ipſo orationem & ſubſecutam apparitionem. Illius quippe pudicitiam defendendo, apud ipſam meruerat ut memor boni hujus officii pro ejus ſalute Deum precaretur. Sed non ideò gratiam à Deo meruit, quam propter ſolam ſanctæ virginis preces Deus ei largitus eſt. Nihil tamen vetat quominùs gratia illa poſſit dici merces, non quatenus à Deo illi conceſſa, ſed quatenus à virgine, de qua Baſilides benè meritus fuerat, impetrata. Aliquid ſimile accidit quando fidelis, acceptâ ab infideli eleemoſynâ, hoc ei mercedis vice rependit, ut pro illo Deum deprecetur, ejusque converſionem impetret. Hoc quippe in caſu eleemoſyna meretur quidem à fideli indigente ut pro ſuo benefactore oret, ſed gratiam & converſionem non meretur à Deo: idque adcò verum eſt, ut, quando fideles orant pro infidelibus de ſe benè meritis, ut convertantur, iſtam gratiam non ut ipſis infidelibus debitam, ſed tanquam planè gratuitam & omnino indebitam poſtulant.

Si autem quæras quam ob cauſam ejusmodi beneficentiæ opera, cùm homines quibus exhibentur provocent ad retribuendam gratiam, non pariter moveant Deum ad conferenda gratiæ auxilia; reſpondeo duobus de cauſis id contingere: 1°. Quia ex hujusmodi beneficentia homines accipiunt adjumenta quibus indigent, Deus autem, bonorum omnium fons & origo, bonorum noſtrorum non eget. 2°. Quia omnibus nobis bona facientibus, quocunque ex motivo id faciant, tenemur bona apprecari: apud Deum autem nihil bonum fit, niſi fiat ex ipſius dilectione, quod ſine gratia & fide Chriſti præſtare nemo poteſt.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

An homini ex ſolis naturæ viribus facienti quod in ſe eſt, vel obicem gratiæ non ponenti, certâ lege, & ex pacto quodam Chriſtum inter & Patrem inito, gratiæ auxilium detur.

Quæstio non eſt an, ex hypotheſi (quam fatearis eſſe impoſſibilem) quòd homo per ſolas naturæ vires faciat quod in ſe eſt, obſervando totam legem naturalem, gratia certò illi detur: nam, illa in hypotheſi, hujuſmodi homo non gratiæ auxilium, quo (ut pote ad benè agendum ſibi planè ſufficiens) nequaquam indigeret, ſed vitam ipſam æternam promereretur, ſicque gratis Chriſtus mortuus eſſet, ut alibi ex S. Auguſtino probavimus. Non etiam quæſtio eſt an ii, qui cum auxilio gratiæ prævenientis faciunt quod in ſe eſt, nova & ampliora obtineant gratiæ auxilia; hoc quippe apud omnes indubitatum eſt. Sed quæritur an homo ſolis naturæ viribus opera omni ex parte bona facere poſſit & reipſâ faciat; atque utrùm homini ſic facienti quod in ſe eſt, ſeu gratiæ non ponenti obicem, Deus certâ lege det gratiam, non quidem tanquam illis operibus debitam, ſed ex liberalitate & ex quadam congruentia, ſeu etiam virtute cujuſdam pacti Chriſtum inter ac Patrem æternum initi. Ita ſentiunt cum Molina non pauci ejuſdem Societatis Theologi.

In ſimilem ſcopulum impegerunt recentiores Lutherani: abjecto enim intolerando Lutheri errore, quo liberum arbitrium hominis lapſi de medio funditus tollebat, in extremum oppoſitum præcipites devoluti ſunt. Non ſolùm enim, ut teſtatur Boſſuetus in Hiſtoriæ Variationum lib. 14. num. 116, & in Additione ad eum librum, n. 14 (Tom. III. pag. 600 & 610), nec non in Admonitionibus ad Proteſtantes, num. 12 (2e *Avertiſſement aux Proteſtants*, Tom. IV. pag. 65) docent gratiam eſſe univerſalem ac reſiſtibilem, prædeſtinationemque conditionatam, atque ex fidei prævifione pendere; ſed etiam affirmant auxilium gratiæ certò dari omnibus, qui ex ſolo libero arbitrio prædicationi Evangelicæ attendunt.

PRO-

PROPOSITIO.

Pelagianiſmum renovat opinio Molinæ & aliorum, qui aſſerunt homini per ſolas naturæ vires facienti quod in ſe eſt, vel gratiæ obicem non ponenti, vel prædicationi Evangeliæ attendenti, conferri auxilium gratiæ; fictitiumque ac prorſus chimericum eſt pactum illud, quod Chriſtum inter & Patrem initum eſſe commentus eſt Molina.

PROPOSITIO duas habet partes.

Probatur 1a pars. Ex præcedenti Propoſitione conſtat definitum fuiſſe ab univerſa Eccleſia adverſus Pelagianos, gratiam non ſecundùm merita noſtra dari. Porro ſi gratia daretur facienti quod in ſe eſt per ſolas naturæ vires, jam gratia daretur ſecundùm merita; *ei namque qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, ut declarat S. Paulus, Rom. IV. 14. Gratia ergo jam non eſt gratia, ſed debitum, ſi operibus eam præcedentibus retribuitur. „ Præcedit nam„ que, ait S. Auguſtinus, lib. 2 *contra duas Epiſt. Pelagianorum*, cap. 7. num. 15, „non debita, ſed gratuita gratia, ut per illam fiant bona „ opera; ne, ſi præceſſerint bona opera, tanquam operibus reddatur „ gratia, ac ſic gratia non ſit gratia.“

Nec dicas Molinam immenſo intervallo diſtingui à Pelagianis, quippe qui negat bona opera, quæ gratiam præcedunt, illam mereri, aut gratiam illis deberi: ne, inquam, id dicas. Nam 1° Semipelagiani pariter dicebant fidei & bonæ voluntatis initium, quod gratiæ præmittebant, non eam mereri, ſed occaſiones eſſe tantummodò, nec impedire quominùs donatio gratiæ planè gratuita ſit; uti oſtendimus Lib. I, ubi illorum doctrinam expoſuimus. Nihilominùs SS. Patres conſtanter aſſeruerunt illos, vellent, nollent, hoc ſolo quòd aliquid boni in homine ante auxilium gratiæ admittebant, incidere in damnatam illam Pelagii hæreſim, *gratiam ſecundùm merita dari.* „ Quis enim dicat, ait S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 2. n. 4, „eum qui jam „ cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit ut jam „ merenti cætera dicantur addi retributione divinâ, ac per hoc gratiam „ ſecundum opera noſtra dari: quod objectum ſibi Pelagius, ne dam„ naretur ipſe, damnavit.“ Et num. 6: „ Videte ſi aliud agitur iſto „ modo, niſi ut gratia Dei ſecundùm merita noſtra detur quolibet „ modo; ac ſic gratia jam non ſit gratia. Redditur namque hoc pacto „ debita, non donatur gratis: debetur enim credenti ut à Domino ipſa

„ fides

„ fides ejus augeatur, & ſit merces fidei cœptæ fides auctа." Eodem argumento Caſſianum urget S. Proſper, lib. *contra Collatorem*, cap. 3. n. 8. „ Quomodò, inquit, non advertis te in illud damnatum incidere, „ quod, velis, nolis, convinceris dicere, *gratiam Dei ſecundùm merita* „ *noſtra dari;* cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, „ propter quod gratiam conſequantur, affirmas? Non enim nullius me- „ riti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtan- „ tia; præcipuè cum omnes hujuſmodi & accipere, & invenire, & in- „ trare dicantur." Atqui pariter Molina bonum aliquod in homine admittit ante gratiam, & omnibus, qui ex ſeipſis bona operantur vel operari conantur, certâ lege gratiam conferti docet.

2°. Nullum opus omni ex parte bonum apud Deum ſterile eſſe poteſt. Proinde ſi quæ bona opera gratiam præcedant, & eam quovis titulo conſequantur, gratia jam non eſt gratia, ſed merces ſeu debitum, juxta illud Apoſtoli, Rom. XI: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia.* Extenues licet, quantùm voles, valorem illorum operum: contendas licet nonniſi ex pura miſericordia gratiam illis retribui; ſemper tamen verum erit auxilium gratiæ hominibus in ſeipſis benè operantibus negari non poſſe ab eo qui neminem vult perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. „ Si enim ſine Dei gratia „ per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui „ tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium; ac ſic gratia Dei non „ gratis donabitur, ſed ſecundum meritum noſtrum dabitur." Verba ſunt S. Auguſtini, lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8. n. 18; quibus omnino conſentit S. Bernardus, Serm. 67 in Cantica, n. 10. „ Non eſt, ait, quò gratia intret, ubi meritum jam occupavit. „ Nam ſi quid de proprio ineſt, in quantùm eſt, gratiam illi cedere „ neceſſe eſt." Expreſſius dici vix poteſt nullum prorſus gratiæ locum relinqui, ubi aliquid boni de propriis acquiſitum eam præcedit atque impetrat. Et ſane ideò Molina finxit ſtatutam fuiſſe à Deo legem dandi gratiam facientibus quod in ſe eſt, eoquòd ejuſmodi lex rationi admodum conſentanea ipſi videretur. Ergo, ipſo fatente, bona opera, quæ ante gratiam admittit, ipſam merentur ex aliqua ſaltem congruentia.

3°. Si gratia certò datur facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ; ergo bona voluntas hominis facientis quod in ſe eſt antecedit gratiam Dei. Ergo gratia datur, quia volumus. Ergo datur ex merito. Omnes iſtæ conſequentiæ & in ſeipſis manifeſtæ ſunt, & à ſanctis Patribus olim deductæ adverſus Semipelagianos.

Reverà Pelagianorum nihil aut certè parum intererat utrùm gratia ſecundum merita dari diceretur, an non; modò obtinerent aliquid boni poſſe eſſe in homine ante gratiam, cujus intuitu gratia illi tribuatur. Quid verò prodeſt ſi, dum hæreticorum verba devitas, doctrinam ipſam retineas?

4°.

Digitized by Google

4°. Pelagianum eſt dicere hominem ſolis naturæ viribus operari poſſe ſicut oportet ad juſtificationem & ſalutem conſequendam. Atqui homo qui, faciendo quod in ſe eſt per naturæ vires, gratiam certâ lege conſequeretur, hoc ipſo ſolis naturæ viribus operaretur ut oportet ad juſtificationem impetrandam: ſiquidem ejus opera naturæ viribus elicita connexionem certam haberent cum gratia ad juſtificationem requiſita, ſalutemque ipſius ponerent in manu liberi ſui arbitrii, quod unicè volebant Pelagiani.

Si ergo quæras quare nihilominùs toleretur in Eccleſia Moliniſmus; illud reſpondebo quod Juriæo Calviniano, objicienti *tolerari ab Eccleſia in Moliniſmo Pelagianiſmum*, reſpondebat Boſſuetus (2e *Avertiſſement aux Proteſtans*, num. 18. Tom. IV. pag. 71), Moliniſmum in Eccleſia non tolerari niſi eâ conditione, ut agnoſcatur *erga omnes electos gratuita divinæ miſericordiæ prælatio*, *gratia ſemper præveniens*, *ad omnia pietatis opera ſemper neceſſaria*, &, *reſpectu omnium illorum à quibus fiunt*, *ſpecialis providentia*, *quâ in eis faciendis dirigantur.* „ Que ſi l'on „ paſſe plus avant, inquit Præſul doctiſſimus, & qu'on faſſe précéder „ la grace par quelque acte purement humain, à quoi on l'attache, je „ ne craindrai point d'être contredit par aucun Catholique, en aſſurant „ que ce ſeroit une erreur de foi mortelle, qui oteroit le fondement de „ l'humilité, & que l'Egliſe ne tolereroit jamais, après avoir décidé „ tant de fois, & en dernier lieu dans le concile de Trente, que tout „ le bien, juſqu'aux premieres diſpoſitions de la converſion du pé- „ cheur, vient *d'une grace excitante & prévenante, qui n'eſt précédée par* „ *aucun merite.*"

II°. Certum eſt nullum conatum hominis, nullum pium voluntatis motum, nullum opus verè bonum admitti poſſe ante gratiam, propter quod illa detur, ſive mercedis, ſive alio quoque titulo. Nam 1° per gratiam quaſi ſorte vocamur, ex Apoſtolo, Epheſ. I: *ſorte*, inquit, *vocati ſumus.* Atqui in ſortibus nullus locus eſt naturali induſtriæ aut conatui. 2°. Per gratiam efficimur in Chriſto nova creatura: *ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, ut loquitur idem Apoſtolus, Epheſ. II. 10; atque ut ait S. Jacobus, I. 18: *Voluntariè genuit nos* (Deus) *verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Ergo ſicut in homine, antequàm creetur vel gignatur, nihil prorſus eſt, quo ad creationem vel ad generationem quomodolibet præparare vel aptare ſeſe poſſit; ita, antequàm gratiæ particeps ſit, nihil facere poteſt cujus intuitu gratia illi detur. „ Sicut in nativitate carnali omnem naſcentis hominis vo- „ luntatem præcedit operis divini formatio, ſic in ſpirituali nativitate, „ quâ veterem hominem deponere incipimus." Vide S. Auguſtinum, in Pſalm. 43. n. 15.

III°. Juxta SS. Patres, ad inſcrutabilia Dei judicia pertinet quòd, è

duobus hominibus, gratia uni datur, alteri non datur. Porro, poſitâ opinione quam refellimus, nihil hîc inſcrutabile occurrit. Propterea enim gratia huic datur, quia ex naturæ viribus facit quod in ſe eſt, vel obicem non ponit, aut doctrinæ Evangelicæ attendit; & propterea illi non datur, quia non facit quod in ſe eſt: uno verbo, quæſtionis hujus ſolutio tota pendet à libero hominis arbitrio, bona opera naturalia facientis aut non facientis; cùm tamen auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 1. cap. 25, dicat „ profunditatem illius quæſtionis, „ quam ſecundùm admirationem Apoſtoli impenetrabilem confitemur, „ per liberi arbitrii velle & nolle non ſolvi."

IV°. Eamdem opinionem diſertis verbis reprobant SS. Patres.

S. Auguſtinus, lib. 1 *Quæſt. ad Simplicianum*, num. 22: „ Non habeo „ quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examen „ hujus electionis aliquâ cogitatione permittor accedere, niſi vel majus „ ingenium, vel minora peccata, vel utrumque. Addamus etiam, ſi „ placet, honeſtas utileſque doctrinas. Quiſquis ergo fuerit quàm mi„ nimis peccatis irretitus atque maculatus (nam nullis quis poteſt?), „ & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad „ gratiam. Sed cum hoc ſtatuero, ita me ridebit ille qui infirma „ mundi elegit ut confundat fortia, & ſtulta mundi elegit ut confundat „ ſapientes, ut eum intuens, & pudore correctus, ego irrideam multos „ & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcato„ ribus oratores." Certè qui facit quod in ſe eſt, habet ſaltem minora peccata. Ideò ne gratia illi dabitur? Videmus quanta cum luce hujuſmodi conſecutionem ſubſannet S. Doctor.

Auctor Hypognoſticon, cum oſtendiſſet gratiam non dari ex operibus, hoc ſibi objicit: „ Ergo, inquies, damnas opera liberi arbitrii bona?" Reſpondet autem à ſe non damnari opera quæ per gratiam fiunt. „ Damnamus verò, inquit, auctoritate divinâ opera liberi arbitrii quæ „ gratiæ præponuntur." Quis verò dicat facientibus opera, quæ *auctoritate divinâ* damnanda ſunt, gratiam certâ lege dari? Talia autem eſſe quæcunque ante gratiam fiunt, & hic auctor aſſerit, & nos alibi latè probavimus.

Concilium Arauſicanum II, can. 6. ſic definit: „ Si quis ſine gratia „ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laboranti„ bus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſanti„ bus nobis miſericordiam Dei dicit conferri divinitùs; non autem, ut „ credamus, velimus, atque hæc omnia, ſicut oportet, agere vale„ mus, per infuſionem & inſpirationem S. Spiritûs in nobis fieri confi„ tetur, ... reſiſtit Apoſtolo dicenti: *Quid habes quod non accepiſti?*" Quid manifeſtius quàm iſto canone abſolutè damnari eos, qui dixerint, hominibus ex ſeipſis & ſine gratia quidpiam boni facientibus, gratiam ſeu miſericordiam Dei divinitùs conferri?

V°.

V°. Gratia quæ adultis datur non minùs eſt gratuita quàm quæ infantibus in baptiſmo confertur. Sicut ergo abſurdum foret dicere infantibus facientibus quod in ſe eſt gratiam regenerationis conferri, vel quidpiam in eis ſupponere cujus conſideratione baptiſmatis gratiâ donentur; ita à veritate omnino alienum eſt, adultis per ſolas naturæ vires facientibus quod in ſe eſt, gratiæ auxilium tribui. „ Quod volunt de „ majoribus ſuſpicentur, ait S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 22. n. 44; „ de parvulis certè Pelagiani quid reſpondeant „ non inveniunt, quorum nec voluntas ulla eſt in gratia accipienda, „ cujus voluntatis meritum præceſſiſſe dicant, & inſuper eos etiam cum „ fletu reluctari videmus, quando baptizantur & divina ſacramenta „ percipiunt; quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur, ſi „ jam libero uterentur arbitrio: & tamen hæret etiam in reluctantibus „ gratia, apertiſſimè nullo bono merito præcedente, alioquin gratia jam „ non eſſet gratia. Et aliquando filiis infidelium præſtatur hæc gratia, „ cum occultâ Dei providentiâ in manus piorum quomodocunque per„ veniunt: aliquando autem filii fidelium non eam conſequuntur, ali„ quo impedimento exiſtente, ne poſſit periclitantibus ſubveniri." Tanti roboris eſt iſta comparatio, ut teſtetur auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 2. cap. 22, Semipelagianos nihil habuiſſe quod illi opponerent. Sic ille loquitur: „ Non enim puto, inquit, iſtos volun„ tatum patronos ſimplicitate parvulorum tam imprudenter uſuros, ut „ aut fortuitò iſta dicant accidere, aut non renatos aſſerant non perire. „ Apertè enim aut cum Paganis convincerentur ſentire de fato, aut „ cum Pelagianis transfuſum in poſteros Adæ negare peccatum." Non prævidebat iſte auctor illa duo, quæ à Semipelagianis reſponderi non poſſe perſuaſum habebat, à Theologis, qui ſe Catholicos dicerent, aliquando proferenda fore. Namque Molina, ex una parte, naturæ curſui cauſiſque ſecundis attribuit quòd ex parvulis plurimi baptizari nequeunt; ex altera verò, eos qui ſine baptiſmo moriuntur, aſſerit non perire, ſed naturali quâdam felicitate in æternum fruituros. Verùm, nedum hujus reſponſionibus vim argumenti effugiant, novis ſeſe graviſſimiſque erroribus implicant.

VI°. Ejuſdem opinionis falſitatem ipſa etiam demonſtrat experientia. Non tantùm enim videmus homines vitæ corruptiſſimæ paulò ante mortem ſingulari miſericordiâ ad Deum ſincerè converti, ſed & alios videmus moribus apud homines laudabilibus ornatos abſque fide ac pietate vitæ ſuæ curſum abſolvere. Idne contingeret, ſi vera eſſet Molinæ vel Suaris opinio? „ Unde enim fit, ait S. Auguſtinus, lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 22. n. 31, „ ut homo ab ineunte pueritia „ modeſtior, ingenioſior, temperantior, ex magna parte libidinum „ victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes

 „ cæ-

„ cæteras provectior aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit ubi ei „ prædicari gratia divina non poſſit; ..... alius autem tardus ingenio, „ libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, ita gubernetur „ ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut, ſi detentus hic fuerit, „ laudabiliter vivat? ..... Quid hinc reſpondeant omnino non video, „ qui volentes humanis conjecturis juſtitiam Dei defendere, & ignoran„ tes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt." Hic neceſſariò hærent Moliniani. Quid namque reſpondebunt? Nam falſam eſſe hypotheſim? At reclamat experientia. Num hujuſmodi homines benè morigeratos etiam ſine fide Chriſti gratiam & ſalutem æternam conſequi poſſe? Catholica veritas repugnat. Ergo errorem deponant, & vinci à veritate glorientur.

Audiant & S. Proſperum hoc argumentum elegantibus verſibus proſequentem in carmine adverſùs Ingratos, cap. 18.

Denique, ne quisquam ex morum ſplendore putetur
Cenſeri, ...
. . . . . *recole innumerabile vulgus*
Retro ſenum & juvenum, qui cæcâ turpiter uſi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per ſtupra, per cædes vitam duxêre nefandam.
Et tamen, incumbente obitu, jam limite in ipſo
Extremi flatûs, miſerantem, nocte remotâ,
Cognovêre Deum, purgatorisque lavacri
Munere, nulla mali linquentis ſigna prioris,
Exempti mundo, mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hic numeras? Si præcedentia cernas,
Impia: ſi quæris poſtaddita, nulla fuerunt.

Et certè ante incarnationem Chriſti gentes omnes, ſolis exceptis Judæis, ſibimetipſis dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas; poſteà verò lux eis Evangelica refulſit. Unde hoc? An, quando Chriſtus apparuit, tunc faciebant homines quod in ipſis erat, anteà autem non fecerant? Immo creverant in immenſum flagitia & peccata. „ Non ergo minorum „ meritis tribuitur quod non meruêre majores," uti concludit auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 1. cap. 15. „ Par enim impietas „ & Patres accuſabat & filios, eademque ignorantiæ cæcitas omnes ſimul „ in eosdem mergebat errores. Sed cur, illorum non miſertus, horum „ ſit miſertus Deus, quæ ſcientia comprehendere, quæ poteſt inveſti„ gare ſapientia? Latet diſcretionis iſtius ratio; ſed non latet ipſa dis„ cretio. Non intelligimus judicantem; ſed videmus operantem. Quid

„ ca-

„ calumniamur juſtitiæ occultæ, qui gratias debemus miſericordiæ mani„ feſtæ? Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum eſt neſcire „ quod tegitur.“

Enimverò nihil magis providiſſe videtur Chriſtus, quàm ut nemo quidquam habeat unde in ſeipſo gloriari poſſit, ut ne quis propter ingenii vim, propter ſapientiæ copiam, propter nobilitatis ſplendorem ad fidem vocatum ſe fuiſſe glorietur. „ *Non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles* in exordio prædicationis Evangelicæ vocati ſunt; *ſed*, ut ait Apoſtolus, 1 Corint. I. 26, *quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quæ non ſunt elegit Deus, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Pariter, ut ne quis glorietur propter bonos mores ad gratiam ſe perveniſſe, paucos è Philoſophis aliiſque virtutum moralium ſectatoribus elegit Chriſtus: peccatores verò & de juſtitia ſectanda ne cogitantes quidem vocavit ſibique copulavit. Quamobrem ſupponamus duos homines ad Chriſtum acceſſiſſe, unum mores probos præ ſe ferentem, eoque titulo gratiam flagitantem vi pacti à Molina confic-ti, alterum non niſi peccata confitentem, ſeque gratiâ prorſus indignum vociferantem. Utrum, quæſo, Chriſtus aſſumpſiſſet? Nonne huic de ſua jam indignitate miſericorditer convicto gratiam ampliorem donaſſet; illum verò de ſe præſumentem à ſe removiſſet, dixiſſetque: *Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus; non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam?*

VII°. Gratiæ Chriſtianæ egregium exemplar in Chriſto capite noſtro præfulſit; adeò ut non minùs gratuitum ſit munus quo membra ipſius efficimur, quàm illud quo totius ſui corporis myſtici caput factus eſt. Atqui gratiam humanitati Chriſti ab ipſo ſuæ conceptionis exordio donatam, ut æterno Verbo hypoſtaticè uniretur, nulla ipſius opera bona præceſſerunt. Ergo nulla quoque opera bona, nulli pii conatus gratiam Chriſtianam præcedunt. „ Deus, ait S. Auguſtinus, lib. de Correptione & gratia, cap. 11. num. 30, „ naturam noſtram, id eſt, animam „ rationalem carnemque hominis Chriſti ſuſcepit, ſuſceptione ſingulariter „ mirabili vel mirabiliter ſingulari, ut, nullis juſtitiæ ſuæ præcedenti„ bus meritis, Filius Dei ſic eſſet ab initio, quo homo eſſe cœpiſſet, „ ut ipſe & Verbum, quod ſine initio eſt, una perſona eſſet. Neque „ enim quiſquam tantâ rei hujus & fidei cæcus eſt ignorantiâ, ut au„ deat dicere, quàmvis de Spiritu ſancto & virgine Mariâ filium ho„ minis natum, per liberum tamen arbitrium benè vivendo, & ſine „ peccato opera bona faciendo, meruiſſe ut eſſet Filius Dei; reſiſtente „ Evangelio atque dicente: *Verbum caro factum eſt.* Nam ubi hoc fac„ tum eſt, niſi in utero virginali, unde fuit initium hominis Chriſti? „ Itemque, Virgine requirente quomodò fieret quod ei per Angelum

 „ nun

,, nuntiabatur, Angelus reſpondit: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te; & ,, virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: propterea quod naſcetur ex te ſanctum ,, vocabitur Filius Dei. Propterea*, inquit, non propter opera quæ non- ,, dum nati utique nulla ſunt, ſed *propterea* quia *Spiritus ſanctus ſuperve- ,, niet in te & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quod naſcetur ex te ſanc- ,, tum vocabitur Filius Dei.* Iſta nativitas profectò gratuita conjunxit in ,, unitate perſonæ hominem Deo, carnem Verbo. Iſtam nativitatem ,, bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt.“ Hæreſis eſt manifeſta olim in Leporio damnata & ab eodem retractata, Chriſtum, antequàm Verbo Dei uniretur, purum fuiſſe hominem, boniſque operibus obtinuiſſe gratiam illam ſingularem, ut à Filio Dei aſſumeretur. ,, Audebit ergo aliquis dicere, ait idem S. Doctor, Serm. 174, olim 8 de Verbis Apoſtoli, cap. 2, ,, quia natura humana in illo Mediatore ,, primùm per liberum arbitrium promeruit Deum, & ſic ſuſcipi me- ,, ruit, ut eſſet homo & Deus unus Jeſus Chriſtus?..... Numquid ille ,, priùs vixit filius hominis, & benè vivendo factus eſt Filius Dei? In- ,, de cœpit, & inde incœpit, & ſuſceptione factus eſt.“ Quemadmodùm hoc firmiſſimo lapide contereba‌ntur omnes Pelagianorum argumentationes, ita & Molinæ opinio conteritur. Hinc, ſicut S. Auguſtinus illos hæreticos vel invitos revocabat ad conſiderandùm gratuitam electionem humanitatis Chriſti, & diſcretionem parvulorum, in quibus nulla ſupponi poſſunt opera bona præcedentia, ſic & nobis, ad deſtruendum Molinæ commentum, ambo illa planè ſufficiunt. ,, Nam ubi ve- ,, nitur ad parvulos & ad ipſum Mediatorem Dei & hominum hominem ,, Jeſum Chriſtum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum ,, aſſertio meritorum: quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis, ,, vel quibuſcunque humanis operibus aut conatibus, diſcernuntur à ,, cæteris, ut pertineant ad Liberatorem hominum; nec ille ullis huma- ,, nis præcedentibus meritis, cùm & ipſe ſit homo, Liberator factus eſt ,, hominum.“ S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinat. Sanctorum*, cap. 12. num. 23.

VIII°. Hodiernorum Lutheranorum errorem, quo gratiam eis dari contendunt, qui ex ſolo libero ſuo arbitrio verbo Dei attendunt, non minùs invictè refellit Boſſuetus (2e *Avertiſſement aux Proteſtants*, num. 12. Tom. IV pag. 65 & 66): 1°. Ex eoquòd totus Semipelagianiſmus reviviſcat ſtatim atque aliquid merè naturaliter admittitur, cui donum gratiæ alligatum ſit. ,, Dans le commencement, inquit, eſt renfermé le ,, ſalut entier, puiſqu'il entraine neceſſairement la converſion entiere. ,, Tout cet ouvrage ſe reduit enfin à une operation purement humaine, ,, comme à la premiere cauſe; & l'homme ſe glorifie en lui même, & ,, non pas en Dieu; ce qui eſt l'erreur la plus mortelle à la pieté.“ 2°. Quia conſtat attentionem ad verbum Dei, quando ſeria eſt ac ſincera, non eſſe niſi donum Dei. ,, Ceux, inquit, *qui viennent à J. C.* pour ecou-

,, ter

„ ter la parole, ne ſont-ils pas de ceux *que ſon Pere tire*, c'eſt à dire, „ comme il l'explique luimême, *de ceux à qui ſon Pere donne d'y venir* (Joann. VI 44 & 45)? N'eſt-ce pas qu'ils commencent *à être en-* „ *ſeignés de Dieu, à ecouter la voix du Pere, & à apprendre de lui?* „ Ces brebis qui ecoutent ſi volontiers *la voix du Paſteur*, ne ſont „ elles pas de celles que le Paſteur a auparavant rendues dociles, „ qu'il connoit, & qui le ſuivent? Ibid. X. 3 & 27." (Quibus addi poteſt quod de Lydia legitur, Act. XVI. 4, Deum *aperuiſſe cor ejus, intendere his quæ à Paulo dicebantur*). „ Cette foi, cette bonne inten- „ tion, à la prendre dès ſon premier commencement, ſi ce n'eſt pas „ Dieu qui la donne, il n'y a plus de grace Chretienne, & J. C. eſt „ mort en vain. Car c'eſt tout oter à la grace, que de lui oter le com- „ mencement de notre ſanctification."

Probatur altera pars Propoſitionis, nimirum pactum à Molina excogitatum eſſe chimericum & Chriſto injurioſum.

1°. Nihil admitti debet à libera Dei voluntate dependens, niſi expreſſâ Scripturæ ſacræ vel traditionis auctoritate nitatur. Quæ enim Deus liberè decrevit, nemo cognovit niſi Deus, & cui voluerit Deus revelare; divina autem revelatio tota continetur in Scriptura & Traditione. Atqui pactum illud à Molina excogitatum à libera & gratuita Dei voluntate pendet, ut fatetur ipſe Molina: aliunde nullum ejus veſtigium reperitur neque in Scriptura, neque in Traditione. Ergo rejiciendum eſt tanquam commentitium.

2°. Abſque graviſſima Dei & Chriſti injuria admitti nequit hujusmodi pactum, ex quo ſequeretur gratiam jam non eſſe gratiam. Porro, ex dictis, tale eſt pactum quo facienti quod in ſe eſt daretur auxilium gratiæ. Quidquid enim ex pacto datur, ex quadam juſtitia datur. Neque dicas, pactum de quo agitur, non fundari in dignitate & valore operum hominis facientis quod in ſe eſt naturæ viribus, ſed tantum in meritis Chriſti; proinde ſi gratia ex illo debeatur, eam deberi unicè meritis Chriſti, non ipſis operibus aut conatibus naturalibus. Ne, inquam, hoc dicas. Nam ſi rex aliquis, filio ſuo deprecante, conderet legem, quâ munere aliquo donandi eſſent omnes qui præclara quædam perpetraſſent, quisquis conditionem impleſſet, munus lege ſancitum ex juſtitia conſequeretur, quàmvis aliunde remuneratio præſtiti operis valorem plurimum excederet. Ergo pariter, poſito pacto à Molina adinvento, quicunque facit quod in ſe eſt ex viribus naturæ, ei gratia ex juſtitia debetur.

3°. Iſta quæſtio diligentiſſime diſcuſſa eſt in Congregationibus de Auxiliis coram Clemente VIII; Conſultoresque in 12ª pronuntiarunt „ prædictam Molinæ opinionem nusquam fuiſſe à S. Auguſtino expres- „ ſe traditam, neque ullo modo poſſe colligi ex illius doctrina; ſed po- „ tiùs adverſari omnino illi, quam contra Pelagianos & Semipelagia- „ nos, ex divinis Scripturis, in ſuis libris ſæpè comprobavit." Et in-

24ª

24 cenſuerunt iſtam propoſitionem, „ *quòd homini conanti ex ſuis na-*
„ *turalibus detur gratia, ita tamen ut conatus illi non ſint meritorii*,
„ *nec ſemper neceſſarii*, à Molina & Caſiano eodem prorſus modo tradi-
„ tam eſſe."

4°. Illud Conſultorum Romanorum judicium confirmavit Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700. Delatis enim ad ipſum, inter alias plurimas, duabus propoſitionibus, quarum una aſſerebat, facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, gratiam ſemper dari, altera verò addebat id fieri ex pacto Chriſtum inter & Patrem inito, ſic de illis decrevit ſacer ordo: „ Hæ propoſitiones, quatenus cauſam diſcernendi inter juſtos & „ non juſtos in opera merè naturalia referunt, Semipelagianiſmum in-„ ſtaurant, mutatis tantum vocibus. Pactum autem, quod inter Deum „ & Chriſtum aſſeritur, commentum eſt temerarium, erroneum, nec ſo-„ lùm tacente, ſed etiam adverſante Scriptura & SS. Patrum traditio-„ ne, prolatum."

Objiciunt 1°. S. Auguſtinus in lib. de 83 Quæſtionibus, q. 68. n. 4, docet occultiſſimis meritis attribui debere, quòd gratia aliis detur, aliis non detur. „ Prorſus, ait, cujus vult miſeretur, & quem vult indu-„ rat. Sed hæc voluntas Dei injuſta eſſe non poteſt; venit enim de „ occultiſſimis meritis; quia & ipſi peccatores cùm propter generale pec-„ catum unam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter eos diverſi-„ tas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus quo, quàmvis nondum ſint „ juſtificati, digni efficiantur juſtificatione: & item præcedit in aliis „ peccatoribus quo digni ſint obtuſione."

Reſpondeo hæc quidem dicta eſſe à S. Auguſtino, ſed ante ipſius Epiſcopatum, quando putabat fidem initiumque ſalutis eſſe à nobis, nec à Deo donari. Quamobrem nihil aliud inde probari poteſt, niſi opinionem quam refellimus ab errore Semipelagianorum non differre.

Objiciunt 2°. Non tantùm multi veteres Scholaſtici docent gratiam dari facientibus quod in ſe eſt; id docet etiam Angelicus Doctor. Sic quippe loquitur q. 24 de Veritate, art. 1. ad 2: „ Gratiam, quæ opera „ meritoria facit, quàmvis homo non poſſit ex libero arbitrio acquire-„ re, poteſt tamen ſe ad gratiam habendam præparare, quia ei à Deo „ non denegabitur, ſi fecerit quod in ſe eſt." Et ibidem, q. 14. art. 11. ad 1: „ Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet pro-„ videat de neceſſariis ad ſalutem, dummodò ex parte ejus non impe-„ diatur. Si enim aliquis, in ſylvis vel inter bruta animalia nutritus, „ ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, „ certiſſimè eſt tenendum quòd ei Deus vel per internam inſpirationem „ revelaret ea quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei „ prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium." Ergo immeritò hæc opinio Pelagianiſmi damnatur.

Reſpondeo ad primum textum, gratiæ nomine ibi intelligi gratiam ha-

habitualem, ſine qua nulla fiunt *opera* propriè loquendo *meritoria*. Unde plus eo probarent adverſarii quàm volunt. Probarent quippe hominem ſolis liberi arbitrii viribus poſſe ſe ad juſtificationem præparare; quod eſt manifeſtè hæreticum & in concilio Tridentino expreſſè damnatum. Angelici Doctoris ſenſus eſt, hominem non indigere gratiâ habituali ut ad gratiam juſtificantem ſeſe præparet, ſed ad eam ſe præparare per liberum arbitrium, non tamen ſine actuali auxilio Dei moventis.

Ad ſecundum dico S. Thomam ibi loqui ex hypotheſi impoſſibili, neque aliud velle, niſi ex culpa hominis ſemper provenire quòd auxilio gratiæ careat; inde autem non ſequi in hominis poteſtate eſſe absque auxilio gratiæ præparare ſe ad illud recipiendum. Reverâ ſi homo in ſylvis nutritus ſequeretur in omnibus ductum rectæ rationis legemque naturalem impleret, vel Deus ei Chriſtum revelaret, vel eum, etiamſi Chriſtum ignoraret, à regno cœlorum non excluderet. At fieri ne poteſt ut homo ſine auxilio gratiæ legem naturæ impleat, diligendo Deum ſuper omnia & proximum ſicut ſeipſum? Nedum S. Thomas id poſſibile cenſuerit, multis aliis in locis expreſſè definit neminem poſſe facere quod in ſe eſt, vel non ponere impedimentum gratiæ, ſine ipſius gratiæ adjutorio. Sic Lectione 3 in cap. 10 Epiſt. ad Romanos, ubi de illis qui nutrirentur in ſylvis ſimiliter dicit, „ ſi qui eorum feciſſent quod in ſe „ eſt, Dominum eis ſecundum ſuam miſericordiam proviſurum fuiſſe, „ mittendo eis prædicatores fidei, ſicut Petrum Cornelio & Paulum Ma- „ cedonibus," ſtatim addit neminem facere quod in ſe eſt ſine actuali gratiæ auxilio. „ Sed tamen, ait, hoc ipſum, quòd aliqui faciunt „ quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt mo- „ vente corda ipſorum ad bonum. Thren. 5: *Converte nos*, *Domine*, „ *& convertemur.*" Et in Summa, 1. 2. quæſt. 109. art. 2, cùm hanc objectionem ſibi propoſuiſſet: „ Homo ſe ad gratiam præparat faciendo „ quod in ſe eſt, quia, ſi homo facit quod in ſe eſt, Deus ei non de- „ negat gratiam;" ſic reſpondet: „ Nihil homo poteſt facere, niſi à „ Deo moveatur, ſecundum illud Joann. XV: *Sine me nihil poteſtis fa-* „ *cere.* Et ideò, cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc „ eſſe in poteſtate hominis ſecundùm quòd eſt motus à Deo." Demum lib. 3 *contra Gentes*, cap. 149. num. 1: „ Non propter hoc datur no- „ bis auxilium divinum, quia nos ad illud per bona opera promove- „ mus; ſed potius nos ideò per bona opera proficimus, quia divino „ auxilio prævenimur." Et num. 2: „ Non igitur poteſt ſe anima „ præparare ad ſuſcipiendum effectum divini auxilii, niſi ſecundùm „ quòd agit ex virtute divina. Prævenitur igitur divino auxilio ad „ benè operandum, magis quàm divinum auxilium præveniat, quaſi „ merendo illud, vel ſe præparando ad illud." Et cap. 160. num. 3: „ Illi qui in peccato ſunt, vitare non poſſunt per propriam poteſtatem „ quin impedimentum gratiæ præſtent vel ponant, ut oſtenſum eſt, niſi

Digitized by Google

„ auxilio gratiæ præveniantur." Quibus verbis non Molinæ tantùm opinio, ſed Suaris temperamentum evertitur, contendentis gratiam dari eis qui ex ſeipſis obicem gratiæ non ponunt.

CAPUT TERTIUM.

An humanitas Chriſti ſit cauſa occaſionalis, quâ Deus determinatur ad concedenda gratiæ auxilia.

PROPOSITIO.

Rejici debet P. Malebranchii opinio, juxta quam humanitas Chriſti dicitur eſſe cauſa occaſionalis, quâ Deus determinatur ad diſtribuenda gratiæ auxilia.

FUNDATUR illa opinio in iſto ejusdem auctoris principio, Deum, ſaltem juxta ordinarium providentiæ curſum, nihil operari niſi per voluntates generales, quæ ad particulares effectus producendos determinantur à cauſis occaſionalibus. Cùm igitur illud principium omnino ruinoſum ſit, ut alibi oſtendimus, quidquid ei ſuperſtruitur eâdem ruinâ involvi neceſſe eſt.

Aliunde ad rejiciendam hujusmodi opinionem ſufficere debet viro cuilibet Theologo, quòd in Eccleſia ante Malebranchium omnino inaudita fuerit. Nullum ejus veſtigium eſt in Scripturis, nullum in ſcriptis S. Auguſtini, qui de myſterio gratiæ tam latè tamque profundè diſſeruit, nullum apud cæteros Patres ac Theologos, tametſi centies ventilata fuerit hæc quæſtio, quare gratia non omnibus detur, &, quibus datur, non æqualiter detur. Cum ergo verum illud ſit quod priùs, illud verò falſum & erroneum, ubi de rebus ad religionem pertinentibus agitur, quod poſteriùs invectum; quid juſtius, quid conſultius, quàm contra recentiſſimum auctorem inaudita proferentem de novitate præſcribere?

Ad pleniorem tamen veritatis elucidationem, obſervandum eſt quæſtionem non eſſe an gratia precibus Chriſti nobis conferatur. Saluberrimè confitemur quod firmiſſimè credimus, nullam gratiam Adæ poſteris à Deo donari, niſi intuitu meritorum & interpellationis Chriſti; ſive illis omnibus & ſolis auxilia gratiæ tribui, quibus illa tribui poſtulat unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Sed quæſtio eſt utrum

utrùm humana voluntas Chriſti in ſuis orationibus dirigatur ac determinetur à voluntate Dei, an è contrario voluntas Dei determinetur per deſideria & orationes humanitatis Chriſti: ſeu utrùm idcirco Chriſtus gratiam certumque gratiæ & gloriæ gradum hominibus dari poſtulet, quia ſcit Patrem ſuum decreviſſe illos ad certum illum gratiæ & gloriæ gradum evehere; ita ut, quemadmodùm Moyſes & Salomon in conſtruendo tabernaculo ac templo typico, ſic ipſe in conſtruendo vero ac vivo Dei templo nihil deſideret, nihil velit, nihil poſtulet, nihil operetur, niſi ſecundùm exemplar ſibi monſtratum & in æternis decretis quodammodò deſcriptum: an potiùs idcirco Deus determinatè velit gratiam & gloriam, certumque gratiæ & gloriæ gradum aliquibus conferre, quia Chriſtus id optat & poſtulat humanâ ſuâ voluntate ex ſeipſa ſeſe determinante, eoque ſenſu humanitas Chriſti ſit cauſa occaſionalis gratiæ.

Probandum ergo nobis eſt voluntatem divinam non determinari à voluntate humana Chriſti, ad ſubveniendum eis quibus ſubvenit; ſed determinare voluntatem humanam Chriſti ad orandum ſpecialiter pro eis quibus ipſe vult ſpecialiter ſubvenire. Id autem probatur 1° auctoritate ſacræ Scripturæ, quæ univerſaliter docet Chriſtum nihil facere à ſemetipſo, ſed ubique, ſemper, & in omnibus facere voluntatem Patris ſui. Pſalm. 39 & Hebr. X: *Ingrediens mundum dicit...... Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Joann. V. 19: *Non poteſt Filius facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit.* Et v. 30: *Non poſſum ego à meipſo facere quidquam: ſicut audio, judico, & judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Joann. XII. 49: *Ego ex meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar.*

Quod de voluntate Chriſti generatim dicitur in Scripturis, id ſpecialiter dicitur reſpectu omnium quæ ad hominum juſtificationem & ſalutem ſpectant. Docent quippe Chriſtum in iis omnibus ſeſe conformaſſe voluntati Patris ſui, à quo electi ſibi ſpecialiter dati & commiſſi fuerunt; adeòque non Chriſtum orationibus ſuis determinaſſe Deum ad ſanctificandum quos ipſe voluit, ſed potiùs ideò pro illis oraſſe, quia electi erant à Patre ante conſtitutionem mundi. Sic Chriſtus ipſe loquitur, Joann. VI. 38: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non ejiciam foras; quia deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Non dicit omnes illos ſalutem eſſe conſecuturos, quia Pater voluntati ſuæ obſequitur, ſed quia ipſe pro illis orando facit voluntatem Patris ſui. „ Ipſa eſt ergo cauſa, ait S. Auguſtinus in hunc locum, tract. 25 in Joannem, num. 15, „ quare non ejicias eum foras, qui venit ad te, „ quia non voluntatem tuam deſcendiſti facere de cœlo, ſed voluntatem

 „ ejus

Digitized by Google

„ ejus qui te miſit? Ipſa. Quid quærimus utrùm ipſa ſit? Ipſa eſt; „ ipſe loquitur. Non enim nobis fas eſt aliud ſuſpicari quàm „ loquitur. *Qui venit ad me non ejiciam foras.* Et quaſi quæreres, „ quare? *Quia non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem ejus* „ *qui miſit me.*" Ibidem, v. 39 & 40, Chriſtus addit: *Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris, ut, omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut, omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Ergo voluntas Patris eſt prima & determinatrix cauſa ſalutis electorum: ipſa eos à maſſa perditionis diſcrevit; ipſa eos Chriſto dedit, ejus meritis & precibus ſalvandos; ipſa Chriſto præſcripſit pro quibus efficaciter liberandis oraturus eſſet; & quando Chriſtus pro eis oravit, non ſuam fecit, ſed Patris voluntatem.

In illa etiam oratione, quam pridie mortis ſuæ, poſt celebratum cum diſcipulis ſuis ultimum Paſcha, fudit pro electis Dominus Chriſtus, perpetuò declarat eos ſibi à Patre datos & commendatos, antequàm pro illis oraret; ideòque ſe pro illis ſpecialiter orare, & non pro mundo, quia non mundus, ſed illi ſibi dati fuerant à Patre. *Manifeſtavi*, inquit, Joann. XVII. 6, *nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt...... Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos. Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nominè tuo, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur...... Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo...... Pater, quos dediſti mihi, volo ut, ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Hic videmus omnes homines in duas partes diſtribui; unam, quæ electorum eſt, quam Pater Chriſto Filio ſuo dedit; alteram, quæ mundus dicitur, in maſſa perditionis relictam; iſtamque diſcretionem videmus non humanæ Chriſti voluntati, ſed paternæ attribui. Nimirum quare Chriſtus ſpeciatim orat pro electis? Quia ſcilicet ſibi dati ſunt à Patre, quia peculiariter pertinent ad Patrem, quia de mundo diſcreti ſunt, atque eruti à maſſa perditionis. Quare non orat pro mundo? Quia non eſt ipſi datus à Patre, quia filius eſt perditionis.

Quin etiam, duobus filiis Zebedæi ab ipſo petentibus ut unus ad dexteram ejus, alter ad ſiniſtram ſederent in regno ipſius, reſpondit, Matth. XX. 23: „ *Sedere ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quomodò non erat ipſius hoc dare, ſi non aliis præparatum eſt à Patre, niſi quibus ipſe voluerit?

Hinc, Matth. XI. 25, Patrem ſic alloquitur: *Confiteor tibi, Pater, Do-*

Domine cœli & terræ, quia abscondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Magna certè diſcretio: ſed eam Chriſtus non ad ſuam humanam voluntatem, ſed ad merum paternæ voluntatis beneplacitum refert, tanquam ad primam ac determinatricem illius cauſam.

S. Paulus, Epheſ. I, ſoli divinæ voluntati attribuendam eſſe docet prædeſtinationem electorum. *Benedictus Deus*, inquit, *& Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ... qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ..... In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Si Deus omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, non ergo omnia operatur ſecundùm deſideria & vota cauſæ occaſionalis: ſi prædeſtinavit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, ergo humanitas Chriſti non eſt hujus prædeſtinationis cauſa determinatrix. Hinc S. Irenæus totum ſalutis noſtræ opus ad ſolam voluntatem divinam, tanquam ad primam & determinanrem cauſam, reducit (lib. 4. cap. 6. n. 7). „ Ab „ initio, inquit, aſſiſtens Filius ſuo plaſmati revelat omnibus Patrem, „ quibus vult, & quando vult, & quemadmodùm vult Pater."

Minimè toleranda eſt Malebranchii reſponſio. Fateri cogitur Scripturam ubique ſic loqui, quaſi prædeſtinatio & gratiæ diſtributio fieret per particulares Dei voluntates; ſed illum loquendi modum anthropologicum eſſe contendit, ſeu hominum captui accommodatum. Hoccine eſt Scripturam interpretari, an potiùs eludere? Quænam Librorum ſacrorum pars in tuto erit, ſi cuique liceat metaphoricos & anthropologicos ſenſus eis, ad arbitrium & ſine ullo fundamento, affingere? Quis SS. Patrum modò allatos textus aliter, quàm prout ſonant, intellexit? At, inquit (libro de Natura & gratia, ſect. 1. n. 57), non decet ſapientiam divinam operari per voluntates particulares. Quaſi verò hujusmodi effatum, recens à novo Philoſopho excogitatum atque à nobis ſupra confutatum, contra apertiſſimam Scripturæ & Traditionis doctrinam præscribere unquam valeat. Denique, qui figuratè loquuntur, non probationes adhibent, non ſibi objectiones proponunt, non ſeriò illis reſpondent, uti fit in ſermone proprio ac litterali. Porro Apoſtolus Paulus, cùm diſcretionem electorum & reproborum ad ſupremam voluntatem Dei his verbis retuliſſet, Rom. IX: *Moyſi enim dicit* (Deus): *miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor. Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat,* ſtatim ſibi objicit: *Dicis itaque mihi: quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Et confirmando illud quod dixerat, reſpondet: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentnm ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic?* Quis unquam figuratè loquens hoc modo proceſſit?

II°. Apud ſanctos Patres certiſſimum eſt, atque in ipſo incarnationis

 mys-

myſterio manifeſtè fundatum, voluntatem humanam Chriſti in omnibus moveri, dirigi ac determinari à Verbo cui hypoſtaticè unitur, in quo ſubſiſtit, cujus eſt; moveri, inquam, dirigi ac determinari non tantùm phyſicè, ſicut omnes cauſas ſecundas à cauſa prima ad ſingulos actus, ut alibi probavimus, ſed ſpeciali & ſingulari modo. Quemadmodum enim humanitas Chriſti non ſubſiſtit in ſeipſa, ſed in perſona Verbi, nec eſt ſui juris, ſed Verbi; ita omnis ejus actio imperatur, regitur, determinatur à perſona Verbi, per illam tanquam per inſtrumentum ſibi perſonaliter unitum operante. Actiones quippe & volitiones ſunt ſuppoſitorum, non merâ & inani attributione, ſed quia, quidquid naturæ operantur ut principium *quo*, id verè operatur ſuppoſitum tanquam principium *quod*, movens ac determinans. Tolle iſtam determinationem ac motionem ſpecialem humanitatis à Verbo, cujus eſt & cui ſubjacet, nihil jam ſupereſt unde deſideria, actiones, paſſio, morsque humanitatis Chriſti poſſint verè attribui perſonæ Verbi.

Vid. Inſtruct. Paſt. Epiſc. Sueſſion. (de Fitzjames) contra errores FF Hardouin & Berruyer, part. 2. ſect. 2. cap. 4. art. 1, & ſect. 5. cap. 1. art. 2.

Enimverò cur humanitas Chriſti creditur omnino impeccabilis vi conjunctionis hypoſtaticæ cum Verbo, niſi quia nullum habuit nec habere potuit motum non ſibi à Verbo regente & gubernante impreſſum? Aliàs, ſi ſibi ipſi dimiſſa fuiſſet, ut vellet & ſeſe determinaret, nullomodò repugnaret eam aberrare & peccare potuiſſe. Hinc Monothelitis objicientibus, admiſſis in Chriſto duabus voluntatibus, divinâ & humanâ, ſequi in illo pugnam voluntatum, reſpondebant Patres ſexti Concilii nullatenus id metuendum eſſe, eoquòd humana voluntas dominio ac motioni divinæ ſubeſſet voluntatis.

Hanc veritatem tanquam inconcuſſam tradit multis in locis Angelicus Doctor. „ Virtus & operatio animæ Chriſti, inquit, 3 part. q. 13. art. 4. ad 3, „ dependebant à Deo, qui operatur in nobis velle & per„ ficere.“ Ibidem, q. 18. art. 1. ad 1: „ Quidquid fuit in humana „ natura Chriſti, movebatur motu voluntatis divinæ...... Et ſic etiam „ Chriſtus, ſecundum voluntatem humanam, ſequebatur voluntatem di„ vinam.“ Et q. 19. art. 1, in corpore, dicit: „ Sicut in homine „ puro corpus movetur ab anima, & appetitus ſenſitivus à rationali, „ ita in Domino Jeſu Chriſtò natura humana movebatur & regebatur à „ divina.“ Addit hanc Monothelitis occaſionem fuiſſe negandi in Chriſto voluntatem humanam, quaſi non potuerit moveri à Verbo ſine ſuæ libertatis & efficientiæ interitu: quem errorem inde refellit, quòd humanæ voluntati, tametſi motæ à Verbo, propria ſua conſtet operatio. „ In Chriſto, inquit, natura humana habet propriam formam & „ virtutem, per quam operatur; & ſimiliter divina. Unde natura hu„ mana habet propriam operationem diſtinctam ab operatione divina, „ & è converſo. Et tamen divina natura utitur operatione naturæ „ humanæ, ſicut operatione ſui inſtrumenti; & ſimiliter humana natura „ participat operationem divinæ naturæ, ſicut inſtrumentum participat

„ ope-

„ operationem principalis agentis.“ Eo ſenſu dicit agnoſci debere in Chriſto, ut Dionyſius loquitur, operationem Theandricam ſeu Deivirilem, „ per hoc ſcilicet, inquit ad 1, quòd divina operatio ejus „ utitur humanâ, & humana ejus operatio participat virtutem divinæ „ operationis.“

Atqui in ſyſtemate Malebranchii contrarium dici debet: ſiquidem, juxta illud, nedum voluntas humana Chriſti moveatur ac determinetur à voluntate divina, voluntas ipſa divina determinatur ad operationes particulares per deſideria ac vota voluntatis humanæ.

III°. Ideò imprimis iſtud ſyſtema excogitatum eſt, ut faciliùs explicetur quomodò fieri poſſit: 1° ut Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & tamen non omnes ſalventur: 2° ut in pluribus hominibus auxilium gratiæ ſit inefficax. Atqui hæc duo non explicantur aut malè explicantur in iſto ſyſtemate.

Primùm quidem minimè explicatur quare, Deo volente omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, multi tamen damnentur & gratiæ participes non ſint. Si Deus, inquit Malebranchius, proprio nomine & voluntatibus particularibus gratiam diſtribueret, omnes homines ad juſtitiam & æternam ſalutem pervenirent. Sed divinâ majeſtate multò dignius eſt adhibere cauſam occaſionalem; idque ſumma ipſius ſapientia præſcribit. Quamobrem decrevit non alios ad ſalutem perducere, quàm eos pro quibus humanitas Chriſti ſpecialiter oraverit. Humanitas autem Chriſti non orat pro ſalute omnium & ſingulorum hominum: propterea non omnes ſalvantur.

Ut omittam abſurdum eſſe, ad conſervandam medii ſimplicitatem, innumeris peccatis, quæ Deus impedire vellet, & majoris hominum partis damnationi, quam pariter impedire vellet, locum dare; ſiquidem ſapientia dictat perfectionem operis præferendam eſſe mediorum ſimplicitati, hancque illi cedere debere: ut, inquam, id omittam, quæro cur Chriſtus non oret pro ſalute omnium & ſingulorum hominum, quos omnes Deus vult ſalvos fieri? Certè omnes naturâ & origine ſunt æquales: omnes æqualiter ſalute indigent: omnes æqualiter indigni ſunt. Cur ergo unum aſſumit, alterum relinquit? Cur tot millia parvulorum ſine baptiſmo pereunt? Cùr tot gentes etiamnum in tenebris degunt infidelitatis & in umbra mortis?

An ergo Chriſtus omnibus & ſingulis conſulere non potuit? At *data eſt ei omnis poteſtas in cœlo & in terra*, omneſque ejus orationes audiuntur & deſideria implentur à Patre, qui vult omnes homines ſalvos fieri. An non vult? Neque hoc dici poteſt in iſto ſyſtemate, in quo Chriſtus ſibi proponit conſtruere templum, quantùm poteſt, ampliſſimum ac magnificentiſſimum, in quod omnes, ſi fieri poſſet, ingrediantur.

Quid ergo obſtat? Defectus, inquit, cognitionis ſeu actualis cogitationis. Humana quippe natura Chriſti, cùm finita ſit, non poteſt ſimul atten-

attendere ad omnes & ſingulos homines, ideòque plurimos prætermittit, quibus, ſi actu cogitaret, de ſalute provideret.

Verum unde probat Malebranchius animam Chriſti non habere actualem cognitionem omnium & ſingulorum hominum, ac diverſarum uniuscujusque diſpoſitionum? Quo jure limites adeò anguſtos figit cognitioni illius humanitatis, in qua ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi? Numquid anima Chriſti infinita eſſet, etiamſi totum ordinem ſæculorum mente complecteretur? Numquid repugnat creari à Deo animam hujusmodi actualis cognitionis capacem? Si ita eſt, jam Deus non eſt omnipotens. Porro ſi Deus potuit talem animam creare, id profectò debuit in eo ſyſtemate, juxta quod, ita exigente ſuâ ſapientiâ, ex omnibus cauſis occaſionalibus poſſibilibus eam ſeligere debuit, quæ futura eſſet omnium fecundiſſima, & quæ majorem numerum hominum ad ſalutem perduceret. Concludamus ergo vel potuiſſe Deum creare animam tantæ cognitionis capacem, ut omnibus convertendis & ſervandis ſufficeret; vel non potuiſſe. Si potuit, funditus ruit ſyſtema: ſi non potuit, non eſt omnipotens.

Verùm hæc etiam miſſa faciamus. Poteſt ne in mentem cujusquam venire, Chriſtum per quindecim ſæcula nullatenus cogitaſſe de Americanis, de Sinenſibus, de Japonibus, de Tartaris, aliisque populis, qui hactenus Evangelii luce caruerunt, nec non de tot gentibus quas aut Mahumetis inſania corrupit, aut hæreſis ſeduxit, aut ſchisma diſtraxit? Nam ſi de illis cogitaſſet, illos procul dubio à tanta pernicie liberaſſet.

Quid de illis dicemus quos certiſſimè Chriſtus attendit, Judam dico cujus ſcelus proximè futurum prædixit; Scribas & Phariſæos, quos tam crebrò increpavit; Capharnaïtas & Corozaïtas, quibus exprobravit quòd non egiſſent pœnitentiam; Tyrios & Sidonios, quos aſſerit acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi ea ſigna vidiſſent quæ fecerat in Capharnaum? Cur ergo gratiam illis non popoſcit, ſi ſolo attentionis defectu tot homines prætermittuntur?

Demum ſi Chriſtus, tanquam cauſa occaſionalis ſalutis hominum, vult omnes ſalvos fieri, ſoloque attentionis defectu plurimos negligit, quis explicet quam ob cauſam mundum reproborum à ſua oratione poſitivè excluſerit, quia non erat ipſi datus à Patre? *Non pro mundo rogo*, inquit, Joann. XVII. 9, *ſed pro eis quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Quam ob cauſam perire permiſerit *filium perditionis*, ut Scriptura impleretur? Nam ſi pro illo orare voluiſſet, filius non eſſet perditionis, neque id Scriptura prædixiſſet.

2°. Non etiam explicatur in hoc ſyſtemate quare illis, pro quibus Chriſtus orat, non impetret gratiam efficacem, ſed utplurimùm inefficacem, quâ abutuntur atque interdum poſteà deteriores fiunt. Proptereà enim id accidit, juxta Malebranchium, quia, ſi de peccatoribus agatur, non pro ſingulis (ordinariè loquendo) orat Chriſtus, ſed pro quodam

Digitized by Google

dam illorum genere, v. g. modò pro avaris, modò pro ambitioſis, modo pro luxurioſis, quibus determinatum gratiæ gradum apprecatur; quem ſtatim omnes avari, omnes ambitioſi, omnes luxurioſi recipiunt, ſed, pro diverſis eorum diſpoſitionibus & determinationibus, ea gratia in aliis efficax eſt, in aliis inefficax. Si verò agatur de juſtis, quos ſpeciali benevolentiâ Chriſtus proſequitur, ideò gratia, quam pro illis poſtulat, non ſemper eſt efficax, quia vel ignorat futuram illorum determinationem; vel, ſi cognoſcit habitu, non cognoſcit actu; vel, ſi actu cognoſcit, non debet uti illâ cognitione, ne ſe gerat tanquam Deus, cujus eſt ſerutari renes & corda; vel quia immutabilis ordo, quem Chriſtus ſemper conſulit tanquam normam ſuorum deſideriorum, non ei permittit alio modo agere. Porro hæc ſolutio inextricabilibus implicatur difficultatibus.

Namque, ut primùm loquar de peccatoribus, quid vetat quominùs anima Chriſti oret pro ſingulis? Non deeſt illi bona voluntas, ſiquidem non venit vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Deeſt ergo mentis capacitas tot hominum millibus advertendis neceſſaria? Rurſus hic redeunt omnia incommoda modò expoſita. Aliunde repugnat experientiæ dari eodem inſtanti omnibus avaris, omnibus impudicis, omnibus ambitioſis gratiam interiorem, hoc eſt, pium horrorem ſui ſtatûs, vel pia converſionis deſideria.

Quod verò ad juſtos pertinet, pro quibus ſpeciatim preces fundere Chriſtus dicitur, falſum eſt 1° ideò gratias eis datas interdum eſſe inefficaces, quia Chriſtus ignorat actualem eorum diſpoſitionem vel futuram determinationem. Nam de fide eſt Chriſtum, ut hominem, cognoſcere omnia quæ fuerunt, vel ſunt, vel futura ſunt, atque ipſas cordium cogitationes & affectiones. Conſtat ex Evangelio notas ei fuiſſe intimas cogitationes, ſive cum Phariſæos increpavit interiùs murmurantes quòd paralytico peccata dimiſiſſet, vel cogitantes eum in Beelzebub principe dæmoniorum ejeciſſe dæmonium; ſive cùm eisdem interrogantibus liceret ne cenſum dare Cæſari, reſpondit: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Joann. II. 23, legimus *multos credidiſſe in nomine ejus, videntes ſigna ejus quæ faciebat; ipſum autem Jeſum non credidiſſe ſemetipſum eis, eoquòd ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat ut quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* ibid. XVI 30, Apoſtoli dicunt: *Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget.* Et cap. XXI. 17: *Dixit ei Petrus: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te.* Hæc autem de Chriſto ut homine dicta fuiſſe docet perpetua Eccleſiæ traditio. Hinc Leporius in libello emendationis ſuæ retractat quod prius ſenſerat, Chriſtum ut hominem aliquid ignoraſſe. „ Tunc dixi, inquit imò ad objecta reſpondi Domi- „ num noſtrum Jeſum Chriſtum ſecundum hominem ignorare; ſed nunc „ non ſolum dicere non præſumo, verùm etiam priorem anathematizo

„ ſententiam, quia dici non licet etiam ſecundùm hominem ignoraſſe Do„ minum Prophetarum.“ S. Thomas, 3 part. q. 10. art. 2, in corp. expendens an anima Chriſti in Verbo cognoverit omnia, dicit hanc vocem *omnia* poſſe accipi non tantùm pro quibuſcunque poſſibilibus, ſed etiam „ pro omnibus quæ quocunque modo ſunt, vel erunt, vel fue„ runt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocunque, ſecundùm quod„ cunque tempus. Et ſic dictum eſt, inquit, quòd anima Chriſti in „ Verbo cognoſcit omnia. Unusquisque enim intellectus creatus in „ Verbo cognoſcit non quidem omnia ſimpliciter, ſed tantò plura, „ quantò perfectiùs videt Verbum: nulli tamen intellectui beato deeſt „ quin cognoſcat in Verbo omnia quæ ad ipſum ſpectant. Ad Chris„ tum autem & ad ejus dignitatem ſpectant quodammodò omnia, in „ quantùm ei ſubjecta ſunt omnia. Ipſe etiam eſt omnium judex con„ ſtitutus à Deo, quia fillus hominis eſt, ut dicitur Joann. V. Et Ideò „ anima Chriſti in Verbo cognoſcit omnia exiſtentia ſecundùm quod„ cunque tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum eſt judex.“ Dici ergo non poteſt idcirco Chriſtum poſtulare gratias quæ ſunt inefficaces, quòd ignoret actualem hominum diſpoſitionem vel futuram determinationem.

2°. Falſum eſt, gratias dari inefficaces, inde provenire, quòd Christus, licet habitu cognoſcat futuram hominum determinationem, ad illam actu non attendat; tum quia, juxta S. Thomam, ibid. q. 11. art. 5. ad 1, cognitio animæ Chriſti in Verbo *non fuit habitualis, ſed actualis reſpectu omnium quæ hoc modo cognovit;* tum quia, etiamſi non omnis cognitio animæ Chriſti in Verbo ſit ſemper actualis, ea tamen actualis debet eſſe, *quæ congruit ad debitum finem voluntatis, ſecundùm exigentiam negotiorum & temporis*, ut loquitur S. Doctor, ibid. ad 2. Porro quando Chriſtus vult gratiam alicui dari, tunc, ut ſapienter agat, debet attendere quænam gratia effectum habitura ſit, nec poteſt excuſari ab aliqua imprudentia, ſi cæco modo agat, eamque gratiam poſtulet quæ inefficax futura ſit, cùm poſſit, attentionem adhibendo, aliam, quæ ſubjecto ſit proportionata, poſtulare: quemadmodùm, omnium judicio, culpandus eſt medicus qui, cùm poſſit, attendendo ad ægroti ſtatum ac diſpoſitionem, præſcribere ſalubrem potionem, ex incogitantia inefficacem eoque nocituram præſcriberet. Uno verbo, vel anima Chriſti, poſtulando à Patre ut det hanc aut illam gratiam, poteſt cognoſcere an congrua futura ſit, vel non poteſt. Si non poteſt id cognoſcere, caret cognitione muneri ſuo debitâ, & eſt ſimpliciter ignorans: ſi poteſt cognoſcere, debet profectò gratiam poſtulare quæ congrua futura ſit. Media fini non aptare ex ignorantia, defectus eſt; non aptare ex incogitantia & negligentia, malum eſt.

3°. Falſum eſt, imò & abſurdum, Chriſtum, etiamſi cognoſcat actu certam aliquam gratiam, quam pro aliquo poſtulat, effectu eſſe cari-

turam,

turam, non debere uti illâ cognitione, quia tunc non ageret ut homo, ſed ut Deus. Quomodò namque ageret ut Deus, agendo ex cognitione quam habet ut homo? Deus omnia comprehendit quæ continentur in ſua omnipotentia: humanitas Chriſti, ea quæ cognoſcit, gratuitâ illuſtratione Verbi cognoſcit. Deus omnia cognoſcit in ſeipſo: humanitas Chriſti non in ſeipſa, ſed in Verbo cognoſcit quæcunque cognoſcit. Ergo anima Chriſti, utendo cognitione ſibi conceſſâ, nequaquam ageret ut Deus. 2°. Non magis Chriſtus ageret ut Deus, utendo cognitione ſibi datâ diſpoſitionum cordis & determinationum voluntatis, quàm loquebatur ut Deus, quando ſecretas cordium cogitationes & futuras determinationes revelavit; v. g. cùm dixit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* cùm prædixit caſum Petri & proditionem Judæ. Atqui, quando hæc revelavit, loquebatur ut homo, & ex cognitione quam habebat ut homo; ſiquidem, quæcunque Chriſtus dicebat humanitùs, ea ſciebat ut homo. 3°. Ut anima Chriſti non agat ut Deus, neceſſe non eſt eam cæco modo agere, nec attendere ad proportionem mediorum cum fine. Satis profectò diſtingueretur humana ejus actio ab operatione divina, ſi in tanta hominum multitudine paucos non attenderet, eisve ex incogitantia gratias poſtularet quæ inefficaces futuræ ſint. An verò longè majorem hominum partem in æternum perire neceſſe eſt, ut dici queat humanitatem Chriſti non agere ut Deum?

4°. Falſum eſt cauſæ occaſionali, ut efficax ſit, cognitam eſſe debere proportionem mediorum cum fine. Moveo brachium cæteraque corporis membra ſtatim atque volo, quàmvis omnino ignorem quâ arte membra mea moveam. Sufficit ut velim, & confeſtim ad voluntatis meæ nutum, Deo movente & gubernante, membra moventur. Pariter, ut Chriſtus tanquam cauſa occaſionalis omnium ſalutem procuret, ſatis eſt ut omnes peccatores converti, omnes infideles ad fidem adduci, omnes juſtos perſeverare velit.

5°. Falſum eſt immutabilem ordinem, cui humanitas Chriſti omnia ſua deſideria conformat, non ſinere ut omnibus hominibus ſalutem procuret. Numquid omnino impoſſibile eſt omnes homines ſalvos fieri? Quis hoc ſentiat? Immutabilis rerum ordo nihil vetat niſi ratione aliquâ æternâ & invariabili. Quænam autem ratio aſſignari poteſt, quæ impediat quominùs anima Chriſti omnibus hominibus ſalutem impetret? Nulla certè eſt ex parte ipſorum hominum. Cùm enim omnes & naturâ & origine vitiatâ æquales ſint, ſalvari omnes poſſunt, ſi Deus abſolutè velit; neque timendum eſt ne Deo volenti ſalvum facere quorumdam liberum contumaciter reſiſtat arbitrium. Nulla quoque eſt ex parte Dei: ſiquidem, in illo ſyſtemate, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, omneſque reipſâ ſalvos faceret, ſi gratiam largiretur voluntatibus particularibus, nec determinaretur per cauſam occaſionalem. Reſtat ergo ut illa ratio, ſi qua eſt, ſe teneat ex parte ipſius cauſæ occaſio-

caſionalis, quæ deſineret agere ut cauſa occaſionalis, ſi ſalutem omnibus impetraret: id verò ſtare nullatenus poſſe modò oſtendimus.

6°. Iſtud ſyſtema plurimis & graviſſimis erroribus ſcatet, quorum nonnullos jam commemoravimus.

Primus error eſt voluntatem humanam Chriſti non moveri nec determinari à Verbo: quod ſtare non poteſt cum notione unionis hypoſtaticæ, ut dictum eſt.

Secundus error eſt, quòd humanitati Chriſti attribuatur ignorantia, ſaltem actualis.

Tertius error eſt, humanitatem Chriſti ex prævifis meritis prædeſtinatam à Deo fuiſſe, ut à Verbo Dei in perſonæ unitatem aſſumeretur. Nam, juxta Malebranchium, Deus, exploratis omnibus humanitatibus poſſibilibus, eam præ cæteris elegit, quam cauſæ occaſionalis officio melius functuram eſſe prænovit, hoc eſt, quâ plures homines ad ſalutem perducerentur. Proinde prima ejus electionis cauſa petitur ex libero voluntatis humanæ arbitrio, cauſæ occaſionalis partes felicius impleturo. Audiamus auctorem ſeipſum, dum excuſare vult, reum probantem, in Reſponſione ad Diſſertationem Arnaldi, cap. 11. n. 8: „Non „ quòd iſta natura (humana Chriſti) eam gratiam meruerit, ut ſit „ primus prædeſtinatorum & caput Eccleſiæ, inquit,..... ſed quòd „ conſilia Dei lucida ſint, quòd media commenſuret fini,..... & quòd „ illud conſilium illasque vias eligat, quæ & ipſius gloriæ meliùs con„ſultura, & ipſius attributorum caracterem magis expreſſura ſunt. Ver„bum univit tali naturæ & in talibus circumſtantiis, quia altitudine „ ſuæ ſapientiæ & præſcientiæ infinitæ prævidebat fore ut majorem ex „ hac prædeſtinatione gloriam eſſet percepturus, quàm ex qualibet alia; „ quia detegebat omnes futuras determinationes voluntatis hominis „ Dei, quâ opus ab illa producendum perfectius futurum erat quàm „ quodvis aliud." Habemus fatentem reum. Ideò igitur, juxta illum, Chriſti humanitas præ cæteris electa eſt, quia ex bono uſu liberi ſui arbitrii, præſcito duntaxat & non prædeſtinato, majorem Deo gloriam allatura, & templum magnificentius & latius exſtructura erat, quam alia quælibet humanitas poſſibilis. Ergo, ſi quilibet noſtrûm eo munere meliùs functurus fuiſſe prævifus eſſet, humanitati Chriſti prælatus fuiſſet (& quidem neceſſariò, ut mox dicetur), ſuâque induſtriâ ac dexteritate prævifâ id conſecutus fuiſſet, ut Filius Dei hominumque liberator eſſet.

Quartus error eſt, voluntatem Dei non eſſe liberam, non ſolùm quia ſuâ ſapientiâ, cui non poteſt non obſequi, neceſſariò tenetur, poſito quòd creare velit, adhibere cauſam occaſionalem ex cujus deſideriis ſalus hominum pendeat; verùm etiam quia liberam non habuit iſtius cauſæ occaſionalis electionem. Nam divinâ ſapientiâ neceſſariò exigente, ut ad gubernandos homines aſſumeretur via omnium ſimpliciſſima, utque ad libe-

liberandos homines ea cauſa occaſionalis eligeretur, cujus induſtriâ plures homines ad ſalutem pervenirent, fieri omnino non potuit ut humanitas Chriſti, quam Deus prævidebat meliùs quàm aliam quamlibet impleturam eſſe partes illas cauſæ occaſionalis, præ cæteris omnibus à Filio Dei non aſſumeretur in unitatem perſonæ.

Quintus error eſt, Deum non eſſe omnipotentem. In notione quippe omnipotentiæ continetur, ut nulla creatura, quantùmvis perfecta, eam exhauriat, ſeu ut nulla creatura concipiatur in ſeipſa poſſibilis, quam Deus producere non poſſit. Atqui hoc in ſyſtemate concipitur creatura in ſeipſa poſſibilis nec repugnans, quam Deus producere nequeat; humanitas ſcilicet quæ partes cauſæ occaſionalis adeò perfectè impleret, ut nullus hominum non eſſet ſalvus: hujuſmodi tamen humanitatem Deus, illo in ſyſtemate, producere non potuit; ſi enim potuiſſet, procul dubio produxiſſet, cum ſummâ ſuâ ſapientiâ omnino teneatur eam humanitatem præ cæteris producere & in cauſam occaſionalem aſſumere, quæ plurium hominum, imò quæ omnium, ſi fieri poteſt (ut reverâ poteſt), ſalutem ſit procuratura.

Sextus error eſt, Deum creando id ſibi proponere, ut gloriam, quam poteſt maximam, ſibimetipſi comparet; ideòque, poſito quòd creet, creare debuiſſe humanitatem, quæ, plurium hominum ſalutem procurando, plus gloriæ ipſi allatura ſit. Errorem dico, quia certiſſimum eſt ex cultu & obſequio noſtro nihil prorſus in Deum redundare, juxta illud Pſalmi 15: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Gloria ſummi entis ac ſummæ bonitatis in eo tota poſita eſt, ut nullâ re extra ſe poſitâ accreſcere vel minui poſſit; ut ipſi æquale ſit cognoſci aut non cognoſci, amari aut non amari; ut, quando ſeſe communicare dignatur, gratis & merâ bonitate id faciat. Jubet quidem ſe cognoſci, ſe amari, ſe coli: ſed non propterea quòd inde aut major, aut beatior, aut intrinſecè glorioſior ſit, ſed quia lex æterna jubet id cognoſci, quo nihil verius, id amari quo nihil melius, id coli quo nihil præſtantius eſt, imo quod eſt ſumma veritas, ſumma bonitas, ſumma majeſtas; idque jubet ut bonum nobis, non ut bonum Deo, qui, fons & plenitudo omnium bonorum, ſuum ſibi & totum & ſummum bonum eſt. (Vid. *Actionem Dei in creaturas*, ſect. 6. cap. 2 & 3). Hanc veritatem ſeipſâ manifeſtam frequenter inculcant SS. Patres.

S. Hilarius, tract. in pſalm. 2. n. 13. 14 & 15: „ Deus, inquit, „ beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deeſt..... Ipſe „ eſt qui, quod eſt, non aliunde eſt. In ſeſe eſt, ſecum eſt, ad ſe „ eſt, ſuus ſibi eſt, & ipſe ſibi omnia eſt; carens omni demutatione „ novitatis, qui nihil aliud, quod in ſe poſſet incidere, per id quod „ ipſe ſibi totum totus eſt, reliquit. Ex hujus igitur optima ac bene- „ vola beatitudine, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, profectæ

 „ ſunt

„ ſunt omnes cœleſtium & inviſibilium creationes, ſpiritualium & cor-
„ poralium conſtitutiones; non ut profectum ſibi aliquem, ex his qui-
„ bus originem impertiebat, acquireret. Neque enim quiſquam eo in-
„ diget, quod ex ſe tribuit; aut per id proficit, cui ad id quod eſt auc-
„ tor eſt. Exteriora autem ſunt quæ afferunt profectum, quia ea quæ
„ inopiæ medentur aliena ſunt. Deus igitur, ex quo omnia ſunt, nul-
„ lo eorum indiget, quibus, id quod ſunt, eſſe largitus eſt: omnia
„ verò ad profectum eorum quæ gignerentur creavit...... Hominem,
„ non quòd officio ejus in aliquo eguerit, inſtituit; ſed, quia bonus eſt,
„ participem beatitudinis ſuæ condidit, & rationale animal in uſum lar-
„ giendæ ſuæ æternitatis vitâ ſenſuque perfecit. Et hoc ex ipſius dictis
„ abſolutè intelligitur. Ait enim: *Et nunc, Iſrael, quid Dominus*
„ *Deus tuus poſcit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambu-*
„ *les in omnibus viis ejus, & diligas eum, & ſervias Domino Deo tuo*
„ *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua; &*
„ *cuſtodias præcepta Domini Dei tui, & juſtificationes ejus, quæ ego præ-*
„ *cipio tibi*, UT BENÈ SIT TIBI?...... Amari ſe à nobis exigit, non
„ utique amoris in ſe noſtri fructum aliquem ſui cauſâ ipſe percipiens,
„ ſed amore ipſo nobis potiùs, qui eum amabimus, profuturo. Nam
„ amari ſe ſibique nos obſequi, idcirco ut nobis benè ſit, expetit......
„ Bonitatis autem uſus, ut ſplendor ſolis, ut lumen ignis, ut odor ſuc-
„ ci, non præbenti proficit, ſed utenti." Integrum hunc textum ex-
ſcribere volui, eoquòd ſit eximius nihilque in eo redundet.

Eamdem doctrinam non minùs præclarè aſſerit S. Auguſtinus multis in locis. „ Nobis prodeſt colere Deum, inquit, Epiſt. 102, olim 49, ad Deogratias, quæſt. 3. n. 17, „ non ipſi Deo Cùm ergo inſpirat „ & docet quomodò colendus ſit, non ſolum nullâ ſuâ indigentiâ facit, „ ſed noſtrâ maximâ utilitate." *Ideò verus eſt Dominus*, addit Epiſt. 138, olim 5, ad Marcellinum, cap. 1. n. 6, *qui ſervo non indiget.* Et lib. 10 *de Civitate Dei*, cap. 5: „ Ne ipſâ quidem juſtitiâ hominis Deus „ egere cenſendus eſt, totumque, quòd rectè colitur Deus, homini pro- „ deſt, non Deo. Neque enim fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe, ſi „ biberit, aut luci, ſi viderit." Id in Scriptura nobis inſinuatum eſſe cenſet S. Doctor, ubi dicitur Deus requieviſſe die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis. „ Nullo opere ſuo ſic delectatus, quaſi faciendi ejus egue- „ rit, vel minor futurus niſi feciſſet, vel beatior cùm feciſſet. Quia enim, inquit, lib. 4 *de Geneſi ad litteram*, cap. 15. n. 26, „ ex illo ita eſt „ quidquid ex illo eſt, ut ei debeat quod eſt, ipſe autem nulli, quod ex „ ipſo eſt, debeat quòd beatus eſt, ſe rebus quas fecit diligendo præ- „ poſuit, non ſanctificans diem quo ea facienda inchoavit, nec illum „ quo ea perfecit, ne illis vel faciendis vel factis auctum ejus gaudium „ videretur, ſed eum quo ab ipſis in ſeipſo requievit. Et ipſe quidem „ nunquam hac requie caruit, ſed eam nobis per diem ſeptimum oſten- „ dit."

„ dit.“ Vide etiam lib. 1 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 31 & 32; lib. 1 *de Geneſi ad litteram*, cap. 5, & lib. XI *de Civitate Dei*, cap. 31; nec non S. Anſelmum, lib. 1 *Cur Deus homo*, cap. 15.

Idipſum exquiſitis rationibus confirmat S. Thomas, lib. 3 *contra Gentes*, cap. 18. n. 4. „ Deus, ait, qui eſt primum agens omnium „ rerum, non ſic agit quaſi ſuâ actione aliquid acquirat, ſed quaſi ſuâ „ actione aliquid largiatur, quia non eſt in potentia ut aliquid acqui- „ rere poſſit, ſed ſolum in actu perfecto, ex quo poteſt elargiri. Res „ igitur non ordinantur in Deum ſicut in finem, cui aliquid acquiratur; „ ſed ut ab ipſo ipſummet ſuo modo conſequantur, cum ipſemet ſit „ finis.“ Et in Summæ part. 1. q. 44. art. 4, in corp: „ Sunt quædam quæ ſimul agunt & patiuntur, quæ ſunt agentia imperfecta: & „ his convenit quòd etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed „ primo agenti, qui eſt agens tantùm, non convenit agere propter „ acquiſitionem alicujus finis, ſed intendit ſolùm communicare ſuam „ perfectionem, quæ eſt ejus bonitas.“ Et 2. 2. q. 132. art. 1. ad 1: „ Ille qui ſuper omnia eſt, quantùmcunque ſe laudet, non extollitur: „ nobis namque expedit Deum noſſe, non illi; nec eum quiſquam „ cognoſcit, ſi non ſe indicet ipſe qui novit. Unde patet quòd Deus „ gloriam ſuam non quærit propter ſe, ſed propter nos.“

Non leviter prætereunda ratio ſupra allata à S. Hilario, ſcilicet neminem *eo indigere quod ex ſe tribuit*. Si ergo ex ſeipſis, non à Deo, haberent homines voluntatem ac determinationem colendi & amandi Deum, dici forſitan poſſet Deus aliquid acquirere per illum amorem & cultum qui ab ipſo non eſſet. At ſi hoc ipſum, quòd Deum cognoſcimus, quòd amamus, quòd colimus, totum ex Deo eſt, quid inde utilitatis in ipſum redundare poteſt? Nemo donando accreſcit, ſed recipiendo; nec ſuis donis ditatur, ſed alienis. Si ergo donum Dei eſt quidquid in gloriam Dei agimus, nihil inde provenit Deo, ſed totum cedit in bonum noſtrum. Et ſanè Malebranchius, qui docet Deum idcirco elegiſſe humanitatem Chriſti, quia per eam majorem ſibi gloriam proventuram eſſe noverat, ſimul etiam docet (quod non minus erroneum eſt) humanitatem Chriſti aliosque homines habere ex ſeipſis bonum uſum liberi arbitrii & gratiæ, conſenſumque ac determinationem ad benè agendum. Quid enim poteſt error ex ſeipſo parturire niſi errorem?

Cùm ergo Scriptura dicit Deum omnia propter ſemetipſum operatum eſſe, ſenſus non eſt Deum, operando extra ſe, aliquod benignitatis ſuæ emolumentum reportare voluiſſe: è contrario ſenſus eſt Deum nullo extrinſeco motivo, ſed ſolâ gratuitâ ſuâ bonitate impulſum fuiſſe ut extra ſe operaretur; neque ut gloriam, laudem & famam ſibi faceret, ſed ut omnia, quæ ex plenitudine ſuæ bonitatis condidit, ad ſeipſum, tanquam ad unicum ultimumque rerum omnium finem, ordinarentur.

Sep

Septimus error eſt, nullam eſſe prædeſtinationem, nullam prædilectionem Dei erga electos. Deus quippe, hoc in ſyſtemate, neminem ſalvare vult voluntate particulari, ſed tantùm inter omnes rerum ordines poſſibiles iſtum, præſcribente ſuâ ſapientiâ, elegit, veluti fecundiſſimum ſimul & ſimpliciſſimum, ex quo præter ſpecialem ejus intentionem ſequitur ſalus eorum qui ſalvantur. „ Exiſtimo, inquit auctor, „ non præciſè ex bona voluntate Dei erga Paulum, Deum elegiſſe Paulum & reliquiſſe Petrum, ſed quia prævidit infinitâ ſuâ præſcientiâ, „ ex omnibus viis poſſibilibus quibus magnum ſuum opus conſtruere „ poterat, fecundiſſimam ſimul & ſimpliciſſimam, uno verbo digniſſimam ſuis attributis eam eſſe, in qua ſanctificandus erat Paulus & relinquendus Petrus.“ Igitur, fatali quâdam neceſſitate voluntatem divinam præveniente, & præſens rerùm ordo electus eſt, & ad ſalutem pervenient quicunque ſalvandi ſunt. Nec dicas neceſſitatem illam non aliunde provenire quàm à ſapientia divina, quæ dictavit ita agendum eſſe. Præterquàm quòd enim repugnat voluntati Dei neceſſitatem imponi ab ejus ſapientia, quæ & ipſa ſummè libera eſſe debet ad extra, cur, quæſo, divina ſapientia dictavit hunc ordinem præ cæteris omnibus eligendum eſſe? Quia Deus præviderat eum fore omnium ſimpliciſſimum ſimul & fecundiſſimum. Atqui, quòd ſit omnium fecundiſſimus, id non habet à voluntate Dei, neque ab ipſius ſapientia, ſed à ſola humanitate Chriſti, quam Deus prævidit melius impleturam partes cauſæ occaſionalis quàm aliam quamlibet. Ergo neceſſitate extrinſeca & quaſi fato quodam Deus compulſus eſt hunc ordinem præ cæteris eligere, atque ex eadem neceſſitate pendet electorum ſalus.

In Reſpon. ad Diſſert. Arnaldi ſuper Elucidatione tractatûs de Nat. & grat. cap. 13. n. 6.

Octavus error ex præcedente conſequens eſt, totam ſalvandorum gratitudinem non Deo, ſed humanitati Chriſti, atque etiam maxima ex parte ſibimetipſis deberi. 1°. Hoc in ſyſtemate non Deo, ſed humanitati Chriſti, deberi ſalvandorum gratitudinem, nimis evidens eſt quàm ut operoſâ probatione indigeat. Si enim quia humanitas Chriſti voluit ſua merita efficaciter applicari quibusdam in particulari, ideò illi gratiam efficacem recipiunt, ſequitur totum opus electionis hominum primò & radicaliter reducendum eſſe in humanam Chriſti voluntatem, non autem in divinum beneplacitum; ac proinde gratitudinem noſtram non in Deum, ſed in humanitatem Chriſti ultimò eſſe referendam. Nec juvat reſpondere Deum potuiſſe nihil creare. Quid enim inde ſi, poſito quòd creare decreverit, non potuit alium inſtituere rerum ordinem quàm iſtum, in quo meritorum Chriſti applicatio ab humana ejus voluntate primariò pendet? 2°. Quòd verò, hoc in ſyſtemate, cauſa primaria ſalutis hominum in ipſis majori ex parte ſit, quàm in Chriſto, inde patet quòd Chriſtus eis pro quibus orat, ſive peccatoribus, ſive juſtis, poſtulet certum gradum gratiæ, abſtrahendo ab eventu, utrum ſcilicet efficax futura ſit, an non. Quod ergo gratia ſit efficax, non oritur

oritur ab anima Chriſti, quæ ignoravit an efficax futura eſſet, aut ſaltem eodem modo ſe geſſit ac ſi id ignoraſſet, ne videretur agere tanquam Deus; ſed à libero cujuſque arbitrio gratiam faciente efficacem. Ergo, quàmvis homines qui ſalvantur Chriſto debeant quòd gratiam habuerint, tamen quòd gratia in ipſis vacua non fuerit, & quòd ſalutem conſequantur, non tam Chriſto debent quàm ſibimetipſis.

Objicit Malebranchius 1° nonnulla Scripturæ teſtimonia. Epheſ. I. 22 & 23: *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur.* Et cap. IV. 16: *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem, in menſuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate.* Coloſſ. I. 19: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Et v. 24: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Et cap. II. 7: *Radicati & ſuperædificati in ipſo.* 1 Cor. XII. 27: *Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro.* Hebr. VII. 25: *Salvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et cap. IX. 24: *In ipſum cœlum* (introivit Jeſus) *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Joann. XI. 42: *Sciebam quia ſemper me audis.* Matth. XXVIII. 18: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Solvuntur objectiones.

Reſpondeo nullo horum teſtimoniorum probari quidquam eorum quæ auctor intendit; nimirum Deum circa ſalutem hominum non habere niſi voluntatem generalem, quâ ad particulares operationes non determinatur niſi ſecundùm animæ Chriſti deſideria, illaque animæ Chriſti deſideria non inſpirari nec determinari à Verbo, cui per hypoſtaſim unitur.

Inſtat. In his Scripturæ locis attribuitur Chriſto maxima poteſtas ſalvandorum hominum. Atqui poteſtas ſeu virtus humanitatis Chriſti non poteſt eſſe cauſa efficiens gratiæ. Reſtat ergo ut ſit cauſa impetratoria, utque nemini, niſi ad ipſius preces, gratia detur: ſi autem eſt cauſa impetratoria, per ipſam Deus determinatur ad diſtribuenda gratiæ auxilia.

Nego iſtam ultimam conſequentiam. Reverâ abſolutè Deus decrevit nullam gratiam conferre, niſi intuitu meritorum & mediationis Chriſti. Sed nequaquam inde ſequitur voluntatem Dei, reſpectu ſalvandorum, vagam eſſe, generalem, ac determinandam per orationes Chriſti. Sequitur tantummodò Deum, illis quos elegit in Chriſto ante mundi conſtitutionem, nonniſi propter & per preces Chriſti (quarum ipſa Dei voluntas eſt ſuprema regula & cauſa prædeterminans) gratiam & gloriam impertiri: verbo dicam, quidquid humanitas Chriſti, in ſyſtemate Malebranchii, facit pro ſalute hominum, id quoque, juxta cæteros Theologos, facit; hoc excepto, quòd, in illo ſyſtemate, Chriſtus agat ut cauſa prima ipſam Dei voluntatem determinans; juxta cæteros verò agat

Digitized by Google

duntaxat ut cauſa ſecunda voluntati divinæ ſubordinata, ac determinata à Verbo in quo ſubſiſtit & cujus eſt.

Objicit 2°. S. Paulus, Rom. XI, expoſitâ prædeſtinationis doctrinâ, non exclamat: O altitudo voluntatis Dei! ſed: O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Ergo, quòd alii prædeſtinentur, alii reprobentur, repetendum non eſt à divina voluntate, ſed à ſapientia & ſcientia divina, quæ præſentem rerum ordinem eligendum præſcripſit.

Nego conſequentiam. S. Paulus memoratis verbis minimè excludit altitudinem voluntatis divinæ, quam cap. IX indicaverat, inquiens: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat...... O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Sed ſignificat tantum illam voluntatem Dei, etſi occultam, non cæcam eſſe nec injuſtam, ſed ſummè ſapientem ac ſummè ſcientem. 2°. Auctori probandum incumbit ſapientiæ & ſcientiæ nomine id ab Apoſtolo intelligi, quod ipſe intelligit: ejus quippe expoſitio inaudita planè eſt apud omnes Eccleſiaſticos ſcriptores, qui hactenus hunc textum interpretati ſunt. 3°. Addit ſtatim Apoſtolus iſta verba, quæ auctorem jugulant: *Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Si enim ei credimus, comprehenſa ſunt ab ipſo incomprehenſibilia judicia Dei, & inveſtigatæ ſunt inveſtigabiles viæ ejus. Ipſe cognovit ſenſum Domini, &, quaſi conſiliarius ejus fuerit, omnia ejus conſilia denudanda ſuſcepit. Quid dico? Nulla ſunt, in ejus ſyſtemate, judicia Dei, nulla conſilia ſuper filios hominum, ſed tantùm voluntas vaga & indeterminata ad ſalutem hominum faciendi id omne quod cauſa occaſionalis ſuggeſſerit. 4°. Demum, in eodem ſyſtemate, non debuiſſet Apoſtolus exclamare: *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* ſed: O altitudo ſapientiæ humanitatis Chriſti! Siquidem totam templi inviſibilis & æterni ideam, totamque humanæ ſalutis œconomiam, non ſapientia divina, ſed humanitas Chriſti mente concepit & ordinavit: ſi tamen alta dici poteſt illius humanitatis ſapientia, cui cum propoſitum fuiſſet complures homines ad ſalutem perducere, longè majorem hominum partem aut penitus obliviſcitur, aut nonniſi incongrua auxilia providet.

Inſtat. Deus gratiam ſuam non dat omnibus promiſcuè, ſed agit ex electione, eaque electio non poteſt non eſſe ſapientiſſima. Ratio autem hujus electionis non eſt meritum perſonarum, nec differentia naturarum. Igitur ex Deo ipſo repetenda eſt. Repeti verò non poteſt à voluntate Dei; alioquin non foret ſapiens nec rationabilis: idem quippe eſt ac ſi diceretur Deus idcirco velle, quia vult; quod non eſt ſapientis, ſed ſtulti & ferocis. Ergo illa ratio petenda eſt à ſapientia divina. At ſapientia divina non poteſt reſtringere efficaciam voluntatis divinæ circa ſalutem omnium hominum, niſi quia utitur mediis limitatis & cauſâ occaſionali finitâ. Ergo reverâ nihil agit Deus in ordine gratiæ, niſi prout de-

determinatur à cauſa occaſionali, quæ non eſt alia quàm humanitas Chriſti.

Reſpondeo electionem ſummæ ſapientiæ non poſſe eſſe niſi ſapientiſſimam, neque propterea recurrendum eſſe ad rationes ipſius voluntatem præcedentes ac determinantes In eis enim quæ ſummum ens primumque agens facit, tota & ultima ratio facti eſt voluntas facientis. Rectè quidem culparetur homo, qui nullam ſuarum actionum rationem proferre poſſet, niſi quòd velit ſic agere, quia nulla voluntas creata ſibi ipſi regula eſſe poteſt. At voluntati increatæ, quæ juſti & recti regula eſt, nulla eſt ratio agendi præter ſuam ſummam, ſapientiſſimam, juſtiſſimam & liberrimam voluntatem. Quin etiam ipſæ voluntates creatæ, ubi agitur de electione inter media æqualia, nullam aliam rationem habent eligendi hoc medium & non illud, niſi quia ſic volunt: quantò magis ſuprema voluntas, quæ nullâ re indiget, cui omnia extra ſe poſita æqualia ſunt, hoc ipſo ſapientiſſimè operatur, quòd facit quod vult? *O homo*, inquit Apoſtolus, Rom. IX, *tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? Aut non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

Et certè nulla ratio afferri poteſt antecedens voluntatem divinam, propter quam creaverit cœlum & terram. Si enim Deum, antequàm vellet, aliqua ratio impuliſſet ut crearet potiùs quàm non crearet, jam non liberè, ſed neceſſariò creaviſſet; quod fidei repugnat. „ Qui di„ cit: quare voluit (Deus) facere cœlum & terram, inquit S. Auguſtinus, lib. 1 de Geneſi contra Manichæos, cap. 2. n. 4, „ majus aliquid „ quærit quàm eſt voluntas Dei: nihil autem majus inveniri poteſt. „ Compeſcat ſe ergo humana temeritas, & id quod non eſt non quærat, „ ne id quod eſt non inveniat.“ Fatetur ipſemet Malebranchius Deum non neceſſariò creaviſſe mundum. Ergo idcirco præciſè creavit, quia voluit, neque propterea inſipienter aut irrationabiliter creavit. Cur ergo inſipienter ageret ſi, ex hominibus in maſſa damnationis comprehenſis, alios liberet, quia miſericorditer vult, alios non liberet, quia juſto judicio non vult?

Objicit 3°. Deus, poſito quòd operetur extra ſe, operari debet modo perfectiſſimo. Modus autem perfectiſſimus ille eſt, quo plura bona per vias ſimpliciſſimas conſequuntur. Sed via non foret ſimpliciſſima, ſi Deus ſingula determinaret per voluntates particulares. Sapientia ergo præſcribit ut Deus non niſi voluntate generali velit omnes homines ſalvos fieri, ac determinetur in particulari per cauſam occaſionalem ad largienda gratiæ auxilia.

Reſpondeo totum iſtud argumentum caducum eſſe ac ruinoſum. 1°. Falſum eſt Deum, poſito quòd operetur extra ſe, debere agere modo

perfectiſſimo, ſi modus ille perfectiſſimus ſe teneat, ut auctor intelligit, ex parte effectûs producendi. Quemadmodum enim Deo æquale eſt creare vel non creare, ita ipſi æquale eſt creare opus magis vel minùs perfectum. 2°. Falſò ſupponitur Deum, producendo aliquid extra ſe, adhibere media quæ ſint media reſpectu ipſius. Nam omnipotenti, cui operari non aliud eſt quàm velle, nullum medium deſervit; cum ea ipſa, quæ dicuntur media reſpectu finis alicujus particularis, nullam efficientiam nullumque motum habeant, quem non ab ipſo jugiter accipiant. 3°. Falſum eſt viam ſimplicem non eſſe, ſi Deus ſingula decernat & operetur per voluntates particulares. Quid enim ſimplicius iſto operandi modo: *Dixit & facta ſunt: mandavit & creata ſunt?* Prætereà ſi ſupremâ Dei majeſtate non fuit indignum muſcas, vermiculos, araneas, aliaſque inſectorum ac reptilium ſpecies voluntatibus particularibus creare, quomodò illâ indignum foret homines ad ipſius imaginem creatos, ipſoque fruendi capaces, voluntatibus particularibus ad gloriam & beatitudinem prædeſtinare? His adde perfectionem operis, omnium ſapientium judicio, præferendam eſſe ſimplicitati mediorum. Proinde ſi ſimplicitas medii plurimùm noceat perfectioni operis, innumeroſque defectus in illud importet, quis non videt eligenda potius eſſe media minùs ſimplicia, ne opus ipſum vitiis ſcateat? 4°. Falſum eſt Deum, hoc in ſyſtemate, agere modo ſimpliciori. Quàmvis enim dicatur Deus non niſi voluntatibus generalibus omnia gubernare, reipſâ tamen nihil fit quod Deus non faciat voluntate particulari. Tota differentia nos inter & auctorem novi ſyſtematis hæc eſt, quòd ille contendat determinari Deum per cauſam occaſionalem ad decernenda ſingula in particulari; nos autem aſſeramus Deum non aliunde quàm à ſeipſo determinari ad agendum in particulari; neque à cauſis creatis quocunque modo determinari, ſed è contrario determinare cauſas ſecundas, prout ad primum agens primamque cauſam pertinet. Cauſæ, quæ dicuntur occaſionales, cauſæ quidem ſunt effectuum qui per illas producuntur, non autem voluntatis divinæ, cui potiùs ſubjiciuntur & à qua moventur.

Objicit 4°. Si Deus gratiam daret ex voluntate particulari, nulla foret gratia non efficax. Non tamen omnis gratia eſt efficax. Ergo gratia non datur voluntate Dei particulari.

Diſtinguo majorem. Nulla gratia foret non efficax reſpectu effectûs proximi, quem Deus intendit voluntate abſolutâ, concedo: reſpectu effectûs ultimi, ad quem ipſa tendit & excitat voluntatem, & quem Deus non intendit voluntate abſolutâ, nego. Porro reipſâ omnis gratia Chriſti interior eum ſemper producit effectum, quem Deus vult voluntate abſolutâ, ut alibi probavimus. Aliunde dubitari nequit quin Angelis & primo homini in ſtatu innocentiæ gratia data ſit voluntate Dei particulari, abſque interventu ullius cauſæ occaſionalis. Nihilominùs,

&

& Adamus cecidit, & multi Angelorum ceciderunt. Ergo malè concluditur gratiam nunc non dari voluntatibus particularibus, ex eoquòd fruſtretur interdum eo effectu ad quem tendit.

Inſtat. Voluntas Dei gratiam dantis, ſi voluntate particulari eam det, alia eſſe non poteſt quàm ut homo per illam convertatur. Atqui ſæpiſſimè homo, cui gratia datur, non convertitur. Ergo gratia non datur niſi voluntate Dei generali.

Reſpondeo majorem propoſitionem temerariam eſſe & falſam. Temeraria eſt: *Quis enim cognovit ſenſum Domini?* Falſa: quia plerumque Deus, gratiam dando, intendit tantùm diſponere ad converſionem, quæ, juxta conſuetum gratiæ curſum, non fit niſi paulatim & per varios gradus. „ Vocationis divinæ, ait Facultas Duacena in Cenſura propoſitionum Leſſii & Hamelii, art. 4, „ primus finis eſt hominis converſio, etiamſi illa non ſequatur. Quòd enim quiſpiam vocatus non „ convertatur, propriæ ejus malitiæ imputandum eſt: quòd autem con„ vertatur, vocantis bonitati & potentiæ adſcribendum eſt...... Neque „ verò intentio Dei fruſtratur, ſi, qui vocatur, non convertitur; quia „ in hominum vocatione non ſolam hominum converſionem abſolutè „ Deus intendit (ſemper enim tunc ſequeretur), ſed alios etiam fi„ nes; veluti ut declaretur humanæ vel infirmitatis vel malitiæ magni„ tudo quanta ſit, cùm non ſequitur vocantem."

CAPUT QUARTUM.

An voluntas, ingenium, labor & induſtria miniſtrorum ſit cauſa vel occaſio, quâ Deus moveatur ad largiendum auxilium gratiæ, vel quâ gratiæ auxilium fiat efficax.

PROPOSITIO.

Voluntas, ingenium, labor & induſtria miniſtrorum Eccleſiæ non eſt cauſa vel occaſio, quâ Deus moveatur aut determinetur ad concedendum auxilium gratiæ, vel quâ illud auxilium reddatur efficax. È contrario exteriora illa ſubſidia ſunt effectus ſpecialis voluntatis Dei utentis miniſtris Eccleſiæ, eorum voluntates moventis & inclinantis quò voluerit, eorumque laboribus incrementum dantis.

PROPOSITIO eſt contra Molinam & P. Malebranchium, qui ſentiunt non tantùm laborem ac ſtudium miniſtrorum eſſe medium, quo Deus ordi-

ordinariè utitur ad procurandam hominum ſalutem (hoc enim ultro confitemur, ut patebit ex dicendis), ſed etiam illorum voluntatem & conatum, à Deo non prædeterminatum, eſſe plerumque occaſionem quâ Deus determinatur ad gratiam dandam, & ſine qua illam non daret. Eſt etiam contra Harduinum, Comment. in novum Teſtamentum, qui aſſerere non veritus eſt adhortationibus hominum gratiam Dei adjuvari, *ſicque adjuvari ab homine Deum.* „ Humana adhortatio, inquit, in 1 Corinth. III. 9, & ipſa ad producendum eumdem effectum divinam adjuvat. „ Et in 2 Corinth. VI. 1: „ Catholici, qui cum Apoſtolo gratiam Dei do„ cent ſuaſionem eſſe tantummodò excitationemque voluntatis, per mo„ dum adhortationis, cui ſæpè reſiſtitur, adjuvari hominum adhorta„ tione gratiam Dei aiunt cum Apoſtolo,..... cùm certum ſit homi„ num adhortatione moveri etiam hominum voluntates, & ſic adjuvari „ ab homine Deum.“

Probatur itaque prima pars contra Molinam & Malebranchium, ex eoquòd manifeſtè pateat ex Scripturis & Traditione ſtudium ipſum, laborem & induſtriam miniſtrorum comprehendi ſub nomine gratiæ prævenientis, ſive penitus pendere à voluntate divina eos quò voluerit & quando voluerit mittente, & totum quod habent induſtriæ ac ſolertiæ in eis efficaciter operante.

Matth. IX. 37 & 38, Jeſus ait diſcipulis ſuis: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Ergo ipſe dominus meſſis mittit operarios, hoc eſt, voluntatem eorum movet ac determinat. Quod etiam Apoſtolus ſignificat, cùm ait, Rom. X. 15: *Quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur?*

Id autem ut pleniùs intelligeremus, Paulus & Silas vetati ſunt à Spiritu ſancto, ſive externâ revelatione, ſive inſpiratione internâ, *loqui verbum Dei in Aſia: cùmque veniſſent in Myſiam, & tentarent ire in Bithyniam, non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Act. XVI. 6 & 7. Quid enim iſtis prohibitionibus indicare voluit Spiritus ſanctus, niſi prædicatores Evangelii eſſe in manu Dei ad nutum ſuum illos mittentis ac determinantis?

Hinc illa fames audiendi verbum Dei quam Deus comminatur, Amos. VIII. 11 & 12. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini; & commovebuntur à mari uſque ad mare, & ab aquilone uſque ad orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient.* Quomodò enim Deus immittit illam famem, niſi non impertiendo notitiam veritatis? Quod fit vel quia nullos mittit prædicatores, vel quia prædicatoribus, ſi qui ſint, non inſpirat cogitationem & amorem puræ & ſinceræ veritatis.

Pſalm. 67: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multâ:* & 1 Cor. III. 4 & 5: *Quid eſt Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri ejus cui*

tui credidiſtis: & unicuique ſicut Dominus dedit...... Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui. Ergo quidquid ſcientiæ habent ſatores verbi Dei, quidquid laboris ac ſollicitudinis exhibent, totum id divino muneri, non ipſorum humanæ induſtriæ adſcribendum eſt: idque ſonat nomen ipſum *miniſtrorum.* Quid enim eſt miniſter, niſi qui non motu proprio operatur, ſed illius juſſu atque inſtinctu cujus nomine agit?

Claré id confirmat S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalm. 34. n. 17, ad hæc verba: *Suſcitans nubes ab extremo terræ.* „ Quas nubes, inquit?
„ Prædicatores verbi veritatis ſuæ: de quibus nubibus alio loco iraſ-
„ cens vineæ ſuæ dicit: *Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper illam* Iſai. v. 6.
„ *imbrem.* Et parum eſt excitaſſe nubes de Jeruſalem vel de Iſrael, quas
„ miſit prædicare Evangelium ſuum in toto orbe terrarum, de quibus
„ nubibus dictum eſt: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines* Pſalm. 18. v. 5.
„ *orbis terræ verba eorum.* Parum eſt hoc. Sed quia Dominus ait:
„ *Prædicabitur hoc Evangelium regni in toto orbe terrarum, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis*, excitat nubes ab extremo
„ terræ. Nam, creſcente Evangelio, unde erunt prædicatores Evangelii in finibus terræ, niſi ibi excitet nubes ab extremo terræ? De ipſis autem nubibus quid operatur? *Fulgura in pluviam fecit.* Minas
„ ad miſericordiam flexit, de terroribus irrigavit. Quomodò de terroribus irrigavit? Quando tibi minatur Deus per Prophetam & per
„ Apoſtolum, & times; nonne coruſcatio terruit te? Sed cum pœnitendo corrigeris, & agnoſcis hoc miſericordiâ fieri, in pluviam vertitur
„ fulguris terror. Ergo, ait S. Doctor, ibid. n. 16, & in Eccleſia
„ ſua & in prædicationibus ſuis, & in plebibus ſuis, tanquam in cœlo
„ & in terra, omnia quæcunque voluit fecit."

Eamdem ſimilitudinem adhibet etiam S. Gregorius magnus, lib. 27 Moral. cap. 19. „ Sæpè, inquit, prædicatores ſancti exhortari quoſdam volunt, ſed nequeunt. Sæpè quoſdam declinare appetunt, ſed tamen internæ inſtigationis impulſu exhortari eos inſtantiſſimè compelluntur. Videamus nubem Dei, quomodò gubernantis manu & ad ea quæ non appetit ducitur, atque ab impulſu ſuo iterum gubernantis manu retinetur." Et, allato S. Pauli exemplo, ſic proſequitur: „ Sæpè, cùm gubernantis voluntate perducuntur (nubes ſpirituales), aliter agere appetunt, ſed aliter diſponuntur. Nam plerùmque quoſdam auditores ſuos ſtudent blandè corrigere, & tamen eorum ſermo in aſperitatem ducitur. Plerumque quoſdam reſecare aſperè appetunt, ſed tamen eorum rigor per manſuetudinis ſpiritum refrænatur. Sicut ergo non poſſunt ire quò volunt, ita etiam nequeunt agere ſicut volunt. Quia enim eos internus arbiter tenet, cùm mittit, ita illos etiam modificans ſuſcipit, cùm perducit; ut aliquando in cogitatione alia diſponant, ſed alia in opere peragant, aliquando aliter inchoent,
„ ſed

Digitized by Google

„ ſed aliter conſumment. Quia igitur juxta id quod ſibi præcipitur
„ ſerviunt, dicetur rectè: *Quòcunque eas voluntas gubernantis duxerit*,
Job. XXXVII. 12. „ *ad omne quod præceperit illis ſuper faciem terræ.*

Hoc quotidie experiuntur qui aliis piè proſunt. Inde diſcunt nihil ſibi arrogare, nihil de ſe ſperare, non in ſeipſis gloriari, ſed omnia ad Deum auctorem referre, *in cujus manu & nos*, & *ſermones noſtri*, & *omnis ſapientia*, & *operum ſcientia & diſciplina*, ut ait Sapiens, VII. 16. Hinc auditores ſuos ſedulò monent, ut non in ipſorum ſtudio, labore, induſtria, ſollicitudine ſpem ſuam ponant, ſed in ſolo Deo, qui non ſolum facit ea prodeſſe quibus vult, ſed etiam præſtat ut à prælatis non omittantur. Hinc etiam ſæpiſſimè petunt à ſibi ſubditis ut pro ipſis Deum deprecentur, dicuntque cum eodem Gregorio magno, hom. 17. in Evangelia: „ Vos pro nobis petite ut digna in vobis operari valea-„ mus, ne ab exhortatione lingua torpeat, ne, poſtquàm prædicationis „ locum ſuſcepimus, apud juſtum judicem noſtra nos taciturnitas ad-„ dicat."

Et certè quam ob cauſam ſermo prædicantium verbum Dei appellatur? An propterea tantùm quòd prædicatores nihil docere debeant præter id quod à Deo revelatum eſt? Verum id quidem eſt; ſed alia quoque ratio eſt, nec minus præcipua: quòd nimirum, quidquid boni ac proficui dicunt prædicatores, ſive boni, ſive mali, Deus in eis & per eos eloquatur, juxta illud Apoſtoli, 2 Cor. V. 19 & 20: *Poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

Probatur altera pars contra blaſphemiam Harduini. Quis enimverò non indignè ferat dici *adjuvari Deum ab homine*, hancque eſſe doctrinam Catholicorum atque ipſius Apoſtoli? Audiat ille impius quod dicitur Job. XXVI. 1: *Cujus adjutor eſt? Numquid imbecillis? Et ſuſtentas brachium ejus qui non eſt fortis?* Audiat Iſaiam Prophetam clamantem, XL. 13: *Quis adjuvit ſpiritum Domini.*

Si hominum adhortatione adjuvatur gratia Dei, non jam in ſolo Deo, ſed partim in homine, partim in Deo fiducia ponenda eſt, immo in nobiſmetipſis tota ponenda eſt. Siquidem à ſolo noſtro libero arbitrio pendet ut tum divina, tum humana adhortatio effectum ſuum in nobis conſequatur. Quid Chriſtianæ fidei ac pietati magis adverſum cogitari poteſt? *Maledictus homo*, inquit Jeremias, XVII. 5 & 7, *qui confidit in homine...... Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.*

Utitur quidem Deus ſacerdotum miniſterio ad operandam aliorum hominum ſalutem; ſed abſit ut ab homine infirmo adjuvetur omnipotens! Quemadmodùm enim ſacerdotes, ſacramenta miniſtrando, Deum non adjuvant ad producendam gratiam ſanctificantem, ita nec prædicando, nec ex-

Digitized by Google

exhortando eum adjuvant ad convertendos peccatores, vel ad juſtos in virtute confirmandos. Fruſtra illi inſonant auribus, niſi Deus interiùs operetur ipſum velle. Itaque, ut ait Apoſtolus, Corinth. III. 7: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Unde concludit ibidem, v. 21: *Nemo itaque glorietur in hominibus.*

CAPUT QUINTUM.

Quare Deus gratiam ſuam aliis det, aliis non det; & quare iſtis potiùs quàm illis.

SEMOTIS variis humanarum opinionum conjecturis circa cauſam inæqualis gratiarum diſtributionis, attendendum eſt quid hac de re Scripturæ ac SS. Patres doceant.

Duplex hîc quæſtio occurrit. Prima: quare Deus gratiam ſuam aliis det, aliis non det. Altera: quare, cùm non omnibus detur, his potiùs detur quàm aliis.

Ut ab hac ſecunda, quæ humanam ſuperbiam magis offendit, ordiar, dico nullam cauſam nullamve rationem aſſignari poſſe, propter quam gratia huic detur potiùs quàm illi, præter divinam voluntatem. Non aliam memorat ipſe Deus, Exod. XXXIII, ubi Moyſen alloquens ait: *Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam praſtabo cujus miſerebor.* Unde concludit Apoſtolus, Rom. IX. 18: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*

S. Auguſtinus hanc quæſtionem ſemper habuit ut inveſtigabilem, ut abyſſum expaveſcendam, non ſcrutandam. „ Hæc gratia, inquit, lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 21. n. 29, „ cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta eſſe cauſa poteſt, injuſta non poteſt. Numquid enim iniquitas apud Deum? Abſit. Sed priùs ſanctarum Scripturarum auctoritatibus colla ſubdenda ſunt, ut ad intellectum per fidem quiſque perveniat. Neque enim fruſtra dictum eſt: „ *Judicia tua abyſſus multa.* Cujus abyſſi altitudinem veluti expaveſcens exclamat Apoſtolus: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ „ Dei!..... Valde ergo parvum ſenſum habemus ad diſcutiendam juſtitiam judiciorum Dei, ad diſcutiendam gratiam gratuitam, nullis meritis præcedentibus non iniquam, quæ non tam movet cùm præſtatur „ indignis, quàm cum æquè indignis aliis denegatur.“ Item, Serm. 165, olim 7 de Verbis Apoſtoli, cap. 5: „ Quare illi eſt datum, & illi „ non eſt datum? Non me piget dicere: hoc eſt profundum crucis.....

„ Quare autem illum, & non illum? Multùm eſt ad me; abyſſus eſt, „ profundum crucis eſt: admiratione exclamare poſſum, diſputatione „ demonſtrare non poſſum...... Gentes illuminantur, Judæi excæcan- „ tur: quidam parvuli ſacramento baptiſmatis abluuntur, quidam verò „ parvuli in morte primi hominis relinquuntur. *Quàm magnificata ope-* „ *ra tua, Domine! Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.* Et „ ſequitur: *Vir imprudens non cognoſcit, & ſtultus non intelligit hæc.*" Quis eſt ille imprudens & ſtultus? Qui ſapiens ſibi videtur, & cujus ſapientia ſtultitia eſt apud Deum.

Idem S. Doctor, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 5. n. 6: „ Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantùm, illum „ autem non tantùm; illum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & „ æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis." Quod rurſum confirmans, cap. 34. n. 60, dicit: „ Jam ſi ad illam profunditatem ſcru- „ tandam quisquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut & perſuadea- „ tur, illi autem non ita; duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere „ mihi placeat. *O altitudo divitiarum*, &: *Numquid iniquitas apud* „ *Deum?* Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne „ inveniat præſumptores." Videri etiam poſſunt lib. 4 *contra Julian.* cap. 8. n. 46; lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 14 & 37; Epiſt. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 6. num. 23; & tract. 53 in Joann. n. 6.

Quod tantus Doctor, tam perſpicax, tam ſtudioſus, in materia gratiæ per viginti annos tanto cum profectu verſatus, ut os & manus Eccleſiæ dici meruerit, explicare non potuit, imò quod inexplicabile aſſeruit, enodare quis præſumat? Cur autem iſtud inexplicabile eſt, niſi quia tam alti conſilii nulla reddi ratio poteſt, niſi quia ſic ei placet cujus ſumma eſt omnium poteſtas?

S. Auguſtini religioſam modeſtiam imitatus eſt Angelicus Doctor, Comment. in cap. 6 Joann. in hæc verba: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui me miſit, traxerit eum*; ubi dicit, „ quare in „ ſpeciali trahat illum, & illum non trahat, non eſſe rationem aliquam, „ niſi beneplacitum divinæ voluntatis." Et lib. 3 *contra Gentes*, cap. 161: „ Non eſt ratio inquirenda quare hos Deus convertat, & non „ illos: hoc enim ex ſimplici ejus voluntate dependet."

Ægidius Romanus Auguſtinienſium Præpoſitus generalis, deinde Archiepiſcopus Bituricenſis, in 1 Sentent. diſt. 41. art. 1: „ Deus, inquit, „ non uniformiter dona ſua communicat; ſcilicet aliquibus ſuam „ gratiam communicat, aliquibus autem non...... Igitur in univerſali „ hujus inæqualitatis rationem aſſignare poſſumus; ut, Deus aliquos „ ſalvat, aliquos damnat, ut manifeſtetur ejus miſericordia & ejus „ juſtitia. Sed in particulari, quare hos ſalvat, hos autem damnat, „ non habet rationem, ſed admirationem. Non eſt enim ratio quare „ hos damnat & non illos, niſi voluntas ejus; hæc autem voluntas

„ non

Digitized by Google

„ non eſt injuſta, quia, cùm non teneatur alicui largiri ſua dona, & „ quidquid dat, ex liberalitate det, absque reprehenſione & iniquitate „ licet ſibi quod vult facere.“

Hinc omnes, qui ad ſolvendam iſtam quæſtionem rationes aliquas commenti ſunt, in præcipitia corruerunt, ſive illas repetiverint ex parte hominum quibus datur, ut Pelagiani, Semipelagiani ac Moliniani; ſive ex parte Chriſti mediatoris, ut Malebranchius.

Ut autem ad primam quæſtionem redeamus, cur ſcilicet gratia aliis detur, aliis non detur, multæ afferri poſſunt rationes, quæ tamen omnes divinæ voluntati, quæ eſt prima & ſuprema illius diſcretionis cauſa, ſubordinatæ ſunt.

Prima ratio eſt, ut in eis, quibus gratia datur, miſericordiæ divinæ divitiæ reſplendeant; in eis autem quibus non datur, juſtitiæ ſeveritas eluceat. Hanc indicat S. Paulus, Rom. IX. 22 & 23. *Quòd ſi Deus* inquit, *volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta* (græc. aptata) *in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Secunda ratio eſt ut, in iis qui gratiâ deſtituti ſibique ipſis derelicti pereunt, agnoſcamus quid omnibus pariter debeatur. Cùm enim omnes homines & naturâ & origine æquales ſint, perſpicuum eſt eos qui diſcernuntur, non ſuis meritis, ſed gratuitâ miſericordiâ diſcerni. „ Dando „ enim quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam & per hoc ve- „ ram ſuam gratiam eſſe (Deus) voluit: non omnibus dando, quid omnes „ merentur oſtendit,“ ait S. Auguſtinus, lib. de Dono perſeverantiæ, cap. 12. n. 28. „ Demonſtrans, inquit idem S. Doctor, lib. 4 contra Jul. cap. 8. n. 45, in eis quos damnat quid omnibus debeatur, ut hinc „ diſcant quos liberat, quæ ſibi pœna debita relaxetur, & quæ indebi- „ ta gratia condonetur.“

Mirantur homines atque etiam interdum conqueruntur quòd gratia non omnibus detur. Mirari potiùs deberent, & in gratiarum actiones effundi, quòd detur aliquibus. Nam ſi nemini daretur, redderetur unicuique quod meretur, & juſtum Dei judicium nemo juſtè reprehenderet. Quòd verò è maſſa peccatorum nonnulli eruuntur, ingentis & planè gratuitæ miſericordiæ donum eſt. „ Ideò ergo non utrumque (vas) in „ honorem, ait S. Auguſtinus, lib. 4. contra Jul. cap. 8. n. 46, „ ne „ hoc meruiſſe ſe exiſtimet tanquam inculpata natura: ideò non utrum- „ que in contumeliam, ut judicio ſuperexaltet miſericordia. Ac per „ hoc nec damnatus ex debito ſupplicio juſtè queritur, nec liberatus „ gratis de merito ſuperbè gloriatur; ſed potiùs humiliter gratias agit, „ quando, in illo à quo debitum exigitur, quid in eadem cauſa ſibi „ debeatur agnoſcit.“ Idipſum docet lib. de Dono perſever. cap. 8. n. 16; Epiſt. 217, olim. 107, ad Vitalem, cap. 6. n. 20, & lib. 4 Op. imperf. cap. 129.

Et certè ſi etiam in præſenti rerum ſtatu, in quo manifeſtum eſt plurimos parvulos abſque baptiſmo decedere, multoſque adhuc infideles eſſe ad quos Evangelica prædicatio non pervenit, non pauci tamen Theologi reperiuntur, qui, reclamante licet evidentiâ, contendunt neminem citra injuſtitiam auxilio gratiæ privari poſſe, quantò magis gratiam omnibus deberi contenderent, adeòque jam non eſſe gratiam, ſi omnibus daretur?

Tertia ratio eſt, ut in eorum, qui vias ſuas ingredi permittuntur, peccatis ac flagitiis, tanquam in grandi ſpeculo, intueamur quanta ſit naturæ humanæ ex peccato originali contracta corruptio & infirmitas, & in quæ criminum abrupta iremus præcipites, ſi nobis gratuita miſericordia non ſubveniret; ſimulque confiteamur nos, quoties boni aliquid operari videmur, non propriâ virtute & induſtriâ, ſed gratuito & efficaci Dei adjutorio illud operari. Quid enimverò eſſemus ſine gratia & fide Chriſti, niſi quod fuerunt omnes gentes antequàm converterentur à tenebris ad lucem, atque ope Chriſti medicinali tanquam filii lucis ambularent?

Eam ob cauſam non tantùm reprobis auxilium gratiæ non datur, aut non perſeveranter datur; ſed etiam electis interdum ex parte atque ad tempus ſubtrahitur, ut ipſo caſuum ſuorum atque infirmitatum experimento diſcant exclamare cum Propheta, pſalm. XXIX. 8: *Domine, in voluntate tua præſtitiſti* (præſtiteras) *decori meo virtutem: avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ad te, Domine, clamabo, & ad Deum meum deprecabor.*

Iſtam ſubſtractionis gratiæ utilitatem ſæpè commemorat S. Auguſtinus. „ Ideò, inquit, lib. 2. de Peccat. meritis & remiſſ. cap. 17. n. 27, „ quiſque noſtrûm bonum opus ſuſcipere, agere, implere nunc ſcit, „ nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non „ ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe quòd ſcit & quòd delectatur, „ & ſic ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat quàm verè non de terra „ iſta, ſed ſpiritualiter dictum ſit: *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Nos ergo, addit cap. 19. num. 32, „ quantùm conceſſum eſt, ſapiamus, & intelligamus, ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideò etiam ſanctis ſuis alicujus operis juſti non „ tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem quâ illuminantur tenebræ eorum, & ſuavitatem quâ det fructum ſuum terra eorum." Et num. ſequente: „ Idcirco etiam ſanctos & fideles ſuos in aliquibus vitiis tardiùs ſanat, ut in his eos minùs, quàm implendæ ex omni „ parte ſufficit Juſtitiæ, delectet bonum, ſive cùm latet, ſive cùm etiam „ manifeſtum eſt, ut, quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non juſtificetur in conſpectu ejus omnis vivens. Nec in „ eo ipſe vult nos eſſe damnabiles, ſed humiles, commendans nobis

„ eam-

„ eamdem gratiam ſuam, ne facilitatem in omnibus aſſecuti noſtrum „ putemus eſſe quod ejus eſt; qui error multùm eſt pietati religionique „ contrarius.“ His adeò lucidis S. Doctoris verbis validiſſimè confirmatur quod ſupra diximus, auxilium gratiæ non tantùm peccatoribus & obduratis, ſed ipſis etiam juſtis, absque ulla Dei injuſtitia, interdum deeſſe.

Quarta ratio eſt, ut nemo de ſua præſente juſtitia, atque in illa perſeverantia, planè ſecurum ſe exiſtimet, ſed electi omnes ſalutem ſuam cum metu ac tremore operentur, atque à ſuperno auxilio jugiter dependeant, continuis illud gemitibus, tanquam ſibi indebitum, à Patre miſericordiarum per merita Chriſti implorando. „ Hominibus autem „ videtur, inquit idem S. Doctor, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 8. n. 19, „ omnes, qui boni apparent, fideles perſeverantiam usque in finem „ accipere debuiſſe. Deus autem meliùs judicavit miſcere quosdam „ non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum; ut, quibus non „ expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri: multos enim à perniciosa elatione reprimit quod ait Apoſtolus: „ *Qui ſtat, videat ne cadat.*“

Quinta demum ratio eſt, ut ſanetur penitus in juſtis ſuperbia, quæ in eo maximè ſita eſt, quòd ſibi ipſi nimiùm tribuatur, & rectè factorum gloria ad ſe aliquatenus retorqueatur. Ad reprimendum exitioſum illud vitium, ex quo initium ſumpſit omnis perditio, omnes ſubſtractionis gratiæ utilitates modò expoſitæ tendunt. Ideò quippe Deus ipſos electos in peccata venialia frequenter & interdum etiam in mortalia labi permittit, ut inde cautiores fiant & humiliores. Ideò illis occultat utrùm amore an odio digni ſint, atque utrum in bono, quod inchoaſſe ſe confidunt, usque in finem permanſuri ſint. „ Et fortè ideò tantopere latet (judiciorum Dei arcanum), ut plus timeatur & minùs ſuperbiatur,“ ut loquitur S. Auguſtinus, lib. *de ſancta Virginitate*, cap. 42. n. 43.

Hujusmodi ſanandæ elationis remedium ferre nequibat Pelagii tumor, dicebatque *abſurdiſſimum & ſtultiſſimum eſſe peccatum fuiſſe ne peccatum eſſet, quoniam & ipſa ſuperbia peccatum eſt.* „ Quaſi, reponebat S. Auguſtinus, lib. *de Nat. & gratia*, cap. 27. n. 30, „ non & ulcus in dolore eſt, & ſectio dolorem operatur, ut dolor dolore tollatur. Hoc ſi experti non eſſemus, & in aliquibus terris, ubi iſta „ nunquam contigerant, audiremus, ſine dubio utique deridentes fortaſſis etiam verbis hujus uteremur, & diceremus: abſurdiſſimum eſt dolorem neceſſarium fuiſſe, ne ulceris dolor eſſet. Sed Deus, inquiunt, „ poteſt omnia ſanare. Hoc utique agit ut ſanet omnia, ſed agit judicio ſuo, nec ordinem ſanandi accipit ab ægroto...... Cætera enim vitia tantùm in malefactis valent; ſola autem ſuperbia etiam in rectè „ factis cavenda eſt. Unde admonentur illi ne, dona Dei ſuæ poteſtati

„ tribuendo, ſeſeque extollendo, graviùs pereant quàm ſi nihil opera„ rentur boni; quibus dicitur: *Cum timore & tremore veſtram ipſorum* „ *ſalutem operamini; Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & ope-* „ *rari pro bona voluntate.* Quare ergo cum timore & tremore, & non „ potiùs cum ſecuritate, ſi Deus operatur; niſi quia propter voluntatem „ noſtram, ſine qua non poſſumus benè operari, citò poteſt ſubrepere „ animo humano, ut, quod benè operatur, ſuum tantummodò exiſti„ met, & dicat in abundantia ſua: *Non movebor in æternum?*..... Non „ itaque dicitur homini: neceſſe eſt peccare, ne pecces; ſed deſerit ali„ quantùm Deus unde ſuperbis, ut ſcias non tuum, ſed ejus eſſe, & „ diſcas ſuperbus non eſſe.“

Non minùs præclarè id inculcat S. Gregorius magnus, lib. 2 Moral. cap. 27. n. 36, ac juſtorum quotidiano experimento confirmat. „Non„ nunquam, inquit, dum mens noſtra tanti muneris plenitudine atque „ ubertate fulcitur, continuâ in his ſecuritate perfruitur, à quo ſibi hæc „ ſint obliviſcitur, ſeque à ſe habere putat quod nunquam ſibi abeſſe „ conſiderat. Unde fit ut aliquando ſe hæc ipſa gratia utiliter ſubtra„ hat, & præſumenti menti quantùm in ſe infirmetur oſtendat. Tunc „ enim verè cognoſcimus bona noſtra unde ſint, quando, hæc quaſi amit„ tendo, ſentimus quia à nobis ſervari non poſſunt.“ Deinde, poſt multa eam in rem dicta, ſic concludit, n. 37: „ Mirâ hoc nobiſcum „ diſpenſatione agitur, ut mens noſtra culpæ interdum pulſatione feria„ tur: nam eſſe ſe magnarum virium homo crederet, ſi nullum unquam „ earumdem virium defectum intra mentis arcana ſentiret.“

Non omnibus tamen hæc ſubſtractio gratiæ in humilitatis argumentum proficit; ſed iis ſolum qui filii ſunt miſericordiæ, & quibus, per gratiæ poſterioris munus, etiam peccata cooperantur in bonum.

Abſit autem ut inde inferas, vel aliquandiu permaneri poſſe in peccatis, vel ſegniùs adverſùs vitia vigilandum ac pugnandum eſſe: ſed hoc unum concludas, omni ſtudio atque opera ſuperbiæ reſiſtendum, ne juſto Dei judicio in graviſſima peccata pertrahat. „ Nec tamen, ait S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 13. n. 33, „ in eiſdem vitiis permanendum nobis eſſe exiſtimemus; ſed adverſus „ ipſam maximè ſuperbiam, propter quam in eis humiliamur, & nos „ vigilanter conemur, & ipſum (Deum) deprecemur ardenter; ſimul „ intelligentes, & quòd ſic conamur, & quòd ſic deprecamur, dono „ illius nos habere, ut in omnibus non ad nos reſpicientes, ſed ſurſum „ cor habentes, Domino Deo noſtro gratias agamus, &, cùm glorie„ mur, in illo gloriemur.“

Dixi ſuperiùs illas omnes rationes, ſive non dandæ, ſive ad tempus ſubſtrahendæ gratiæ, divinæ voluntati eſſe ſubordinatas. Non enim arbitremur hujuſmodi rationibus motum fuiſſe Deum ut vellet gratiam ſuam aliis dare, aliis non dare; quaſi non potuerit aut ſolam ſuam miſer-

Digitized by Google

ſericordiam, aut ſolam ſuam juſtitiam in hominibus demonſtrare; vel quaſi nos propriæ imbecillitatis convincere, ſinceramque humilitatem nobis inſpirare aliter nequiverit. Potuit planè aliud decernere, &, ſi aliud decreviſſet, non eſſet minùs laudandus. Sed, cùm omnes homines in eadem damnationis maſſa concluderentur, decernendo quosdam ex illa maſſa extrahere, cæteros in illa relinquere, idque decernendo quia ſic voluit, ſimul etiam voluit ut electi, ex ipſius miſericordiæ & juſtitiæ judiciis, illa quæ modò expoſui commoda reportarent. Semper igitur redeundum eſt ad voluntatem Dei, tanquam ad primam atque omnino independentem hujus diſcretionis cauſam. Quamobrem S. Fulgentius, aliique Epiſcopi Africæ cum eo in Sardiniam relegati, in lib. *de Incarnatione & gratia Chriſti*, cap. 28, ſummam iſtius quæſtionis profunditatem venerandam eſſe definiunt, non curioſe ſcrutandam. „ Quòd autem, inquiunt, interrogant iſti de Deo dicentes: Cur ergo non facit „ omnes homines velle credere, cum non ſit perſonarum acceptio apud „ Deum? Scire debent hoc in illis altioribus poſitum, à quibus ſancta „ Scriptura humanæ curioſitatis arcet audaciam, dicens: *Altiora te ne „ quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi „ Deus, illa cogita ſemper.* Hæc altiora ille, qui usque ad tertium „ cœlum raptus eſt, eò magis territus quò magis illuminatus, expavit. „ Unde magis clamare non ceſſat: *O altitudo &c.* Sat eſt ergo nobis, „ & in his qui ſalvantur gratuitam Dei miſericordiam, & in eis qui „ condemnantur veram Dei juſtitiam ſine dubitatione credere, & corde „ contrito atque humiliato miſericordiam Domino judiciumque cantare.“ Id quippe certò tenendum eſt, „ Deum, cujus univerſæ viæ miſeri„ cordia & veritas, ſicut humiliter laudare debemus, cùm gratiam do„ nat, ſic juſtè accuſari non poſſe cùm denegat,“ ut ait idem S. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 11. „ Ea „ quippe eſt bonitas ejus atque juſtitia, ut gratuità miſeratione redimi „ poſſit quemcunque voluerit, injuſtè verò damnare quempiam nec ve„ lit aliquando, nec poſſit; quia *rectus eſt Dominus Deus noſter, & „ non eſt iniquitas in eo.*“

CA-

CAPUT SEXTUM.

An Deus in gratiæ diſtributione adhibeat cauſas inſtrumentales, gratiæque ſuæ dona mediis quibusdam exterioribus ordinariè alliget, & quænam ſint illa media.

Quemadmodùm in ordine naturali Deus, quàmvis voluntatibus particularibus ſingula diſponat, quasdam tamen leges inſtituit, à quibus raro recedit, ut contingit in miraculis; ita etiam ordinem ſupernaturalem certis quibusdam & uniformibus legibus adminiſtrat. Hoc conſilio cauſas quasdam inſtrumentales ſalutis inſtituit; atque inſuper gratiæ ſuæ dona alligavit mediis quibusdam exterioribus, quæ qui negligunt, ſuâ ipſorum culpâ gratiæ donis privantur. De cauſis inſtrumentalibus primùm nobis dicendum eſt.

Prima & præcipua, à qua cæteræ derivantur, eſt Chriſtus Dominus, ſive ſanctiſſima illius humanitas Verbo Dei hypoſtaticè unita. Nam Chriſtus, quatenus Deus, ſupremus eſt cum Patre & Spiritu ſancto auctor & diſtributor omnium gratiarum: ſed, quatenus homo, cauſa eſt meritoria & inſtrumentalis earumdem omnium gratiarum. Fides quippe docet nullum hominibus, poſt Adæ lapſum, gratiæ auxilium conferri à Deo, niſi virtute meritorum & interpellationis Chriſti. *Non eſt enim in alio aliquo ſalus.* Ipſe eſt *unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*; & *de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

A Chriſto ſejungenda non eſt Eccleſia, quæ eſt corpus ipſius & plenitudo ejus. Hæc quippe membris ſuis ſpiritualiter viventibus, id eſt, in juſtis & ſanctis ſpiritu Chriſti animatis, per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo jugiter poſtulat quæcunque ipſe poſtulat. Orat pro infidelibus ut credant, pro peccatoribus ut convertantur, pro juſtis ut perſeverent, pro tentatis ne ſuccumbant. Imò Chriſtus Dominus, qui tanquam caput noſtrum jugiter interpellat pro nobis ad dexteram Patris, ipſe in ſanctis ſuis, ſive adhuc in terra militantibus, ſive jam in cœlo regnantibus, inceſſanter orat, effundendo jugiter ſpiritum gratiæ & precum, qui apud Deum inanis eſſe non poteſt. Hoc modo Eccleſia, ſponſo & capiti ſuo Chriſto unita, tota omnes fideles, tota ſingulos parit. *Mater eſt omnium Patrum* (Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Pontificum) *omniumque filiorum*, ut ait S. Proſper in pſalm. 101. v. 29. Et quàmvis ejus preces aliquando videantur non exaudiri, ſemper tamen exaudiuntur pro electis ab æterno & in æternum ſibi datis, pro quorum, licet ſibi ignotorum, æterna ſalute ſpecialiter orare intendit;

tendit: adeò ut, ſicut nulla omnino gratia eſt quæ Chriſti meritis & interpellationi non debeatur, ita nulla quoque eſt quæ Eccleſiæ gemitibus accepta non referenda ſit; quia nec Eccleſia eſt ſine Chriſto, cujus ſpiritu agitur & movetur, nec Chriſtus ſine Eccleſia, in quam, tanquam in corpus, jugiter influit. „ Per orationes ſanctorum ſpiritua„ lium, qui ſunt in Eccleſia, ait S. Auguſtinus, lib. 3 de Baptismo contra Donatiſtas, cap. 17. n. 22, „ tanquam per columbæ creberrimum „ gemitum, magnum geritur ſacramentum & occulta diſpenſatio miſe„ ricordiæ Dei, ut eorum etiam peccata ſolvantur, qui non per colum„ bam, ſed per accipitrem baptizantur, ſi ad illud ſacramentum cum „ pace catholicæ unitatis accedunt.“

Tertia cauſa Inſtrumentalis, quam Deus adhibere conſuevit ad tribuenda gratiæ ſuæ auxilia, eſt externum Eccleſiæ miniſterium, atque imprimis prædicatio Evangelica. Hæc omnino neceſſaria eſt, juxta communem gratiæ ordinem, ad gignendam fidem, juxta illud Apoſtoli, Rom. X: *Quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? ..... Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.* Eâ quoque plerumque utitur Deus ad peccatores convertendos, atque ad pietatem fidelium nutriendam. Sicut enim terra nihil in ſe profert, niſi ſata & rigata ab agricolis, ita terra cordis noſtri ſine hominum plantatorum & rigatorum miniſterio utplurimùm ſterilis remanet. Unde idem Apoſtolus, 1 Cor. III. 6: *Ego plantavi*, inquit, *Apollo rigavit; ſed Deus incrementum dedit.*

Quarta. Deum uti quoque Angelorum miniſterio teſtatur S. Paulus, Hebr. I. 14: *Omnes*, inquit, *ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.* Unde S. Thomas docet, part. 1. q. 114. art. 3. ad 3, „ ad omnia bona noſtra cooperari An„ gelos, divinumque auxilium homini exhiberi miniſterio Angelorum.“ In quonam autem conſiſtat iſtud miniſterium Angelorum, non facile explicatu eſt. Certum eſt Angelos non poſſe agere immediatè in animas noſtras easque immutare; id quippe ſolius Dei proprium eſt. Certum quoque videtur Angelos non poſſe imprimere in imaginatione ullam novam formam non priùs per ſenſus acceptam, v. g. imaginem colorum in cæco nato (S. Thom. ibid. q. 111. art. 3. ad 2). Sed poſſunt Angeli movere ſeu tangere veſtigia per nonnullas cogitationes anteà cerebro impreſſa, excitare in corpore utiles ac ſalubres motus, diabolum in contraria nitentem repellere, concupiſcentiæ motus actuales ſuſpendere aut moderari, hisque & aliis modis mentem noſtram ad lumen divinum recipiendum diſponere. Pulchrè id explicat S. Auguſtinus, Serm. 18 in pſalm. 118. n. 4. „ Deus, inquit, per ſeipſum, quia lux eſt, illuminat pias „ mentes, ut ea, quæ divina dicuntur vel oſtenduntur, intelligant. Sed „ ſi ad hoc miniſtro utitur Angelo, poteſt quidem aliquid agere Angelus „ in mente hominis, ut capiat lucem Dei & per hanc intelligat. Sed

„ ita dicitur intellectum date homini, & quaſi, ut ita dicam, intellec-
„ tuare hominem, quemadmodùm quiſquam dicitur lucem dare domui
„ vel illuminare domum, cui feneſtram facit, cùm eam non ſuâ luce
„ penetret & illuſtret, ſed tantummodò aditum, quo penetretur atque
„ illuſtretur, aperiat.“

Si autem quæras cur Deus, qui nullius auxilio indiget, utatur miniſterio ſive hominum, ſive angelorum, maximè cùm & ipſi angeli, ſicut quævis aliæ cauſæ ſecundæ, indigeant ad ſingulos actus ſpeciali & phyſicâ Dei motione; quæram viciſſim quare Deus, ad fruges producendas, utatur labore & induſtriâ hominis, quorum ipſe auctor eſt, calore ſolis, imbrium irrigatione; quare utatur alimentis ad ſuſtentandam vitam animalium, medicamentis ad morbos pellendos, magiſtris ad docendum &c? Quis non videat non ex indigentia aut ex neceſſitate iſta fieri ab omnipotente, ſed admirabili ſapientiâ, ut omnia quæ à Deo creata ſunt, quàmvis ex ſua natura longo intervallo à ſe mutuò diſſita, variis nexibus ſecum invicem copulentur, atque, ex mutua cauſarum dependentia & harmonia, totum hoc univerſum in unum aliquid conſpiret?

Nunc verò ut de mediis exterioribus, quibus gratiæ dona alligantur, nonnihil dicamus, ea duplicis ſunt generis. Alia quippe ſunt quibus gratia ſanctificans certâ lege, vi promiſſionis divinæ, confertur, niſi aliquid obſtet ex parte hominis, qualia ſunt ſacramenta novæ legis. Alia ſunt quibus gratia non ſemper connectitur, & quæ illam ex ſeipſis non conferunt; ut fuga tentationum, aſſiduitas cum viris ſanctis, publicæ aut privatæ orationes, lectio verbi Dei, concionum, quæ à paſtoribus fiunt, aſſidua auditio, pius ac fidelis uſus rerum ab Eccleſia benedictarum, & alia id genus plurima.

Ex his patet 1° quanto ſtudio eniti debeat homo Chriſtianus, ut ſacramenta à Chriſto inſtituta, tanquam uberrimos gratiæ fontes, frequentet quantùm poteſt, ſed cum ſincera cordis in Deum converſione & cum intimo pietatis affectu. Quantùm enim proſunt, quando piè & cum debitis diſpoſitionibus ſuſcipiuntur, tantùm ex culpa hominis nocent, ſi quis ea cum animo ab affectu peccati nondum planè libero recipiat, juxta illud quod canit Eccleſia in proſa ſanctiſſimi Sacramenti:

Sumunt boni, ſumunt mali,
Sorte tamen inæquali
Vitæ vel interitûs.
Mors eſt malis, vita bonis.

Patet 2° homini de ſua ſalute piè ſollicito nihil negligendum eſſe eorum, quibus, juxta communem divinæ providentiæ ordinem, auxilia gratiæ alligari ſolent; ne fortè, illis prætermiſſis, ſeipſum privet ingenti beneficio poſteà forſitan non redituro.

FINIS *Libri Quarti.*

INDEX

INDEX
CAPITUM AC TITULORUM
LIBRI QUARTI.

LIBER QUARTUS. *De Gratia Chriſti Salvatoris.* TOM. II. Pag. 605.
DISSERTATIO PRIMA. *De natura & definitione gratiæ Chriſti.* 607.
De nomine gratiæ. ibid.
Gratiæ diviſiones. ibid.
Gratia gratis data & gratia gratum faciens. 608.
Gratia exterior & gratia interior. 610.
Gratia Creatoris & gratia Redemptoris. 611.
Gratia habitualis & gratia actualis. ibid.
Gratia intellectûs & gratia voluntatis. ibid.
Diviſio gratiæ in increatam & creatam. 612.
De natura & definitione gratiæ. 614.
Error Pelagianorum exponitur ac refellitur. ibid.
Opiniones Theologorum. 615.
PROPOSITIO. *Gratia Chriſti propriè dicta, prout opponitur legi atque doctrinæ, ſeu gratia novi teſtamenti ad omnes veræ pietatis actus requiſita, eſt inſpiratio caritatis ſeu dilectionis Dei, ſaltem inchoatæ, ut cognita ſancto amore faciamus.* 617.
1um *Argumentum. Proprium novi teſtamenti donum eſt caritas.* ibid.
2um *Argumentum ductum ex damnatione Pelagianorum.* 618.
3um *Argumentum ex S. Auguſtino.* 619.
4um *Argumentum ex aliis Patribus.* 621.
5um *Argumentum ex Theologis.* 623.
6um *Argumentum ex rationibus Theologicis.* 625.
Sola Dei dilectio concupiſcentiam vincere & legem implere poteſt. ibid.
Gratia actualis ſpecie non differt à gratia habituali, nec ab ipſa vita æterna. 626.
Gratiæ & caritatis iidem ſunt caracteres. ibid.
Ex hac gratiæ definitione fluunt omnes illius proprietates. 628.
Gratia non eſt delectatio à dilectione Dei diſtincta. ibid.

Digitized by Google

Solvuntur objectiones. Tom. II. Pag. 630.
Utrùm ſancta dilectio, per gratiam inſpirata, ſit deliberata, an indeliberata. 631.
Dissertatio Secunda. *De neceſſitate gratiæ Chriſti ad omnes & ſingulos pietatis actus.* 635.
Errores & variæ opiniones. ibid.
Caput Primum. *Utrùm actus ſub omni reſpectu moraliter boni fieri queant absque dilectione Dei ſaltem inchoata.* 637.
Status quæſtionis. ibid.
Ante gratiam ſeu caritatem habitualem fieri poſſunt opera bona; nec omnia peccatorum opera ſunt peccata. 638.
Quo ſenſu juſtificationis vocabulum interdum ſumatur à S. Auguſtino. 640.
De actibus absque ulla dilectione Dei factis. Doctrina Pelagianorum & nonnullorum Recentiorum. 641.
Quæstio Prima. *An dentur actus humani boni ſub omni reſpectu, omnique vitio carentes, absque ulla dilectione Dei ſaltem inchoata.* 642.
Propositio. *Nullus eſt actus humanus omni ex parte bonus vitiique expers, niſi procedat ex dilectione Dei ſaltem inchoata, & per illam referatur in Deum ut finem ultimum.* ibid.
Primum Principium. Homo divino præcepto tenetur omnes actus ſuos deliberatos ad Deum, tanquam finem ultimum, referre. Hæc obligatio apertè continetur in primo divinæ legis mandato. 643.
Eadem obligatio continetur in præcepto ſemper orandi. 645.
Eadem obligatio expreſſè aſſeritur ab Apoſtolo. 646.
SS. Patres in verbis Apoſtoli verum præceptum contineri docent. 647.
Eadem obligatio ratione ipſâ naturali demonſtratur. 649.
Secundum Principium. Vera actuum in Deum relatio fieri nequit niſi per amorem Dei. 650.
Tertium Principium. Duo tantùm ſunt amores, ex quibus omnes humanæ actiones procedunt, caritas ſcilicet & cupiditas lato ſenſu acceptæ. Quæcunque ex caritate procedunt, bona; quæcunque ex cupiditate, mala & vitioſa ſunt, nullusque datur amor, in individuo & quoad ultimum finem conſideratus, qui inter illos duos medius ſit. 654.
Obſervationes præambulæ. ibid.
Probatio prima ex Scripturis. 656.
Probatio ſecunda ex SS. Patribus ac Theologis. ibid.
Allata teſtimonia de caritate & cupiditate generatim acceptis, non de habituali ac dominante, intelligenda ſunt. 659.
Probatio tertia ex ratione. 661.
Propositio *ex tribus præmiſſis Principiis reſultans. Nulla præcepta rectè & veraciter obſervari poſſunt ſine caritate, ſaltem inchoata; omnisque actio humana, quæ ex hujusmodi caritate non procedit, ſub illo reſpectu mala & vitioſa eſt.* ibid.

Pro-

Probatio 1ª ex Scripturis. Tom. II. Pag. 661.
Probatio 2ª ex SS. Patribus & Theologis. 662.
Probatio 3ª ex ratione. 666.
Solvuntur objectiones. 667.
Quæstio Secunda. *An aliqua vera virtus haberi poſſit absque caritate, ſaltem inchoata.* 674.
Propositio. *Nulla vera virtus eſt, niſi procedat ex caritate ſeu dilectione Dei, ſaltem inchoata.* 675.
1ª Probatio ex Scripturis. ibid.
2ª Probatio ex SS. Patribus ac Theologis. 676.
Ex Patribus, caritas eſt fons & radix omnium virtutum. ibid.
Ex SS. Patribus, virtutes, ſi ad ſeipſas referantur, veræ non ſunt. 681.
Juxta SS. Patres, nulla vera virtus apud Deum ſterilis eſt. 682.
Probatio 3ª ex rationibus Theologicis. 683.
Virtutes Cardinales non ſunt veræ virtutes ſine caritate ſaltem inchoata. 685.
Solvuntur objectiones. 687.
Fides & ſpes Theologicæ non ſunt ſine aliquo ſaltem caritatis initio. 688.
Nonnulla obſervatu digna præmittuntur. ibid.
Probatur Propoſitio de fide & ſpe conjunctim. 690.
Fides Chriſtiana non eſt ſine aliquo caritatis ſeu ſanctæ dilectionis initio. 693.
Probatur Propoſitio de fide ſpeciatim. ibid.
Solvitur objectio. 698.
Probatur Propoſitio de ſpe ſpeciatim. 699.
Spes Chriſtiana non eſt ſine caritate ſaltem inchoata; ſeu amor ſpei rectè intellectus ſpecie non differt ab amore caritatis. ibid.
Solvuntur objectiones. 707.
Vera & ſincera religio, ſeu verus & ſincerus Dei cultus non eſt ſine caritate ſaltem inchoata. 711.
Nulla eſt verè Chriſtiana oratio ſine aliqua ſaltem inchoata caritate. 713.
Timor gehennæ omni caritate deſtitutus non eſt vera & Chriſtiana virtus. 716.
Nonnulla præmittuntur. ibid.
Probatur Propoſitio. 718.
Solvuntur objectiones. 729.
Amor & miſericordia in proximum non ſunt veræ virtutes ſine amore Dei. 731.
Quæstio Tertia. *An aliquæ tentationes ſuperari poſſint absque dilectione Dei, ſaltem inchoata.* 734.
Propositio. *Nulla tentatio rectè ſuperatur, niſi ex amore Dei, ſaltem inchoato, illi reſiſtatur.* 735.
Caput Secundum. *Utrùm homo poſſit Deum diligere absque auxilio gratiæ Chriſti Servatoris.* 736.
Errores Hæreticorum & opiniones Scholaſticorum. ibid.

Status quæſtionis. Tom. II. Pag. 737.
PROPOSITIO. *Non poteſt homo ſolis naturæ viribus Deum diligere, neque perfectè, neque imperfectè, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque per diuturnum, neque per breve tempus.* ibid.
Probatio 1ª ex Scripturis. 738.
Probatio 2ª ex Conciliis. 739.
Probatio 3ª ex SS. Patribus. 740.
Exploditur amoris Dei in naturalem & in ſupernaturalem diviſio. 747.
Exploditur diſtinctio amoris Dei effectivi, qui diu perſeveret, & amoris affectivi, qui brevi tantùm tempore duret. 751.
Patres citati non loquuntur de amore Dei perfecto, ſed de quocunque vero amore Dei, quantùmvis imperfecto. 752.
Probatio 4ª ex damnatione Pelagianorum. 753.
Probatio 5ª ex precibus Eccleſiæ. 754.
Probatio 6ª ex Theologis. 755.
Probatio 7ª ex rationibus Theologicis. ibid.
Solvuntur objectiones. 760.
CAPUT TERTIUM. *An homo aliquid veri cognoſcere, & aliquid boni operari poſſit abſque auxilio gratiæ Chriſti.* 763.
QUÆSTIO PRIMA. *An verum aliquod ab homine cognoſci poſſit abſque auxilio gratiæ.* 764.
QUÆSTIO SECUNDA. *An actus omni ex parte boni fieri poſſint abſque auxilio gratiæ Chriſti.* 769.
PRIMA PROPOSITIO. *Opera moraliter bona ex parte officii & objecti, vel etiam ex parte finis proximi tantùm conſiderata, fieri non poſſunt niſi ex dono & protectione Dei: fieri tamen poſſunt abſque auxilio gratiæ Chriſti propriè dictæ.* 770.
SECUNDA PROPOSITIO. *Homo lapſus univerſam legem naturalem, etiam quoad officia & ſubſtantiam operum, implere non poteſt ſine auxilio gratiæ Chriſti.* 773.
TERTIA PROPOSITIO. *Nullus actus moralis omni ex parte bonus fieri poteſt abſque auxilio gratiæ Chriſti.* 775.
Probatio 1ª ex dictis ſuperiùs. ibid.
Probatio 2ª ex Scripturis. 776.
Probatio 3ª ex SS. Patribus & Conciliis. 777.
Docent 1º nihil boni fieri poſſe ſine adjutorio gratiæ. ibid.
Quibus fundamentis hæc doctrina ſuperſtruatur. 785.
Præcluditur effugium adverſariorum. 787.
Docent 2º SS. Patres & Concilia liberum arbitrium ſine adjutorio gratiæ non valere niſi ad peccandum. 790.
Modò allata Patrum & Conciliorum verba accipienda ſunt ut ſonant. 796.
Probatio 4ª ex confeſſione Semipelagianorum. 798.
Probatio 5ª ex Congregationibus de Auxiliis. ibid.

Pro-

Probatio 6ª ex ſuffragiis Theologorum. Tom. II. Pag. 798.
Probatio 7ª ex rationibus Theologicis. 801.
Solvuntur objectiones. 803.
Quæstio Tertia. *Utrùm veræ virtutes haberi, earumque actus exerceri poſſint ſine gratia.* 812.
Propositio. *Nulla vera virtus moralis haberi vel exerceri poteſt ſine gratia.* 813.
Quæstio Quarta. *Utrùm aliqua tentatio poſſit rectè vinci ſine auxilio gratiæ.* 817.
Propositio. *Nulla tentatio, ſive levis, ſive gravis, verè ac rectè ſuperari poteſt ſine auxilio gratiæ Chriſti.* 818.
Quæstio Quinta. *An verus & ſincerus dolor de peccatis, ſive perfectus, ſive imperfectus, concipi queat absque gratia Chriſti præveniente ac operante.* 827.
Propositio. *Verus ſincerusque dolor de peccatis, ſive perfectus, ſive imperfectus, concipi nequit ſine gratia Chriſti præveniente & operante.* 828.
Quæstio Sexta. *Utrùm fides, ſeu fidei ac bonæ voluntatis initium, gratiæ deſiderium, aut qualiſcunque ad gratiam præparatio haberi queat absque auxilio gratiæ Chriſti prævenientis & operantis.* 835.
Articulus I. *An fidem aliquodve fidei initium homo ex ſeipſo producere valeat.* ibid.
Propositio. *Sine adjutorio gratiæ Chriſti nec fides Chriſtiana, nec ullum ejus initium haberi poteſt.* 838.
Solvuntur objectiones. 851.
Articulus II. *Utrùm homo lapſus aliquod bonæ voluntatis initium concipere, aut aliquo modo ſe ad gratiam præparare poſſit ex ſeipſo, ſine auxilio gratiæ prævenientis.* 855.
Propositio. *Homo lapſus nullomodò poteſt ex ſeipſo & ſine auxilio gratiæ prævenientis ſeipſum præparare ad gratiam, ſive illam deſiderando, ſive aliquod bonæ voluntatis initium concipiendo, ſive alio quovis modo.* 856.
Solvuntur objectiones. 862.
Quæstio Septima. *An gratiæ adjutorium neceſſarium ſit ad perſeverandum in bono, & quanta ſit illius neceſſitas.* 874.
Prima Propositio. *Nemo juſtus poteſt in juſtitia perſeverare, neque per longum, neque per breve tempus, absque auxilio actuali gratiæ Chriſti.* 876.
Secunda Propositio. *Gratia ad perſeverandum requiſita neceſſaria eſt ad ſingulos actus juſtorum, eaque gratia eſt actualis, nec ſufficit gratia habitualis.* 884.
Solvuntur objectiones. 891.
Caput Quartum. *An auxilia gratiæ Chriſti propriè dictæ dentur ante initium fidei; ſeu an fides, ſaltem inchoata, ſit prima gratia Chriſti Salvatoris.* 896.

Status

Digitized by Google

Status quæſtionis. Tom. II. Pag. 896.
Propositio. *Gratia fidei, hoc eſt, quæ prima fidei initia inſpirat, eſt prima gratia Chriſti Salvatoris.* 897.
Argumentum 1um *ex Scripturis.* ibid.
Argumentum 2um *ex SS. Patribus.* 898.
Argumentum 3um *ex pugna Eccleſiæ cum Semipelagianis.* 903.
Argumentum 4um *ex conſenſu præcipuorum Theologorum.* ibid.
Argumentum 5um *ex rationibus Theologicis.* 905.
Caput Quintum. *Quid ſentiendum ſit de operibus & virtutibus infidelium.* 907.
Status quæſtionis. ibid.
Errores & opiniones. 908.
Prima Propositio. *Omnis actio quæ non fit ex aliquo ſaltem fidei initio, etiamſi ex objecto ſeu officio bona ſit, ſemper vitioſa eſt defectu debiti finis ultimi; adeòque, abſolutè loquendo, omnes actiones infidelium peccato ſeu vitio aliquo inficiuntur.* 910.
Secunda Propositio. *Virtutes infidelium, tametſi interdum veræ ſint ex parte officii, nunquam ſunt vitii expertes ex parte finis ultimi.* 937.
Solvuntur objectiones contra duas ultimas Propoſitiones. 943.
Dissertatio Tertia. *De Gratiæ diviſionibus.* Tom. III. Pag. 1.
Articulus I. *De gratiæ diviſionibus in operantem & in cooperantem, in prævenientem & in ſubſequentem, in excitantem & in adjuvantem.* ibid.
Articulus II. *De diviſione gratiæ in efficacem & in ſufficientem.* 12.
Dissertatio Quarta. *De gratia efficaci.* 14.
Caput Primum. *Undenam gratiæ efficacia repetenda ſit; ſeu utrùm gratia ſit ex ſeipſa & ab intrinſeco efficax.* ibid.
Status quæſtionis, & variæ Theologorum opiniones. ibid.
Articulus I. *Rejicitur Molinæ opinio, oſtenditurque efficaciam gratiæ non repeti ab eventu, ſeu à conſenſu liberi arbitrii creati.* 18.
1a *Probatio ex Scripturis.* ibid.
2a *Probatio ex conformitate Molinianæ doctrinæ cum hæreſi Pelagianorum & Semipelagianorum.* 24.
3a *Probatio ex Conciliis.* 28.
4a *Probatio ex Patribus.* 30.
5a *Probatio ex caracteribus gratiæ contra Pelagianos ab Eccleſia defenſæ.* 37.
6a *Probatio ex incommodis hanc opinionem conſequentibus.* 38.
7a *Probatio ex Cenſuris contra Molinismum latis.* 43.
8a *Probatio ex judicio ipſorummet Jeſuitarum.* 45.
Articulus II. *Expenditur & refellitur ſyſtema Congruiſtarum.* 47.
§. I. *Exploditur ſcientia media reſpectu actuum ſupernaturalium.* 49.

§. II. *Refellitur ſententia Congruiſtarum circa efficaciam gratiæ.* Tom. III. Pag. 56.
Alia adverſus Congruismum argumenta proferuntur. 69.
Solvuntur argumenta quæ afferri ſolent pro ſcientia media & gratia congrua. 78.
Articulus III. *Refellitur opinio P. Thomaſſini.* 90.
Articulus IV. *Refellitur opinio Malebranchii.* 95.
Articulus V. *Oſtenditur efficaciam gratiæ non aliunde quàm ab intrinſeca ejus virtute eſſe repetendam, ſeu gratiam Chriſti ſeipſâ efficacem eſſe.* 100.
1ª *Probatio, ex verbis ipſis quibus efficaoia gratiæ in Scripturis & SS. Patribus exprimitur.* 102.
2ª *Probatio, ex eo quòd Deus per gratiam det quod jubet, & merita noſtra ſint illius dona.* 116.
3ª *Probatio, ex eo quòd gratia Chriſti eum ſemper conſequatur effectum quem Deus vult.* 122.
4ª *Probatio, ex eó quòd efficacia gratiæ repetenda ſit ab omnipotentia divinæ voluntatis.* 128.
5ª *Probatio, ex comparatione operationis gratiæ cum maximis divinæ omnipotentiæ operibus ac miraculis.* 143.
6ª *Probatio, ex promisſionibus & figuris gratiæ.* 149.
7ª *Probatio, ex diſcrimine legis & gratiæ.* 157.
8ª *Probatio, ex influxu Chriſti in nos per gratiam, tanquam capitis in membra & vitis in palmites.* 161.
9ª *Probatio, ex differentia gratiæ ſtatûs naturæ corruptæ & gratiæ naturæ innocentis.* 166.
10ª *Probatio, ex converſione Gentium ad fidem & futura converſione populi Judaici ad Chriſtum.* 175.
11ª *Probatio, ex calumniis à Paganis & Hæreticis, occaſione doctrinæ de gratia efficaci, in Eccleſiam conjectis.* 180.
12ª *Probatio, ex precibus Eccleſiæ.* 183.
13ª *Probatio, ex gratiarum actionibus Eccleſiæ.* 191.
14ª *Probatio, ex connexione hujus doctrinæ cum præcipuis Chriſtianæ vitæ officiis.* 193.
15ª *& ultima Probatio, ex eminentia quam doctrina gratiæ efficacis etiamnum in Eccleſia ſibi vindicat.* 196.
Solvuntur objectiones ex Scripturis. 198.
Solvuntur objectiones ex SS. Patribus. 202.
Solvitur objectio ex concilio Tridentino. 213.
Caput Secundum. *An de gratia per ſe efficaci rectè dici posſit ac debeat hominem nihil boni ſine illa facere poſſe.* 218.
Propositio. *Uſitatus eſt in Scripturis, SS. Patribus & Theologis Catholicis loquendi modus, hominem nihil boni facere poſſe ſine gratia à ſe efficaci; hæcque propoſitio erroris argui nequit.* 219.

Digitized by Google

Caput Tertium. *An etiam ad orandum, & ad obſervanda faciliora quædam mandata, requiratur gratia ſeipſâ efficax.* Tom. III. Pag. 229.
Propositio. *Gratia per ſe efficax non minùs requiritur ad orandum, & ad implenda facilia quævis mandata, quàm ad bona opera difficiliora.* 230.
Solvuntur objectiones. 243.
Caput Quartum. *An doctrina gratiæ efficacis hactenus expoſita ad fidem pertineat.* 250.
Caput Quintum. *Qualis ſit efficientia gratiæ, phyſica, an moralis: ſive utrùm gratia ſit phyſica prædeterminatio, an delectatio relativè victrix.* 255.
Prima Propositio. *Gratia increata, ſeu actio quâ Deus operatur in nobis velle & perficere, eſt phyſicè prædeterminans.* 258.
Secunda Propositio. *Efficacia gratiæ createæ conſiſtit in delectatione & dilectione juſtitiæ ex ſeipſa victrici, non quidem abſolutè, ſed relativè, id eſt, comparatè ad gradus oppoſitæ cupiditatis actualis.* 262.
An delectatio relativè victrix locum habeat in electione mediorum, quæ proponuntur ut omni ex parte æqualia. 280.
Utrùm delectatio ſive dilectio relativè victrix ſit deliberata, an indeliberata. ibid.
In quo differant gratia phyſicè prædeterminans & delectatio relativè victrix. 281.
Solvuntur objectiones adverſùs ultimam Propoſitionem. ibid.
Caput Sextum. *De concordia gratiæ ſeipſâ efficacis cum libero voluntatis arbitrio.* 300
Dissertatio Quinta. *De gratia excitante ac inefficaci, quam ſufficientem vocant.* 322.
Caput Primum. *An detur gratia interior, quæ propter voluntatis reſiſtentiam ſit inefficax; & utrùm gratia illa, quatenus excitat tantummodò ad bonum quod non producit, pro gratia Chriſti propriè dicta agnoſci debeat.* 323.
Propositio. *De fide eſt dari gratias interiores, quibus voluntas humana reſiſtit, quantùm ad effectum ad quem illæ excitant: hæ tamen gratiæ ſub illo reſpectu conſideratæ, & quatenus ſunt inefficaces, non ſunt gratia Chriſti propriè dicta.* ibid.
An gratia excitans dici poſſit privari effectu ad quem à Deo datur. 326.
Caput Secundum. *An gratia excitans aliquem ſemper effectum, ſaltem imperfectum, in voluntate producat.* 330.
Propositio. *Gratia excitans, quæ ſufficiens dicitur, quàmvis inefficax ſit reſpectu effectûs remoti ad quem tendit, nunquam tamen eſt ſine aliquo effectu, ſaltem tenui & imperfecto, eo ſcilicet ad quem producendum proximè & immediatè ordinatur per abſolutam & conſequentem voluntatem Dei.* ibid.

Digitized by Google

Caput Tertium. *An gratia excitans & inefficax poſſit dici, ſitque reipſa ſufficiens, comparatione effectûs perfecti ad quem excitat, quem tamen, cupiditate prævalente, non producit.* Tom. III. Pag. 338.
An de fide ſit dari gratiam ſufficientem ab efficace diſtinctam. 355.
Caput Quartum. *Qualis potentia obſervandi mandata per gratiam excitantem detur; & an ea ſit proxima, expedita, completa, relativa, immediata.* 356.
An potentia, quæ per gratiam excitantem confertur, poſſit ac debeat dici proxima. 362.
An potentia, quæ per gratiam excitantem confertur, ſit expedita. 363.
An potentia per gratiam excitantem collata dici debeat completa & perfecta. 364.
Utrùm potentia benè agendi per gratiam excitantem collata dici debeat immediata, an mediata. 366.
An potentia, quæ confertur per gratiam excitantem, ſit relativa ad præſentes voluntatis diſpoſitiones; ſeu an gratia excitans præbeat voluntati vires æquales viribus oppoſitæ cupiditatis, eique oppugnandæ pares. ibid.
Solvuntur objectiones. 379.
Caput Quintum. *An omnibus hominibus, urgente præcepto, detur gratia actualis ſufficiens ad implendum præceptum, vel ſaltem ad orandum.* 385.
Prima Propositio. *Non datur omnibus hominibus, urgente præcepto, gratia actualis ſufficiens.* 387.
1ª *Probatio, ex multis aſſertionibus ſuperiùs demonſtratis.* ibid.
2ª *Probatio, ex expreſſis Scripturæ & SS. Patrum teſtimoniis.* 389.
3ª *Probatio, ex eoquòd gratia fidei, etiam inchoatæ, non omnibus detur, & ad omnes infideles Evangelii prædicatio non pervenerit.* 400.
4ª *Probatio, ex excæcatis & induratis.* 403.
5ª *Probatio, ex parvulis ſine baptiſmo morientibus.* 407.
6ª *Probatio, ex experientia.* 409.
7ª *Probatio, ex rationibus Theologicis.* 412.
Secunda Propositio. *Non datur quoque omnibus huminibus gratia ſufficiens ad orandum.* 417.
Solvuntur objectiones adverſus primam Propoſitionem. 421.
Solvuntur objectiones adverſus ſecundam Propoſitionem. 446.
Caput Sextum. *An ſaltem omnibus juſtis, inſtante præcepto, detur auxilium actuale ſufficiens ad implendum præceptum, aut ad orandum.* 448.
Prima Propositio. *De fide eſt donum perſeverantiæ, ſine quo nemo uſque in finem perſeverare poteſt, non omnibus dari, eiſque, quibus datur, gratuitâ miſericordiâ dari; quibus non datur, juſto judicio non dari.* ibid.

Digitized by Google

SECUNDA PROPOSITIO. *Certum eſt juſtos, dum peccant, non habere auxilium actuale efficax neceſſarium ad peccatum hic & nunc vitandum.* TOM. III. Pag. 451.

TERTIA PROPOSITIO. *Juſtis, qui imperfectè volunt & conantur, non deeſt auxilium Thomiſticè ſufficiens, quod in eis operatur ut conentur & velint.* 458.

QUARTA PROPOSITIO. *Nulla momenta ſunt, quæ probent juſtis, quoties peccant, ſemper adeſſe auxilium actuale gratiæ excitantis; plurima verò ſunt, quæ ſuadent hujusmodi gratiam non ſemper illis adeſſe.* 459.

QUINTA PROPOSITIO. *Quàmvis gratia actualis, ſive efficax, ſive excitans, quam ſufficientem appellant, juſtis omnibus, inſtante præcepto, non ſemper detur, nihilominùs omnibus juſtis, ſive volentibus & conantibus, ſive non cogitantibus, adeòque nec volentibus, nec conantibus, præcepta ſemper poſſibilia ſunt; habentque omnes juſti per gratiam habitualem vires ſufficientes in ſuo genere, ſi non ad præcepta difficilia immediatè implenda, ſaltem ad orandum; tametſi, ut hîc & nunc applicentur hæ vires ad benè agendum vel ad orandum, opus ſit adjutorio gratiæ actualis, quod non ſemper habent.* 462.

SEXTA PROPOSITIO. *Juxta ordinarium divinæ providentiæ curſum, gratiæ actualis auxilia plus vel minùs, majora vel minora juſtis dantur, pro gradu & menſura gratiæ ſanctificantis in eorum cordibus diffuſæ.* 463.

SEPTIMA PROPOSITIO. *Ut gratiæ auxilium, ſive efficax, ſive excitans, interdum juſtis non detur, in ipſis ſemper cauſa eſt, non in Deo: atque hoc hoc ſenſu rectè intelligi poteſt neminem à Deo deſeri, niſi priùs deſerentem.* 465.

Solvuntur objectiones adverſus ſecundam & quartam Propoſitionem. 470.

CAPUT SEPTIMUM. *An gratiam ſufficientem dari neceſſe ſit, ut mandata ſint poſſibilia, ut peccatum juſtè imputetur, & ut delinquentes rectè corripi queant.* 480.

PRIMA PROPOSITIO. *Neceſſe non eſt gratiam actualem dari, ut mandata dicantur & ſint verè poſſibilia.* ibid.

SECUNDA PROPOSITIO. *Ut peccata jure merito imputari poſſint, neceſſe non eſt gratiam ſufficientem præceſſiſſe.* 493.

TERTIA PROPOSITIO. *Nec injuſta, nec inutilis eſt correptio delinquentium, etiamſi gratiam ad non peccandum neceſſariam non habuerint.* 507.

CAPUT OCTAVUM. *Proponuntur & expenduntur nonnullæ quæſtiones circa gratiam, tum efficacem, tum inefficacem.* 512.

An gratia dici poſſit omnibus oblata. ibid.

Quando gratia dicitur omnibus offerri, quænam gratiæ intelligenda eſt? 513.

An liberum arbitrium ex ſeipſo aliquid operetur, quando conſentit gratiæ excitanti & vocanti. ibid.

An

Digitized by Google

An dici poſſit aut debeat hominem rectè uti poſſe gratiâ ſufficiente, ſi velit. Tom. III. Pag 513.
Quid ſentiendum de iſta propoſitione: Si homo gratiæ ſufficienti non reſiſteret, gratiam efficacem obtineret. 514.
An iſta cauſalis vera ſit: Quia homo non benè utitur gratiâ ſufficiente, ideò non habet efficacem. ibid.
Quid ſentiendum de iſta cauſali propoſitione: Ideò homo non convertitur & gratiæ ſufficienti non obſequitur, quia non habet efficacem. 515.
An rectè dici poſſit in ſolo Deo cauſam eſſe ut homo ad ipſum convertatur. ibid.
DISSERTATIO SEXTA. *De cauſis & occaſionibus gratiæ.* 517.
CAPUT PRIMUM. *An gratia ſecundùm merita hominum detur.* 519.
PROPOSITIO. *Gratia eſt omnino gratuita, nec datur ſecundùm ulla merita humana.* 520.
CAPUT SECUNDUM. *An homini ex ſolis naturæ viribus facienti quod in ſe eſt, vel obicem gratiæ non ponenti, certâ lege & ex pacto quodam Chriſtum inter & Patrem inito, gratiæ auxilium detur.* 526.
PROPOSITIO. *Pelagianiſmum renovat opinio Molinæ & aliorum, qui aſſerunt homini per ſolas naturæ vires facienti quod in ſe eſt, vel gratiæ obicem non ponenti, vel prædicationi Evangelicæ attendenti, conferri auxilium gratiæ; fictitiumque ac prorſus chimericum eſt pactum illud, quod Chriſtum inter & Patrem initum eſſe commentus eſt Molina.* 527.
CAPUT TERTIUM. *An humanitas Chriſti ſit cauſa occaſionalis quâ Deus determinatur ad concedenda gratiæ auxilia.* 538.
PROPOSITIO. *Rejici debet P. Malebranchii opinio, juxta quam humanitas Chriſti dicitur eſſe cauſa occaſionalis quâ Deus determinatur ad diſtribuenda gratiæ auxilia.* ibid.
Solvuntur objectiones. 553.
CAPUT QUARTUM. *An voluntas, ingenium, labor & induſtria miniſtrorum ſit cauſa vel occaſio, quâ Deus moveatur ad largiendum auxilium gratiæ, vel quâ gratiæ auxilium fiat efficax.* 557.
PROPOSITIO. *Voluntas, ingenium, labor & induſtria miniſtrorum Eccleſiæ non eſt cauſa vel occaſio, quâ Deus moveatur aut determinetur ad concedendum auxilium gratiæ, vel quâ illud auxilium reddatur efficax. E contrario exteriora illa ſubſidia ſunt effectus ſpecialis voluntatis Dei utentis miniſtris Eccleſiæ, eorum voluntates moventis & inclinantis quò voluerit, eorumque laboribus incrementum dantis.* ibid.
CAPUT QUINTUM. *Quare Deus gratiam ſuam aliis det, aliis non det; & quare iſtis potiùs quàm illis.* 561.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM. *An Deus in gratiæ diſtributione adhibeat cauſas inſtrumentales, gratiæque ſuæ dona mediis quibusdam exterioribus ordinariè alliget; & quænam ſint illa media.* TOM. III. Pag. 568.

FINIS *Indicis Libri Quarti.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER QUINTUS

DE DIVINIS CIRCA SALUTEM HOMINUM DECRETIS, AC DE MORTE CHRISTI PRO REDIMENDIS HOMINIBUS.

NOTUM eſt Domino à ſæculo opus ſuum, & quod apud ſe diſpoſuit ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, hoc in tempore operatur, ad opus novum non novum, ſed ſempiternum adhibendo conſilium. Nos in terris adhuc poſiti, magnâque offuſi caligine, non in divinis decretis Dei opera, quæ temporaliter fiunt, intuemur; ſed è divinis operibus, quæ vel oculos noſtros feriunt, vel fide revelantur, ad æſtimanda æterna Dei decreta utcunque aſſurgimus. Doctrinæ igitur ordo poſtulat ut, poſtquàm Libro præcedente, operatio gratiæ qualis ſit, Scripturarum ac Traditionis magiſterio didicimus, nunc ad contemplanda, quantùm Deus ipſe dabit, ſempiterna ipſius ſuper filios hominum conſilia, eiſdem ducibus, progrediamur. Hunc ipſum ordinem noſtræ imbecillitati magis attemperatum ſecutus eſt S. Paulus in Epiſtola ad Romanos, & poſt ipſum D. Auguſtinus. Cùm enim in primis ſuis adverſùs Pelagianos ſcriptis de gratiæ duntaxat neceſſitate, natura, efficacia & gratuitate egiſſet, tandem diſputationum ipſarum

Digitized by Google

rum neceſſitate compulſus eſt intrare quodammodò ſanctuarium Dei, atque humanam ſuperbiam non minùs inſolenter quàm inaniter ſeſe extollentem, objectâ divinorum judiciorum altitudine, conterere.

Procul hinc humanæ argumentationes, procul ratio temeraria cum Deo diſputare præſumens, ejusque decreta ad normam ſuam redigere volens. *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus: quia, ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Iſai. LV. 8 & 9. Deus ſolus loquatur, qui ſolus poteſt, quæ liberè decrevit, cognoſcere, & cui voluerit revelare. *Quis enim hominum ſcire poteſt conſilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus?.... Difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines?* Sap. IX.

Duplicis generis ſunt circa filios hominum Dei decreta: alia miſericordiæ, quibus electi prædeſtinantur; alia juſtitiæ, quibus reprobi relinquuntur. Ex eorum notitia maximè pendet ſolutio duarum quæſtionum, quæ magno agitantur animorum æſtu: an ſcilicet Deus velit, voluntate propriè & ſimpliciter dictâ, omnes & ſingulos homines ſalvos fieri; atque an Chriſtus pro omnium hominum, nullo excepto, æterna ſalute mortuus ſit mortemque ſuam obtulerit.

Quamobrem quatuor hic Liber Diſſertationibus concludetur. Prima erit de Prædeſtinatione: 2ª de Reprobatione: 3ª de Voluntate Dei circa hominum ſalutem: 4ª de Morte Chriſti, an oblata ſit pro omnibus hominibus.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA.

De Prædeſtinatione.

CIRCA prædeſtinationem hæc potiſſimùm tractare ſolent Theologi: 1°. Quid ſit prædeſtinatio, & an admittenda ſit. 2°. Utrùm ſit merè gratuita, an potius ſupponat præviſionem meritorum quocunque modo futurorum, & quid ea de re ad fidem pertineat. 3°. Effectus prædeſtinationis. 4°. Ejuſdem proprietates. 5°. Quantus ſit numerus prædeſtinatorum. 6°. An expediat prædeſtinationis doctrinam apud populum tradere, & quomodò?

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit prædeſtinatio: an admittenda ſit.

PRÆDESTINARE, Græcis *προορίζειν,* ſecundùm vim nominis, idem eſt ac ante decernere, diſponere, ordinare, proponere; ſignificatque antecedens decretum, quo Deus ab æterno ſtatuit quod in tempore facturus eſt. „ Neque enim alia eſt Dei prædeſtinatio, ait B. Fulgentius, lib. 1 *de Duplici prædeſt.* cap. 20, niſi futurorum operum Dei æterna præparatio," ſive prædeterminatio. Hinc prædeſtinationis nomen poteſt extendi ad omnia quæ in tempore fiunt, excepto malo culpæ. Quippe nihil prorſus fit, quod non ſempiterno Dei decreto determinatum ſit. „ Præſci-
„ vit Deus, inquit Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 8,
„ mundum eſſe futurum, & prædeſtinavit ſe eſſe facturum: Præſcivit
„ hominem creandum, & prædeſtinavit ſe eſſe creaturum. Præſcivit hu-
„ manum genus, per primum hominum lapſum, unigeniti Filii ſui
„ ſanguine redimendum, & prædeſtinavit ſe eſſe redempturum...... Præſ-
„ civit electos ſuos ad æternum regnum ſuum eſſe venturos, præſcivit
„ etiam reprobos in æternum ſupplicium tradendos; & hoc totum,

„ quia plenum eſt miſericordiâ, plenum juſtitiâ, prædeſtinavit ſe miſe-
„ ricordiâ & judicio ſuo eſſe facturum."

Uſus tamen obtinuit apud divinarum rerum tractatores, ut *prædeſtinationis* vox, abſolutè & ſine addito prolata, ſemper ſignificet decretum abſolutum ſalvandi electos, iique ſoli prædeſtinati dicantur, quos Deus ad ſalutem æternam certò & infallibiliter perducere decrevit.

Prædeſtinatio differt à præſcientia. Eſt enim præſcientia ſimplex cognitio rerum futurarum, & ad intellectum propriè pertinet: prædeſtinatio verò eſt ordinatio, diſpoſitio, determinatio rerum futurarum, & ad voluntatem principaliter pertinet. Aliunde præſcientia latiùs patet prædeſtinatione: Deus quippe præſcit etiam quæ non facit, ut quælibet peccata, non autem prædeſtinat niſi opera ſua. „ Prædeſtinatio, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſt. ſanctorum*, cap. 10. n. 19, „ ſine præ-
„ ſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præ-
„ ſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe
„ facturus, unde dictum eſt: *fecit quæ futura ſunt;* præſcire autem
„ potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata."

Nihilominùs prædeſtinatio interdum in Scripturis præſcientia nuncupatur; ut iidem ſint præſciti, qui & prædeſtinati. Rom. XI. 2: *Non repulit plebem ſuam quam præſcivit;* id eſt, prædeſtinavit, ut interpretantur S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 18. n. 47, & Eccleſia Lugd. lib. *de Tribus Epiſtol.* cap. 3, & circumſtantia illius loci oſtendit. Sic etiam Petrus, 1 Epiſt. cap. 1: *Electis advenis...... ſecundùm præſcientiam Dei Patris.* Et ibidem de Chriſto: *Redempti eſtis pretioſo ſanguine...... Chriſti, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem:* quod ſignificat Chriſtum præordinatum ac prædefinitum ſingulari quâdam ac gratuitâ Dei voluntate. Eodem ſenſu Chriſtus ait, Joann. 10: *Cognoſco oves meas*, & S. Paulus, 2 Timoth. II. 2: *Novit Dominus qui ſunt ejus.*

Verum his in locis præſcientia ſive notitia non ſumitur pro ſimplici cognitione futuri, ſed pro gratuita dilectione, phraſi ſcilicet Hebræis familiari, apud quos ſcire & cognoſcere idem plerùmque ſunt ac amare & approbare; neſcire autem idem eſt ac non amare ſeu odiſſe: quo ſenſu Chriſtus ad reprobos: *Nunquam*, ait, *novi vos*, Matth. VII. 23; & ad fatuas virgines, ibid. XXV. 12: *Neſcio vos.*

Rectè animadvertit S. Anſelmus, in tract. de Concordia prædeſtinationis cum lib. arb. cap. 2, voces *præſcientiæ* & *prædeſtinationis* non propriè dici de Deo, in quo non eſt prius & poſterius, ſed relatè ad creaturas.

Prædeſtinati dicuntur etiam electi & dilecti; eæque voces plerùmque promiſcuè accipiuntur. Differunt tamen nonnihil dilectio, electio & prædeſtinatio, ut docet S. Thomas in cap. 9 Epiſt. ad Rom. lect. 2.
„ Nam ipſa Dei dilectio dicitur ſecundùm quòd vult bonum alicui ab-

„ ſo-

Digitized by Google

„ ſolutè: electio autem dicitur ſecundùm quòd, per bonum quod ali-
„ cui vult, cum alteri præfert: prædeſtinatio autem eſt ſecundùm quòd
„ hominem dirigit in id bonum quod ei vult, diligendo & eligendo.
„ Et ideò, ſecundùm rationem, prædeſtinatio ſequitur dilectionem."
Dicuntur etiam prædeſtinati *probati*, 1 Cor. XI. 19: *Oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis* (hæc vox dilectionem quoque ſignificat, ut contra reprobati dicantur *odio habiti*). Dicuntur *præordinati ad vitam æternam*, *præparati ad gloriam*, Rom. IX. 23: *benedicti*, Matth. XXV: *vaſa miſericordiæ*, & *vaſa in honorem*, Rom. IX. 23 & 2 Tim. II. 20: *oves Chriſti*, Joann. X: *filii Dei*, Joann. XI. 52. *Chriſtus moriturus erat...... non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum:* denique *vocati*, non illâ vocatione quâ dicuntur *multi vocati, pauci verò electi;* ſed eâ ſpeciali quam S. Paulus *ſecundùm propoſitum* appellat, Hebr. IX. 15. *Ut...... repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis;* & Apocalypſ. XIX. 9: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.*

Definitio prædeſtinationis.

Moliniani & Congruiſtæ, qui gratiam ſeipſâ efficacem negant, admittuntque in Deo ſcientiam conditionatè futurorum decretis prælucentem, prædeſtinationem conſequenter definiunt *rationem ordinis mediorum in Deo, quibus prævidet creaturam rationalem perducendam in vitam æternam, cum propoſito hunc ordinem exequendi.* Refelluntur omnibus momentis quibus ſcientiam mediam ſupra expugnavimus, & quibus mox oſtendemus prædeſtinationem non ſupponere qualiumcunque, vel quocunque modo futurorum meritorum præviſionem.

Ab aliis Theologis prædeſtinatio definitur: Præordinatio creaturæ intellectualis in finem ſupernaturalem, cum propoſito eam transmittendi efficaciter in talem finem. Admitti poteſt iſta definitio, reditque ad definitionem S. Auguſtini mox afferendam & explicandam.

A S. Thoma, 1 part. q. 23. art. 1. in corp. definitur prædeſtinatio: *Ratio transmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam:* & art. 2 in corp: *Ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam:* ac rurſus, ibidem: *Prædeſtinatio*, inquit, *eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro.*

Scotus rem adhuc enucleatiùs explicat, in 3. diſt. 7. art. 3. *Prædeſtinatio*, ait, *eſt præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam.*

Bonæ ſunt ac legitimæ omnes illæ definitiones; ſed cæteris meritò præfertur ea quam ſuppeditat S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſev.* cap. 14, ubi dicit „ prædeſtinationem nihil aliud eſſe, quàm præſcientiam & præ-
„ parationem beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque

 „ li-

Digitized by Google

„ liberantur.“ Differt iſta definitio à præcedentibus, quòd præcedentes explicent naturam prædeſtinationis prout Angelis & hominibus communis eſt; hæc verò explicet propriè prædeſtinationem hominum, qui ſoli à malo, quod per peccatum originale contraxerunt, liberantur.

Porro duæ ſunt hac in definitione voces, de quarum ſignificatione diſputatur. 1°. Dubitatur quid nomine præſcientiæ ſit intelligendum; utrùm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, an ſcientia viſionis, an ſcientia media ſive conditionatorum: deinde quid nomine beneficiorum Dei intellexit S. Auguſtinus, gratiam tantùm, an & gloriam.

Quoad primum, dico non poſſe intelligi ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ non eſt propriè præſcientia, ſed ſimplex cognitio ac contemplatio merè poſſibilium: neque ſcientiam conditionatè futurorum, tum quia iſtiusmodi ſcientia, fatentibus ejus auctoribus, recens excogitata eſt, & S. Auguſtino aliisque Patribus incognita fuit; tum quia objectum præſcientiæ, de qua loquitur S. Doctor, ſunt ipſa beneficia Dei, objectum verò ſcientiæ mediæ non ſunt beneficia Dei, ſed determinatio conditionatè futura humanæ voluntatis in talibus circumſtantiis conſtitutæ. Reſtat ergo ut ſit ſcientia viſionis, quâ Deus prædeſtinando cognoſcit in ſuo decreto futura ſua beneficia.

Et certè nullum de ſua mente ambigendi locum relinquit S. Doctor; ſed paſſim docet illam à ſe intelligi præſcientiam, quâ Deus non opera hominum ſub conditione futura, ſed ſuamet opera abſolutè futura & prædeſtinando præſcit, & præſciendo prædeſtinat. Lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. n. 15: „ Hæc Deus, inquit, facturum ſe eſſe præſci„ vit. Ipſa eſt prædeſtinatio ſanctorum.“ Ibidem, cap. 14. n. 35, immediatè ante ipſa definitionis verba: „ An quisquam dicere audebit „ Deum non præſciſſe quibus daturus eſſet ut crederent, aut quos da„ turus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique „ ſi præſcivit, beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. „ Hæc eſt prædeſtinatio ſanctorum, nihil aliud; præſcientia ſcilicet & „ præparatio beneficiorum Dei &c.“ Quid evidentius? Et cap. 18. n. 47: „ Sine dubio præſcivit, ſi prædeſtinavit: ſed prædeſtinaſſe eſt hoc „ præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.“ Item, lib. *de Prædeſt. SS.* cap. 19: „ Cùm ergo nos prædeſtinavit, opus ſuum præſcivit, quo nos „ ſanctos & immaculatos fecit.“ Eodem modo ubique loquitur: nusquam dicit Deum præſciviſſe conſenſum noſtrum conditionatè futurum.

Tr. de Attribut. tom. 2. pag. 482. Fatetur Tournely evidens eſſe S. Auguſtinum loqui de præſcientia abſoluta & decreto Dei, noſtro concipiendi modo, poſteriore; ſed contendit eum non excludere, imò ſupponere præſcientiam conditionatam. Abſurdè omnino: quaſi verò unâ & eâdem voce duo tam inſigniter diverſa ſignificari poſſint.

Opponunt hæc S. Auguſtini verba, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 17. n. 41: „ Iſta igitur ſua dona quibuscunque Deus donat, procul dubio

„ ſe-

„ ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit......
„ Namque in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia opera
„ ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam, eſt prædeſti-
„ nare.“ Antecedit ergo, in mente S. Auguſtini, præſcientia decretum Dei abſolutum, cujus directiva eſt.

Nego conſequentiam. Non enim de ſcientia antecedente & dirigente decretum loquitur S. Doctor, ſed de ſcientia comitante decretum, atque ab eo inſeparabili. Siquidem diſertis verbis indicat ſe loqui de illa præſcientia, quâ Deus, quæ donat in tempore, *ſe donaturum eſſe præſcivit*. At hujusmodi ſcientia non præcedit, ſed ſequitur, aut potius comitatur decretum abſolutum donandi.

Quæres cur S. Auguſtinus vocem præſcientiæ voci præparationis præmiſerit, ſi illa præſcientia non antecedit præparationem?

Reſpondeo idcirco vocem præſcientiæ inſertam eſſe à S. Auguſtino definitioni prædeſtinationis, & voci præparationis præmiſſam, quòd Semipelagiani, quibuscum diſputabat, prædeſtinationem in præſcientia præſertim collocarent: immmo, inquit S. Doctor, & *præſcientia* eſt & *præparatio*; primo loco id ponens quod concedebatur, poſteriori illud de quo ambigebatur, ut in controverſiis uſu accidit: aut certè idcirco præſcientiam præparationi præpoſuit, quia latiùs patet, cùm multa præſcita ſint à Deo quæ præparata non ſunt, ut innumera peccata, nihil verò præparatum non ſit & præſcitum.

Dico 2°, nomine *beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur*, non tantum gratiæ auxilia, ſed etiam gloriæ donum à S. Auguſtino comprehendi; ut ex eo patet, quòd gloria æterna ſit principale Dei beneficium, quo perfectè liberamur ab omni peccato & concupiſcentia peccati. De iſto excellenti beneficio loquitur S. Paulus, Rom. VII. 24, cùm ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Quænam hæc gratia eſt, niſi vita æterna? Et cap. VIII. 21: *Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ipſemet S. Auguſtinus, lib. 6 contra Julian. cap. 14. n. 44: „ Abſit, inquit, ut ego inanem di-
„ cerem gratiam lavacri illius,......quâ liberatus ſum à reatu omnium
„ peccatorum,...... quâ liberor ut ſciam ne intrem in tentationem,
„ atque ut exaudiar dicens cum conſortibus meis: *Dimitte nobis debita*
„ *noſtra*; quâ liberabor, ut ſpero, in æternum, ubi jam nulla lex in
„ membris meis repugnet legi mentis meæ!“ Vides gloriam ſempiternam numerari à S. Doctore inter illa beneficia Dei quibus liberantur homines. Imò hoc adeò verum eſt, ut, in ipſius mente, qui ad tempus tantùm juſti ſunt, liberati non ſint, nec à maſſa perditionis diſcreti.
„ Ac per hoc, inquit, lib. de Corrept. & grat. cap. 7. n. 12, „ qui,
„ Evangelio audito, in melius commutati perſeverantiam non accepe-

Digitized by Google

„ runt, ... non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe „ damnatam.“

Auguſtini mentem præclarè explicat S. Fulgentius ejus diſcipulus, ſimulque cæteri Præſules Africæ in Sardiniam pro fide relegati; in fine lib. *de Incarnatione & gratia.* „ Deus, inquiunt, qui hominem condidit, ipſâ prædeſtinatione ſuâ & donum illuminationis ad credendum, & donum perſeverantiæ ad proficiendum atque permanendum, „ & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit: quippe non aliter perficit in opere, quàm in ſua ſempiterna atque incommutabili habet diſpoſitum voluntate.“ En quorum beneficiorum prædeſtinatio, præſcientia atque præparatio ſit, omnium ſcilicet quæ electis dantur, atque imprimis glorificationis regnique cœleſtis.

Igitur, juxta S. Auguſtini definitionem, prædeſtinatio nihil aliud eſt quàm abſolutum decretum miſericordiæ Dei, quo ab æterno præſciendo præparat, & præparando præſcit efficacia & infallibilia beneficia, quibus certiſſimè liberantur quicunque à damnationis maſſa in æternum liberantur.

Hinc collige prædeſtinatos ſimpliciter dici non poſſe, qui, accepto juſtitiæ beneficio, non perſeverant usque in finem. Quàmvis enim abſoluto Dei decreto definitum ſit eos fore juſtificandos, ideòque verè ac rectè dicantur prædeſtinati ad juſtitiam, dici tamen non debent ſimpliciter & abſolutè prædeſtinati, quia à conſperſione damnata, in qua æternùm permanſuri ſunt, ad tempus tantùm liberantur, eoque non liberantur.

Quoniam tamen prædeſtinatio plures habet effectus, gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, Scholaſtici prædeſtinationem partiuntur in adæquatam & inadæquatam, completam & incompletam. Adæquata ſeu completa omnes complectitur prædeſtinationis effectus, gratiam ſcilicet & gloriam: incompleta verò aliquem duntaxat effectum, putà vel gratiam, vel gloriam.

Exiſtentia Prædeſtinationis. Catharini opinio refellitur.

Admittendam eſſe in Deo prædeſtinationem negare ille ſolus poteſt, qui rerum humanarum providentiam ac præſcientiam Deo adimit. Si enim nihil quidquam in rerum natura accidit, quod Deus ab æterno non prædeterminaverit faciendum; quantò magis ſua in electos beneficia ab æterno diſpoſuiſſe ac præparaſſe credendus eſt? „ Quisquis ergo veritatem prædeſtinationis divinæ negare contendit, inquit S. Fulgentius, lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 1, „ mutabilem Deum ſine dubio prædicat, cui temporalium actuum humanorum „ temporalem cognitionem perverſus aſſignat. Nam ſi Deus incommu- „ ta-

„ tabilis eſt, quod dubitandum non eſt, omnia futura ex æternitate „ incommutabiliter novit, & omnia opera ſua incommutabili ordinatio- „ ne diſpoſuit.“ Vide etiam cap. 8 & 9, & S. Thomam, lib. 5 *contra Gentes*, cap. 163.

Hæc duo æqualiter certa ſunt atque immota, Deum nihil facere in tempore; quod non ipſe in ſuo æterno conſilio & immobiliter præordinaverit, & veraciter præſcierit; atque, id omne quod in æterna Dei præordinatione ac præſcientia diſpoſitum eſt, ſuo tempore certiſſimè eſſe faciendum: „ quidquid verò ibi diſpoſitum non eſt, nunquam & nus- „ quam eſſe poſſe,“ ut ait Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Trib. Epiſt.* cap. 3. reg. 2. Cùm ergo Deus gratiam donet in tempore, prædeſtinavit ab æterno ſe illam daturum eſſe; atque „ inter gratiam & prædeſtina- „ tionem hoc tantùm intereſt, ut verbis utar S. Auguſtini, lib. *de Prædeſt. SS.* cap. 10. n. 19, „ quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; „ gratia verò jam ipſa donatio.“

Hic ſeſe offert Catharini, ex ordine Dominicanorum, ſingularis opinio. Fatetur ille admittendam eſſe prædeſtinationem, ſed non reſpectu omnium ſalvandorum. Duos ſiquidem diſtinguit hominum ſalvandorum ordines: Primum eorum qui inſigni bonitate à Deo electi ac prædeſtinati ſunt ante omnem meritorum prævisionem; quibus tam efficacia ſalutis aſſequendæ media Deus ex ſuo beneplacito largitur, ut fieri non poſſit quin ad vitam perducantur æternam. Alterum verò eorum qui, communibus duntaxat gratiæ auxiliis adjuti, præſciuntur quidem à Deo ex meritis ſalvandi, ſed ad ſalutem efficaciter aſſequendam non præordinantur. Illos dicit eſſe prædeſtinatos, hos negat. Quod tamen non opinor ſic intelligendum, quaſi adeò ſtolidus fuerit ille aliàs doctiſſimus Theologus, ut hos ad ſalutem quaſi fortuitò, & abſque æterno decreto in prævisione meritorum fundato, pervenire exiſtimaret. Hoc igitur unum vult, paucos quoſdam gratuitò & ſine prævisione meritorum eſſe prædeſtinatos, cæteros nonniſi poſt prævisionem meritorum. Intellexit nimirum vir emuncti ingenii ſalutem non poſſe dici prædeſtinatam, vel homines ad eam prædeſtinatos, niſi, quæcunque ad ſalutem perducunt, à Deo abſolutè decernantur antecedenter ad prævisum creatæ voluntatis conſenſum. Unde quia multos ſalvandorum mediis non per ſe efficacibus vitam æternam conſequi arbitrabatur, ideò docuit eos non eſſe prædeſtinatos à Deo, ſed tantum prævisos eſſe ſalvandos.

Ad eamdem opinionem plurimùm accedunt Alphonſus Le Moyne & alii, qui, cùm doceant præſtò eſſe omnibus hominibus gratiam orationis ſufficientem, quâ quicunque benè utuntur ex libero ſuo arbitrio, hoc ipſo efficax auxilium actionis certò conſequuntur, nonnullos tamen eſſe dicunt, quibus, etiam non petentibus, auxilium illud efficax datur. Hinc enim quid ſequitur, niſi hos gratis eſſe prædeſtinatos, illos non gratis?

Ad

Digitized by Google

Ad rejiciendum hunc errorem ſatis eſt, quòd Scripturæ unicum tantùm, non duos eſſe exhibeant ordines eorum qui ſalvantur. Omnes in Adam æqualiter peccaverunt, & egent æqualiter gratiâ Dei: omnibus æqualiter dicet Chriſtus, Matth. 25: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Quibus autem illud regnum non fuerit ab æterno præparatum, his dicet: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum &c.*

Si quidam ex gratuita miſericordia, alii ex propriis meritis ſalvantur, non omnes ad pedes agni coronas ſuas deponent; ſed illi, quòd in cœlo regnant, Deo acceptum referent, hi ſibimetipſis.

Demum iſte error in Caſſiano dudum rejectus ac damnatus eſt. Cùm ille diceret nonnullos efficacibus auxiliis à Deo præveniri, alios communibus gratiæ excitationibus ſponte obſequi, hoc diſcrimen, ut gratis fictum & commentitium, repudiavit S. Proſper, in lib. contra ipſum, cap. 5, aliàs c. 3, n. 8. „ Satis te, inquit, contra Pelagianorum ca„ lumnias armatum exiſtimas, ſi, quod in univerſitate vocatorum ſen„ tiendum eſt, id nobis in portione concedas." Ergo, ex S. Proſpero, quod de aliquibus electis confitebatur Caſſianus, eos efficacibus auxiliis certò perduci ad ſalutem, & gratis omnino prædeſtinatos, de omnibus ſalvandis dici oportet.

CAPUT SECUNDUM.

An decretum prædeſtinationis ſit omnino gratuitum, & independens à qualibet præviſione meritorum: & quid hac de re ad fidem pertineat.

NOTANDUM eſt 1° prædeſtinationem poſſe conſiderari vel in ordine intentionis, vel in ordine executionis. Intentio eſt ipſum conſilium ac decretum æternum Dei nonnullos ad gratiam & gloriam abſolutè deſtinantis: executio eſt modus quo Deus decretum illud ſuum exequitur in tempore. Hic de executione non agimus. Omnes enim fatentur gloriam non concedi niſi meritis; quanquam & ipſa gratia dici poſſit, in quantùm ipſa merita, quibus conceditur, Dei ſunt dona. De ſolo igitur ordine intentionis hîc controvertitur; utrùm ſcilicet decretum ipſum divinum ſupponat præviſionem meritorum, an eam potius antecedat.

Notandum 2° prædeſtinationem accipi vel adæquatè, vel inadæquatè. Prædeſtinatio ſumitur adæquatè, quandò conſideratur ſecundum omnes ſuos effectus, gratiam ſcilicet & gloriam. Sumitur autem inadæquatè, quando conſideratur ut electio ad gratiam, vel ad gloriam tantùm.

Ex

Digitized by Google

Ex hac duplici conſideratione prædeſtinationis duplex naſcitur controverſia; una graviſſimi momenti, altera levioris.

Prima controverſia, quæ reſpicit prædeſtinationem adæquatè ſumptam, eſt, utrùm decretum abſolutum liberandi nonnullos à maſſa perditionis ſupponat in Deo prævifionem meritorum, tanquam ſui cauſam moralem, aut ſaltem tanquam conditionem prærequiſitam.

Altera, quæ ſpectat prædeſtinationem inadæquatam, eſt, an diſtinguendum ſit in Deo duplex decretum, unum quo gratiam, alterum quo gloriam prædeſtinat; atque utrùm, poſito quòd diſtinguantur duo decreta, decretum dandi gratiam prior ſit, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, decreto dandi gloriam; an è converſo. Iſta duo ſeorſim tractabimus.

Articulus Primus.

An decretum abſolutum prædeſtinationis ſupponat in Deo prævifionem aliquorum meritorum, vel tanquam cauſam quâ movetur ad prædeſtinandum, vel tanquam conditionem prærequiſitam.

Certum eſt primò, ſi Petrus ſervatur & Judas à ſalute excluditur, Deum abſoluto decreto utrumque voluiſſe; ſiquidem omnes eventus habent ſibi correſpondens in Deo decretum.

Certum eſt 2° Petrum, quem ſuppono adultum, non ſalvari nec facere bonum, niſi volentem. Proinde, ut Petrus ſalvetur, oportet ut & Deus velit ſalvare Petrum, & Petrus ipſe liberè velit ſalvari & facere bonum. Hæc ſunt apud omnes inconcuſſa & indubitata.

Quæſtio eſt utrùm voluntas abſoluta, quæ eſt in Deo, ſalvandi Petrum, ſupponat priùs in Petro voluntatem aliquam ſeipſum ſalvandi à Deo præcognitam, an non ſupponat, ita ut è contrario Petrus non intelligatur velle ſalvari, niſi quia Deus decreto ſuo abſoluto & antecedente facit eum velle.

Hinc duplex generatim circa iſtam controverſiam ſyſtema proponitur.

Primum ſyſtema eorum eſt, qui exiſtimant Deum decreto efficaci, abſoluto, & antecedente prævifum voluntatis conſenſum quocunque modo futurum, nonnullos ad gloriam & efficacia ex ſe gratiæ auxilia gratuitâ miſericordiâ prædeſtinaſſe, cæteris omnibus in maſſa perditionis juſto judicio derelictis.

Alterum ſyſtema illorum eſt, qui exiſtimant abſolutam prædeſtinationem fieri ex prævifione meritorum, ſeu futuræ determinationis voluntatis ad bonum. Cum enim illi nulla agnoſcant gratiæ auxilia, quæ ex ſeipſis vim habeant voluntatem certò determinandi, conſequens eſt ut dicant Deum non priùs poſſe quemquam abſolutè deſtinare ad ſalutem,

 quàm

Digitized by Google

quàm præviderit eum gratiæ certò conſenſurum. In primo ſyſtemate totum prædeſtinationis arcanum à mero Dei beneplacito dependet, & per invictam ejus omnipotentiam ad exitum perducitur: in altero prima radix prædeſtinationis pendet à voluntate creata, quæ prævisa eſt auxiliis ſibi concedendis benè uſura.

Hæc ſecunda opinio, quæ prædeſtinationem ex meritis ſuſpendit, multos habuit habetque aſſertores, alios quidem aliter, ſed omnes ex hoc communi principio, ſalutem creaturæ rationalis in ipſius manu poſitam eſſe, ac primariò pendere ab ejus voluntate.

Primus eſt Origenes, qui lib. 2 *de Principiis*, cap. 8, ſtatuit animas ante mundum conditas fuiſſe, atque, pro bonis vel malis operibus, in corpora detruſas prædeſtinari aut reprobari. Sed is error jam omnino exolevit, atque abundè refellitur hoc uno Apoſtoli textu, ad Rom. cap. 9, ubi de Jacob & Eſaü ſic loquitur: *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, ... non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Hunc Origenis errorem ex inſtituto refellunt S. Cyrillus Alexandr. lib. 1 in Joann. cap. 9, & Juſtinianus Imperator, prolixo tractatu ad Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui extat in Appendice ad quintam Synodum.

2°. Pelagiani prædeſtinationem fieri cenſebant ex præviſione boni uſûs liberi arbitrii. Vel enim nullam gratiam actualem interiorem agnoſcebant, ut initio ſui erroris: vel, ſi aliquam admittebant, ut poſteà admiſêre, eam aut verſatilem, aut meritis bonæ voluntatis conceſſam aſſerebant. Hunc errorem refutavimus toto Libro præcedente.

3°. Semipelagiani docebant Deum abſolutè prædeſtinaſſe electos, non tantùm ad gloriam, ſed etiam ad opera bona & ad perſeverantiam in bonis operibus, ſed conſequenter ad præviſionem fidei & perſeverantiæ in fide; ſive illam fidem ſoli libero arbitrio, abſque ullo gratiæ prævenientis auxilio, attribuerint, ſive gratiam tantùm medicinalem ſeipſâ efficacem ab ea excluſerint, ut de nonnullis illorum ſentiunt docti & graves Theologi. Iſtum quoque errorem refellimus in Libro præcedente, oſtendendo initium fidei, orationis, bonæ voluntatis, & in his perſeverantiam, eſſe donum gratiæ ſeipſâ efficacis.

4°. Molina, in ſua Concordia, dicit Deum cognoviſſe ab æterno omnes ordines ſeu combinationes poſſibiles, & quid in ſingulis ordinibus ſinguli homines poſſibiles facturi eſſent boni vel mali, ſi in eis conſtituerentur: deinde hunc ordinem, quia voluit, elegiſſe, relictis aliis ordinibus, in quibus alii homines ad ſalutem fuiſſent perventuri. Porro in prædeſtinatione duo diſtinguit: 1°. Rationem providentiæ omnibus, tum electis, tum reprobis, communem, quâ ſuppeditantur omnibus auxilia gratiæ ſufficientiſſima, quorum uſus ab ipſorum voluntate dependeat. 2°. Rationem formalem prædeſtinationis ſolis electis propriam, quâ, propter præviſum bonum uſum gratiæ, illos abſolutè ſervan-

Digitized by Google

vandos decernit. Proinde nullam agnoſcit in Deo voluntatem abſolutam ſervandi electos, niſi poſt & propter prævisa illorum merita.

5°. Suarez aliique Congruiſtæ, retentis eisdem principiis, rem paulò aliter explicant, finguntque ſe admittere prædeſtinationem aut ſaltem prædilectionem electorum merè gratuitam. Suppoſitâ namque ſcientiâ conditionatorum, dicunt Deum, ex ſpeciali bonitate erga electos, collocaſſe illos in opportunis circumſtantiis, & ea illis auxilia præparaſſe, quæ ſciebat futura eſſe congrua: proinde electos non fuiſſe tantùm prædeſtinatos ad gloriam, ſed etiam ad media ſalutis certa & infallibilia; ſive decretum dandi gloriam prius ſit decreto præparandi media certa & infallibilia, ut vult Suarez; ſive ſit illo poſterius, ut Vaſquezio placet. Hac ſubtilitate putant ſe admittere prædeſtinationem gratuitam; quia, inquiunt, etſi prædeſtinatio ſupponat prævisionem meritorum conditionatè futurorum, non tamen eam ſupponit ut rationem quâ Deus moveatur ad diligendum ſpecialiter electos, ſed ut conditionem ſine qua Deus non poſſet quidquam, quod à voluntate creata pendeat, abſolutè decernere.

Notandum eſt Jeſuitas, ex duabus illis opinionibus, modò hanc, modò illam, pro temporibus & locis, defendere. In tractatibus Theologicis plerùmque Congruiſtas agunt: in ſermonibus verò & in colloquiis Moliniſmum ordinariè proponunt, tanquam captu faciliorem, & præveniendis vulgaribus objectionibus aptiorem. Et certè adeò ſubtilis eſt earum differentia, ut ab una ad alteram tranſire poſſint, te, niſi cautè ac diligenter attendas, nec advertente.

Notandum eſt 2° Pelagianos potuiſſe, illæſâ ſuâ hæreſi, ſublatâque penitus omni gratiâ interiore, hujusmodi prædeſtinationem apparenter gratuitam admittere: dicendo nimirum Deum, cui omnia conditionatè futura ab æterno ſunt cognita, nonnullis à ſe gratis diſcretis ſpeciali miſericordiâ elegiſſe illa tempora illaſque circumſtantias, in quibus prævidebat eos benè uſuros eſſe libero ſuo arbitrio, & vitam æternam promerituros; alios verò judicio, occulto quidem, ſed tamen juſto, poſuiſſe in illis circumſtantiis, in quibus prævidebat eos perſeveranter peccaturos, & ſupplicio æterno puniendos. Non dico Pelagianos id cogitaſſe, ſed dico illos, retentâ alioqui ſui erroris virulentiâ, ita ſentire potuiſſe.

Utriusque illius opinionis, Molinæ dico & Congruiſtarum, fundamenta Libris præcedentibus jam diruta ſunt. Scientia media præcedens decretum ſublata eſt de medio, tanquam doctrinæ SS. Patrum ſimul & rectæ rationi contraria. Gratiæ ſeipſâ efficacis ad ſingulos actus, quibus ad ſalutem tenditur, neceſſitas expreſſis Scripturarum & SS. Doctorum teſtimoniis demonſtrata eſt. Oſtenſum eſt etiam ſyſtema gratiæ quam vocant congruam inconcuſſis fidei principiis repugnare. Quid ſequitur, niſi prædeſtinationem omnino gratuitam eſſe, à mero Dei beneplacito

 pen-

pendere, atque antecedere prævifionem qualiumcunque meritorum, ſive abſolutè, ſive conditionatè futurorum; ſive illa prævifio ſtatuatur ut cauſa decreti, ſive ſtatuatur tantùm ut directiva decreti.

Hæc ſententia eſt omnium Thomiſtarum & Auguſtinianorum; excepto quòd Auguſtiniani aliter de Angelorum, aliter de hominum prædeſtinatione ſentiunt: illam quippe dicunt ex prævifis meritis factam, hanc prorſus negant. Sed hic non agitur de Angelorum prædeſtinatione, quam pariter gratuitam fuiſſe probant quæ Libro tertio de ſtatu innocentiæ dicta ſunt.

Directis igitur argumentis demonſtrandum nobis eſt prædeſtinationem hominum antecedere omnem meritorum prævifionem, etiam conditionatam: hoc primum. Deinde oſtendendum hanc doctrinam ad fidem catholicam pertinere: hoc ſecundum.

PRIMA PROPOSITIO.

Hominum prædeſtinatio pendet à mero Dei beneplacito, nec ſupponit in Deo ullam prævifionem meritorum etiam conditionatè futurorum.

Probatio 1ª ex Scripturis.

PROBATUR primò ex Scripturis.

Duplex ſuppeditant Scripturæ Propoſitionis noſtræ argumentum: 1ùm veteris Teſtamenti figuris: deinde expreſſis Spiritûs ſancti oraculis.

I°. Id indicant quæ in ſacris codicibus occurrunt prædeſtinationis imagines. *Omnia* enim Abrahæ ſtirpi *in figura contingebant*, ut ait Apoſtolus, 1 Cor. X. 11.

Prima petitur ex electione Iſaaci præ Iſmaele altero filio Abrahæ & natu majore. Nam quæ cauſa fuit hujus electionis, niſi merum Dei beneplacitum, & gratuita promiſſio præcedens prævifionem futurarum utriusque affectionum? Quàmvis enim ille ex Agar ancilla, hic ex Sara libera natus fuerit, non tamen hinc diſcretionis cauſam repetit ſacer textus, ſed ex eoquòd Iſmael citra miraculum ex fecunda editus, Iſaac verò virtute & efficaciâ divinæ promiſſionis ortus ſit ex ſterili, ut explicat S. Paulus, Rom. IX. 7. 8. & 9. *Non*, inquit, *qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes* (ſunt) *filii; ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen; id eſt: non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine* (hoc eſt, qui vi promiſſionis efficacis naſcuntur, ii reputantur in filios & hæredes Abrahæ). *Promiſſionis autem verbum hoc* Gen. XVIII. 10. *eſt: ſecundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.*

Eviden-

Digitized by Google

Evidentiùs adhuc iſta veritas apparet in duobus Iſaaci filiis gemellis, ſimul conceptis, ſimul natis ex eadem matre; quorum unus, Jacob videlicet, à Deo dilectus eſt & electus in hæredem terræ promiſſionis, quàmvis poſterior natus eſſet, alter, nimirum Eſau, odio habitus eſt, & à poſſeſſione illius terræ excluſus. Nulla præſcientia poteſt aſſignari, quæ vel cauſa fuerit hujus electionis, vel eam præceſſerit tanquam conditio ſine qua non; cùm S. Paulus diſertis verbis definiat nulla hic merita fuiſſe, ſed gratuitum Dei favorem. *Non ſolùm autem illa* (Sara), inquit ibid. v. 10 & ſeq., *ſed & Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Hic excluduntur qualiacunque merita, *non ex operibus*; totaque illa diſcretio ſoli divinæ voluntati & electioni prorſus gratuitæ adſcribitur. *Ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret,..... ex vocante dictum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Malach. I. 2.

Hujus loci anguſtiis coarctati Pelagiani reſpondebant, nondum natorum nulla quidem merita præcedentia, ſed Deum futura illorum opera prævidiſſe, ideòque unum dilexiſſe, alterum odiſſe. Sed hoc effugium præcluſit Apoſtolus, ut obſervat S. Auguſtinus, lib. 1 *Op. imp.* cap. 134, his verbis: „ Non intelligis, non idcò quia talis erat vel talis „ futurus erat (nempe quietus, mitis, obediens parentum præceptis & ſanctificationum appetentiſſimus, Jacob) „ fuiſſe dilectum; ſed ta- „ lem, quia dilectus eſt, factum. Erubeſce, non mentitur Apoſtolus, „ non ex operibus Jacob dilectus eſt, ſi enim gratia, jam non ex ope- „ ribus: ſed gratiâ dilectus, eâdem gratiâ faciente, bonis oportuit ut „ polleret operibus.“ Et certè ſi hæc reſponſio valet, quomodò adeò obtuſus fuit S. Paulus, ut id non intelligeret? Cur hâc ſibi ſtatim propoſitâ quæſtione: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum?* („ Ubi erat locus, ait S. Auguſtinus, Epiſt. 194, olim 106, ad Sixtum, cap. 8. n. 35, „ ut diceret quod iſti ſentiunt: futura enim Deus „ opera prævidebat, quando minori majorem ſerviturum eſſe dicebat.“) Cur non id tam breve, tam apertum, tam ſedandis querelis idoneum non reſpondit, ſed allegat hæc Dei ad Moyſen verba: *Miſerebor cujus miſerebor?*

Non feliciùs inde ſeſe extricant recentiores. Dicunt 1° illa verba, *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, litterali & hiſtorico ſenſu accepta, non intelligi de æterna electione & reprobatione, ſed de bonis maliſque temporalibus. Itaque Deum dilexiſſe Jacob, quoniam dedit ei terram fluentem lacte & melle, & odio habuiſſe Eſaü, quoniam dedit ei terram ſterilem & deſertam. 2°. Etiamſi ad ſpiritualem prædeſtinationis ſenſum ea verba transferantur, nihil inde ſequi; quia S. Paulus non loqui- Tournely, tract. de Attributis, to. n. 2. pag. 554.

loquitur de prædeſtinatione ſingularum perſonarum. 3°. Eum non loqui de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de vocatione ad gratiam Evangelii, quam omnino eſſe gratuitam in tota ad Romanos Epiſtola oſtendit.

Nullius prorſus momenti hæc ſunt. Non primum. Equidem Deus Jacob dilexit, in quantùm dedit ei terram fluentem lacte & melle; ſed illa terra erat imago terræ viventium, ſeu regni cœlorum. Igitur, ſicut ante prævifionem quorumcunque meritorum Deus illam terram Jacob dare decrevit; ita ante omnem prævifionem decrevit electos in veram terram promiſſionis efficaciter introducere. Non etiam ſecundum. Quàmvis enim de vocatione & reprobatione gentium plurima dicat S. Paulus in hac Epiſtola, tamen ex toto capite 9 manifeſtum eſt, & omnes SS. Patres conſentiunt, ibi agi de prædeſtinatione & reprobatione ſingulorum hominum, per Jacob & Eſaü figuratorum. Denique non minùs abſurdum eſt Apoſtoli verba reſtringere ad ſolam prædeſtinationem ad gratiam: tum quia electio ad gratiam Evangelii, ſi ſolitariè accipiatur, nusquam in Scripturis & Traditione prædeſtinationis ſimpliciter dictæ nomen ſortitur; tum quia prædeſtinatio, adumbrata per dilectionem Dei erga Jacob, comprehendit decretum abſolutum perducendi in regnum cœlorum; quemadmodùm divina dilectio erga Jacob comprehendebat decretum fixum & abſolutum Iſraelitas in terram promiſſionis per media certiſſima & efficaciſſima introducendi

Tertia figura eſt Iſraelitarum gratis à Deo electorum ad poſſidendam terram Chanaan, quæ, omnium judicio, typus erat æternæ hæreditatis abſoluto Dei decreto electis præparatæ. Sic enim Iſraelitas jam jam ingreſſuros in illam terram alloquitur Deus per Moyſen, Deut. IX. 4: *Ne dicas in corde tuo, cùm deleverit eos* (populos) *Dominus Deus tuus in conſpectu tuo: propter juſtitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc poſſiderem, cùm propter iniquitates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes. Neque enim propter juſtitias tuas & æquitatem cordis tui ingrederis ut poſſideas terram eorum, ſed quia illæ egerunt impiè, introeunte te, deletæ ſunt, & ut compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub juramento pollicitus eſt patribus tuis, Abraham, Iſaac & Jacob. Scito ergo quòd non propter juſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, cùm duriſſimæ cervicis ſis populus.* Si autem inſuper quæramus quam ob cauſam Deus juraverit ſe poſteris ipſius daturum eam terram fertiliſſimam, dicendum eſt cum S. Thoma, 1. 2. q. 98. art. 4. in corp. „ non etiam fuiſſe propter meritum ipſius Abrahæ, ut talis promiſſio „ ipſi fieret, ut ſcilicet Chriſtus ex ejus ſemine naſceretur" (ideòque ejus poſteritas ſpecialibus beneficiis cumularetur), „ ſed ex gratuita Dei „ electione & vocatione. Unde dicitur...... Deuter. IV: *Audiſti verba* „ *illius de medio ignis, quoniam dilexit patres tuos, & elegit ſemen eorum* „ *poſt illos.*" Reverâ Abraham ejusque familia, antequàm à Deo ſpeciali favore vocaretur ut ſequeretur ſe, Diis alienis ſerviebat, ut teſtatur ipſe-

Digitized by Google

ipſemet Deus, Joſue XXIV. 2: *Trans fluvium*, ait, *habitaverunt Patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, ſervieruntque Diis alienis. Tuli ergo patrem veſtrum Abraham.*

Ultimam gratuitæ prædeſtinationis imaginem habemus 2 Regum, VIII. 2, ubi refertur Davidem pugnaſſe adverſus Moabitas, à quibus gravi injuriâ fuerat affectus, ac, reportatâ victoriâ, *menſum eſſe duos funiculos, unum ad occidendum, alterum ad vivificandum.* Sanè omnium Moabitarum una erat eademque cauſa: dividuntur tamen in duas partes, unam ſervandam, alteram morte, quam omnes debebant, damnandam; & hæc diſcretio non meritorum fuit, ſed ſortis, in qua nullum locum habet induſtria. Quid porro per Moabitas vivificatos, niſi electi à communi damnationis maſſa ſorte diſcreti; quid per occiſos, niſi reprobi in eadem maſſa derelicti figurantur? Sed de figuris ſatis; ad veritatem ipſam veniamus.

II°. Abſoluta prædeſtinatio electorum non pendet à præſcientia meritorum, ſi, quæcunque ad ſalutem electorum conducunt, ſint effectus abſolutæ prædeſtinationis. Atqui rem ita eſſe novi Teſtamenti oracula clarè definiunt.

Matth. XXIV. 24. Chriſtus de fine mundi loquens: *Erit tunc*, inquit, *tribulatio magna...... Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur dies illi...... Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Quod quidem & ſingularem in electos Dei benevolentiam, & invictam divini propoſiti efficaciam demonſtrat. Non enim quia ſeduci ſe non patientur, ideò electi ſunt; ſed, quia electi ſunt, ideò efficaciter operabitur Deus ne ſeducantur.

Fruſtra reſpondet Tournely ſenſum Chriſti eſſe Deum, in gratiam fidelium, qui more Scripturæ electi dicuntur, ne fortè eorum fides in tanta calamitate & ſeductione deficeret, dies illos contraxiſſe & abbreviaſſe. Etſi enim concederemus fideles interdum in Scripturis electos dici, nihilominùs hoc in loco nomine electorum ſoli prædeſtinati intelligi poſſunt: de iis quippe electis agitur, qui fieri non poteſt ut in errorem inducantur; quod profectò non omnibus fidelibus, ſed ſolis convenit prædeſtinatis, ideòque convenit, quia ideò electi ac prædeſtinati ſunt ut non pereant. (Tom. 2 de Attributis, pag. 5.6.)

Eumdem ſenſum exhibet quod de electis dicitur, Sap. IV. 11: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Et poſteà, v. 14: *Placita erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum...... Quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in ſanctos ejus, & reſpectus in electos illius.* Conſtat enim hanc miſericordiam non omnibus impendi juſtis, ſed tantùm prædeſtinatis, ideòque impendi quia ſunt prædeſtinati.

Joann.

Joann. X. 28, Chriſtus rurſum ait: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, ... & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Hic ovium nomine non poſſunt intelligi omnes fideles, nec nomine vitæ æternæ poteſt intelligi ſola fides in Deum verum & Jeſum Chriſtum, ut vult Tournely. Siquidem Chriſtus expreſſè dicit illas oves non eſſe perituras in æternum, & neminem eas rapturum de manu ſua & Patris ſui: quod clarum eſt non de omnibus fidelibus, quorum multi non perſeverant, ſed de ſolis prædeſtinatis ad ſalutem æternam poſſe intelligi. Atqui patet illorum electionem eſſe planè gratuitam, nec ſupponere prævisionem meritorum. Nam 1° reprobi dicuntur à Chriſto non credere, quia non ſunt ex ovibus; non autem dicuntur ideò non eſſe ex ovibus, quia non credunt. Unde tamen non ſequitur reprobationem eis eſſe cauſam non credendi, ſed tantùm ideò non eis dari fidem, quia non ſunt prædeſtinati. 2°. Chriſtus non dicit, eos qui vocem ipſius audiunt, eſſe oves, ſed eos audire qui oves ſunt, ut ipſa prædeſtinatio ſit eis cauſa efficax credendi. 3°. Non ait Chriſtus idcirco oves ſuas non perituras eſſe, quia falli non poteſt ſua & Patris ſui præſcientia, quâ præſcivit eas credituras & in bono perſeveraturas; ſed eoquòd Pater, qui ſibi eas dedit, ſit omnipotens majorque omnibus; ſignificans certitudinem ſalutis prædeſtinatorum fundari imprimis in omnipotentia divina, cui reſiſtere nemo poteſt, rapiendo de ipſius manu quos ſalvare decrevit.

Ibid. pag. 548.

Actorum XIII. 48, S. Lucas, relatâ Pauli prædicatione: *Crediderunt*, inquit, *quotquot erant præordinati ad vitam æternam:* quod apertè ſignificat præordinationem ad vitam æternam fuiſſe cauſam illorum fidei, non ſequelam. Ordinantur itaque prædeſtinati ad vitam æternam priusquàm credituri præcnoſcantur; & ideò credunt, quòd præordinati ſunt. Futilis eſt hujus loci expoſitio quam tradit Tournely, ſcilicet per vitam æternam hìc poſſe fidem intelligi; ut ſenſus ſit, eos omnes crediddiſſe, qui ad credendum ab æterno erant præordinati; *hoc eſt*, inquit, *diſpoſiti, benè affecti, benè comparati.* Nam, ut omittam quàm incongruum ſit eos ad vitam æternam præordinatos intelligi, qui cum Chriſto non victuri ſunt in æternum, quàmque inauditum ſit in Scripturis fidem temporaneam appellari vitam æternam, certè ex gravi & alta ſententia omnino ineptam & frigidam ſententiam facit illa omnibus Eccleſiæ Doctoribus hactenus incognita interpretatio.

Ibid.

S. Paulus, ad Epheſios, cap. 1, ait: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate: qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſi-*

poſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ ejus,..... ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo...... In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ ejus. Quot ſunt hic verba, tot ſunt doctrinæ quam adſtruimus invictiſſima argumenta. 1°. Apoſtolus dicit Deum nos elegiſſe ante conſtitutionem mundi, non quia futuri eramus ſancti, ſed *ut eſſemus:* quo liquet electionem non ſupponere merita prævisa, ſed facere merita. 2°. Multoties repetit Deum nos prædeſtinaſſe *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ſuum*, eumque *operari omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:* non ergo ſecundum prævisas voluntatis humanæ determinationes. 3°. Addit Deum ſic nos prædeſtinaſſe in *laudem gloriæ gratiæ ſuæ, ſecundùm divitias gratiæ ejus, ut ſimus in laudem gloriæ ejus:* quibus verbis indicatur omnino gratuita, & à futuris meritis prorſus independens miſericordia. 4°. Divinam electionem *ſortem* appellat, ut intelligamus nihil cauſæ eſſe in electis cur potius quàm alii prædeſtinati ſint.

Inficiari non audet Tournely electionem ibi commendatam prorſus eſſe *Ibid. pag. 549.* gratuitam; ſed contendit de electione ad gratiam loqui Apoſtolum, non verò de electione ad gloriam: tum quia omnes Epheſios, ad quos ſcribebat, alloquitur, qui tamen non omnes erant prædeſtinati; tum quia gratias Deo agit de illorum vocatione, juſtificatione, aliiſque donis, quæ dicit ipſis collata ſecundum æternam electionem & prædeſtinationem. Sed iſtam expoſitionem refellunt partim SS. Patres illius textûs interpretes, partim ipſamet textûs verba. Ubinam in Scripturis vox prædeſtinatorum abſolutè prolata alios ſignificat quàm prædeſtinatos ad gloriam? Neque valent allata in contrarium momenta. Quàmvis enim non omnes Epheſii eſſent prædeſtinati, nihilominus eos tanquam prædeſtinatos alloqui potuit S. Paulus, tum quia omnes fideles humiliter confidere debent ſe de numero eſſe prædeſtinatorum, tum quia, quidquid in Eccleſia ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus geritur, ad ſalutem electorum ultimò tendit, juxta illud ejuſdem Apoſtoli: *Omnia autem ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur.* Angelorum quoque miniſterium ad prædeſtinatorum ſalutem à Deo referri docet idem Apoſtolus, Hebr. I. 14: *Omnes ſunt*, ait, *adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.* Reverà in Apoſtolorum Epiſtolis nihil eſt frequentius, quàm fideles, ad quos ſcribunt, velut prædeſtinatos affari: v. g. 2 Theſſal. III. 3: *Fidelis Deus eſt, qui confirmabit vos & cuſtodiet à malo;* 1 Cor. I. 8: *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine.* Non omnibus tamen id boni contingere debebat, ſed ſolis perſeveraturis uſque in finem.

Philipp. I. 6 & 7: *Confidens hoc ipſum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu; ſicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eoquòd habeam vos in corde.* Igitur etſi ignorabat S. Paulus quinam ex Epheſiis eſſent prædeſtinati, quia tamen jam acceperant fidem, quæ primus eſt prædeſtinationis effectus, & confidebat Deum, qui jam cœperat in eis opus bonum, perſeverantiam daturum, ex illa confidentia Deum benedicit quòd eos in Chriſto prædeſtinaſſet & elegiſſet ante mundi conſtitutionem.

Tota ferè ad Romanos Epiſtola eidem probandæ impenditur veritati, ut invictè demonſtrant tum apertiſſimæ Apoſtoli ſententiæ, tum objectiones quas ſibi proponit, tum ea quæ ad illas ſolvendas reponit.

Primò quidem ſententiæ Apoſtoli. Cap. VI. 23, cùm dixiſſet *ſtipendia peccati* eſſe *mortem*, non addit ſtipendium bonorum operum eſſe vitam æternam, quod tamen dicere potuiſſet; ſed dicit: *gratia autem Dei vita æterna;* quia ſcilicet eis operibus gratis præparata eſt, quæ ſunt gratiæ dona & ipſius prædeſtinationis effectus. Sed capitibus præſertim 8, 9 & 11 hoc argumentum pertractat. Cap. VIII. 28: *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* non omnibus indiſcriminatim diligentibus; nam, eis qui in juſtitia non perſeverant, non omnia cooperari in bonum certum eſt, ſed *iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*, ſecundùm propoſitum, inquam, non ſuum, ſed Dei prædeſtinantis ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ut dicitur Epheſ. I, & exponunt poſt S. Auguſtinum plerique SS. Patres & interpretes. „ Uſque adeò autem prorſus omnia talibus cooperantur in „ bonum, ait S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 9. n. 23, „ ut, etiam ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat „ (Deus) proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.“

Pergit Apoſtolus v. 29: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus; quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Quid clarius quàm illic deſignari abſolutum & efficax Dei propoſitum, non omnibus fidelibus commune, ut vult Tournely, ſed ſolis ad regnum cœleſte prædeſtinatis proprium; atque adeò non propter prævisionem meritorum eos fuiſſe prædeſtinatos, ſed è contrario prædeſtinationem eis cauſam eſſe vocationis ſecundùm propoſitum, deinde juſtificationis, deinde & glorificationis æternæ? Nam de gloria æterna in cœlis, non autem de quadam illuſtratione externa in donis linguarum & miraculorum poſita, ut exiſtimat Tournely, loqui S. Paulum, nimis opinor evidens eſt quàm ut probatione indigeat.

Tom. 2 de Attributis, pag. 650.

Ibid. pag. 551.

Nec dicas illud Dei propoſitum niti præſcientiâ, Apoſtolo dicente: *quos præſcivit, & prædeſtinavit;* hoc eſt, quos præſcivit gratiâ benè uſuros, eos prædeſtinavit ad gloriam. Non enim de præſcientia futurorum meri-

meritorum ibi loquitur S. Paulus, ſed de præcognitione ſeu prædilectione ipſorum hominum; quo ſenſu dicitur in eadem Epiſt. cap. XI. 2: *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit*, more ſcilicet loquendi in Scripturis frequentiſſimo, quo notitia pro dilectione ponitur. Hinc Apoſtolus non ait, quorum bona opera & obedientiam præſcivit, vel *quos præſcivit* benè victuros & gratiâ benè uſuros, ſed abſolutè, *quos præſcivit*, hoc eſt, quos prædilexit.

Quàm verò efficax ſit atque invictum iſtud prædiligentis ac prædeſtinantis Dei propoſitum, declarat confeſtim idem Apoſtolus. *Quid ergo*, ait v. 31, *dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accuſabit adverſùs electos Dei? Deus qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos ſeparabit à caritate Chriſti* (ſive quâ nos eum diligimus, ſive quâ nos ipſe diligit)? *Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius?..... Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Intellige vim caritatis illius quâ Deus electos ſuos complectitur, ſeque ab ipſis diligi facit, ad præſtandum efficaciter quæ vult eis donare, & ſuperandum omnia contraria.

Ibi manifeſtè loquitur S. Paulus in perſona prædeſtinatorum, è quorum numero ſe eſſe & confidebat, & quiſque Chriſtianus humiliter confidere debet. Ait autem futuram illorum perſeverantiam certam eſſe atque immotam, non ex perſeverantiæ, ſive abſolutæ, ſive conditionatæ, infallibilitate, ſed ex virtute invictiſſima caritatis Dei, qui pro illis in æternum liberandis Filium ſuum tradidit, & ex potenti dilectione Filii, qui pro ipſis mortuus & à morte excitatus jugiter ad dexteram Patris interpellat. *In omnibus ſuperamus*, inquit, *propter eum*, vel *per eum qui dilexit nos*: διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. Neque ait nullam creaturam efficere poſſe ut præſcientia Dei, quæ illos conſenſuros prænovit, fallatur; ſed nullam creaturam illos ſeparare poſſe à caritate Dei. „ Summa igitur „ eſt, concludit Eſtius in hunc locum, tam potentem & efficacem, tam„ que certam & immutabilem eſſe Dei dilectionem, quâ nos ad ſalutem „ vult provehere, ut nulla prorſus creatura nos ab ea divellere poſſit, „ faciendo ut ille nos deſinat amare, aut certè ut illius amor ſuo fruſ„ tretur effectu, id eſt, noſtrâ ſalute."

2°. Objectiones, quas ſibi S. Paulus proponit, & quæ ad eas reſpondet, idipſum ſupponunt atque adſtruunt.

Opponit ſibi 1° plurimos Judæorum à ſalute excludi, quàmvis ad eos præſertim Dei promiſſio ac prædeſtinatio pertinere videatur: & reſpondet illorum lapſum minimè officere efficaciæ & immobilitati divinarum promiſſionum, eoquòd non omnes ex Abrahamo prognati ad has pertineant promiſſiones, ſed ii ſoli qui gratiâ ſingulari ac ſeipſâ efficaci, in Iſaaci conceptione & Jacobi electione adumbratâ, eliguntur ac diſcernuntur. *Non autem quòd exciderit verbum Dei*, inquit cap. IX. 6; *non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ* (ad quos ſpectat ſpiritualis promiſſio); *neque, qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii* (& cœleſtis hæreditatis participes), *ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.* Sanè dicatur æterna prædeſtinatio ſupponere præviſionem abſolutam aut conditionatam futurorum meritorum, ſi dici poteſt Deus ex præſcientia aliqua præcedente promiſiſſe Abrahamo, fore ut filium ex Sara ſterili & nonagenaria conciperet. Si autem ea promiſſio non aliquâ præſcientiâ, ſed ſolâ voluntate atque omnipotentiâ Dei nixa fuit, clarum eſt nullam quoque præſcientiam decreto prædeſtinationis præluxiſſe.

2°. Allato exemplo duorum gemellorum Jacob & Eſaü, ſibi rurſum objicit iniquum eſſe Deum, ſi in cauſa planè ſimili quoſdam præ aliis eligat. *Quid ergo dicemus*, inquit? *Numquid iniquitas apud Deum?* Quæ objectio evidenter ſupponit prædeſtinationem non fieri poſt præviſa merita: tunc enim nulla eſſe poteſt iniquitatis umbra, vel tenuiſſima. Non autem reſpondet idcirco Deum non eſſe iniquum, quia pro variis hominum præviſis diſpoſitionibus & affectionibus eos eligit vel relinquit; ſed reſpondet ideò non eſſe iniquum, quia nihil debet, & gratuita miſericordia eſt ſi quoſdam liberet. Abſit, ait verſ. 14, ut
Exod. XXXIII. 19. ideò ſit iniquitas apud Deum? *Moyſi enim dicit: miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor. Igitur non volentis, neque*
Ibid. IX. 16. *currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quid luculentius?

Tertia objectio eſt contra vindicem Dei juſtitiam. Si enim totum pendet ex miſericordia Dei quos vult liberantis, cur ergo de reprobis queritur eoſque puniturus eſt? Quis poteſt fruſtrare divinam voluntatem, ut non faciat quod vult? *Dicis itaque mihi*, inquit v. 19, *quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Senſu planè caret iſta objectio, ſi divina prædeſtinatio nihil, niſi exploratis priùs voluntatum determinationibus, decernit. Hoc ſaltem reſpondere debuit Apoſtolus, ſi prædeſtinationi præſcientia prælucere debuit. At contra reprimit humanam audaciam adverſùs divina decreta ſeſe extollentem, quaſi Deus non ſit ſupremus creaturarum quas condidit arbiter, & quaſi ſummum jus non habeat faciendi quod voluerit. *O homo*, inquit v. 20, *tu quis*

es.

Digitized by Google

es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quòd ſi Deus, volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta (gr. *aptata*) *in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Poterat reſpondere Apôſtolus, & veraciter reſpondiſſet, Deum juſtè queri de peccatoribus, quia propriæ voluntatis electione, non Deo impellente, peccant, poſſéntque non peccare, ſi vellent. Sed rem altius repetit, minuſque attendit objectionem ipſam quàm cauſam objiciendi; illud videlicet quod dixerat: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Reſpondet itaque non eſſe petendam ab homine rationem divinæ voluntatis, Deumque non minorem habere poteſtatem alios liberandi, alios in maſſa damnationis relinquendi, quàm habeat figulus ex eadem luti maſſa faciendi aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Certè nemo, niſi fortè inſanus, dixerit figulum, antequàm vas aliquod faciat in honorem, priùs explorare futuram, vel abſolutè, vel conditionatè, diſpoſitionem luti. Ergo, à pari, divinum prædeſtinationis decretum nullam ſupponit in Deo præſcientiam meritorum quocunque modo futurorum.

Dicent ne Apoſtolum loqui duntaxat de prædeſtinatione ad gratiam, non ad gloriam? Sed hoc effugium, quod jam præcluſimus, expreſſè illis adimit S. Paulus, cùm electos vocat *vaſa miſericordiæ, quæ præparavit* (Deus) *in gloriam.* Nam admitti nequit commentarius Tournely dicentis, nomine gloriæ hoc loco non intelligi felicitatem æternam in cœlo electis præparatam, ſed vel ſplendorem eorum qui ad gratiam Evangelii vocantur, vel (quod, ait, veriſimilius eſt) manifeſtationem exteriorem gloriæ Dei in vaſis electionis. Id, inquam, admitti nequit, tum quia Apoſtolus non ait, quæ præparavit in gloriam ſuam, ſed ſimpliciter in gloriam, hoc eſt, ad fruendum gloriâ; tum quia opponit vaſis iræ aptatis in interitum vaſa miſericordiæ præparata in gloriam, utique ipſorum, ſicut illa aptata dicuntur ad ſuum ipſorum interitum, tametſi ulteriùs ad Dei gloriam cedat utrumque; tum denique quia aliàs dici deberet Apoſtolus idipſum bis in eodem verſiculo frigidè repetere: jam enim dixerat Deum manifeſtare in electis gloriam ſuam: *ut oſtenderet,* inquit, *divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Tr. de Attrib. tom. 2. p. 568.

Neque inde ſequitur, ut contendit idem auctor, reprobationem ad pœnam æternam fieri quoque ante præviſa demerita, & ex ſolo Dei beneplacito; ut oſtendetur, ubi agemus de reprobatione.

Capite XI idem argumentum proſequitur S. Paulus, doctrinamque à ſe ſtabilitam denuò confirmat ex ſucceſſiva electione Judæorum ac Gentilium. Ac primum quidem, occaſione rejectionis plerorumque Judæorum, ſibimet objicit: *Dico ergo: numquid Deus repulit populum ſuum?*

Abſit...... Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit; hoc eſt, ut exponunt omnes interpretes, quam præelegit ac prædeſtinavit. Deinde paucis illis Judæis, qui tempore Apoſtolorum crediderunt in Chriſtum, applicat divinum reſponſum ad Eliam factum: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo,* inquit, *& in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ* (hoc eſt, omnino gratuitam) *ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia. Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus; electio autem conſecuta eſt:* hoc eſt, illi conſecuti ſunt, qui ſingulari gratiæ beneficio electi ſunt: *cæteri verò excæcati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem.* Reſpondet 2° gentis Iſraeliticæ plenitudinem definito tempore convertendam, futuramque divitias gentium: *concluſit enim Deus omnia in incredulitate,* inquit, *ut omnium miſereatur.* Quis non ibi agnoſcat electionem omnino independentem à præſcientia meritorum? Fateor hanc electionem eſſe ad gratiam: ſed, præterquàm quòd electio ad gratiam Evangelii primus effectus eſt prædeſtinationis ad gloriam, in eis qui ad illam prædeſtinati ſunt, ſaltem clarum eſt electionem illam eſſe ad gratiam per ſe efficacem non omnibus datam, ſpeciali Dei miſericordiâ conceſſam; quod ſatis eſt ad refellendam ſententiam adverſariorum, qui gratiam volunt omnibus dari, atque ex bono illius uſu abſolutè vel conditionatè præcognito Dei decreta efformari.

Ibid. v. 33 & ſeq. Tandem profundiſſimam illam conſiderationem terminat Apoſtolus hâc exclamatione: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. Amen.* Ubinam, quæſo, eſt illa tremenda altitudo, ſi ex prævisis bonis aut malis operibus prædeſtinatur quisque vel reprobatur? Quid eſt tam incomprehenſibile, ſi ex voluntatum diverſis determinationibus pendet iſtius ſolutio quæſtionis? Quomodò non homo prior dedit Deo, ut retribuatur ei, ſi propter prævisum gratiæ uſum prædeſtinatur, aut ſaltem ſi, ut Congruiſtis placet, non priùs prædeſtinatur, quàm per gratiæ uſum conditionatè futurum prævisus ſit prædeſtinabilis, & ad talem gloriæ gradum prædeſtinabilis? Quomodò denique ex Deo & per Deum ſunt omnia, ſi antecedenter ad decretum ſuæ voluntatis prævidit aliquid ex humana oriturum voluntate?

Apoſtolicam doctrinam non parum illuſtrat Eccleſiaſticus, cap. XXXV. 7, ſimilitudine dierum & annorum, quorum alii, ut ſabbathum, annus ſabbathicus & jubilæus, Deo ſic volente & inſtituente, ſacri ſunt, alii communes remanent, alii læti ac ſereni, alii infauſti & nebuloſi, licet ſeip-

ſeipſis omnino pares ſint. *Quare*, inquit, *dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole? A Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto ſole & præceptum cuſtodiente, & immutavit tempora & dies feſtos ipſorum, & in illis dies feſtos celebraverunt ad horam; ex ipſis exaltavit & magnificavit Deus, & ex ipſis poſuit in numerum dierum*, hoc eſt, communes reliquit, nulloque ſingulari honore decoravit. Deinde id applicat prædeſtinationi & reprobationi hominum. *Et omnes homines*, inquit, *de ſolo & ex terra, unde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit* (hoc eſt, diſtinxit) *eos, & immutavit* (ſive diſcrevit) *vias eorum. Ex ipſis benedixit & exaltavit, & ex ipſis ſanctificavit & ad ſe applicavit: & ex ipſis maledixit & humiliavit, & convertit illos à ſeparatione ipſorum* (græcè clariùs: *& ſubvertit illos à ſtationibus*, ſive *ſedibus ſuis*). *Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud & diſponere, omnes viæ ejus* (luti) *ſecundùm diſpoſitionem ejus* (figuli); *ſic homo in manu illius qui ſe fecit, & reddit illi ſecundùm judicium ſuum.* Denique addit ſimilem in cunctis Dei operibus diſcretionem inveniri. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum juſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & unum contra unum:* hoc eſt, plura ſunt oppoſitorum paria, quorum unum eſt alteri contrarium, ut calori frigus, ſanitati invaletudo, divitiis paupertas &c. Dicant, quæſo, Moliniani ac Congruiſtæ cujus rei præſcientiâ abſolutâ vel conditionatâ Deus directus ſit ad diſcernendos ſacros dies à prophanis, vel ad diſtinguendas oppoſitis qualitatibus à ſe mutuò omnes ſuas creaturas; vel quid figulus in luto præſciat futurum abſolutè aut conditionatè, priusquàm vas determinatum inde fingere conſtituat. Si ad hæc nulla, omnium judicio, præſcientia requiritur, cur fateri nolunt decretum quoque prædeſtinationis non ſupponere in Deo ullam explorationem voluntatum; quandoquidem, teſte Eccleſiaſtico, electorum à reprobis diſcretio non minus à ſummo Dei dominio ac mero beneplacito pendet, quàm diſcretio dierum ſacrorum & communium; omnesque viæ ſeu actiones hominis tam ſunt in manu Dei & ejus diſpoſitioni ſubduntur, quàm omnes figuræ luti ſubſunt fingentis arbitrio?

Probatio ſecunda ex ſanctis Patribus.

Relatis atque expoſitis ſacrarum Scripturarum oraculis, veniendum jam ad SS. Patres Scripturæ ac Traditionis interpretes, ac probandum veritatem quam tuemur, in ſacro textu apertiſſimè fundatam, conſtanti & perpetuâ ſerie ad nos usque perveniſſe.

Duo ſunt apud Eccleſiæ Doctores certa & immota, quæ Propoſitionem noſtram diſertè adſtruunt. Primum, Deum gratuitâ miſericordiâ elegiſſe quos voluit, non quia prævidebat eos futuros ſanctos, ſed ut tales eos gratiâ ſuâ victrici efficeret. Alterum, Deum in prædeſtinatis

tis nihil præſciviſſe niſi dona ſua, ac proinde præſcientiam non præcedere decretum, ſed, juxta noſtrum concipiendi modum, ſubſequi. Hæc duo ipſiſmet eorum verbis demonſtranda ſunt.

Primùm igitur docent SS. Patres Deum gratuitâ miſericordiâ elegiſſe & prædeſtinaſſe quos voluit; non quia prævidit eos futuros ſanctos & ſibi obedientes, ſed ut tales eos gratiâ ſuâ victrici efficeret.

S. Clemens Romanus, in Epiſt. 1 ad Corinth. n. 38, cùm dixiſſet neminem de quibuscunque virtutibus aut bonis operibus in ſe gloriari debere, ſed in Deo, ſubjungit: „ Repuтemus, fratres, ex qua materia „ creati ſumus, qui & quales in mundum ingreſſi ſimus, tanquam è „ ſepulchro & tenebris. Auctor & opifex noſter in mundum ſuum nos „ introduxit, præparatis, antequàm naſceremur, beneficiis ſuis. Hæc „ igitur omnia ab eo habentes in omnibus ei gratias agere debemus, „ cui gloria in ſæcula ſæculorum.“ Hinc gloriæ retributionem gratuitam eſſe aſſerit n. 32. „ Omnes igitur, inquit, gloriam & amplitudinem „ conſecuti ſumus; non per ſeipſos, aut opera ſua, aut juſtas actiones „ quas fecerunt, ſed per voluntatem Dei;“ à quo ſcilicet bona omnia ipſis ab initio præparata & in tempore data ſunt.

S. Irenæus, lib. 2 *Adv. Hær.* cap. 10. n. 3, al. cap. 4, propoſitis nonnullis circa ſalutem hominum quæſtionibus, nempe: „ Quare teſtamen„ ta multa tradita humano generi?..... Quare concluſit omnia in in„ credulitatem Deus, ut univerſis miſereatur?..... Quare in noviſſimis „ temporibus adventus Filii Dei, hoc eſt, in fine apparuerit, & non in „ initio?..... Et quare deſperatas gentes cohæredes, & concorporales, „ & participes ſanctorum fecit Deus; & quemadmodùm factus eſt, qui „ non erat populus, populus, & non dilecta, dilecta?“ Reſpondet „ in talibus & in ſimilibus exclamaſſe Apoſtolum: O altitudo divi„ tiarum ſapientiæ & agnitionis Dei! Quam inſcrutabilia judicia ejus & „ inveſtigabiles viæ ejus!“

Tertullianus, lib. *de Patientia*, cap. 1: „ Ad capienda, inquit, & „ præſtanda ea (bona gratiæ ſcilicet & gloriæ) ſola gratia divinæ in„ ſpirationis operatur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes „ Deum, nec alius id, quàm qui poſſidet, diſpenſat, ut cuique digna„ tur.“ Si gratia ſola, id eſt, per ſe operatur (non enim excludit Tertullianus cooperationem liberi arbitrii, ſed eam ipſimet gratiæ attribuit), præſcientiâ prælucente non opus eſt. Si Deus bona, quæ ſolus poſſidet, diſpenſat ut cuique dignatur, non ergo priùs explorat conſenſum voluntatis quàm ea diſpenſet.

S. Cyprianus, lib. 3 *ad Quirinum*, cap. 4: „ In nullo gloriandum, „ quando noſtrum nihil ſit.“ Si noſtrum nihil eſt, nihil in nobis Deus, antequàm dare decerneret, præſcivit. Unde S. Auguſtinus, allatis his B. Cypriani verbis, concludit, lib. *de Dono perſev.* cap. 4. n. 36, eum „ utique prædeſtinationem certiſſimam pronuntiaſſe.“

Idem

Idem, Epiſt. 20 ad Cornelium Papam (quæ eſt 59 edit. Oxon. 1700, & 55 edit. prioris, p. 81), cùm dixiſſet, „ eos qui à Chriſto receſſe-„ rint, culpâ ſuâ perire," addit „ plantationem plantatam à Deo Pa-„ tre non eſſe, quos videmus non frumenti ſtabilitate ſolidari, ſed „ tanquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu ventilari, de quibus & „ Joann. in Epiſt. ſua dicit: *Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex no-„ bis: nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.*"

S. Ephrem, Serm. 1 de Compunctione (edit. Voſſii pag. 113): „ Sicut hic gratia tua mihi, quàmvis indigno, fuit cunctis horis lux, „ protectio, ſuſceptio, perfugium & gaudium, ita illic ſub umbra ala-„ rum tuarum protegar, ut ad dexteram tuam collocatus, & in regnum „ tuum *ſolâ miſericordiâ & gratiâ tuâ* admiſſus, immenſam bonitatem „ tuam omni tempore collaudem."

S. Hilarius, in pſalm 67. n. 29, explicans hæc verba: *Manda Deus virtuti tuæ* (id eſt, Chriſto): *confirma hoc, Deus, quod operatus es* (æternitate decreti tui) *in nobis*, ſic loquitur: „ Virtuti ſuæ (mandavit) Deus, „ unigenito ſcilicet Deo, qui & Dei virtus eſt. Dehinc, quia rerum „ ſubitarum in Deum non cadit nova recenſque molitio, cujus ſcien-„ tiam non ſubterfugiant quæ gerenda ſunt, quia natura ejus univerſa „ quæ erunt virtutis ſuæ poteſtate complexa eſt, id nunc confirmari „ Propheta poſtulat, quod jam ſit idem Deus operatus in nobis, ſecun-„ dùm illud Apoſtoli: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu „ Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus: „ in quo & elegit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & im-„ maculati in ipſo.* Deus itaque, qui ſecundùm Prophetam fecit quæ „ ventura ſunt, ea quæ jam ante conſtitutionem mundi per definitionem „ gerendorum operatus in nobis eſt, confirmavit in Domino."

S. Baſilius magnus, in pſalm. 114. n. 5: „ Iis qui legitimè in hac „ vita decertaverunt ſempiterna requies propoſita eſt; quæ non ex „ operum debito redditur, ſed ex Dei munificentiſſima gratia iis qui in „ ipſo ſpem habuêre datur." S. Gregorius Nyſſenus, l. 2 in Pſalm. 14: „ Licet hoſtis gravis ſit impreſſio, inquit, repellitur tamen, ô Deus, „ auxilio tuo. Nam gratis hominibus ſalus à te venit, non ex operi-„ bus juſtitiæ, ſed ex ſola gratia tua: *pro nihilo enim ſalvos facies „ illos.*"

S. Ambroſius, lib. 7 in Lucam, n. 27: „ Deus quos dignatur vocat, „ & quem vult religioſum facit." Totum ergo à mera Dei voluntate pendet. Et in pſalm. 118, ſerm. 15. n. 30: „ Ergo vel inter An-„ gelos annumeratus dicas oportet juſtificationes Dei ſemper, & illam, „ quam adeptus es, gloriam non tuis meritis arroges, ſed divinæ mi-„ ſerationi ſemper adſcribas, ne tibi dicatur: *Quid autem habes quod „ non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* „ Omnis enim creatura, quæcunque bona habet, accepit à Chriſto,

„ qui totius eſt auctor creaturæ.“ Denique ſerm. 20 in eumdem pſalm. n. 42, in hæc verba: *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro:* „ Cùm ſtipendia peccati dixiſſet „ (Apoſtolus), de bonis agens non eumdem ſervavit ordinem: non „ enim dixit, merces bonorum operum veſtrorum, ſed gratia Dei, oſ- „ tendens illos non per ſeipſos liberatos eſſe, neque debitum accepiſſe, „ neque mercedem vel retributionem, ſed hæc omnia per gratiam facta „ fuiſſe.“

Idem, hom. 2 in Epiſt. ad Coloſſ. n. 2 & 3, commentans iſta verba: *Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine:* „ Talia ſunt quæ „ data ſunt, inquit (Apoſtolus), ut non ſolùm dederit, ſed etiam „ fortes fecerit ad accipiendum...... Duplex ergo eſt hic honor, quòd „ etiam dando aptos fecerit & idoneos. Non dixit ſolummodò, qui „ dedit, ſed etiam, qui ſufficientes & idoneos fecit in partem ſortis „ ſanctorum in lumine...... Cur ſortem vocat? Oſtendens neminem ex „ bonis ſuis actibus & rectè factis regnum aſſequi. Sed ut ſors ex bono „ eventu potiùs accidit, ita hìc quoque. Nullus enim tale vitæ ſuæ „ inſtitutum exhibet, ut dignus habeatur regno, ſed totum eſt ex Dei „ dono.“

S. Hieronymus, in cap. 1 Epiſt. ad Epheſios: „ Non eliguntur Pau- „ lus, inquit, & qui ei ſimiles ſunt, quia erant ſancti & immaculati; „ ſed eliguntur & prædeſtinantur, ut in conſequenti vita per opera at- „ que virtutes ſancti & immaculati fiant.“ Ergo bona opera & virtu- tutes ſunt effectus prædeſtinationis.

Quod ſcriptores Eccleſiaſtici antiquiores, nullâ adhuc hæreticos refel- lendi neceſſitate compulſi, leviter attigerant, hoc S. Auguſtinus adver- ſùs Pelagianos & latiùs exponit & clariùs.

Docet imprimis totum genus humanum per protoparentis noxam ef- fectum eſſe maſſam quamdam perditionis, ſupplicio æterno deputatam; omnes homines in ea maſſa juſtè relinqui potuiſſe, ac ſi inde nonnulli per divinam prædeſtinationem extrahantur, ſingularis id eſſe beneficii & prorſus gratuitæ miſericordiæ. „ Hinc, ait lib. 21 de Civitate Dei, cap. 12, „ eſt univerſa generis humani maſſa damnata: quoniam, qui „ hoc (peccatum) primitùs admiſit, cum ea, quæ in illo fuerat radi- „ cata, ſua ſtirpe punitus eſt, ut nullus ab hoc juſto debitoque ſuppli- „ cio, niſi miſericordiâ & indebitâ gratiâ, liberetur.“ Lib. *de Natura & gratia*, cap. 5: „ Univerſa igitur maſſa pœnas debet, & ſi omnibus „ debitum damnationis ſupplicium redderetur, non injuſtè procul dubio „ redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vaſa merito- „ rum ſuorum, ſed vaſa miſericordiæ nominantur.“ Item lib. de Corrept. & gratia, cap. 10. n. 28: „ Quotquot in hac ſtirpe Dei gratiâ liberan- „ tur, à damnatione utique liberantur quâ jam tenentur obſtricti: un- „ de, etiamſi nullus liberaretur, juſtum Dei judicium nemo juſtè re- „ pre-

Digitized by Google

„ prehenderet. Quòd verò pauci in comparatione pereuntium, in ſuo „ vero numero multi, liberantur, gratiâ fit, gratis fit, gratiæ ſunt „ agendæ quia fit, ne quis velut de ſuis meritis extollatur, ſed omne „ os obſtruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur." Idem inculcat in Enchiridio, cap. 99, & Sermone 26, olim 11 de Verbis Apoſtoli, c. 12. n. 13.

2°. Quid ſit S. Auguſtino liberari à maſſa illa perditionis, declarat ipſemet multis in locis; aitque illos ſolos inde propriè loquendo liberari, qui in æternum liberantur, qui in bono perſeverant usque in finem, qui ſempiternâ felicitate potituri ſunt; hoc eſt, uno verbo, qui ſunt ad gloriam prædeſtinati. „ Qui verò, ait S. Doctor, lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 7. n. 16, „ perſeveraturi non ſunt, & ſic à fide Chriſtia- „ na & converſatione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ hujus finis inve- „ niat, procul dubio nec eo tempore, quo benè pièque vivunt, in iſ- „ torum numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa illa perdi- „ tionis præſcientiâ Dei & prædeſtinatione diſcreti, & ideò nec ſecun- „ dùm propoſitum vocati, ac per hoc non electi; ſed in eis vocati, de „ quibus dictum eſt: *multi vocati;* non in eis de quibus dictum eſt: „ *pauci verò electi.* Et tamen quis neſcit eos electos, cùm credunt & „ baptizantur, & ſecundùm Deum vivunt? Planè dicuntur electi à ne- „ ſcientibus quid futuri ſunt, non ab illo qui eos novit non habere per- „ ſeverantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos." Non negat S. Doctor eos per aliquod tempus verè juſtos fuiſſe, imò contrarium diſertè agnoſcit; ſed negat eos diſcretos eſſe à maſſa perditionis, quia ſcilicet, ad breve tempus à peccati dominio eruti, in eamdem maſſam relapſuri æternùmque in illa manſuri ſunt. Iſtud diligenter eſt obſervandum adverſùs eos qui contendunt S. Auguſtinum, cùm prædeſtinationem gratuitam eſſe docet, de prædeſtinatione ad gratiam tantummodò locutum, non de prædeſtinatione ad gloriam. Hanc evaſionem illis prorſus adimit S. Doctor, tum iſto in loco, tum in aliis plurimis; v. g. ibid. n. 14, ubi, quid electorum nomine poſt Apoſtolum intelligat, his declarat verbis: „ Ex iſtis nullus perit, quia omnes electi ſunt: „ electi ſunt autem, quia ſecundùm propoſitum vocati ſunt, propoſitum „ autem non ſuum, ſed Dei...... Eos itaque vult intelligi (S. Paulus), „ quos (Deus) ſecundùm propoſitum vocavit, ne putentur in eis eſſe „ aliqui vocati & non electi, propter illam Dominicam ſententiam: „ *Multi vocati, pauci electi.* Quicunque enim electi, ſine dubio etiam vo- „ cati; non autem, quicunque vocati, conſequenter electi: illi verò elec- „ ti, ut ſæpè dictum eſt, qui ſecundùm propoſitum vocati, qui etiam „ prædeſtinati atque præſciti. Horum ſi quisquam perit, vitio huma- „ no vincitur Deus...... Electi autem ſunt ad regnandum cum „ Chriſto."

3°. Æternam illam liberationem, ſive prædeſtinationem ad gloriam,

planè gratuitam eſſe, neque ſupponere ullam præviſionem meritorum; adeò manifeſtum eſt apud S. Auguſtinum, ut de ipſius mente nulla poſſit eſſe dubitatio.

Lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7. n. 15: „ Quod à
„ vaſis iræ, inquit, exigit juſtitia punientis, hoc vaſis miſericordiæ
„ dimittit gratia liberantis: nec beneficium, quod quibuſdam gratis tri-
„ buitur, appareret, niſi Deus, aliis ex eadem maſſa pariter reis juſto
„ ſupplicio condemnatis, quid utriſque deberetur oſtenderet. *Quis enim*
„ *te diſcernit*, ait idem Apoſtolus homini tanquam de ſemetipſo & de
„ ſuo proprio bono glorianti? *Quis te diſcernit*, utique à vaſis iræ, à
„ maſſa perditionis, quæ per unum omnes miſit in condemnationem?
„ *Quis te diſcernit?* Et tanquam reſpondiſſet: Diſcernit me fides mea,
„ propoſitum meum, meritum meum: *Quid habes*, inquit, *quod non*
„ *accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Hoc
„ eſt, quaſi de tuo, unde diſcerneris. Ergo ille diſcernit, qui unde
„ diſcerneris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam
„ largiendo: ille diſcernit qui, cùm tenebræ eſſent ſuper abyſſum, di-
„ xit: *Fiat lux, & facta eſt lux; & diviſit*, hoc eſt diſcrevit *inter lu-*
„ *cem & tenebras*. Non enim, cùm ſolæ eſſent tenebræ, quod diſcer-
„ neretur invenit, ſed lucem faciendo diſcrevit, ut juſtificatis impiis
„ dicatur: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; ac,
„ ſi quis gloriatur, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur. Ille diſ-
„ cernit, qui de nondum natis, qui neque aliquid egerunt boni vel
„ mali, ut ſecundùm electionem propoſitum ejus maneret, non ex ope-
„ ribus, ſed ex ſeipſo vocante dixit: *Major ſerviet minori*." Obſerva
eâdem efficaciâ & gratuitate, juxta S. Auguſtinum, diſcerni à reprobis
prædeſtinatos, quâ initio mundi lux creata & diſcreta fuit à tenebris:
quæ profectò diſcretio nullam prorſus ſuppoſuit præſcientiam conditio-
natam.

In libro etiam de Prædeſtinatione SS. cap. 18. n. 37: „ Intueamur,
inquit, „ verba Apoſtoli, atque videamus utrùm propterea nos elegerit
„ ante mundi conſtitutionem, quia ſancti & immaculati futuri eramus,
„ an ut eſſemus. *Benedictus*, inquit, *Deus*, *qui elegit nos in ipſo*
„ (Chriſto) *ante mundi conſtitutionem*, *ut eſſemus ſancti & immaculati*
„ *in conſpectu ejus*: non ergo quia futuri eramus, ſed ut eſſemus.
„ Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt; ideò quippe tales eramus
„ futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans ut tales per gratiam ejus eſſe-
„ mus...... Deinde quid adjungat attendite: *Secundùm placitum*, in-
„ quit, *voluntatis ſuæ*; ne in tanto beneficio gratiæ de placito gloria-
„ remur voluntatis noſtræ. *In qua gratificavit nos*, inquit, *in dilecto*
„ *Filio ſuo*: in qua utique voluntate ſua gratificavit nos. Sic dictum
„ eſt, *gratificavit*, à gratia, ſicut juſtificavit dicitur à juſtitia: *in quo*
„ *habemus*, inquit, *redemptionem*...... *ſecundùm divitias gratiæ ſuæ*,

„ *quæ*

Digitized by Google

„ *quæ abundavit in nobis,..... ſecundùm bonam volantatem ſuam......* „ In hoc myſterio voluntatis ſuæ poſuit divitias gratiæ ſuæ, ſecundùm „ bonam voluntatem ſuam, non ſecundùm noſtram, quæ bona eſſe „ non poteſt, niſi ipſe ſecundùm bonam voluntatem ſuam, ut bona eſſet, „ ſubveniret.“ Et num. ſequente: „ Elegit ergo nos Deus in Chriſto „ ante mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem filio- „ rum, non quia per nos ſancti & immaculati futuri eramus, ſed ele- „ git prædeſtinavitque ut eſſemus. Fecit autem hoc ſecundùm placi- „ tum voluntatis ſuæ, ut nemo de ſua, ſed de illius erga ſe volunta- „ te glorietur. Fecit hoc ſecundùm divitias gratiæ ſuæ, ſecundùm „ bonam voluntatem ſuam, quam propoſuit in dilecto Filio ſuo, in „ quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum, „ non noſtrum, ſed ejus qui univerſa operatur, uſque adeò ut ipſe in „ nobis operetur & velle. Operatur autem ſecundùm conſilium volun- „ tatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ ejus.“

Capite 17 ejuſdem libri, n. 34, eamdem doctrinam adſtruit his Chriſti verbis: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos:* deinde addit: „ Hæc „ eſt immobilis veritas prædeſtinationis & gratiæ. Nam quid eſt quod „ ait Apoſtolus: *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem?* Quod „ profectò ſi propterea dictum eſt, quia præſcivit Deus credituros, „ non quia facturus fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam „ loquitur Filius dicens: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos;* cùm „ hoc potius præſcierit Deus, quòd ipſi eum fuerant electuri, ut ab „ illo mererentur eligi. Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem „ eâ prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit: electi „ ſunt autem de mundo eâ vocatione, quâ Deus, id quod prædeſtina- „ vit, implevit. *Quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit*, illâ ſcilicet „ vocatione ſecundùm propoſitum. Non ergo alios, ſed quos prædeſ- „ tinavit, illos & vocavit: nec alios, ſed quos ita vocavit, illos & „ juſtificavit: nec alios, ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtifica- „ vit, illos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem. Ele- „ git ergo Deus fideles, ſed ut ſint, non quia erant,“ aut futuri præ- ſciebantur, ut ſuperiùs dixit. Adeò clara & manifeſta ſunt illa omnia teſtimonia, ut nullo egeant commentario; cùm potius ipſa ſint luculentiſſimus Apoſtolicæ doctrinæ commentarius. Joann. XV. 16.

Item in Enchiridio, cap. 98. n. 25, loquens de electione Jacob in hæreditatem, & reprobatione Eſaü: „ Qua in re, inquit, ſi futura „ opera vel bona hujus (Jacob), vel mala illius (Eſaü), quæ Deus „ utique præſciebat, vellet (Apoſtolus) intelligi, nequaquam diceret, „ *non ex operibus;* ſed diceret, ex futuris operibus, eoque modo iſtam „ ſolveret quæſtionem; immo nullam, quam ſolvi opus eſſet, faceret „ quæſtionem. Nunc verò cum reſpondiſſet, *abſit* ut ſit iniquitas apud „ Deum, mox, ut probaret nullâ hoc iniquitate Dei fieri, inquit:

 „ *Moyſi*

„ *Moyſi enim dicit: miſerebor cujus miſertus ero* &c. Quis enim, niſi „ inſipiens, Deum iniquum putet, ſive judicium pœnale ingerat digno, „ ſive miſericordiam præſtet indigno?“ Diſertiùs loqui vix potuiſſet S. Doctor, nec ſi Molinæ diſcipulos refellendos habuiſſet.

4°. Docet S. Doctor Dei prædeſtinantis gratuitum propoſitum eſſe cauſam omnium beneficiorum gratiæ, quibus electi certiſſimè perducuntur ad regnum. „ Quicunque ergo, inquit, lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 7. n. 13, „ ab illa originali damnatione iſtâ divinæ gratiæ largi- „ tate diſcreti ſunt, non eſt dubium quòd & eis procuretur audien- „ dum Evangelium, &, cùm audierint, credunt, & in fide, quæ per „ dilectionem operatur, usque in finem perſeverant. Et, ſi quando „ exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum, etſi ab homini- „ bus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt; & nonnul- „ li, acceptâ gratiâ, in qualibet ætate periculis hujus vitæ morte ſub- „ trahuntur.“ Vides merita ſanctorum divinæ prædeſtinationis effectum eſſe, non cauſam.

Denique, juxta S. Auguſtinum, ideò electi perſeverant, quia de numero ſunt prædeſtinatorum: ideò verò aliis perſeverantia non datur, quia de illo numero non ſunt. „ Cur, inquit, libro *de Dono perſeverantiæ*, cap. 8. n. 19, „ quibusdam, qui eum coluerunt bona „ fide, perſeverare usque in finem non dedit? Cur, putas, niſi quia „ non mentitur qui dicit (Joan. II. 19): ***Ex nobis exierunt, ſed non „ erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum?***“ Et cap. 9. n. 21: „ Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeve- „ rantia usque in finem, huic non detur, inſcrutabiliora ſunt judicia „ ejus. Illud autem fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex præ- „ deſtinatis, illum non eſſe. *Nam ſi fuiſſent ex nobis*, ait unus præ- „ deſtinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum, *manſiſſent „ utique nobiſcum*. Quid eſt, quæſo, non erant ex nobis?..... Nonne „ utrique vocati fuerant, & vocantem ſecuti; utrique ex impiis juſti- „ ficati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed ſi hoc „ audiret ille, qui ſciebat procul dubio quod dicebat, reſpondere poſ- „ ſet & dicere: Vera ſunt hæc; ſecundùm hæc omnia ex nobis erant: „ veruntamen ſecundùm aliam quamdam diſcretionem ***non erant ex no- „ bis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.*** Quæ eſt tan- „ dem iſta diſcretio? Patent libri Dei, non avertamur aſpectum: cla- „ mat Scriptura divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia „ non erant ſecundùm propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi „ ante conſtitutionem mundi, non erant in eo ſortem conſecuti, non „ erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus qui univerſa operatur. „ Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione man- „ ſiſſent.“ Tantæ perſpicuitati addi quid poteſt?

Auguſtini mentem adhuc evidentiſſimè probant Pelagianorum ac Semipe-

mipelagianorum objectiones, quæ eædem omnino ſunt ac recentiorum gratuitæ prædeſtinationis adverſariorum. Ecquod enim præclarius deſiderari poteſt argumentum doctrinam quam tuemur illam ipſam eſſe, quam S. Auguſtinus totis excellentiſſimi ingenii nervis adverſus ſui temporis hæreticos defendit, quàm quòd & eadem nobis objiciantur, quæ illi dudum objecta ſunt, & eadem, quæ ille dudum reſpondit, reſpondeamus, ut patebit ex ſolutione objectionum?

Et verò adeò certum atque indubitatum iſtud eſt, ut ſint ex adverſariis non pauci, qui candidè fateantur S. Doctorem admiſiſſe prædeſtinationem ad gloriam omnino gratuitam eſſe, & ante prævifionem quorumlibet meritorum. Ita Petavius, tom. 1 Dogmatum Theologicorum, lib. 9. cap. 9. „ Statuit Auguſtinus, inquit, ex illa conſperſione atque „ maſſa, quæ per primi parentis peccatum vitiata eſt, Deum ſolâ in„ ductum voluntate, ſine ullo reſpectu ad cujusquam præterita vel fu„ tura merita, quoscunque voluit excepiſſe & ad ſempiternam deſtinaſ„ ſe gloriam; reliquos verò, propter idem illud originale peccatum, „ æterno exitio pœnisque damnaſſe: quam damnationem, pro diverſis „ meritis, aliis tolerabiliorem, aliis graviorem, poſteà decreverit. Hanc „ Auguſtini conſtantem & perpetuam eſſe doctrinam, qui illius ſcripta „ diligenter legerit, nemo, ut opinor, ambigere poteſt.“ Sic Petavius, quem nihilominùs conſtantem illam ac perpetuam Auguſtini doctrinam in ſequenti libro rejicere non puduit. Ita etiam Maldonatus, tom. 3 Oper. Theologic. tract. 4. diſp. 2. quæſt. 3, & Joannes Adamus, lib. 3 *Calvini deſtructi*, cap. 8, qui S. Doctorem exceſſûs hac in parte arguere non verentur; quaſi univerſâ Eccleſiâ, quæ doctrinam illius toties ac tam ſolemniter approbavit, doctiores eſſent vel oculatiores.

Verùm iſtud dogma non ſoli Auguſtino proprium, ſed omnibus Eccleſiæ Doctoribus ab illo ad nos usque commune fuiſſe, probant diſerta illorum verba jam afferenda.

Salonius, Dialogo in Proverbia Salomonis: „ Omnes, inquit, lapi- Magnæ Bibl. PP. tom. 1. pag. 138.
„ des ſæculi, id eſt, ſancti & electi viri opera Domini ſunt, quia nemo propriâ virtute, quia nemo ſuo merito electus eſt à Domino, ut „ cœleſti ædificationi eſſet aptus, ſed ſolâ gratiâ & miſericordiâ ip„ ſius.“

Mercator, vel alius auctor Hypognoſticon, lib. 6. cap. 6, poſt multa in gratiam gratuitæ prædeſtinationis toto in libro dicta, concludit his verbis: „ Tenenda eſt igitur inconcuſſa hujus diſputationis regula, „ quæ divinis teſtimoniis claruit...... Qui ſecundùm propoſitum Dei „ vivunt, præſcitos eſſe & prædeſtinatos electione gratuitâ gratiæ ejus, „ & regnum eis cœlorum eſſe prædeſtinatum, ſine dubitatione dicen„ dum eſt. Hoc enim Apoſtolus Paulus probat, cùm ante eos prædeſtinatos & electos eſſe, quàm mundus conſtitueretur, ſcribens Epheſiis dicit...... Taceat humana lingua, nec prorſus in prædeſtina-
„ tio-

Digitized by Google

„ tione de meritis extollatur...... Divinæ voluntatis eſt hoc donum, „ non humanæ fragilitatis meritum...... Quid? *Secundùm divitias*, in- „ quit, *gratiæ ejus*, *quæ ſuperabundavit in nobis;* id eſt, quâ prævenit „ nos, inquit, *ut notum faceret nobis conſilium voluntatis ſuæ.* Num- „ quid meæ, vel tuæ, vel alterius, ut meritis conſtet? Abſit: ſed ſuæ, „ quâ etiam, his quos prædeſtinat, opera bonæ præparat voluntatis, „ ſecundùm quod in eadem Epiſtola dicit: *Gratia enim eſtis ſalvati per*
Epheſ. II. 8. „ *fidem*, *& hoc non ex vobis*, *Dei enim donum eſt; non ex operibus*, *ut* „ *ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura*, *creati in Chriſto Jeſu* „ *in operibus bonis*, *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Audi: „ *in operibus bonis quæ præparavit Deus.*" Tantæ luci veritatis quis non ſuccumbat? Loquitur auctor de prædeſtinatione ad ipſum regnum, & dicit clarere ex divinis eloquiis eam non fieri ex meritis, ſed merita facere, imò creare.

Auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 2. cap. 35, paucis, ſed clariſſimis verbis hanc veritatem exprimit. „ Deus, inquit, his quos „ elegit ſine meritis dat unde ornentur & meritis."

S. Fulgentius, lib. 3 *de Veritate Prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 3: „ Teſtatur Apoſtolus, inquit, quia Deus *elegit nos in Chriſto ante* „ *mundi conſtitutionem;* & ut oſtenderet nos non ex operibus eligi me- „ ruiſſe, ſed ex electionis dono bona merita percepiſſe, continuò ſub- „ junxit dicens: *ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus.* Hæc „ electio fuit in æterna Dei præparatione, quæ per ejus gratiam perfi- „ ceretur in tempore. Hæc electionis æterna præparatio ipſa eſt divina „ prædeſtinatio, in qua dignè totum gratuito beneficio divinæ bonitatis „ adſcribitur, quia ſola ibi erga nos miſerantis Dei caritas invenitur. „ Ideò ſubſecutus Apoſtolus, hoc nobis diligenter inculcans, ait: *Qui* „ *in caritate prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum* „ *in ipſum.* Et ut totum ex ſolo propoſito voluntatis Dei deſcendere „ doceret, adjecit, *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Et ut hoc pro- „ poſitum bonæ voluntatis Dei gratuitum eſſe monſtraret, ſecutus adje- „ cit: *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*, *in qua gratificavit nos in dilecto Fi-* „ *lio ſuo.*" Non ergo, concludit cap. 4, quos eligeret aut ſanctos aut immaculatos invenit, aut inveniendos eſſe præſcivit, ſed, ut ſanctos & immaculatos faceret, elegit ante conſtitutionem mundi.

Sedulius in caput IX Epiſt. ad Romanos, in iſta verba: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* „ Vide, ait, univerſum genus humanum „ tam juſto judicio divinoque in Apoſtolica radice damnatum, ut, „ etiamſi nullus inde liberaretur, nemo rectè poſſet Dei vituperare juſ- „ titiam; &, qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari, ut, ex pluribus non „ liberatis atque damnatione juſtiſſimâ derelictis, oſtenderetur quid me- „ ruiſſet univerſa conſperſio, quòd etiam juſtos juſtum judicium Dei „ damnaret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret; ut volentium de

ſuis

„ ſuis meritis gloriari omne os obſtruatur, &, qui gloriatur, in Do-
„ mino glorietur.“

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 1 *Differentiarum*, differ. 27: „ Conditor, inquit, „ alios prædeſtinatos prælegit, alios verò in ſuis pravis mo-
„ ribus juſto judicio derelinquit..... Quidam enim gratiæ ejus præve-
„ nientis dono ſalvantur, effecti miſericordiæ vaſa; quidam verò re-
„ probi ad pœnam prædeſtinati damnantur, effecti vaſa iræ.“ Deinde, allatis Jacob & Eſaü exemplis: „ Unde conſequens eſt, inquit, ...
„ ſolâ vocatione divinâ quemque ſalvari, ... ex propoſito prædeſti-
„ nantis Dei, qui juſtus eſt in reprobatis, miſericors in electis.“ Et libro 2 *Sententiarum*, cap. 6: „ Gemina eſt prædeſtinatio, ſive elec-
„ torum ad requiem, ſive reproborum ad mortem. Utraque divino
„ agitur judicio, ut ſemper electos ſuperna & interiora ſequi faciat,
„ ſemperque reprobos, ut infimis & exterioribus delectentur, deſeren-
„ do permittat..... Mira diſpoſitio eſt ſupernæ diſtributionis, per
„ quam hic juſtus ampliùs juſtificatur, impius amplius ſordidatur,
„ malus ad bonum aliquando reflectitur. Vult quis eſſe bonus, & non
„ valet; vult alter eſſe malus, & non ſinitur interire. Datur ei qui
„ vult eſſe bonus, alius nec vult, nec datur ei ut ſit bonus. Iſte naſci-
„ tur in errore, & moritur, ille in bono quo cœpit usque in finem per-
„ durat. Tamdiu iſte ſtat quousque cadat; ille diu malè vivendo in
„ fine ſalvatur, reſpectusque convertitur. Vult prodeſſe in bono juſtus,
„ nec prævalet; vult nocere malus, & valet. Iſte vult Deo vacare,
„ & ſæculo impeditur; iſte negotiis implicari cupit, nec perficit.....
„ Et in tanta obſcuritate non valet homo divinam perſcrutari diſpoſi-
„ tionem, & occultum prædeſtinationis perpendere ordinem.“ Fruſtra divinæ prædeſtinationi omnes iſtæ attribuuntur differentiæ, ſi præ-deſtinatio non ſit ante prævisionem meritorum. At quis ſeriò illas differentias conſideret, & non cum B. Iſidoro concludat omnia pendere ex Dei prædeſtinatione, nedum ipſa aliquid ſe priùs ſupponat?

Adrianus I Romanus Pontifex, in Epiſtola ad omnes Epiſcopos Hiſpaniæ, occaſione quorumdam qui dicebant: utquid conamur benè vivere, quod in Dei eſt poteſtate? adoptat S. Fulgentii fragmentum, quod ſic habet: „ Opera miſericordiæ ac juſtitiæ præparavit Deus in æterni- In collectione Mauguini.
„ tate incommutabilitatis ſuæ; & ſicut futurorum operum ſuorum nun-
„ quam fuit ignarus, ſic in eorumdem operum præparatione nunquam
„ improvidus. Præparavit ergo hominibus judicandis merita, præpara-
„ vit eisdem glorificandis & præmia: malis verò non præparavit volun-
„ tates malas aut opera mala, ſed præparavit eis juſta & æterna ſuppli-
„ cia. Hæc eſt æterna præparatio futurorum operum Dei, quam ſicut
„ nobis Apoſtolicâ doctrinâ ſemper inſinuari cognoſcimus, ſic etiam fi-
„ ducialiter prædicamus.“ Sane ſi ſummus ille Pontifex credidiſſet prædeſtinationem fieri ex præſcientia, ſive abſoluta, ſive conditionata, tunc

Digitized by Google

tunc maximè illud dicere debuit cùm nonnulli doctrinâ gratuitæ prædeſtinationis abutebantur. At nedum id dicat, è contrario docet merita eſſe prædeſtinationis effectus: hocque diſcrimen ſtatuit reprobationem inter & prædeſtinationem, quòd illa ſupponat futura mala merita, hæc verò bona merita ab æterno præparet atque in tempore faciat.

Nono ſæculo recrudeſcentibus, occaſione ſcriptorum Gotteſchalci, diſputationibus circa gratiam & prædeſtinationem, doctiſſimi ſcriptores doctrinam noſtram, imò doctrinam Eccleſiæ tanta in luce poſuerunt, ut major deſiderari non poſſit.

Eccleſia Lugdunenſis cum Præſule ſuo Remigio, in lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 4: „ Hanc electionem, inquit, non meritorum, ſed gratiæ, in qua non alicujus bona præſcita ſunt opera, ſed ſola tantùm divina miſericordia præparata, commendat nobis diligenter Apoſtolus, de duobus geminis Iſaac & Rebeccæ ita dicens: *Cùm enim nondum nati eſſent* &c. Non itaque ſecundùm præſcientiam meritorum elegit Deus ex maſſa perditionis quos faceret filios adoptionis, ſed gratis elegit quos ab illa juſta damnatione æqualiter omnibus debita miſericorditer liberavit.“

Non minùs diſertè loquuntur Ratramnus Corbeienſis, lib. 2 *de Prædeſtinatione;* Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, q. 1. n. 10 & 26, & q. 2. n. 27, ubi inter alia ſic loquitur: „ Quicunque Deum propterea elegiſſe, præſciſſe aut prædeſtinaſſe quoſdam aſſerunt, quòd præſcierit eos devotos ſibi futuros, & in eadem devotione manſuros, tametſi ſint in aliis magnæ auctoritatis, in hac ſententia non ſunt penitus audiendi, ne evacuetur divinæ gratiæ donum, ſi ſecundùm humanum, quanquam futurum, meritum diſpenſetur: nec indignentur his præponi Apoſtolum, quicunque non neſciunt in hoc potiùs loqui Chriſtum, qui ſe, quemadmodùm eſt, veritatem eſſe teſtatur;“ Lupus Ferrarienſis (ſi tamen eſt à Servato diſtinguendus, quod negat Mauguinus) in Epiſtola ad Regem Carolum (Calvum), à quo ſuper ea quæſtione fuerat conſultus; Florus Diaconus, in ſermone *de Prædeſtinatione;* S. Prudentius in Epiſtola ad Hincmarum & Pardulum, cap. 3 & 4.

Horum ſententiam definivit concilium Valentinum III, canone 3 à Synodo Tullenſi paulò poſt confirmato & renovato. „ Fidenter fatemur, inquiunt Patres illorum conciliorum, prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere juſtum Dei judicium.“ Opponunt prædeſtinationi reproborum ad ſupplicium prædeſtinationem electorum ad gloriam, quòd hæc antecedat meritorum præſcientiam, illa ſupponat.

Hincmarus ipſe, quanquam Gotteſchalco infenſiſſimus, hoc doctrinæ caput

Digitized by Google

caput in eo apertè oppugnare minimè auſus eſt: imò in præfatione libri de *Prædeſtinatione* integrum refert Flori ſermonem planè Auguſtinianum; & in libro de *Prædeſtinatione*, cap. 54, iſta refert atque approbat B. Auguſtini verba: „ Hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis & gra„ tiæ, velut Apoſtolus ait: *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, præ„ deſtinans nos in adoptionem filiorum;* non quia per nos ſancti & im„ maculati futuri eramus, ſed elegit nos prædeſtinavitque *ut eſſemus.* „ Fecit autem hoc *ſecundùm divitias gratiæ ſuæ, ſecundùm bonam volun„ tatem ſuam, quam propoſuit in dilecto Filio ſuo, in quo ſortem conſecuti „ ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum*, non noſtrum, ſed *ejus qui „ univerſa operatur*, uſque adeò ut ipſe in nobis operetur & velle. „ Operatur autem *ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem „ gloriæ ejus.*“ Subdit paulò poſt: „ Talis eſt fides orthodoxorum de „ prædeſtinatione ſanctorum.“ Quid eâ veritate certius eſt & ſanctius, quam tot ſcriptores, à ſeſe invicem alioquin diſſidentes, tam unanimi conſenſu velut inconcuſſam tradiderunt?

Remigius Altiſſiodorenſis, vel alius auctor Commentarii in Epiſtolas S. Pauli, qui Remigio Remenſi attribuitur, eamdem doctrinam adeò disertè exponit in cap. 8 & 9 Epiſtolæ ad Romanos, ut nihil diſertius eſſe poſſit.

Hugo Rothomagenſis, lib. 3 Dialogorum: „ Cauſa hæc, inquit, Tom. 5 Anecd. P. Mart. pag. 929 & 930.
„ penes ipſum eſt, quâ gratuitò ſalvamur; non enim meruimus. Secun„ dum has cauſas Dominum dixiſſe legitur: *Jacob dilexi &c.* Quòd au„ tem Jacob diligit, gratia eſt: quòd Eſaü odit, juſtitia eſt; cùm uterque „ ſub originali culpa genitus eſt. Cur autem gratia hunc magis quàm „ illum aſſumat, non ſolvit Apoſtolus, ſed exclamat: *O altitudo &c.* „ Quid igitur? *Cui vult miſeretur*, gratia eſt. *Quem vult indurat*, juſ„ titia eſt. Cauſam hanc, quâ damnamur, in nobis habemus & geri„ mus: cauſam verò illam quâ ſalvamur, non in nobis, ſed in Deo „ aſpicimus & laudamus.“

Ex antiquis Scholaſticis inſtar omnium erit Doctor Angelicus, cujus tanta eſt tamque fulta in Eccleſia auctoritas. Is, lect. 2 in cap. 9 Epiſt. ad Romanos, cùm tria ratione diſtinxiſſet, dilectionem, electionem, prædeſtinationem, de duobus primis ſic loquitur: „ Electio & „ dilectio aliter ordinantur in Deo & in homine. In homine enim „ electio præcedit dilectionem; voluntas enim hominis movetur ad „ amandum ex bono quod in re amata conſiderat, ratione cujus ipſam „ præeligit alteri & prælectæ ſuum amorem impendit. Sed voluntas „ Dei eſt cauſa omnis boni quod eſt in creatura, & ideò bonum, per „ quod una creatura præfertur alteri per modum electionis, conſequi„ tur voluntatem Dei quæ eſt de bono illius, quæ pertinet ad ratio„ nem dilectionis. Unde non propter aliquod bonum, quod in homi„ ne eligat Deus, eum diligit; ſed potiùs, eoquòd ipſum diligit, præ-

 „ fert

Digitized by Google

„ fert eum aliis eligendo.“ Idem ait in Summa, 1 part. q. 23. art. 4. in corpore, & concludit „ dilectionem præſupponi electioni ſecundùm „ rationem, & electionem prædeſtinationi.“ Aureum hoc eſt teſtimonium. Audis prædeſtinationem ſupponere dilectionem & electionem: at de præſcientia prædeſtinationi præſuppoſita ne verbum quidem; immo planè excluditur præſcientia quæ ſit dilectione prior. Si enim præſcientia præcederet dilectionem, Deus diligeret quos eligeret. Atqui è contrario Deus, juxta Doctorem Angelicum, priùs diligere intelligitur, ac deinde eligere. Audis denique electionem & prædeſtinationem non habere ullam cauſam in homine, ſed tantùm in gratuita & efficaci dilectione Dei. Hinc loco Summæ citato, ad 3, expreſſè pronuntiat S. Thomas, „ quare hos (Deus) elegit in gloriam & illos reprobavit, non „ habere rationem niſi divinam voluntatem.“

Alio principio non minùs lucido idipſum demonſtrat q. 6 de Veritate, art. 2. „ Finis divinæ voluntatis, inquit, eſt ipſa ejus bonitas, quæ non dependet ab aliquo alio, unde, ad hoc quòd habeatur à Deo, nullo alio indiget; & ideò voluntas ejus non inclinatur primò ad aliquid „ faciendum per modum debiti, ſed liberaliter tantùm, in quantum „ eſt bonitas ejus in opere manifeſta...... Unde, quòd velit Deus alicui dare gratiam & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In „ his autem quæ ex liberalitate procedunt, tantùm cauſa volendi eſt „ ipſa ſuperabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis. Unde cauſa prædeſtinationis nihil aliud eſt quàm „ bonitas ipſius Dei.“ Perpende, quæſo, vim hujus argumenti verè angelici. Deus de ſuo bonus, imò bonitas ipſa, de noſtro juſtus, motivum puniendi ſumit ex nobis, benefaciendi ex ſeipſo; & prædeſtinare ad gloriam, bonitatis eſt divinæ. Ergo prædeſtinatio ad gloriam nullum habet motivum niſi ipſam bonitatem divinam.

Obſerva duo illa rationum momenta à S. Thoma propoſita non minùs concludere pro gratuita prædeſtinatione Angelorum, quàm pro hominum.

Quàm verò inconcuſſa fuerit apud antiquos ſcholarum principes iſtæc, quam tuemur, ſententia, apparet ex cenſura quâ Facultas Pariſienſis, anno 1347, has tres propoſitiones Joannis de Mercuria Ciſtercienſis confixit: 1am. *Quòd propter opera alicujus futura Deus aliquem præordinavit ab æterno.* 2am. *Quòd aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter bonum uſum liberi arbitrii, quem Deus præſcivit eum habiturum.* 3am. *Quod non ſic gratis & miſericorditer Deus prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris vel alterius.* Eamdem opinionem de novo caput erigentem in Leſſio & Hamelio damnarunt Doctores Lovanienſes & Duacenſes.

Ad finem Magiſtri Senten:.

Ex his omnibus teſtimoniis clarum eſt doctrinam gratuitæ prædeſtinationis perpetuâ & nunquam interruptâ ſerie ab Apoſtolis ad nos uſque perveniſſe.

II°.

Digitized by Google

II°. Alterum caput doctrinæ SS. Patrum, quo eadem veritas adverſus Molinam & adverſus ipſos Congruiſtas invictè demonſtratur, eſt Deum prædeſtinando nihil aliud præſciviſſe niſi dona ſua futura, vel, quod idem eſt, niſi quod ipſe facturus eſt. Hinc quippe omnino excluditur non ſolùm præſcientia meritorum abſolutè futurorum, ſed etiam præſcientia quam mediam vocant, & decretorum directivam eſſe volunt. Nam eâ præſcientiâ præſciviſſe Deus dicitur, quod ſinguli homines, ſi in certis quibusdam ordinibus ponerentur, acturi erant, non vi decreti divini, ſed propriâ ſuâ voluntate; hoc eſt, præſciviſſe non quid ipſe, ſed quid homines facturi eſſent. Atqui, ex SS. Patribus, Deus in negotio prædeſtinationis nihil aliud præſcivit præter opera ſua futura. Ergo SS. Patres prorſus excludunt à prædeſtinatione præſcientiam mediam, quocunque modo illa admittatur. Ipſorum verba proferamus in medium.

S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 18. n. 47: „ Sine „ dubio præſcivit, ſi prædeſtinavit.“ (Sequitur ergo præſcientia prædeſtinationem, eâque nititur, non eam antecedit). „ Sed prædeſtinaſſe, hoc eſt præſciſſe quod fuerat ipſe facturus.“ Ibidem: „ Hæc „ itaque dona Dei, quæ dantur electis ſecundum Dei propoſitum voca„ tis, in quibus donis eſt & incipere credere, & in fide usque ad vitæ „ hujus terminum perſeverare,..... hæc, inquam, Dei dona, ſi nulla „ eſt prædeſtinatio quam defendimus, non præſciuntur à Deo: præ„ ſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus.“ Cernite quantùm è diametro repugnet doctrina quam refellimus doctrinæ S. Auguſtini. Juxta illius auctores, niſi præſcientia præluxerit, non poteſt eſſe certa & immota prædeſtinatio. E contrario, juxta S. Doctorem, ſi non eſt prædeſtinatio, nec præſcientia. Quod idem eſt ac ſi diceret præſcientiam niti decreto, nullamque concipi poſſe ubi decretum non ſit. Item, cap. 23. n. 65: „ Hæc igitur, quæ poſcit à „ Domino, & ſemper, ex quo eſſe cœpit, popoſcit Eccleſia, fidem ſci„ licet, juſtitiam & perſeverantiam, ita Deus vocatis ſuis daturum ſe „ eſſe præſcivit, ut in ipſa prædeſtinatione jam dederit.“ Denique paſſim inculcat S. Doctor merita omnia ſanctorum, non minùs quàm gloriam cœleſtem, eſſe prædeſtinata, ideòque præſciri futura, quia in ipſa ſempiterna prædeſtinatione præparata ſunt.

S. Fulgentius, lib. 1 *ad Monimum*, cap. 11: „ Hæc omnia, inquit, id „ eſt, & vocationis noſtræ initia, & juſtificationis augmenta, & glorifica„ tionis præmia, & in prædeſtinatione ſemper habuit Deus, quia & in vo„ catione, & in juſtificatione, & in glorificatione ſanctorum gratiæ ſuæ ope„ ra futura præſcivit.“ Non ergo futurus voluntatis conſenſus, ſed futura gratiæ opera, tam in juſtificatione peccatorum, quàm in juſtorum glorificatione, præſcita ſunt. Et lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 2: „ Prædeſtinavit quos voluit & ad opera bona, & ad præmia

„ ſempiterna: prædeſtinavit ad vitam bonam, prædeſtinavit ad vitam „ æternam: prædeſtinavit ad fidem, prædeſtinavit ad ſpeciem: prædeſ- „ tinavit adoptandos in ſæculo, prædeſtinavit glorificandos in regno: „ prædeſtinavit per gratiam faciendos Primogeniti fratres, prædeſtina- „ vit per gloriam perficiendos ejuſdem Primogeniti cohæredes.“ Vides utrobique camdem prædeſtinationis efficaciam, ſive ad opera bona, ſive ad præmia. Si ergo Deus non prævidet gloriam ſanctorum niſi in decreto ſuo efficaci, nec futura illorum opera videt niſi in decreto ſuo efficaci & prædeterminante.

Beda in caput 8 Epiſt. ad Romanos: „ Prædeſtinatione, inquit, Deus „ ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus.“

In fine operum Agobardi, edit. Baluz. tom. 2. pag. 174.

Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis, in opuſculo *de Præſcientia & prædeſtinatione divina, & de libero arbitrio*, ſic loquitur: „ Prædeſti- „ navit utique electos ſuos, ut & nunc aſſumerentur in adoptionem fi- „ liorum Dei per baptiſmi gratiam, & in futuro efficiantur conformes „ imagini Filii ſui *per eamdem Dei gratiam*, ſecundùm imaginem ejus „ *renovati & glorificati*. Prædeſtinavit omnino ut & hi (fortè hic) eſ- „ ſent boni, non ex ſe, ſed ex illo, & illi (fortè, illic) beati, non per „ ſe, ſed per illum. In utroque ergo bona ſua in eis & de eis futura

Pag. 177.

„ præſcivit.“ Et aliquantò poſt: „ In bonis omnipotens Deus utrumque „ præſcivit & prædeſtinavit; & ut in præſenti vita per gratiam ſuam „ exiſterent boni, & in futura etiam beati. Utriuſque enim boni eo- „ rum, id eſt, præſentis & futuri, ipſe eſt auctor, & idcirco ſine dubio „ utriuſque præcognitor & prædeſtinator.“ Audis merita, ſicut & præmia, eſſe abſolutè prædeſtinata, & per eamdem gratiam, hoc eſt, æquè gratuitam & æquè efficacem, à Deo donari: audis tam in meritis, quàm in præmiis electorum, Deum præſcire tantùm bona ſua à ſe prædeſtinata: audis idcirco ſine dubio bona opera electorum præcognoſci à Deo, quia illorum eſt auctor. Quid expreſſius?

S. Remigius & Eccleſia Lugdunenſis, in lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 3, hanc fidei regulam immotam conſtituit, „ in operibus omnipotentis „ Dei non eſſe alia præſcita & alia prædeſtinata, ſed, quidquid ibi eſt „ præſcitum, quia totum eſt bonum & juſtum, ſine dubio eſſe etiam „ prædeſtinatum; & quidquid prædeſtinatum, utique & præſcitum, „ quia prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe.“ Unde concludit, „ quantùm ad ipſa opera divina pertinet, ſive dicantur præſcita, ſive „ dicantur prædeſtinata, tantùmdem valere, & eamdem exprimere im- „ mobilem firmitatem...... Sic ergo, addit, in prædeſtinatione electo- „ rum ad vitam, nec præſcientia ejus ſine prædeſtinatione, nec prædeſ- „ tinatio ſine præſcientia eſſe poteſt.“ Juxta defenſores ſcientiæ mediæ, non poteſt quidem eſſe ſine præſcientia prædeſtinatio, ſed poteſt eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. At, juxta doctiſſimam & incorruptam Eccleſiam, non magis eſſe poteſt ſine prædeſtinatione præſcientia, quàm ſine

ſine præſcientia prædeſtinatio. Juxta illos, aliquid eſt præſcitum in bonis operibus, quod non eſt prædeſtinatum, nempe conſenſus voluntatis & bonus uſus gratiæ; prædeſtinat quippe Deus dare gratiam, ſed præſcit tantùm voluntatem creatam ei gratiæ conſenſuram, non autem prædeſtinando operatur: juxta hanc, non aliud eſt præſcitum & aliud prædeſtinatum, ſed quidquid boni futurum præſcitur, ſimul & prædeſtinatur. Juxta illos, diſtinguenda eſt in bonis operibus à prædeſtinatione præſcientia: juxta hanc, tantùmdem valent, quia ſeſe mutuò amplectuntur.

Florus ejusdem Eccleſiæ Diaconus & magiſter in ſermone de prædeſtinatione: „ Hoc modo, ait, de prædeſtinatione Dei omnino ſentiendum eſt, quia in bonis prædeſtinavit & ipſam eorum bonitatem futuram eſſe ex dono gratiæ ſuæ, & pro eadem bonitate æternam ipſorum remunerationem; ut ipſius dono fierent boni, ipſius dono eſſent remunerati.“ Mauguin, tom. 1. pag. 24.

Denique S. Thomas verbis apertiſſimis idem adſtruit, 1 part. q. 23. art. 5, in corpore. Refellens enim Semipelagianos, qui dixerunt „ quòd „ merita ſequentia prædeſtinationis effectum ſunt ratio prædeſtinationis, ut intelligatur quòd ideò Deus dat gratiam alicui & præordinavit ſe ei daturum, quia præſcivit eum benè uſurum gratiâ, ſicut ſi rex det alicui militi equum, quem ſcit eo benè uſurum,“ ſic loquitur: „ Iſti videntur diſtinxiſſe inter id quod eſt ex gratia, & id quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſſit eſſe idem ex utroque. Manifeſtum eſt autem quòd id quod eſt gratiæ eſt prædeſtinationis effectus, & hoc non poteſt poni ut ratio prædeſtinationis, cum hoc ſub prædeſtinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte noſtra ſit ratio prædeſtinationis, hoc erit præter effectum prædeſtinationis. Non eſt autem diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio & prædeſtinatione, ſicut nec eſt diſtinctum quod eſt ex cauſa ſecunda & ex cauſa prima..... Et ſic impoſſibile eſt quòd totus prædeſtinationis effectus in communi habeat aliquam cauſam ex parte noſtra: quia, quidquid eſt in homine ordinans ipſum ad ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam.“ Ex hoc Doctoris Angelici ratiocinio, quod etiam repetit lect. 3 in caput. 9 Epiſtolæ ad Romanos, luce clarius eſt ipſum nullam præſcientiam decretum prædeſtinationis antecedentem agnoviſſe, neque ut cauſam prædeſtinationis, neque ut conditionem ſine qua non; imò ſcientiam mediam, antequàm naſceretur, præfocaſſe. Nam, juxta ipſum, quidquid eſt in homine conducens ad ſalutem, illud etiam quod eſt ex libero arbitrio, eſt effectus prædeſtinationis. Atqui bonus uſus auxiliorum gratiæ, etiam ut emanat à libero arbitrio, eſt aliquid conducens ad ſalutem & meritorium vitæ æternæ. Ergo ſub eadem ratione eſt.

eſt effectus prædeſtinationis; atque adeò non poteſt niſi poſt decretum & in ipſo decreto prædeſtinationis præcognoſci.

Verum nihil meliùs probat quàm unanimi conſenſu & quantâ perſpicuitate prorſus gratuitam prædeſtinationem docuerint SS. Patres, quàm confeſſio ipſorum Jeſuitarum in *Ratione atque inſtitutione ſtudiorum* juſſu Præpoſiti generalis conſcripta, & à ſex Patribus ad id deputatis recognita, anno 1586. Ibi quippe inter multas ſententias, quæ tenendæ præſcribuntur, hoc circa prædeſtinationis doctrinam ſanciendum putarunt: „ Item definitum eſt prædeſtinationis nec rationem nec conditio-„ nem eſſe ex parte noſtra. Id ad pietatem parum pertinere dicet ali-„ quis. At hanc Auguſtini ſententiam non modò communiter ſchola „ Theologorum recipit, ſed & Eccleſiæ Patres per mille & ducentos „ circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis & reſponſis „ Pontificum Romanorum, nempe Zozymi, Sixti, Cœleſtini, Leonis, „ Gelaſii, apud quos Maſſilienſes, Caſſianus, Fauſtus aliique hujus „ prædeſtinationis oppugnatores malè ſemper audierunt." Miraberis doctrinam tot ſæculorum conſenſu omniumque SS. Patrum auctoritate firmatam, ſimul atque amplectenda decernitur, velut ſuſpectam & ad pietatem parum pertinentem proponi. Ibi agnoſce, ſi vis, Societatis verſutiam, modò intelligas quanta ſit vis veritatis, quæ ad ſui confeſſionem ipſorum etiam adverſariorum linguas atque manus inflectit. Quantò religioſiùs huic veritati accinunt fideles, cùm in proſa pro defunctis ſic orant: *Rex tremendæ majeſtatis, qui* SALVANDOS SALVAS GRATIS, *ſalva me, fons pietatis.*

Probatio tertia ex prædeſtinatione Chriſti noſtræ prædeſtinationis exemplari.

Sicut gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti noſtræ ſalutis eſt cauſa, ita ejuſdem prædeſtinatio noſtræ eſt prædeſtinationis exemplar. Quomodò enim prædeſtinamur *conformes fieri imaginis Filii Dei*, ex Apoſtolo, Rom. VIII, ſi non ipſius ad imaginem prædeſtinamur? Qualis eſt capitis, talis eſſe debet & membrorum electio; vel utraque merè gratuita & præcedens præſcientiam quorumcunque meritorum, vel utraque præſcientiam ſequens. Non alia in capite gratia, alia in membris operatur, niſi quòd in illo non ad menſuram, de cujus plenitudine omnes accepimus, in his ſecundum menſuram uniuſcujuſque membri. „ Apparet itaque nobis, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione SS.* cap. 15. n. 31, „ in noſtro capite ipſe fons gratiæ, unde ſecundùm „ uniuſcujuſque menſuram ſe per cuncta ejus membra diffundit. Eâ gra-„ tiâ fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, quâ gratiâ „ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. De ipſo ſpiritu & hic

„ re-

„ renatus, de quo ille natus. Eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt ut nullum haberet ille peccatum. „ Hæc ſe Deus eſſe facturum profectò præſcivit. Ipſa eſt prædeſtinatio „ ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum maximè claruit, quam negare „ quis poteſt rectè intelligentium eloquia veritatis?" Quomodò verò Chriſtus prædeſtinatus eſt ut eſſet Filius Dei? An ex prævifis meritis? An ſolâ Dei voluntate non ſupponente merita, ſed efficaciſſimè producente?

Arius, teſte S. Alexandro Patriarcha Alexandrino, ad Alexandrum Patriarcham Conſtantinopolitanum, „ omni exutus erga Deum pietate, dixit Deum præſcientiâ & præſenſione prænoviſſe Chriſtum neutiquam ipſum aſpernaturum, idcirco ex omnibus elegiſſe; .... adeò „ ut Paulum & Petrum, ſi in hoc & ipſi obnixè incubuiſſent, eodem „ modo futuros fuiſſe aſſeruit filios Dei, quo ille fuit." Sed nullomodò mirandum eſt eò impietatis veniſſe illum hæreticum, qui ipſum Chriſti divinitatem palam negare non erubuit. Tom. 1 Concil. Biali, pag. 269.

Leporius monachus, de quo jam diximus, aliquandiu docuit humanitatem Chriſti ſuis meritis antequàm Verbo uniretur comparatis conſecutam eſſe illam ineffabilem unionem. Sed errorem ipſe ſuum agnovit ac ſplendidè retractavit. Et verò de fide eſt ſanctam illam humanitatem ne momento quidem fuiſſe non perſonaliter unitam Verbo.

Molina, ad majorem, ut putabat, humanitatis Chriſti exaltationem, credidit eam ideò ab initio ſuo fuiſſe conjunctam Verbo, quia prævisâ erat meliùs quàm quælibet alia tantæ dignitati bonis ſuis operibus reſponſura.

Non diſtat ab illa opinione ſententia P. Malebranchii, exiſtimantis ideò animam Chriſti præ cæteris omnibus electam fuiſſe à Deo, quia plures homines, quàm ulla alia, ad ſalutem perductura prævifa eſt.

Verùm illos omnes rejicit omnium Chriſtianorum ſenſus veritate catholicâ ſuffultus, quo credunt Chriſtum nullis ex meritis, neque unionem præcedentibus, neque illam ſequentibus, prædeſtinatum eſſe Filium Dei: non præcedentibus, quia ejus humanitas nunquam extitit non unita Verbo, ſed creando ſuſcepta eſt, & ſuſcipiendo creata: non etiam ſequentibus, quia omnes humanitatis à Verbo ſuſceptæ actiones producebantur & determinabantur à perſona Verbi, cujus erat ipſa humanitas, & quæ per eam, tanquam per inſtrumentum ſibi hypoſtaticè conjunctum, prout volebat operabatur. Non poteſt igitur prædeſtinatio Chriſti ex meritis ſuſpendi, quin vel lædatur unio hypoſtatica, quæ omnium meritorum Chriſti cauſa adeò efficax fuit, ut excluderet omnem peccabilitatem; vel admittenda ſit aliqua inſtantia temporis, quo humanitas Chriſti non in Verbo extiterit: quæ duo incarnationis dogmati apertè contraria ſunt, atque ab Eccleſia dudum damnata. Si autem

Digitized by Google

Chriſti prædeſtinatio prorſus eſt independens à præviſione meritorum, ergo & noſtra.

Hoc argumentum abundè tractat variis in locis S. Auguſtinus. „ Eſt
„ etiam, ait lib. *de Prædeſtinatione SS.* cap. 15. n. 30, „ præclariſſimum
„ lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe Salvator, ipſe Mediator Dei &
„ hominum homo Chriſtus Jeſus; qui ut hoc eſſet, quibus tandem
„ ſuis, vel operum, vel fidei, præcedentibus meritis natura humana,
„ quæ in illo eſt, comparavit? Reſpondeatur, quæſo: ille homo, ut
„ à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus Filius Dei
„ unigenitus eſſet, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque
„ præceſſit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc
„ ineffabilem excellentiam perveniret? Nonne, faciente ac ſuſcipiente
„ Verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cœpit, filius Dei unicus eſſe cœ-
„ pit?..... Numquid metuendum fuit ne, accedente ætate, homo ille
„ libero peccaret arbitrio?..... Reſpondeat hic homo Deo, ſi audet,
„ & dicat: Cur non & ego? Et ſi audierit: *O homo, tu quis es qui reſ-
„ pondeas Deo?* nec ſic cohibeat, ſed augeat impudentiam, & dicat:
„ Quomodò audio: *Tu quis es, ô homo?* Cùm ſim quod audio, id eſt,
„ homo, quod eſt & ille de quo ago, cur non ſim quod & ille? At
„ enim gratiâ ille talis ac tantus eſt. Cur diverſa eſt gratia, ubi na-
„ tura communis eſt? Certè non eſt acceptio perſonarum apud Deum.
„ Quis, non dico Chriſtianus, ſed inſanus hoc dicat?" Proſequitur ad-
huc num. ſequente, & dicit: „ Prædeſtinata eſt iſta naturæ humanæ tan-
„ ta, & tam celſa, & ſumma ſubvectio, ut quò attolleretur altiùs non
„ haberet; ſicut pro nobis ipſa divinitas quouſque ſe deponeret humi-
„ liùs non habuit...... Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut ca-
„ put noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſe-
„ mus. Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam, &
„ regnet, quæ regnat, Dei gratia per Dominum noſtrum Jeſum Chriſ-
„ tum...... Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis il-
„ lius generationis invenerit, ipſe in nobis membris ejus præcedentia
„ merita multiplicatæ regenerationis inquirat."

In libro quoque de Dono perſeverantiæ, cap. 24. n. 67: „ Nullum
„ eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplar, quàm ipſe Mediator. Quiſ-
„ quis fidelis vult eam benè intelligere, attendat ipſum, atque in illo
„ inveniet & ſeipſum...... Illum ergo & nos prædeſtinavit, quia & in
„ illo, ut eſſet caput noſtrum, & in nobis, ut ejus corpus eſſemus, non
„ præceſſura opera noſtra, ſed opera ſua futura præſcivit. " Vide En-
chiridion, cap. 36. 37 & 40.

Sola excludit S. Doctor merita præcedentia unionem hypoſtaticam, quia reverâ ſola iſtiuſmodi merita poſſent eſſe ratio prædeſtinationis Chriſti; nam merita ſecuta incarnationem illius ſunt prædeſtinationis effec-

tus,

tus, non motivum aut cauſa. Ut enim jam dictum eſt, & nimis ſæpè dici non poteſt, humanitas Chriſti, hoc ipſo quòd unita erat Verbo, à perſona Verbi movebatur ad ſingulos actus, non ſolùm tanquam à primo movente, ſed etiam tanquam à ſuppoſito. Hinc omnes actiones Chriſti, ut hóminis, erant divinæ, quia fiebant à perſona divina per naturam ſuſceptam operante. Hinc merita Chriſti erant infiniti valoris, quia procedebant à perſona infinitæ dignitatis. Hinc humanitas Chriſti virtute illius ſuſceptionis nullum prorſus poterat peccatum admittere; quod tamen contingere abſolutè potuiſſet, ſi ejus actiones non fuiſſent ſub dominio Verbi efficaciter eam moventis ac determinantis. Hinc denique S. Auguſtinus, ex eoquòd nulla Chriſti merita humana unionem præceſſerint, abſolutè concludit ejus prædeſtinationem eſſe omnino gratuitam & independentem à præviſione meritorum.

Et verò ſi idcirco prædeſtinata fuit humanitas Chriſti, quia præviſa eſt aliis omnibus ſanctior vel ad liberandos homines promptior futura; ergo poteſt tanta illa humilitatis commendatrix in ſeipſa de propriis meritis, non in Verbo, à quo ineffabiliter aſſumpta eſt, gloriari: ergo quisque noſtrûm, ſi gratiæ enixiùs obſequi vellet, illius loco electus fuiſſet: penes nos fuit ut hominum liberatores ac redemptores fieremus: „ multi eſſent tales, ſi eſſe voluiſſent, atque ut ille talis non niſi unus „ eſſet, in poteſtate hominum fuit, qui tales eſſe noluerunt," inquit S. Auguſtinus, lib. 1 Op. imperf. cap. 138: unio illa perſonalis cum Verbo jam non eſt inenarrabilis gratiæ donum, ſed futuri meriti merces. Has conſecutiones quis Chriſtianus devoret?

Meritò itaque S. Auguſtinus, lib. 13 de Trinitate, cap. 17. n. 22, inter præcipuas incarnationis utilitates hanc valde commendat, velut à Deo ſpecialiter intentam, „ ut gratia Dei nobis ſine ullis præcedentibus „ meritis in homine Chriſto commendaretur."

Ipſum igitur caput noſtrum intueamur, hinc clariſſimè intellecturi quid divinæ gratiæ, quid æternæ prædeſtinationi debeamus. „ Quâ „ enim gratiâ homo ille factus eſt bonus, eâdem gratiâ homines, qui „ ſunt membra ejus, fiunt ex malis boni," ait idem S. Doctor, lib. 1 Operis imperf. cap. 138. Atque ut paucis omnia complectamur: Sicut gratiam unionis nulla opera bona præceſſerunt, ſic gratiam quâ Chriſtiani ſimus nulla opera bona præcedunt; ſed inde incipimus benè operari, unde in Chriſto renaſci incipimus. Sicut omnia Chriſti merita ab illa unionis gratia tanquam à radice orta ſunt, ſic omnia merita noſtra ex gratia, quâ capiti unimur, procedunt. Sicut ille, operante Spiritu ſancto, conceptus & natus eſt, ſic & nos, eodem Spiritû operante & Altiſſimi obumbrante virtute, in Chriſto concipimur & gignimur. Sicut omnes humanas Chriſti actiones producit motio & gratia Verbi, ſic omnia bona opera noſtra, ab initio fidei usque ad finalem perſeverantiam, divina in nobis gratia operatur. Sicut humanitas Chriſti nullo inſtanti

agere potuit independenter ab influxu Verbi, ſic nec tantillo temporis momento benè agere poſſumus non acti à Spiritu ſancto. Sicut nulla eſt humana in Chriſto actio, quæ non ſit actio Filii Dei, ſic nulla eſt in nobis bona actio, quæ non ſit actio Chriſti in membris ſui operantis. Sicut dividi nequeunt humana Chriſti opera, ut partim Verbo, partim humanitati attribuantur, ſed tota perſonæ Verbi, tota aſſumptæ humanitati adſcribenda ſunt; ſic bona opera noſtra non ſunt partim gratiæ, partim liberi arbitrii, ſed tota ex Deo, tota ex libero arbitrio. Sicut prædeſtinatio Chriſti non ſupponit prævisionem futurorum meritorum Chriſti, ſed omnia ejus merita efficienter operatur, ſic & noſtra prædeſtinatio. Denique ſicut nemo juſtè poteſt conqueri quòd non ſit prædeſtinatus ad gloriam unionis hypoſtaticæ, ſic nemo juſtè conqueri poteſt quòd non ſit ab æterno prædeſtinatus ad regnandum cum Chriſto.

Probatio quarta ex prædeſtinatione parvulorum.

Nullum eſt, poſt unicum Mediatorem noſtrum, manifeſtius exemplar prædeſtinationis quàm parvuli, quorum alios eligi videmus ad renaſcendum in Chriſto, alios relinqui in maſſa damnationis; cùm tamen nulla eorum aſſignari poſſint merita propria, propter quæ vel illi prædeſtinentur, vel iſti reprobentur. Quid enim clarius Deum pro ſola ſua voluntate, ante omnem prævisionem etiam conditionatam, quos vult è parvulis prædeſtinare, quos vult reprobare? Cùm ergo ſalus adultorum nonminùs à Deo pendeat quàm parvulorum, concludendum eſt illorum quoque prædeſtinationem eſſe prorſus gratuitam, & à ſolo Dei beneplacito dependentem. Hoc exemplo Semipelagianos urgebant S. Auguſtinus, auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 1. cap. 16, S. Fulgentius &c.

Reverà adeò efficax iſtud eſt, ut Semipelagiani, quòcunque ſe verterent, eo opprimerentur. Reſpondebant nonnulli parvulos quidem non habere merita propria, ſed habituros eſſe ſi diutiùs viverent, ac propter illa merita propria à Deo cognita vel baptizari illos, vel non baptizari. „ Tales aiunt perdi taleſque ſalvari, ait S. Proſper in Epiſtola ad S. Auguſtinum, n. 5, „ quales futuros illos in annis majoribus, „ ſi ad activam ſevarentur ætatem, ſcientia divina præviderit,..... „ novoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſunt, „ & præſcita non acta ſunt." Hoc teſtatur etiam B. Fulgentius & magis explicat lib. 1 de *Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 1. „ Illam, inquit, abſurditatem quibuſdam irrepſiſſe multum miror & „ doleo, quâ gratiæ Dei in tantùm inimici eſſe non dubitant, aſſerentes futurorum operum merito parvulos baptizari; ut è contrario dicant illis quoque parvulis, qui ſine baptiſmate moriuntur, divinâ „ benignitate conſuli, ut abſque ſacræ ablutionis gratia rapiantur ad

Inter Epiſt. S. Aug. 225.

„ pœnam,

„ pœnam; in quibus ſcilicet Dominum futura eorum mala, ſi aliquando „ diutiùs hìc viverent, præſciſſe contendunt, & bonitate ſuâ præri- „ puiſſe præſentis vitæ curricula.

Multis locis iſtum errorem refellit S. Auguſtinus: lib. 1 *de Anima & ejus origine*, cap. 12. n. 15, & cap. 19. n. 34; Epiſt. 194, olim 106, *ad Sixtum*, cap. 9. n. 42; lib. *de Prædeſtinatione SS.* cap. 12. 13 & 14, & lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 9. n. 22, ubi dicit eum „ ita ab- „ horrere à ſenſibus Chriſtianis aut prorſus humanis, ut id etiam re- „ ſellere pudeat."

Alii cauſam hujus diſcretionis refundebant vel in ordinem cauſarum naturalium, vel in hominum voluntates, qui baptiſmi gratiam aliis procurant, aliis non procurant: quaſi verò aut naturæ curſus, aut hominum voluntates non ſubſint divinæ providentiæ, ſine cujus imperio ac nutu nihil accidit. Præthereà ſæpiſſimè contingit infantes, dum curritur ad baptiſmum, repentè, Deo ſic diſponente, ex hac vita exire. „ Vi- „ demus aliquando, ait S. Auguſtinus, lib. 6 *Op. imperf.* cap. 12, benè „ meritis fidelibus non concedi filios ſuos ut ſint in regno Dei cum pa- „ rentibus ſuis, ſed non regeneratos parvulos exire de hac vita, dum „ nonnunquam, & ipſis ſuis parentibus ardenter deſiderantibus, & mi- „ niſtris ſacramentorum alacriter feſtinantibus, ab omnipotentiſſimo & „ miſericordiſſimo Deo non differtur paululùm mors eorum, ut Chriſ- „ tianorum nati exeant hinc renati,..... ſed, antequàm baptizentur, „ expirent: cùm aliquando filiis infantibus infidelium, & ipſam Chriſti „ gratiam blaſphemantium, in manus Chriſtianorum mirabili Dei gu- „ bernatione perductis, præſtetur hæc gratia, ut in regnum Dei ab „ impiis ſeparati parentibus veniant." Quis non hoc divinæ voluntati attribuat, niſi qui mundum caſu gubernari impiè delirabit? Vis aliud exemplum? „ Duo parvuli nati ſunt, ait idem S. Doctor: ſi debitum „ quæras, ambo tenent maſſam perditionis. Sed cur mater alium portat „ ad gratiam, alium mater dormiens ſuffocat?" An caſui hoc deputabis? Abſit à Chriſtiano. Undenam ergo in cauſa tam ſimili tanta diſcretio, niſi quia, ut addit poſt Apoſtolum S. Auguſtinus, „ habet figulus „ luti poteſtatem facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?"

Eamdem quæſtionem tractat S. Fulgentius lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 9. 10. 11 & 12, & oſtendit omnia, per quæ parvulis procuratur baptiſmus, eſſe gratuitæ miſericordiæ munera; & omnia, per quæ parvulorum baptiſmus impeditur, divinorum judiciorum tremendâ altitudine fieri aut permitti. Demum ita concludit: „ Quid in his (parvulis) prævidet Deus futurum, ut uni nihil con- „ ferre poſſet caritas parentalis, & alteri multùm crudelitas prodeſſet „ hoſtilis? Quis iſtam profunditatem judiciorum Dei penetrare valeat? „ Quis non tamen hic & miſericordiam gratuitæ bonitatis, & juſtitiam „ divinæ ſeveritatis agnoſcat?"

Digitized by Google

Denique fatebantur alii prædeſtinationem parvulorum unicè pendere à beneplacito divino, ſed adultorum liberâ & propriâ voluntate utentium diverſam rationem eſſe contendebant, uti etiamnum pleriquc adverſariorum contendunt. Profectò ineptè. Cur etenim Deus adultos non poſſet in maſſa perditionis derelinquere, & inde quos vult gratuitâ prorſus miſericordiâ liberare, quemadmodùm tot parvulos occulto, ſed juſto, judicio in illa maſſa relinquit, & quos vult, nec merentes, nec volentes, liberat? Si non habent infantes ſolo originali & hæreditario peccato obſtricti unde jure querantur, quòd miſericordia, quæ ſui ſimilibus ſubvenit, ſibi quoque non ſubveniat, quid cauſæ habent adulti præter originis vitium plurimis actualibus peccatis aggravati, cur à damnatione, in quam ſeſe ſponte præcipitant, non eruantur? Nedum igitur è cauſa parvulorum ad cauſam majorum concludi nihil poſſit, imò optimè concluditur, à fortiori, Deum ſine ulla iniquitate adultos quos vult gratis omnino liberare à maſſa perditionis, & quos vult relinquere in eadem maſſa, quam propriis peccatis magis magisque infecerunt; quandoquidem parvulos, qui nihil ex propriis commiſerunt, alios in originis maſſa juſto judicio relinquit, alios inde gratuitâ bonitate liberat. „ Ex ore ergo infantium & lactentium ſuam (Deus) perficit „ laudem, ait S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 11. n. 25, „ ut, quod in his videmus,..... hoc & in majoribus fieri nequaquam „ omnino cunctemur.“

Quamobrem, excluſis omnibus adverſariorum effugiis, illos denuò revocamus ad incomprehenſam diſcretionem parvulorum, dicimusque cum S. Auguſtino, lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7. n. 16: „ Redit ad vos frater ille geminus baptizati non baptizatus, & „ tacitus quærit à vobis unde fuerit à fraterna felicitate diſcretus, cur „ illa infelicitate punitus, ut, illo in Dei filium adoptato, ipſe non „ acciperet omnibus ætatibus neceſſarium, ſicut fatemini; ſacramentum; „ ſi, quemadmodùm nulla eſt fortuna, nec fatum, nec apud Deum „ acceptio perſonarum, ita nullum eſt gratiæ ſine meritis donum..... „ Huic prorſus infanti linguam veſtram vocemque ſubmittitis; huic non „ loquenti quod loquamini non habetis.“

Probatio quinta ex finali perſeverantia.

Adeò intimè connexa eſt cum ſalute finalis perſeverantia, ut unum ſine altero eſſe non poſſit. Proinde ſi finalis perſeverantia ita eſt in manu Dei, ut eam cui voluerit donet gratuitâ miſericordiâ, & cui non voluerit non donet inſcrutabili judicio, clarum eſt prædeſtinationem ad ſalutem eſſe omnino gratuitam & præſcientiâ anteriorem. Atqui manifeſtum eſt finalem perſeverantiam ita eſſe in Dei poteſtate, ut eam pro ſua ſola voluntate aliis det, aliis non det. Non loquor hìc de interio-

teriore perſeverantia, ſeu de perſeverante usque in finem Dei famulatu (quem ſpecialis ſeque ipſâ efficacis gratiæ donum eſſe alibi demonſtratum eſt), ſed de finali perſeverantia, hoc eſt, de conjunctione ſtatûs gratiæ cum morte, quam non in hominis, ſed in Dei poteſtate eſſe vel ipſe fatebitur Pelagianus. Manaſſes rex Juda, poſt vitam impiam & ſceleratam, acturus erat pœnitentiam: Amon filius ejus, & ipſe impius, in ſenectute pariter (id ſuppono) ad Deum erat reverſurus. Illi Deus longam vitam largitur, nec priùs è vivis eripit, quàm præterita crimina pœnitentiæ lacrymis eluerit: huic ætate adhuc florenti ſceleribusque immerſo, antequàm paternam converſionem imitetur, vitam aufert. Hic prædeſtinatur; hic reprobatur. Similiter duo juſti, ſi ad certam ætatem perveniant, lapſuri ſunt: illum, antequàm cadat, Deus vivis ſubtrahit; hunc vivere facit quousque juſtitiam amittat. Salvatur ille; damnatur iſte. Quæ verò hujus diſcretionis cauſa afferri poteſt? Nulla prorſus, niſi divina voluntas & incomprehenſa judicia. Non enim putandum eſt „ talia fieri, ait S. Auguſtinus, ſive iniquitate, ſive temeritate facientis, ſive caſu & fortuitò." Fiunt ergo ſolâ Dei voluntate & inſcrutabili judicio.

„ Reſpondeant, ſi poſſunt, addit idem S. Doctor, libro *de Corrept. & gratia*, cap. 8. n. 19, „ cur illos," qui ex bono in malum deficiunt, „ Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vitæ hujus pericu-„ lis rapuit, *ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet* „ *animas eorum;* utrùm hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala „ futura neſcivit? Nempe nihil horum, niſi perverſiſſimè atque inſaniſ-„ ſimè, dicitur. Cur ergo non fecit? Reſpondeant qui nos irrident, „ quando in rebus talibus exlamamus: *Quàm inſcrutabilia ſunt judicia* „ *ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Neque enim hoc non donat Deus „ quibus voluerit, aut verò Scriptura illa mentitur, quæ de morte velut „ immatura hominis juſti ait: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum* „ *ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Cur igitur hoc tam mag-„ num beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, *apud quem non eſt ini-„ quitas, nec acceptio perſonarum*, & in cujus poteſtate eſt quam diu „ quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta eſt ſuper terram? „ Sicut ergo coguntur fateri donum Dei eſſe, ut finiat homo vitam „ iſtam antequàm ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, „ aliis non donetur, ignorant; ita donum Dei eſſe in bono perſeveran-„ tiam, ſecundùm Scripturas, de quibus teſtimonia multa jam poſui, „ fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, ſine murmure „ adverſus Deum, dignentur ignorare nobiſcum." Et cap. 9. n. 20 tantæ illius quæſtionis ſolutionem iſtam affert, quòd ſcilicet ideò aliquibus non detur in bono perſeverare, quia non ſunt de numero filiorum & ſecundùm propoſitum vocatorum, juxta illud 1 Joannis II. 19:

Ex:

Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.

Probatio ſexta ex incomprehenſibilitate hujus myſterii.

Nihil eſt in prædeſtinatione abſtruſum, nihil captu difficile, ſi ſecundùm diverſitatem præviſorum meritorum alii eliguntur ad regnum, alii reprobantur. Atqui ex Scripturis & univerſa Traditione conſtat prædeſtinationem eſſe altiſſimum myſterium, rationi impervium & incomprehenſibile. Apoſtolus gentium, ad tertium cœlum raptus, illud ſcrutari minimè præſumpſit, ſed admiratus exclamat: *O altitudo!... Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Ergo prædeſtinatio non fit ex præviſis meritis, ſed à ſola gratuita voluntate Dei pendet, cujus voluerit miſerentis.

B. Auguſtini eſt illud argumentum, lib. 1 *Oper. imperf.* cap. 126. Sic enim refellit Julianum aſſerentem ſecundùm diverſitatem voluntatis humanæ alios fieri vaſa in honorem, alios vaſa in contumeliam: „ Si inſcrutabilis quæſtionis hujus, inquit, ita eſſet ſolutio, quam tu ſapis, ſecundùm merita voluntatum, tam manifeſta eſſet, ut nullâ ejus „ difficultate compelleretur Apoſtolus dicere: *O homo, tu quis es qui* „ *reſpondeas Deo?*" Et ſerm. 26, olim 11 de Verbis Apoſtoli, cap. 12: „ Sed dicis: Me quare fecit in honorem, & alium in contumeliam? „ Quid reſponſurus ſum? Auditurus es Auguſtinum, qui non audiſti „ Apoſtolum dicentem: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?*..... „ Diſputare vis mecum. Imò mirare mecum, & exclama mecum: *O* „ *altitudo divitiarum!* Ambo expaveſcamus, ambo clamemus: *O altitu-* „ *do divitiarum!* Ambo in pavore concordemus, ne in errore pereamus...... Scrutare inſcrutabilia, fac impoſſibilia, corrumpe incorruptibilia, vide inviſibilia." Pergit cap. 14: „ Sed movet me, inquis, quòd „ ille perit, ille baptizatur. Movet me tanquam hominem, ſi verum „ vis audire, & me movet quia homo ſum: ſed ſi & tu homo, & ego „ homo, ambo audiamus dicentem: *O homo, tu qui es qui reſpondeas* „ *Deo?*" Accumulent adverſarii, quantùm volent, atque exaggerent gratuitæ prædeſtinationis incommoda. Dicant hinc Deum fieri iniquum & acceptorem perſonarum, hinc everti libertatem arbitrii, hinc deſperationem induci, hinc ſocordiam ac torporem foveri: hæc, inquam, atque alia dicant; iſta extollentis ſe adverſùs ſcientiam Dei rationis humanæ munimenta ſuperabit dictum Apoſtoli: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Quid mirum humanam rationem aſſequi non poſſe inſcrutabilis arcani altitudinem? Quid mirum eam non comprehendere incomprehenſibilia? Nedum iſtiuſmodi argumentis deterreamur, imò potiùs confirmamur, gaudemuſque eadem nobis objici, quæ ſibi dudum objecit Apoſtolus.

Auctor

Auctor librorum *de Vocatione gentium* inde Semipelagianos, prædeſtinationem ex prævisis meritis fieri aſſerentes, erroris convincit, quòd illud enodarent, quod incomprehenſibile eſſe S. Paulus agnovit. „Non „ ignoramus, ait, lib. 1. cap. 2, eſſe quosdam tam inconſideratæ præ„ ſumptionis & tam ſuperbæ arrogantiæ, ut, quod præcipuus magiſter „ gentium, non ab hominibus, neque per hominem, ſed divinitùs „ eruditus, ſupra menſuram ſcientiæ ſuæ longè & altè remotum eſſe „ confeſſus eſt, audeant falſi nominis temerare doctrinâ, & nihil illic „ occultum, nihil velint eſſe ſecretum." Similia videre eſt apud S. Fulgentium, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 13, apud Rabanum, in Epiſtola ad Nothingum Veronenſem &c.

Probatio ſeptima ex varia hominum temporali ſorte.

Denique, etiamſi tot tamque gravia documenta deeſſent, vel ſola divinæ in bonis ac malis hujus vitæ diſtribuendis œconomiæ conſideratio nos convincere deberet, æternam quoque hominum ſortem à mero Dei beneplacito dependere. Enimverò num magis Deus tenetur hominum explorare voluntates ac merita, ad prædeſtinanda bona ſpiritualia & gloriam æternam, quàm ad diſpenſanda temporalia? Quis ſola humanæ rationis præjudicia conſulens non crederet duos homines origine & meritis æquales, ſub Deo juſto & omnipotente, eâdem benedictionum temporalium copiâ frui debere, ſoreque in Deo perſonarum acceptionem, ſi unum divitiis, honore, potentiâ cumulet, alterum bonorum omnium penuriâ afficiat? Attamen in iſtis temporalibus bonis ac malis quanta diverſitas?

E duobus æqualiter juſtis, æqualiter ex Adamo genitis, ſub eodem teſtamento conſtitutis, unus in throno collocatur, omnibus terrenis bonis affluit, in cunctis proſperatur, inimicos aut nullos, aut domitos habet, nullo timore anxiatur, fidelibus utitur amicis, uxore caſtâ, filiis amanter obtemperantibus, ſervis ex corde ſubditis, proficit in dies ſemper ſeipſo ſuperior, ac tandem plenus dierum in ſenectute bona carus omnibus quieſcit, in cœlo æternùm regnaturus: alter vitam agit obſcuriſſimam & laborioſiſſimam, inops, æger, deſpectus ab omnibus, ejectus patriâ, calumniis obnoxius, proditus à vicinis & amicis; nihil ex voto ſuccedit, mala ex malis, calamitates ex calamitatibus ſurgunt, nusquam requies in terris; mortem ipſam miſerabilem excipit demum cœleſtis gloria, alterius, quem modò commemoravi, gloriæ prorſus æqualis.

Pariter, è duobus æqualiter improbis, ille in bonis ducit hilares ac lætos dies, epulatur ſplendidè, dignitatibus fulget, amatur à ſuis, timetur ab alienis: hic, ab infantia ærumnis obrutus, vitam trahit laboribus gravem, timoribus anxiam, fame, ſiti, rerum omnium eges-

Digitized by Google

tate miſerabilem; demum captivus abducitur in alienam terram, atque diuturni carceris horrore producitur carnificis manu torquendus, & miſeros dies morte miſeriore finiturus. Hæc credere quis poſſet, ſi non quotidiano experimento probarentur?

Tantæ diverſitatis in cauſis aliunde ſimillimis quæ ratio afferri poteſt, niſi ſuprema Dei voluntas, apud quem tamen non eſt iniquitas nec perſonarum acceptio?

Neque ſolùm in exterioribus bonis & malis invenitur iſta diſcretio. In ipſis corporibus & ingeniis quanta diſparitas? Ille robuſtâ gaudet valetudine; hic continuis infirmitatibus & acutis doloribus cruciatur. Ille in integro & procero corpore habet ſenſus vivaces & organa optimè diſpoſita; hic in deformi ac mutilo corpore ſenſibus utiliſſimis, viſu, auditu, loquelâ deſtituitur. Illi vis ineſt imaginandi prompta & vivida, memoria vaſta & certa, ingenium acutum, rectum, felix ad excogitandum, ad exequendum ſolers: huic craſſum cerebrum, memoria dura atque infida, mentis acies obtuſa & obliqua. Illum affectus moderati ducunt; hunc immodici agitant: indolem ille habet quietam, ſerenam, ſobriè lætam; hic auſteram, ferocem, moroſam. Et quis omnes corporum & animorum diſparitates enumerare ſufficiat, cùm tot ſint animorum facies quot hominum vultus? Harum autem diſparitatum, ex quibus terrena hæc felicitas aut miſeria pendet, quæ cauſa, niſi impenetrabilis divinorum judiciorum altitudo?

Jam de mediis exterioribus ſalutis quid dicam? Evangelium hîc prædicatur, illic non prædicatur, ubi tamen fructificaret, multoſque, ſaltem infantes, ad ſalutem perduceret. Virtutes fiunt apud Judæos, qui magis inde excæcantur; non fiunt apud Tyrios & Sidonios, qui, ſi eas vidiſſent, pœnitentiam egiſſent in cinere & cilicio. Naſcitur ille apud infideles aut hæreticos, hic apud Catholicos: ille ex parentibus piis ac religioſis, hic ex impiis & omni vitiorum genere deformibus: ille à teneris traditur optimis imbuendus magiſtris; hic nullos habet, aut corruptos. Unde, inquam, tanta iſta diverſitas tanti ad ſalutem vel damnationem momenti, niſi ab incomprehenſibili voluntate Dei miſerentis cujus vult, & quem vult deſerentis?

Porro ſi ordo ipſe naturalis tot nobis offert myſteria prædeſtinationum, quibus explicandis humanæ rationis ſuccumbit infirmitas, cogiturque exclamare: *O altitudo! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* quantò magis in ordine ſupernaturali, cujus ille imago quædam ac typus eſt, ad inſcrutanda Dei judicia recurrere debemus, ac fateri, quòd alii ſint vaſa in honorem, alii vaſa in contumeliam, pendere à voluntate figuli, cui dicere figmentum non poteſt: quare me feciſti ſic?

Hanc conſecutionem confirmat Eccleſiaſticus, cap. 33. Poſtquàm enim prædeſtinationis & reprobationis cauſam unicam retulit ad voluntatem Dei, cujus in poteſtate ſunt omnes homines, ſicut lutum in manu figuli,

goli, addit illius myſterii veram quamdam effigiem conſpici in omnibus Altiſſimi operibus. „ Contra malum, inquit, bonum eſt, & contra „ mortem vita, & contra virum juſtum peccator. Et ſic intuere in „ omnia opera Altiſſimi: duo & duo, & unum contra unum."

Hinc Semipelagianos, objicientes gratuitam prædeſtinationem, ſi admittatur, arguere in Deo acceptionem perſonarum, ad iſtas viſibiles hominum, quàmvis naturâ æqualium, differentias revocabat diſertus auctor librorum de Vocatione gentium. „ Multa ſunt, ait lib. 1. cap. 14, „ in diſpenſatione divinorum operum, quorum cauſis latentibus, ſoli „ monſtrantur effectus, ut, cùm pateat quod geritur, non pateat cur „ geratur...... Neque enim, ſi neſcio cur ille græcus creatur, hic barbarus, iſte in divitiis, ille in egeſtate naſcatur; hunc valida proceri „ corporis pulchritudo ſublimet, illum debilium membrorum exilitas „ contracta deformet; iſte à Catholicis editus in veritatis cunabulis nu„ triatur, ille hæreticorum progenies cum ipſo lacte matris hauriat vi„ rus erroris: ſi denique mille alias differentias in habitu corporum, in „ qualitatibus animorum, in conditione temporum, in more regionum „ dijudicare non poſſum, ideò, quòd omnium horum Deus ſit conditor „ atque ordinator, ignoro." Inde concludit prædeſtinationem nihilominùs admittendam, etiamſi nulla poſſit afferri ex parte hominis ratio cur ille prædeſtinetur, iſte reprobetur.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1°. Matth. XXV. 34, judex dicturus eſt electis: *Venite, benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare:* reprobis verò, v. 41: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* &c. Ibi, inquiunt, prævisa, quæ facturi erant electi, opera miſericordiæ aſſignantur, ut ratio propter quam paratum ſit eis regnum à conſtitutione mundi. Ergo prædeſtinatio ſit poſt prævisa merita.

Objectiones ex Scripturis.

Tournely, tract. de Attrib. tom. 2, pag. 526.

Nego antecedens. Nam particula *enim* non refertur ad verbum *paratum*, ſed ad verbum *poſſidete*. Unde eo loci Chriſtus non indicat cauſam, propter quam electis ab æterno paratum ſit regnum, ſed cauſam propter quam eis in tempore conceditur. Id conſtat 1° quia Chriſtus ibi loquitur de retributione actuali mercedis, ſeu de executione prædeſtinationis, non de ſempiterno decreto. 2°. Non dicit: prævisi enim eſtis eſurientem nutrituri; ſed in præterito: *eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* 3°. Si in priori membro, quod eſt de electis, particula *enim* refertur ad verbum *paratum*, ſequitur pariter in altero membro ignem æternum paratum dici diabolo & angelis ejus propter præterita hominum peccata; quod abſurdum eſt.

 In-

Ibid. Inſtant. Eodem modo loquitur Chriſtus de electis, ac de reprobis. Atqui reprobis non eſt paratus ignis æternus, niſi propter prævіſa eorum mala opera. Ergo electis non eſt paratum regnum, niſi ob prævіſa illorum bona opera.

Diſtinguo majorem. Eodem modo loquitur Chriſtus de electis ac de reprobis, quoad actualem retributionem; quia videlicet, ſicut iſti propter peccata ſua præterita punientur, ſic illi propter bona opera ſua præterita remunerabuntur; concedo: quoad prædeſtinationem, nego. Nam ex toto textu patet, ut jam dixi, Chriſtum ibi declarare quomodò proceſſurum ſit ultimum judicium, non quomodò facta ſit ab æterno prædeſtinatio vel reprobatio.

Ibid. p. 527. Objiciunt 2°. Ep. 1 ad Cor. II. 9, Apoſtolus dicit: *Oculus non vidit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*: & S. Jacobus, Epiſtolæ ſuæ cap. II. 5: *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe.* Ibi gloria æterna dicitur à Deo præparata diligentibus ſe, id eſt, propter futuram ſui dilectionem. Prætereà innuitur eos eligi ad regnum, qui prænoſcuntur futuri divites in fide.

Reſpondeo reverâ vitam æternam præparatam eſſe diligentibus Deum, nam ipſis ſolis eam dare Deus decrevit; ſed inde non ſequitur Deum priùs præſciſſe qui eum diligerent, quàm eis regnum præpararet: immò, præparando illis regnum, & dilectionem præparavit quâ pervenitur ad regnum. Ad textum S. Jacobi dico eâdem prædeſtinatione fieri ut ſint homines divites in fide, & ut ſint hæredes regni. Non enim quia prævidit Deus eos futuros divites in fide, ideò illos elegit, ſed potiùs quia eos elegit, ideò divites in fide futuri ſunt. „ Eligendo ergo facit di„ vites in fide, ſicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere „ dicitur, quod ut in eis faciat, eos eligit," inquit S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſt. SS.* cap. 17. n. 34.

Ibid. p. 529. Objiciunt 3°. S. Petrus, 2æ Epiſtolæ I. 10: *Satagite*, inquit, *ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*: quibus verbis innui videtur ante opera bona incertam & quaſi ſuſpenſam eſſe noſtram electionem, Deique voluntatem, tametſi abſolutam ex parte Dei, conditionatam eſſe ex parte creaturæ, & in abſolutam ac prorſus efficacem tranſire non poſſe, niſi poſt prævіſa bona opera. Huc etiam pertinet quod ait S. Paulus, 1 Cor. IX. 17: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*: & Rom. VIII. 17: *Si filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Hinc, cùm dixiſſet idem Apoſtolus, 2. Tim. II. 20, *in magna domo non ſolùm eſſe vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*, continuò ſubjungit: *Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum*; ſignificans

eſſe

eſſe in cujusvis poteſtate ut fiat vas in honorem, atque adeò prædeſtinationem pendere ex meritis.

Reſpondeo his teſtimoniis nihil aliud probari, niſi bona opera neceſſaria eſſe ad conſequendum regnum cœlorum; quod non controvertitur. Sed quæſtio eſt utrùm Deus futura bona opera priùs præſcire debeat, quàm abſolutum emittat prædeſtinationis decretum; an potiùs ipſa opera bona contineantur in decreto prædeſtinationis tanquam illius effectus. Porro hoc ſecundum conſtat ex jam dictis, neque oppoſitum probant textus modò allati. Nam v. g. S. Petrus, cùm monet ut per bona opera certam electionem noſtram faciamus, non loquitur de certitudine prædeſtinationis in ſeipſa & quoad Deum, ſed tantùm quoad nos; hoc eſt, de certitudine quadam morali ſuæ electionis, quam fideles bonis operibus inhærendo acquirere poſſunt.

II°. Ex antiquis Patribus, qui ante S. Auguſtinum vixerunt, objiciunt S. Irenæum, lib. 4. cap. 39. n. 4, al. cap. 76. „ Deus, ait, „ omnia præſciens utriſque aptas præparavit habitationes, eis quidem „ qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, & ad id recurrunt, benignè „ donans hoc quod concupiſcunt lumen: aliis verò id contemnentibus, „ & avertentibus ſe ab eo, & id fugientibus, & quaſi ſemetipſos ex„ cæcantibus, congruentes lumini adverſantibus præparavit tenebras, „ & his qui fugiunt eſſe ſubditi *convenientem ſubdidit pœnam.*"

Ex Patribus qui ante S. Auguſtinum vixerunt.

Ibid. p. 532.

S. Ambroſium, qui lib. 5 de Fide, cap. 6, dicit „ Deum non ante „ prædeſtinaſſe, quàm præſciret; ſed quorum merita præſcivit, eorum „ præmia prædeſtinaſſe."

S. Hieronymum, Epiſt. 150 ad Hedibiam, cap. 10, ita loquentem: „ Non ſalvat irrationabiliter & abſque judicii veritate, ſed cauſis præ„ cedentibus, quia alii non ſuſceperunt Filium Dei, alii autem recipe„ re ſuâ ſponte voluerunt...... Ex quo oſtenditur non gentes eligi, ſed „ hominum voluntates."

S. Joannem Chryſoſtomum, hom. 80 in cap. 25 Matthæi, ubi explicans hæc verba: *Poſſidete*, ſeu hæreditate accipite *paratum vobis regnum*, ſic loquitur: „ Non dicit, accipite, ſed hæreditate *poſſidete*, quaſi pro„ pria, quaſi paterna, quaſi veſtra, quæ vobis à principio debebantur. „ Nam, antequàm nati ſitis, quia ſciebam vos hujuſmodi futuros, hæc „ vobis à me præparata fuerunt."

Reſpondeo 1° novam non eſſe iſtam objectionem, ſed dudum à Semipelagianis Auguſtino factam, ut patet ex Epiſtolis Proſperi & Hilarii ad ipſummet Auguſtinum.

Reſpondeo 2° antiquiores illos Patres, ſi perpaucos excipias, qui fortaſſe hoc myſterium, nondum damnatis Pelagianis & Semipelagianis, parum cognitum habuerunt, diverſam à doctrina S. Auguſtini doctrinam non tenuiſſe, licet minus accuratè ac minùs cautè interdum locuti ſint, ut pote aliis, immo contrariis hæreſibus refellendis occupati, & nullâ

compellente neceſſitate de prædeſtinatione & gratia operoſiùs diſputandi. Conſule, obſecro, quæ de Patrum, qui ante Pelagianos vixerunt, auctoritate dicta ſunt Libro II hujus Tractatûs.

Reſpondeo 3°, ex Patribus qui videntur prædeſtinationem ex meritis ſuſpendiſſe, alios agere de executione prædeſtinationis in tempore, ut S. Irenæum & S. Hieronymum, qui non de ipſa prædeſtinatione, ſed de ſalute, quæ ultimus eſt prædeſtinationis effectus, manifeſte loquuntur; alios loqui de prædeſtinatione inadæquatè ſumpta, quatenus gloriam concedendam decernit, & de præſcientia efficaci, abſoluta, & in decreto abſoluto fundata. Enimverò cùm ea ſit voluntas Dei, ut nemo adultus gloriam æternam conſequatur, niſi bonis operibus & verâ cordis converſione illam promeruerit, nullum dubium eſt quin prædeſtinatio ad gloriam ſupponat, aut potiùs includat præſcientiam bonorum operum, quibus gloria tanquam merces retribuatur: neque in eo ſtat præſens noſtra controverſia; ſed quæritur utrùm ideò Deus præſciat futura bona opera, quia illa præparat, ut in illis ambulemus, an verò propterea illa præſciat, quia homo illa facturus eſt, ipſo non prædeterminante: uno verbo, hoc quæritur, an Deus, bona opera præſciendo, præſciat quod ipſe facturus eſt, an quod homo. Porro in textibus allatis, & ſimilibus qui afferri poſſent, dicitur quidem Deus eos prædeſtinaſſe ad regnum cœlorum, quos præſcivit benè acturos, ſed non negatur hanc præſcientiam eſſe operam Dei, & abſoluto decreto inniti: immo iidem SS. Patres ſæpiſſimè docent, ut alibi oſtenſum eſt, totum quod in nobis boni eſt, ex Deo eſſe, ac fidem ipſam & bona opera ipſius eſſe dona. Unde evidenter ſequitur Deum, præſciendo merita noſtra, non niſi dona ſua præſcire, præſcientiâ non inefficaci & conditionatâ, ut adverſarii contendunt, ſed abſolutâ, efficaci, & decreto juſtificandi poſteriore: quo ſemel admiſſo, nulla jam Auguſtinum inter & antiquiores Patres reſtare poteſt, niſi loquendi, diverſitas.

Confirmatur hæc reſponſio B. Auguſtini ſuffragio. Cùm enim objicerent Semipelagiani ipſum innovare, ac recedere à veſtigiis auctorum vetuſtiorum, qui prædeſtinationem ope præſcientiæ expoſuerunt, reſpondet veterum dicta debere intelligi de præſcientia à prædeſtinatione non diſtincta, quâ Deus ab æterno cognoſcit quod prædeſtinat facere. Poſtquàm enim obſervavit, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 19. n. 48, prædeſtinationem interdum nomine præſcientiæ in Scripturis ſignificari, velut cùm dicitur, Rom. II. 2: *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit*, illico ſubjungit: „ Quid ergo nos prohibet, quando apud ali„ quos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de „ vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere? Magis „ enim fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & facilius in„ telligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati quæ de prædeſ„ tinatione gratiæ prædicatur.“ Deinde SS. Patres ipſo antiquiores præ-

præſcientiæ nomine hac in materia ſignificaſſe prædeſtinationem, quâ Deus futura ſua beneficia præſcivit, probat S. Doctor SS. Cypriani & Ambroſii teſtimoniis, quorum ille „ in nullo “ ait „ gloriandum, quando noſtrum nihil ſit ; “ hic verò dicit „ non eſſe in poteſtate noſtra „ cor noſtrum & noſtras cogitationes.“

Confirmatur etiam ex ſynodo Præſulum Africanorum pro fide relegatorum, & ex ſynodo Arauſicana II. Illa, in Epiſtola ſynodica, cap. 6, approbat ut dicatur „ in Jacob figuram fuiſſe populi gentium „ ex futuris bonis operibus ſalvandi, “ modò hæc duo inconcuſſa teneantur, ſcilicet & electos ex bonis operibus ſalvari, & bona opera præparata eſſe ut in illis ambulemus. „ Nam, inquiunt ſancti illi Epiſcopi, „ quia gratiâ diſcernuntur quicunque ſalvantur, profectò non „ ſunt electa neque dilecta in Jacob humana opera, ſed dona divina.... „ In eo quippe gratuitum in Jacob Deus oſtendit beneficium miſericordiæ ſuæ, in quo eum gratiâ gratis dignatus eſt adoptare; nec eum „ pro meritis futuræ cujuſquam bonæ operationis elegit, cui ſeipſum, & „ fidem, & bona opera donaturum eſſe præſcivit.“ Hæc verò, can. 12, ſic decernit : „ Tales nos amat Deus, ac proinde eligit ad regnum, „ quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus (aut futuri ſumus) „ noſtro merito.“ Hoc ſenſu antiquiores Patres dixerunt Deum illos prædeſtinaſſe, quos prævidit futuros bonos, videlicet ipſius dono efficaci, non proprio ſuo merito.

Inſtant. S. Proſper, in Epiſt. ad S. Auguſtinum, n. 8, cupit ab eo edoceri cur à ſententia veterum circa prædeſtinationem ex prævisis meritis receſſiſſe videretur. „ Illud, inquit, qualiter diluatur, quæſumus, „ patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres, quod, retractatis „ priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una „ ſententia, quâ propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præ„ ſcientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios va„ ſa contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub „ ipſo gratiæ adjutorio in qua futurus eſſet voluntate & actione præ„ ſcierit.“ Ibid. pag. 529, 531.

Supponit hîc S. Proſper, inquiunt, tanquam rem certam & exploratam, unam ferè omnium veterum, ante S. Auguſtinum, mentem fuiſſe, prædeſtinationem hominum fieri ex prævisis meritis ſub auxilio gratiæ comparandis; à qua mente videbatur receſſiſſe S. Auguſtinus. Neque dici poteſt S. Proſper citatis verbis non ſuam ſententiam, ſed Semipelagianorum querelam & calumniam referre. Nam 1° inter multas Semipelagianorum querimonias jam iſtam retulerat. „ Contrarium „ putant, inquit, Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in „ Sanctitatis tuæ ſcriptis de vocatione electorum ſecundùm Dei propo„ ſitum diſputaſti.“ Utquid igitur eamdem querimoniam rurſus in fine ſuæ Epiſtolæ repeteret? 2°. Catholica omnino videtur ſententia vete-

veterum, qualis à S. Proſpero verbis citatis refertur. Ergo planè diſtincta erat à Semipelagianorum querela. 3°. S. Proſperum ſuo nomine loqui apertè innuunt hæc verba: „ quæſumus, inſipientiam noſtram ferendo, demonſtres."

Huic porro poſtulationi, pergunt, nihil reſpondit S. Auguſtinus: quo ſilentio declaravit extraneam hanc eſſe propoſito ſuo quæſtionem, nec ſibi cum Pelagianis & Semipelagianis controverſiam eſſe de illa prædeſtinatione ad gloriam, ex prævisis meritis ſub auxilio gratiæ comparandis, ſed tantùm de prædeſtinatione ad gratiam.

Reſpondeo omnia quæ hîc ſupponuntur eſſe evidenter falſa.

1°. Falſum eſt S. Proſperum citatis verbis proprio ſuo nomine loqui. Nam cuivis Epiſtolam ejus legenti manifeſtum eſt numero 8 breviter reſumi omnes Semipelagianorum objectiones & querelas fuſiùs anteà expoſitas, rogarique S. Auguſtinum ut eas ſolvere dignaretur. Quoniam ergo ſuperiùs dixerat, n. 2 & 3, Presbyteros Maſſilienſes *obſtinationem ſuam vetuſtate defendere*, & affirmare *illa quæ* à S. Auguſtino, *ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita* & vocationis *ſecundùm propoſitum*, proferebantur, *à nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta*, ut ab ipſo exponebantur, in fine Epiſtolæ id recapitulando, B. Auguſtinum rogat ut huic querelæ ſatisfaceret, oſtenderetque ſententiam veterum à ſua non diſcrepare. Non ergo planè catholica eſt, ut videtur adverſariis, illa veterum ſententia, qualis à S. Proſpero refertur, ſed expoſitione indiget, ut cum Auguſtiniana, hoc eſt, catholica concilietur: ideòque S. Proſper S. Auguſtinum obteſtatur ut Semipelagianis, quorum inſipientiam in ſeipſum transferre ex caritate non erubeſcit, ea de re ſatisfaceret.

2°. Falſum eſt S. Auguſtinum huic poſtulationi nihil reſpondiſſe. Contrarium patet ex libris de Prædeſtinatione ſanctorum & de Dono perſeverantiæ ad Proſperum & Hilarium datis. Nam in primo, cap. 14. n. 27, reſpondet veteres nullam habuiſſe neceſſitatem de prædeſtinatione ex profeſſo tractandi. „ Quid opus eſt, ait, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui, priuſquàm iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari; quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur? Unde factum eſt ut, de gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis & tranſeunter attigerint; immorarentur verò in eis quæ adverſus inimicos Eccleſiæ diſputabant." Ibidem, & lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 23. n. 63, demonſtrat ex communibus Eccleſiæ precibus, doctrinam prædeſtinationis & gratiæ, quam ex Scripturis defendebat, nunquam non in Eccleſia fuiſſe. Denique in eodem libro *de Dono perſeverantiæ*, cap. 19. n. 48, dicit veteres exponi facilè poſſe de præſcientia, quæ ſit ipſamet prædeſtinatio eique ſuffulta; non autem de præſcientia quæ præcedat prædeſtinationem ejuſque cauſa ſit. Dicant nunc S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtinum poſtulationi S. Proſperi quoad veterum de prædeſtinatione ſententiam nihil reſpondiſſe.

3°. Ex SS. Auguſtino & Proſpero.

Ibid. pag. 533 & ſeq.

Objiciunt 5°. Ipſemet S. Auguſtinus ſenſit prædeſtinationem ſequi præſcientiam, & ex prævifis meritis fieri. Nam 1° in definitione prædeſtinationis præſcientiam præparationi beneficiorum præponit. 2°. Contendit non aliam ex prædeſtinatione, quàm ex præſcientia, difficultatem naſci. Nam cùm Semipelagiani objicerent ex prædeſtinatione merita antecedente ſequi iſtud populis prædicari poſſe: „ ſi qui eſtis qui „ obeditis, ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, „ ut obedire ceſſetis;" reſpondet S. Doctor, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 22, hoc idem & contra præſcientiam objici poſſe. „ Illo modo, inquit, „ quo id dicendum putant, eâdem ſententiâ eisdemque pene „ verbis etiam de præſcientia Dei, quam certè negare non poſſunt, pro- „ nuntiari poteſt, ut dicatur: ſi qui obeditis, ſi præſciti eſtis rejicien- „ di, obedire ceſſabitis." 3°. Cùm Pelagiani dicerent unum eſſe gratiæ gratuitæ genus, nempe remiſſionem peccatorum; illam verò gratiam quæ datur in fine, hoc eſt, vitam æternam, præcedentibus noſtris meritis reddi, ad hoc poſtremum ſic reponit S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 6: „ Si merita noſtra ſic intelligerent, ut etiam „ ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia." 4°. Lib. 1 ad Simplicianum, q. 2. n. 6, quærit quomodò eligi potuerit Jacob præ Eſaü, antequàm aliquid boni aut mali egiſſent, cùm omnis electio ſupponat rationem aliquam præexiſtentem in ſubjecto, per quam differat ab eo qui rejicitur. Sic autem quæſtionem reſolvit: „ Non ergo „ ſecundùm electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio: „ id eſt, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, „ ideò manet propoſitum juſtificationis ipſius; ſed quia illud manet ut „ juſtificet credentes, ideò invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœ- „ lorum. Non tamen electio præcedit juſtificationem, ſed electionem „ juſtificatio: nemo enim eligitur niſi jam diſtans ab illo qui rejicitur. „ Unde quod dictum eſt, quia *elegit nos Deus ante mundi conſtitutio-* „ *nem*, non video quomodò ſit dictum, niſi præſcientiâ." Hîc manifeſtè docet S. Doctor neminem eligi ad gloriam niſi ex præſcientia meritorum.

Reſpondeo hæc momenta nullius eſſe roboris, poſt tam manifeſta, quæ ſupra retulimus, S. Auguſtini teſtimonia.

Ad primum jam reſpondimus, exponendo Auguſtinianam prædeſtinationis definitionem, oſtendimuſque præſcientiam à S. Doctore commemoratam planè differre à ſcientia media ſive conditionata, eâque præſcire Deum quod ipſe facturus eſt, non quod homines.

Ad 2um nego conſequentiam. Nam reverâ contra prædeſtinationem gratuitam multa objiciuntur, quæ contra præſcientiam pariter objici poſſent; v. g. quòd homines in deſperationem injiciat, quòd aliud eve-

Digitized by Google

nire non poſſit quàm quod prædeſtinatum vel præſcitum eſt ab æterno, quòd ſuperfluus ſit labor hominis, ſi ante mundi conſtitutionem omnia in Dei vel prædeſtinatione vel præſcientia definita ſunt. At verò quid inde, niſi hujusmodi objectiones non magis convellere poſſe prædeſtinationis dogma, quàm præſcientiæ? Quod unicè concludit S. Auguſtinus loco citato.

Ad 3um dico quæſtionem ibi non eſſe de prædeſtinatione, ſed de actuali retributione vitæ æternæ, quam fatemur præcedentibus adultorum meritis reddi. Verùm, etiamſi ſermo ibi eſſet de prædeſtinatione, nihil inde adverſùs ſententiam noſtram concludi poſſet. Hoc unum quippe volumus, prædeſtinationi non præire præſcientiam inefficacem & conditionatam, quæ ſit directiva decreti. Porro, etiamſi S. Auguſtinus dixiſſet, quod tamen non dicit, Deum illis prædeſtinaſſe vitam æternam, quos novit dono ſuo futuros juſtos, non idcircò admitteret præſcientiam mediam, imò excluderet: ſiquidem per præſcientiam mediam Deus prænoſcit quod homo facturus eſt; è contrario in caſu propoſito Deus prænoſcit quod ipſe facturus eſt; quæ præcognitio inniti non poteſt niſi decreto efficaci & abſoluto. Hinc doctrinam noſtram adſtruit potiùs quàm lædit iſte B. Fulgentii textus, lib. 1 *ad Monimum*, cap. 24, quem tamen nobis objiciunt. „ Prædeſtinavit Deus ad regnum, quos „ ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in ſe „ miſericordiæ ſubſequentis auxilio eſſe manſuros.“ Quis enim non videt eam præſcientiam ſignificari à S. Fulgentio, quæ decreto poſterior eſt, & quâ Deus gratiæ ſuæ dona futura præſcivit?

Ad 4um reſpondeo totam illius loci difficultatem in ſola loquendi ratione poſitam eſſe. Scilicet S. Auguſtinus, quando libros ad Simplicianum ſcripſit initio ſui Epiſcopatûs, exiſtimabat electionem propriè dici non poſſe, niſi ubi aliqua eſt meritorum diverſitas. „ Quando eſt enim „ juſta aut qualiſcunque omnino electio, inquit, ubi nulla diſtantia „ eſt?....Nemo enim eligitur niſi jam diſtans ab illo qui rejicitur.“ Hinc, cùm nullum in homine ante primam gratiam meritum agnoſceret, conſequenter nullam ad primam gratiam electionem admittebat, ſed tantùm ad ſequentes. Sic ergo tunc temporis prædeſtinationem ordinabat: 1°. Quidem admittebat in Deo propoſitum quoddam efficax, abſolutum & antecedens, quo certos homines ab aliis ſecernere velit. 2°. Ex hoc propoſito gratiâque efficaci ei annexâ dicebat merita exurgere; & tunc demum fideles & juſtos eligi, ut pote jam diſtantes ab aliis. Manifeſtum iſtud eſt ex textu citato, ubi nulla electio admittitur ante juſtificationem, ſed tantùm poſt juſtificationem. „ Non tamen, inquit, electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio.“

Verùm, re meliùs poſtmodùm excuſſâ, illam loquendi rationem ſacris Scripturis parum conſonam mutavit; docuitque paſſim in ſuis adverſùs Pelagianos libris prædeſtinari homines per electionem gratiæ, quæ non ſup-

ſupponit merita, ſed facit: de qua electione dicit S. Paulus: *reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.* Ubi notandum eſt per electionem gratiæ non intelligi à S. Paulo & à SS. Patribus electionem ad gratiam, prout opponitur electioni ad gloriam, ut ſentiunt nonnulli recentiores, ſed electionem quæ fit ex gratia, & opponitur electioni meritorum ſeu quæ fit ex meritis.

Ex his patet S. Auguſtinum, in loco citato libri primi ad Simplicianum, nobis reipſâ conſentire, ſolâque ratione loquendi ab ipſo poſteà emendatâ diſcrepare.

Objiciunt 6°. S. Proſper, in Reſponſione ad objectionem 12 Gallorum: „ Non ideò, inquit, vires obedientiæ cuiquam ſubſtraxit (Deus), „ quia eum non prædeſtinavit; ſed ideò eum non prædeſtinavit, quia „ receſſurum ab ipſa obedientia eſſe præſcivit.“

Reſpondeo hunc textum non eſſe ad rem. Aliter quippe de prædeſtinatione, aliter de reprobatione ſentiendum eſt. Prædeſtinatio cauſa eſt omnium meritorum, adeòque antecedit illorum præſcientiam: reprobatio verò non eſt cauſa quòd juſtus in obedientia non perſeveret. Proinde eſt quidem in reprobis unde non prædeſtinentur, ſed in electis non eſt unde prædeſtinentur.

Objiciunt 7°. Non aliter Deus ab æterno decrevit dare gloriam, quàm in tempore eam concedit. Atqui Deus in tempore dat gloriam propter merita. Ergo ab æterno præparat gloriam ex præſcientia meritorum. 4°. Ex ratione.

Conceſſâ majore, diſtinguo minorem. Deus in tempore dat gloriam propter merita, quæ ſunt ipſius dona & effectus prædeſtinationis, concedo: propter merita quæ non ſint ipſius dona, niſi præſuppoſitivè & impropriè, nego minorem & conſequentiam. Quod ab æterno prædeſtinatio decrevit, gratia in tempore exequitur. Deus ab æterno gratis decrevit dare electis merita & mercedem meritorum, & in tempore dat eis merita & mercedem meritorum; ita ut non minùs merita quàm merces ſint gratuitæ prædeſtinationis effectus.

Inſtant. Deus prædeſtinavit dare gloriam tanquam mercedem & coronam juſtitiæ. Atqui merces præſupponit merita. Ergo Deus gloriam non prædeſtinavit niſi ex prævifis meritis; quod enim titulo juſtitiæ debetur, non poteſt niſi motivo juſtitiæ, quod in bonis operibus fundatur, deſtinari.

Nego conſequentiam. Sic enim concludi deberet: ergo Deus prædeſtinavit dare gloriam ex meritis. Porro valde diverſa ſunt hæc duo, velle dare gloriam ex meritis, & ex prævifis meritis velle dare gloriam. Si ex prævifis meritis Deus vult dare gloriam, merita prævifa ſunt Deo ratio & cauſa ut velit dare gloriam; & ſic voluntas ejus non eſt gratuita. Si autem vult tantùm dare gloriam ex meritis, merita ſunt quidem conditio reſpectu gloriæ recipiendæ, ſed non ſunt Deo motivum, ut ve-

 lit

lit ſive prædeſtinet gloriam prædeſtinatis. Exemplo id declaratur. Homo dives & beneficus ex mera miſericordia vult dare nummum cuidam pauperi; ſimulque, ne ille inertiâ marceat, vult ut eumdem nummum labore aliquo mereatur. Quòd vult dare nummum, gratuita bonitas eſt: quòd impenſo labori illum det, juſtitiæ debitum eſt. Jam verò non ideò Deus gloriam prædeſtinavit, quia præſcivit merita, ſed gloriam prædeſtinando ſimul prædeſtinavit & merita, quibus gloriam tanquam mercedem juſtitiæ rependeret. Voluit ergo merita eſſe propter gloriam comparandam, ſed non propter merita prævisa voluit dare gloriam.

Objiciunt 8°. Si ante prævisa merita Deus alios abſolutè prædeſtinaret, alios in maſſa perditionis relinqueret, ſequeretur 1° Deum non habere voluntatem veram & ſinceram ſalvandi omnes homines. 2°. Chriſtum mortuum non eſſe pro ſalute omnium hominum.

Reſpondeo has dudum fuiſſe Semipelagianorum criminationes adverſùs B. Auguſtini de gratuita prædeſtinatione doctrinam, ut conſtat ex S. Proſpero, apud quem 8ª & 9ª objectio calumniantium Gallorum hæ ſunt: *Quòd non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum*; & : *Quòd non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus.* Quid verò de illis quæſtionibus exiſtimandum ſit, ex SS. Patrum & Theologorum doctrina deinceps expendetur.

Objiciunt 9°. Prædeſtinatio omnino gratuita, & independens à præviſione meritorum, argueret in Deo injuſtitiam & acceptionem perſonarum: non enim æquum eſt in cauſa una & eadem unum præferre alteri. Atqui non eſt acceptio perſonarum apud Deum, ut ait S. Paulus, Rom. II. 11. Ergo.

Reſpondeo S. Paulum iſtam difficultatem vidiſſe, propoſuiſſe, ſolviſſe. Cùm enim dixiſſet, Rom. IX, non ex operibus, ſed ex vocante Jacob fuiſſe dilectum, Eſaü autem odio habitum, antequàm quidquam boni vel mali egiſſent, ſibi opponit: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum?* Ac reſpondet non ideò eſſe iniquitatem apud Deum, quia quòd Jacob dilectus eſt, gratuita fuit miſericordia, non debitum juſtitiæ. *Abſit*, ait. *Moyſi enim dicit: miſerebor cujus miſerebor* &c. Vide S. Auguſtinum, Epiſt. 186, olim 106, ad Paulinum, c. 6. n. 16.

Reſpondeo 2° idem S. Auguſtino objectum fuiſſe à Pelagianis & Semipelagianis; ut manifeſtum ſit nos cum S. Auguſtino conſentire, quibus eadem, quæ illi oppoſita ſunt, opponuntur, eosque à Pelagianorum errore non ut oportet recedere, qui eiſdem ac illi hæretici argumentis militant.

Reſpondeo 3° hac difficultate adverſarios perinde ac nos premi. Exponendum quippe habent quomodò Deus ſine ulla acceptione perſonarum, ex hominibus ex ſeſe æqualibus, alios collocet in circumſtantiis, in quibus gratiæ obtemperaturi, alios verò in eis circumſtantiis, in quibus gratiam aſpernaturi præſciuntur.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo 4° negando majorem. Acceptio quippe perſonarum, cùm ſit peccatum juſtitiæ oppoſitum, in eis duntaxat rebus locum habet, quæ ex juſtitia diſtribuuntur, non autem in indebitis, quæ ex gratuita bonitate donantur: v. g. ſi Deus, poſtquàm omnibus ipſum diligentibus & in hac dilectione perſeverantibus vitam æternam promiſit, tanquam coronam juſtitiæ, non omnes in juſtitia perſeverantes in ſuum regnum admitteret, ſed hos quidem aſſumeret, illos non minùs merentes pro ſuo arbitrio excluderet, tunc à vitio infidelitatis & acceptionis perſonarum excuſari non poſſet. Cùm verò, ex omnibus hominibus in communi damnationis maſſa incluſis, alios gratuitâ miſericordiâ liberat, alios occulto judicio derelinquit, nec injuſtus eſt, nec acceptor perſonarum, quia ab his exigit quod debent, illis remittit quod debent, neutris injuriam facit. „ Acceptio perſonarum, ait S. Auguſtinus, lib. 2 *contra duas Epiſt. Pelagianorum*, cap. 7. n. 13, „ ibi rectè dicitur, ubi „ ille qui judicat, relinquens cauſæ meritum de qua judicat, alteri con- „ tra alterum ſuffragatur, quia invenit aliquid in perſona quod honore „ vel miſericordiâ ſit dignum. Si autem quiſpiam duos habeat debitores, „ & alteri velit debitum dimittere, alteri exigere, cui vult donat, ſed „ neminem fraudat: acceptio enim perſonarum nulla eſt quando iniqui- „ tas nulla eſt.“ Et relatâ Evangelicâ parabolâ patris familias, qui operariis ultimâ horâ vocatis æqualem mercedem dedit, ac illis qui toto die laboraverant, quique iſtis murmurantibus, quòd illi noviſſimi, inæquali opere impenſo, ſibi in mercede coæquarentur, reſpondit: *Non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Tolle quod tuum eſt, & vade*; illam parabolam propoſito ſuo applicat his verbis: „ Sicut ergo hîc nulla eſt acceptio perſonarum, quia „ alius ſic honoratur, ut alius debito non fraudetur; ſic etiam, cùm „ ſecundùm propoſitum Dei vocatur alius, & alius non vocatur, voca- „ to datur gratuitum bonum, cujus boni eſt vocatio ipſa principium, „ non vocato redditur malum, quia omnes rei ſunt, ex eoquòd per u- „ num hominem peccatum intravit in mundum,..... nec ulla eſt ac- „ ceptio perſonarum in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri di- „ mittitur, alteri exigitur quod pariter ab utroque debetur.“ Et in Epiſt. 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 2. n. 4 & 5: „ Quòd autem, ait, „ Deum acceptorem perſonarum ſe credere exiſtimant (Pelagiani), „ ſi credant quòd ſine ullis præcedentibus meritis cujuſvis miſeretur, & „ quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit, parum attendunt „ quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec „ ille ſe indignum queratur, nec dignum ſe iſte glorietur; atque ibi „ potiùs acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi una eademque maſſa „ damnationis & offenſionis involvit, ut liberatus de non liberato diſ- „ cat quòd ſibi etiam ſupplicium conveniret, niſi gratia ſubveniret. Si

Digitized by Google

„ autem gratia, utique nullis meritis reddita, ſed gratuitâ bonitate do-
„ nata. Sed injuſtum eſt, inquiunt, in una eademque mala cauſa hunc
„ liberari, illum puniri. Nempe ergo juſtum eſt utrumque puniri.
„ Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis non
„ redditum cernimus, quod in damnatione ſimilium etiam nobis debi-
„ tum fuiſſe cognoſcimus. Si enim omnis homo liberaretur, utique
„ lateret quid peccato per juſtitiam debeatur: ſi nemo, quid gratia lar-
„ giretur. Ut ergo in hac difficillima quæſtione verbis ipſius utamur
„ Apoſtoli: *Volens Deus oſtendere iram & demonſtrare potentiam ſuam,*
„ *attulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem; &*
„ *ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ:* cui non poteſt
„ figmentum dicere: *quare ſic me feciſti?* cùm habeat poteſtatem ex
„ eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Ubi,
„ quia univerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitam
„ reddit juſtitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærо-
„ gativâ, non fati neceſſitate, non temeritate fortunæ, ſed altitudine
„ divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam non aperit, ſed clauſam
miratur Apoſtolus, clamans: *O altitudo* &c.

Similia videre eſt lib. *de Dono perſever.* cap. 8. n. 17, & apud. S. Fulgentium in libro *de Incarnatione & grat.* cap. 21, Primaſium in cap. IX Epiſt. ad Romanos, S. Thomam, 1 part. q. 23. art. 5, ad 3, & 1. 2. q. 98. art. 4, ad 2, Dionyſium Carthuſianum in cap. IX Epiſt. ad Romanos &c.

Et verò acceptionis perſonarum culpari Deus non poteſt ex eoquòd, nullis prævіſis meritis, alios prædeſtinet, alios non prædeſtinet; vel in omnibus Dei operibus idem peccatum admittendum eſt. Cur enim, ex creaturis poſſibilibus, illis exiſtentiam dat, illis non dat? Cur hominibus naturâ æqualibus ipſa naturalia bona tam inæqualiter diſpenſat? „ Ut
„ enim alia innumerabilia taceam, ait S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 8. n. 19, „ quæ aliis dantur, aliis non dantur à Domino
„ Deo, apud quem non eſt acceptio perſonarum, nec tribuuntur iſta
„ meritis voluntatum. Talia ſunt celeritates, vires bonæ, valetudines &
„ pulchritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium ca-
„ paces naturæ mentium; vel quæ accedunt extrinſecus, ut eſt opu-
„ lentia, nobilitas, honores & cætera hujuſmodi, quæ quiſque ut ha-
„ beat nonniſi in Dei eſt poteſtate." Cùm ergo in ipſo naturali ordine gratuitam quamdam prædeſtinationem, ſine ulla Dei iniquitate, admittere cogimur, cur in ordine ſupernaturali & planè gratuito eamdem prædeſtinationem, in ſacris litteris & in SS. Patrum ſcriptis tam dilucidè declaratam, ſub illo prætextu reſpueremus?

Objiciunt 10°. Prædeſtinatio abſoluta, & antecedens prævіſionem meritorum, fatalem inducit neceſſitatem, liberumque arbitrium de medio pe-

penitus tollit. Aliud enim evenire non poterit, quàm quod à Deo prædeſtinatum eſt, hoc eſt, nec prædeſtinatus damnari poterit, nec reprobus ſalvari.

Reſpondeo hanc perpetuam fuiſſe objectionem Semipelagianorum adverſùs doctrinam S. Auguſtini de prædeſtinatione, ut apparet ex Epiſtolis S. Proſperi & Hilarii, nec non ex criminationibus Gallorum apud eumdem Proſperum. Nam prima eſt „ quòd ex prædeſtinatione Dei, „ velut fatali neceſſitate, homines ad peccata impulſi coguntur ad mor„ tem:“ & ſexta, „ quòd liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſed, „ ſive ad bonum, ſive ad malum, prædeſtinatio Dei in omnibus opere„ tur.“ Fauſtus libris ſuis de Gratia & lib. arb. hunc titulum præpoſuit: *Profeſſio fidei adverſùs eos qui, dum per ſolam voluntatem Dei alios dicunt ad vitam attrahi, alios ad mortem deprimi, hinc fatum cum Gentilibus aſſerunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Idipſum S. Auguſtino objecerant Pelagiani. Talibus objectionibus doctrinam noſtram oppugnari, gloriæ & honori ducimus.

Reſpondeo 2° prædeſtinationem immenſùm diſtare à fato, & libertatem non modò non tollere, ſed etiam firmare.

Primò quidem immenſùm diſtat à fato. Eſt enim fatum neceſſitas quædam ex ſiderum diſpoſitione & cauſarum naturalium concatenatione orta, quæ Deum ipſum, juxta Paganos, ligabat. Prædeſtinatio verò nihil aliud eſt præter liberam Dei voluntatem, ab æterno decernentis quod in tempore facturus eſt. Obſervat S. Auguſtinus Pelagianos potiùs coactos fuiſſe fatum illud admittere in prædeſtinatione & reprobatione parvulorum. Si enim, ut illi contendebant, fatum eſt ubi meritum non eſt; & aliunde conſtat parvulos qui baptizantur, ſine ullis, vel ſuis, vel parentum, meritis, ab eis qui non baptizantur diſcerni, ſequitur eam diſcretionem fato eſſe adſcribendam. Vide S. Auguſtinum, lib. 2 *contra duas Epiſt. Pelagianorum*, cap. 6. n. 11 & 12, & lib. 4 *contra Julianum*, cap. 8. n. 46, & lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 12. n. 29.

Deinde prædeſtinatio, nedum adimat homini liberum arbitrium, è contrario illud firmat: ſiquidem non ſolùm Deus prædeſtinat electos ſervatum iri, ſed etiam prædeſtinat eos gratiæ liberè cooperando ſalutem conſecuturos, facitque illos reverà liberè conſentire & cooperari gratiæ. Unde tam repugnat prædeſtinatos non ſalvari liberè, quàm repugnat illos non ſalvari. „ Nemo igitur opinetur, inquit Lupus Ferrarienſis in Epiſtola ad Hincmarum, „ aut juſtis aut reprobis prædeſtinationis ve„ ritate neceſſitatem fatalem induci, cùm in utriſque ſuſpicionem neceſ„ ſitatis libertas voluntatis excludat. Siquidem electi, accipientes à Deo „ velle & perficere, libenter agunt unde ſempiternum præmium conſe„ quantur: perverſi autem, deſerti ab eodem Deo, non inviti, ſed & „ ipſi libenter agunt unde in æternum meritò puniantur. Quis verò, „ niſi, ut mitius loquar, tardiſſimus, ibi aſſerat neceſſitatem, ubi „ vi-

Mauguin, tom. 1. pag. 20.

„ videat regnare voluntatem, vel adjutam miſericordiâ, vel deſertam „ divino judicio?“

Id verò quod additur, prædeſtinatum non poſſe damnari, nec reprobum ſalvari, diſtinguo. Prædeſtinatus non poteſt damnari, nec reprobus ſalvari, hypotheticè & conſequenter, concedo: prædeſtinatus non poteſt damnari, nec reprobus ſalvari, abſolutè & antecedenter, nego. Nam quilibet homo, quandiu eſt in via, abſolutè loquendo poteſt ſalvari, quàmvis non ſit prædeſtinatus. Prædeſtinatio enim non eſt neceſſaria ut quis abſolutè poſſit ſalvari, ſed ut infallibiliter ſalvetur.

Nota eamdem difficultatem fieri poſſe adverſùs divinam præſcientiam, quam tamen omnes Catholici admittunt. Similiter quippe objicitur, qui præviſus eſt ſalvandus, eum perire non poſſe; qui verò damnandus, ſalvari non poſſe: reſpondeturque eodem modo, illum perire, & iſtum ſalvari non poſſe hypotheticè & conſequenter, poſſe tamen abſolutè & conſequenter. Nec dicas grande diſcrimen eſſe, quòd præſcientia non faciat objectum ſuum futurum, ſed ſupponat; prædeſtinatio verò non ſupponat objectum ſuum, ſed illud prædeterminet. Nam, etiamſi concederem præſcientiam divinam non facere ſuum objectum (quod tamen verum non eſt, ubi agitur de præſcientia bonorum, ut alibi oſtenſum eſt), inde non ſequeretur prædeſtinationem magis præjudicare libertati quàm præſcientiam, imò contrarium ſequeretur. In ea quippe ſuppoſitione Deus præſciendo cerneret tantùm eventum liberè futurum, non autem illum liberum faceret. At prædeſtinatione Deus & præſcit eventum liberè futurum, & decernit ut fiat liberè.

Objiciunt 11° noſtram de prædeſtinatione doctrinam homines in deſperationis barathrum conjicere.

Reſpondeo id quoque objectum olim fuiſſe S. Auguſtino, teſte Hilario in Epiſtola ad ipſum Auguſtinum, n. 6. „ *His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur*, ait, loquens de Semipelagianis, *ut dicant quamdam deſperationem hominibus exhiberi.* Hanc querelam ſic proponit Fauſtus, lib. 1 *de Grat. & lib. arb.* cap. 4: „ Quid ultra ſperet, quem jam gratia „ ſuum fecit? In quo è contrario non deſperet, quem præfinitio vio- „ lenta damnavit? In hoc culpa, in illo gratia locum non habet. Pe- „ riclitabitur in utroque juſtitia...... Salus illi ingerenda eſt non quæ- „ renti; huic auferenda laboranti. Sed dicis: Ideò orare debet, quia „ ex qua parte ſit neſcit...... Quid refert ſi nondum noverit locum „ ſuum, qui definitiſſimè novit quia nullum jam recipiet vel dexterâ „ periculum, vel ſiniſtrâ profectum?“

Inter Aug. Epiſt. 226.

Reſpondeo 2° in omni ſyſtemate, etiam Pelagiano, locum habere iſtam difficultatem. Nam in quovis ſyſtemate admitti debet aliquis Congruiſmus à ſola Dei voluntate dependens: ſiquidem gratiæ, etiam exteriores, aliis dantur congruo tempore & loco, aliis incongruo. Hoc poſito, inquiet aliquis, quid ſperem? Si enim Deus auxilia congrua mihi dare de-

Digitized by Google

decrevit, infallibiliter ſalvus ero; ſi verò incongrua, quantùmvis laborem, perditus. Valde obſervandum iſtud eſt adverſùs eos, qui gratuitæ prædeſtinationis doctrinam hujusmodi frivolis & popularibus argumentis oppugnare amant, quaſi ea ſola illis obnoxia foret.

Reſpondeo 3° doctrinam noſtram ſolam eſſe quæ ad humilem ac firmam fiduciam invitet, nedum ex ſe nata ſit deſperationem gignere. Vel enim id mali produceret, quia in incerto relinquit quæ noſtra æterna ſors futura ſit; vel quia docet ſortem noſtram non primariò à nobis, ſed à voluntate ac prædeſtinatione divina principaliter pendere. Neutrum dici poteſt.

Non 1um. Nam in quovis ſyſtemate, ſi Calvinianum excipias ab Eccleſia jure damnatum, & non minùs rationi quàm fidei repugnans, incerti ſumus quid de nobis futurum ſit, utrum ad dexteram cum ovibus collocandi, an ad ſiniſtram cum hœdis ſeparandi ſimus. Sive in noſtris, ſive in Dei manibus poſita ſit ſors noſtra, æqualis manet incertitudo. Sicut enim incerta nobis eſt voluntas Dei; ita etiam voluntas noſtra, & præſens, & multò magis craſtina, nobis incerta eſt. Non ergo præciſè ex incertitudine futuræ ſalutis naſceretur deſperatio.

Et certè ad aliquid ſperandum neceſſe non eſt ut certa ſit futura illius acquiſitio: ſufficit quod ſit poſſibilis. Immo quod certò futurum creditur, non ſperatur, ſed indubitanter expectatur. Quot bona quotidie ſperantur ab hominibus, quæ an ſibi eventura ſint prorſus ignorant! Quot labores, pericula, negotia ſuſcipiuntur, quorum omnino incertus eſt exitus! Cur ergo de conſequenda ſalute hoc prætextu deſperaremus, quòd, utrùm ſucceſſura ſit, in incerto eſt? „ Fac incertum „ eſſe utrùm ignoſcat Deus, inquit S. Auguſtinus, Serm. 351, olim hom. 50 inter Quinquaginta, cap. 5. n. 12; „ quid perdit, cùm ſupplicat „ Deo, qui ſalutem perdere non dubitavit cùm offenderet Deum? Quis „ enim certus eſt quòd etiam Imperator ignoſcat? Et tamen pecunia „ funditur, maria tranſineantur, procellarum incerta ſubeuntur, & pe- „ nè, ut mors evitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per „ homines homini: ſine dubitatione fiunt iſta, cùm ſit dubium quo fi- „ ne proveniant. Et tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ quàm corda „ regum; quibus clavibus quodcunque in terra ſolvitur, etiam in „ cœlo ſolutum promittitur."

Si ergo noſtra ſententia deſperationem gigneret, non quia ſalutem noſtram in incerto relinquit (quod omnibus ſyſtematibus commune eſt); ſed quia eam non ex noſtra, ſed ex divina voluntate primariò dependere aſſerit. Hinc reverâ angebantur Semipelagiani, teſte Hilario in ſua Epiſtola. *Nec ad incertum voluntatis Dei*, inquit, *deduci ſe volunt.* Hinc etiam nunc anguntur quicunque in ſeipſis confidere malunt quàm in Deo.

Verùm, ut omittam, quæ ſperantur à nobis, ea maximâ ex parte

 non

non ex nobis pendere, ſed aut ab aliorum hominum voluntate, aut à mille cauſis quæ poteſtati noſtræ non ſubduntur, & tamen fortiter ſperari & ardenter exquiri: ut, inquam, id omittam, certè multò firmior eſſe debet ſpes in ſolo Deo poſita, quàm ſi in nobiſmetipſis, vel ex toto, vel ex parte poneretur. Incertum quidem nobis eſt quid Deus decreverit: at pariter incertum eſt quid hodie velimus, multò incertius quid cras voliturі ſimus. Hinc ergo omnia æqualia ſunt. Ex altera parte voluntas noſtra infirma eſt & inconſtans, pericula verò quibus exponimur multa ſunt & magna; ita ut, etiamſi certò ſciremus nos ſincerè velle ſalvari, adhuc dubium eſſet an iſta voluntas efficax futura ſit; præſertim cùm plerique Chriſtiani velint ſalvari, nec ſalventur. E contrario divina voluntas ſemper eſt efficax, ſemper invicta, ut, ſi ſalvare nos decreverit (quod fidenter præſumere jubetur quilibet Chriſtianus, ut poſteà dicturi ſumus) certiſſimè futurum ſit, quia ſempiternum ejus decretum nec mutari poteſt, nec vinci. Firmam ergo ſalutis ſpem concipere debemus, eòque firmiorem, quòd, Deo ipſo revelante, didicimus omnes qui ſperant in illum non confundi, & omnem, qui confidenter invocaverit nomen Domini, ſalvum fore. Igitur, quantùm gratuitæ prædeſtinationis dogma contrarium eſt humanæ præſumptioni de ſuis viribus inaniter confidenti, ideòque pereunti, tantùm idonea eſt ad gignendam ac nutriendam ſpem Chriſtianam ſoli omnipotentis brachio innitentem, ideòque nunquam confuſam: & nedum hujus dogmatis prædicatio deſperationem pariat, imò ſola omnino eſt quæ fiduciæ Chriſtianæ immotum fundamentum ponat, nulloſque limites figat. Hinc Eccleſiaſticus, cap. 33, attentè conſideratâ altitudine judiciorum Dei, quibus, pro ſua voluntate ac ſupremo dominio, aliis benedixit, aliis maledixit, non deſpondet animo, ſed ſpem firmam in Deo collocat, fore ut & ipſe benedicatur, ſtatimque pro menſura ſuæ ſpei bonis ſpiritualibus ditatum ſe eſſe profitetur. „ *In benedictione Dei*, inquit, *& ipſe ſperavi*, *&*, *quaſi qui vindemiat*, *replevi torcular*.

„ Miror ſanè, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione SS.* cap. 11. n. 21, „ homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquis, de meipſo „ voluntas Dei. Quid ergo? Tua ne tibi de teipſo voluntas certa eſt? „ Nec times: *Qui videtur ſtare*, *videat ne cadat?* Cùm igitur utraque „ incerta ſit, cur non homo firmiori, quàm infirmiori, fidem ſuam, „ ſpem caritatemque committit? Tutiores ergo vivimus, ait rurſus, lib. *de Dono perſev.* cap. 6. n. 12, „ ſi totum Deo damus, non autem nos „ illi ex parte, & nobis ex parte committimus.“

Si prædeſtinatio ſit poſt præviſa merita, ſibi ipſi relinquitur humana infirmitas, ut ſalutem à ſuis propriis conatibus expectet, eamque cum verſatilis gratiæ adjutorio, quocum plerique pereunt, operetur. Si verò cauſa ſit meritorum, quid poteſt ſalutem noſtram in manu

Dei

Dei poſitam impedire aut retardare? *Si* enim *Deus pro nobis*, *quis* Rom. VIII.
contra nos? Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? Sed in omnibus ſuperamus propter eum qui ab æterno *dilexit nos*, ut ipſo in æternum frueremur. „ Ego autem, ait S. Auguſtinus, ibid. cap. 17. n. 46, „ nolo exaggerare meis verbis, ſed illis cogitandum potiùs relinquo, „ ut videant quale ſit quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione prædeſtinationis audientibus plus deſperationis quàm exhortationis afferri. Hoc „ eſt enim dicere tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem „ ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere; cùm Propheta cla-
„ met: *Maledictus omnis qui ſpem habet in homine.*" An verò timendum Jerem. XVII. 5.
„ eſt, addit cap. 22. n. 62, ne homo tunc de ſe deſperet, quando ſpes „ ejus ponenda demonſtratur in Deo; non autem deſperaret, ſi eam in „ ſeipſo ſuperbiſſimus & infeliciſſimus poneret?"

Parum ergo intelligunt quæ ſit ſpes Chriſtianorum, & quod illius fundamentum, qui putant prædicatione prædeſtinationis ſpem ſalutis eripi, quâ ſolâ fundari & fulciri poteſt. „ Non enim" iſtæ veritates „ ad hoc annuntiantur," ait præclarè S. Amolo Lugdunenſis Antiſtes, in Epiſt. ad Hincmarum, „ ut hominem fidelem à ſpe & fiducia ſalutis „ dejiciant aut frangant; ſed ut, humiliatâ omni humanâ ſuperbiâ, & „ omni de ſuis viribus præſumptione depoſitâ, ſubjiciat ſe unuſquiſque „ & commendet fideliter Deo regendum, & ejus virtute protegendum, „ ejus bonitate juvandum, ejus gratiâ conſervandum & perficiendum;
„ *ut non ſimus fidentes in nobis*, *ſed in Deo qui vivificat mortuos*,..... 2 Cor. I. 9.
„ quatenus totum ipſe nobis ſit, & nos toti ejus ſimus, non ex parte „ de nobis, & ex parte de illo fidentes, & unuſquiſque noſtrûm dicat „ ei fideliter cum Pſalmiſta: *Tuus ſum ego, ſalvum me fac*...... Tanquam dicens: meus eſſe volui, & perditum me feci: *tuus ſum*, inquit, *ſalvum me fac.* Conſtanter itaque, fidelis quiſque, Chriſto „ crede, eique te ſolùm committe quantùm potes. Noli velle eſſe quaſi „ proprius & in tua poteſtate, ſed ejus clementiſſimi & utiliſſimi domini„ te ſervum eſſe profitere. Ita enim te ad ſe ſublevare non deſinet, „ nihilque tibi evenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiam ſi neſcias."

Et verò quoſnam in deſperationem conjicere nata eſt prædeſtinationis doctrina? An impios, qui nihil credunt, aut ita vivere amant quaſi nihil poſt hanc vitam ſperandum aut timendum eſſet? Minimè profectò. Quomodò enim hujuſmodi homines eâ doctrinâ turbarentur, quam non credunt aut de qua nullatenus cogitant? An fideles, quos cura ſuæ ſalutis ſollicitat? At cur illi deſperarent, qui jam habent quædam divinæ erga ſe bonitatis indicia? Fidem dico & ſalutis conſequendæ deſiderium. Sperent igitur ac confidant quia, qui cœpit in ipſis bonum, perficiet uſque in diem Chriſti, laborentque, quantùm poſſunt cum auxilio divino, in pietate ac bonis operibus proficere; hoc ſcientes, quia,

quantò ſollicitiùs à malo declinabunt & facient bonum, tantò certiora habebunt ſuæ prædeſtinationis indicia futuræque ſalutis pignora. Sic reſpondebat olim S. Proſper, adverſùs Ingratos, cap. 33.

Unde ergo hæc oritur querimonia? Non movet illos
Talis cura, quibus necdum eſt ſua pœna dolori,
Et qui ſe nulla credunt à luce relictos.
Qui verò tenebris exempti lumine vivunt,
Gaudent, &, quantùm ſibi ſit bonitate vocantis
Dimiſſum, ex illis diſcunt qui debita ſolvunt.

Objiciunt 12°. Hæc doctrina penitus extinguit ſtudium bonorum operum, torporemque & ſegnitiem fovet; imò perditiſſimis flagitiis viam aperit. Nam dicere quisque, illâ auditâ, poteſt: Quare à vitiis me contineam, & contra pravos meos affectus perpetuò dimicem? Vel ſum prædeſtinatus, vel non. Si prædeſtinatus, quidquid mali faciam, de ſancta morte & ſalute ſecurus ſum. Si non, quidquid boni faciam, in peccato moriar, æternùmque damnabor. Ergo ſatius eſt genio indulgere, nihilque negare cupiditatibus.

Reſpondeo 1° hoc populari dilemmate veriùs adſtrui noſtram doctrinam, quàm labefactari; ſiquidem eadem S. Auguſtino dudum objecta ſunt à Semipelagianis, teſte S. Proſpero in ſua Epiſtola, n. 3. „ Hoc „ autem propoſitum vocationis Dei, inquit, quo vel ante mundi ini- „ tium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum & rejicien- „ dorum dicitur facta diſcretio, ut, ſecundùm quod placuit creatori, „ alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, (aiunt) & lapſis „ curam reſurgendi adimere, & ſanctis teporis occaſionem afferre, eo- „ quòd in utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ in- „ duſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere: „ quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus „ definivit, accidere; & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtan- „ tem, cùm, ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis „ intentio.“ Idem objiciunt Pelagiani lib. 6 *Hypognoſticon*, cap. 1, & apud S. Fulgentium in fragmento opuſculi ad Euripium.

Reſpondeo 2° hoc ipſum dilemma proponi poſſe adverſùs præſcientiam divinam. „ Numquid ergo, ait S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 15. n. 38, „ ſi, auditâ præſcientiâ Dei falli neſciâ, „ nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives „ ad libidinem *poſt concupiſcentias ſuas eant*, propereà de præſcientia „ Dei falſum putandum eſt eſſe quod dictum eſt? Nonne ſi Deus bonos „ illos futuros eſſe præſcivit, boni erunt, in quantalibet nunc maligni- „ tate verſentur; ſi autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bo- „ nitate cernantur?“ Narrat ibidem S. Doctor quemdam in ſuo mo-

naſterio

naſterio fuiſſe fratrem, qui, cùm reprehenderetur quòd facienda non faceret, vel non facienda faceret, reſpondere ſolebat: „ *Qualiscunque* „ *nunc ſim, talis ero qualem me Deus futurum eſſe præſcivit.* Qui pro- „ fectò & verum dicebat, ait S. Doctor, & hoc vero non proficiebat in „ bonum; ſed usque adeò profecit in malum, ut, deſertâ monaſterii „ ſocietate, fieret canis reverſus ad ſuum vomitum." Num inde quidquam contra præſcientiam Dei concludi poteſt?

Reſpondeo 3° idipſum objici poſſe defenſoribus ſcientiæ mediæ, juxta quos Deus prædeſtinatis auxilia congrua ſeligit, reprobis verò incongrua.

Reſpondeo 4° inſanum abſurdumque eſſe hoc dilemma in omnibus ſuis partibus.

Nam primò cur dilemmatis auctores pro deteriori parte concludunt? Cur potius eligunt agere malè quàm benè? Cur in dubio malunt ſe ſe gerere ut reprobos, quàm ut prædeſtinatos? Quid evidentius perverſam adeò concluſionem non ex dogmate prædeſtinationis naſci, ſed ex pravitate cordis veritatem ipſam vertentis in defenſionem libidinis? „ Avertat Deus, inquit Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, q. 1. n. 31, „ hanc ab omni Chriſtiano inſaniam, ut ſe aliquis de numero „ perditorum credat, ſe à malo reverti non poſſe conjiciat, ſe inæſtimabili Dei clementiâ ſalvari poſſe diffidat. Hoc eorum eſt qui tranſeunt „ in affectum cordis; hoc eſt, eorum qui malum inſatiabili amore diligunt, & in eo durare obſtinatiſſimâ intentione decreverunt, & in deſ- „ perationis barathrum irrevocabili ſe impietate merſerunt." Si reprobus ſum, inquis, quid prodeſt benè agere? Immo quid prodeſt malè agere, niſi ut reprobus ſis? Quid nocet benè agere, cum inde perveniatur ad beatitudinem æternam, atque in hac ipſa vita maxima beatitudo ſit Deum cognoſcere, amare, colere, omnia caritatis, tum divinæ, tum fraternæ, officia implere? „ Poſtremò, ait Lupus, ibid. n. 32, „ ſi „ ſciret ſe aliquis tam infeliciter addictum, ut abſque ulla dubitatione „ damnandus eſſet (quod nemo ſcire poteſt, dum agit in via, quodque non futurum confidere omnes tenentur), cur non temperaret à „ vitiis? Cur non etiam elaboraret ſectari bona quæ poſſet, ut ſaltem „ eum levior pœna poſteà plecteret? Quis hujus vitæ pœnis torquen- „ dus, ſi facultas detur, non minores eligat, minores declinet?"

2°. Sicut indubitatum eſt neminem prædeſtinatum periturum, neminem reprobum ſervandum; ita etiam fide certiſſimum eſt neminem, qui perſeveranter benè vixerit, à ſalute excludendum, neminem, qui à bono receſſerit, vel in peccato permanſerit, in cœlum admittendum; uno verbo unumquemque recepturum à Deo ſecundùm ſuum laborem, ut ait S. Paulus. Inde diſcimus quid credamus, hinc quid agamus. Neſcimus quidem quid ab æterno decretum ſit, ſed hoc ſcimus, certiſſimè coronandum, quisquis legitimè certaverit. *Satagite* ergo, ait S. Petrus 2ª

 Epiſt.

Digitized by Google

Epiſt. cap. 1, *ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Quàmvis enim nemo in terris de ſua ſalute certus ſit, dantur tamen prædeſtinationis & reprobationis ſigna. Qui ſervat mandata, ambulat in via quæ ducit ad beatitudinem, conſequeturque beatitudinem, ſi non recedit à via: qui verò mandata ſpernit, ambulat in via perditionis, nec evadet perditionem, niſi à malo recedat, quod ſemper poteſt ſi voluerit.

3°. Falſæ ſunt ambæ partes dilemmatis. Falſum eſt prædeſtinatum, quidquid mali faciat, ſalvandum; nam, ſi prædeſtinatus eſt, benè aget, & bonum faciendo ſalvabitur. Falſum eſt etiam reprobum, quidquid boni faciat, damnandum: repugnat enim hominem benè agere perſeveranter, & eſſe reprobum. „ Fruſtra ergo dicitur, inquit auctor librorum *de Vocatione gentium*, cap. 35, „ quòd ratio operandi non ſit in electis, cùm etiam ad hoc ut operentur electi ſunt."

4°. Falſò etiam ſupponitur prædeſtinationes divinas hominum laborem & conatus excludere. Exemplis manifeſtis id declaratur. Deus abſolutè promiſerat Iſraelitis eorumque patribus ſe illos introducturum in terram Chanaan, gentesque illius terræ incolas diſperditurum; nec nutare poterat illa promiſſio. Num idcirco Iſraelitæ ceſſare debuerunt à præliis, quaſi, ipſis otio torpentibus, omnia peragenda fuiſſent? Act. XXVII, S. Paulus declarat nullum, ex his qui cum ipſo in navi erant, periturum. „ *Aſtitit enim mihi*, inquit, *hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego & cui deſervio, dicens: ne timeas, Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere; & ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. Propter quod bono animo eſtote, viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodùm dictum eſt mihi.* En promiſſio ſoluta ab omni conditione, & abſoluto Dei decreto nixa. Num propterea negligenda fuere humana ſubſidia? Neqnaquam. Nautis enim paulò poſt quærentibus fugere de navi, *dixit Paulus Centurioni & militibus: niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis.* Iſai. XXXVIII. 5, Deus abſolutè pollicetur regi Ezechiæ quindecim annos vitæ; nec poterat non impleri iſta promiſſio. An ideò Ezechias ab omni cibo & potu abſtinere potuiſſet, hoc prætextu: ſive manducem, ſive non, quod Deus promiſit, profectò implebitur? Quis non ſentiat Deum, prærodinando Ezechiam victurum adhuc quindecim annos, ſimul prærodinaſſe illum ſeſe inediâ non confecturum; ita ut ſi, per impoſſibile, manducare noluiſſet, nec quindecim annos vixiſſet? Certum eſt etiam ex fide definitos eſſe ab æterno vitæ noſtræ terminos, qui nec præveniri, nec præteriri poſſunt. Quis tamen, niſi fortè inſanus, inde concludit laborem fruſtra impendi in conſervanda vita, & fugiendis, quæ illi imminent, periculis? Definitum eſt quoque quis futurus ſit omnium noſtrorum ſtudiorum exitus. An ideò torpere debemus ignaviâ, Deoque ſic omnia dimittere, ut nihil planè faciamus? Apage ineptias. Quod verò in cæteris omnibus ſimiliter prærodinatis ac prædefinitis à Deo nemo

mo abſurdum eſſe non ſentit, cur in ſolo ſalutis negotio abſurdum non ſentiretur?

5°. Illius argumentationis vitium inde naſcitur, quòd ſeparetur prædeſtinatio finis à prædeſtinatione mediorum. Deus Petrum prædeſtinat ad ſalutem, ſed ſimul prædeſtinat bona opera ac merita, quibus Petrum ad ſalutem efficaciter perducere decernit. Unde non minùs repugnat, in hac hypotheſi, Petrum non facere opera bona, ptopter quæ remunerandus prædeſtinatus eſt, quàm à ſalute ſibi prædeſtinata deficere. Proinde „ peſſimum eſt dicere, ait S. Fulgentius, lib. 3 *de Veri-* „ *tate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 6, „ quia, ſi eſt prædeſtinatio, „ non debemus orare nec vigilare, ſed facere omnes voluntates carnis, „ eoquòd jam prædeſtinati fuerimus; cùm utique illa gratia, quæ nobis diviná prædeſtinatione fuit præparata, ad hoc divinitùs nobis de- „ tur, ut vigilemus, & oremus, &, *ſicut in die, honeſtè ambulemus......* Rom. XII. 13. „ Quomodò enim fieri poteſt ut gratiam quiſque accipiat, & opera gra- „ tiæ, gratiâ in ſe operante, non faciat? Gratia quippe per Spiritum „ ſanctum datur: *fructus autem Spiritûs eſt caritas, gaudium, pax, lon-* Gal. V. 26. „ *ganimitas, bonitas, benignitas, fides, modeſtia, continentia.* Quis „ igitur, acceptâ S. Spiritûs gratiâ, non oret, non vigilet, non carna- „ libus concupiſcentiis ipſius gratiæ ſuffragio atque juvamine repug- „ net?..... Tale eſt autem, ſi quis dicat: ſi prædeſtinatus eſt homo, „ nec orare debet, nec vigilare, quaſi ſi dicat ab eo, cui vita fue- „ rit divinitùs promiſſa, vitæ ſubſidia non quærenda.“ Et allato exemplo Ezechiæ ſupra memorato: „ Proinde, addit, gratia, quam „ Deus prædeſtinavit, id eſt, ex æternitate ſuis fidelibus præpara- „ vit, hoc in nobis agit, ex eo quòd eam accepimus, ut in nobis „ eam cuſtodiri divino munere poſtulemus, & hoc in operibus habea- „ mus, quod, ipſâ largiente, percepimus. In illis autem permanent „ ipſius gratiæ dona, quibus ſunt divinæ prædeſtinationis munere præ- „ parata. Non ergo dicendum eſt: ſi prædeſtinati ſumus, nec oremus, „ nec vigilemus, immo cùm vigilamus & oramus, gratiæ Dei beneficia „ cognoſcamus, nec denegemus æternam iſtorum bonorum originem, „ quorum in nobis divinam cernimus largitatem, quorum ſic non po- „ teſt non eſſe prædeſtinatio ſempiterna. Propter quod dicit Apoſtolus: „ *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ* „ *præparavit Deus ut in illis ambulemus.*“

Præclaram illam S. Fulgentii reſponſionem majori in luce ponit Angelicus Doctor, 1 part. q. 23. art. 8, in corpore. Obſervat duos fuiſſe circa hoc caput errores è diametro oppugnantes: unum eorum, qui, „ attendentes certitudinem divinæ prædeſtinationis, dixerunt ſuperfluas „ eſſe orationes, vel quidquid aliud fiat ad æternam ſalutem conſe- „ quendam, quia, his factis vel non factis, prædeſtinati eam conſe- „ quuntur, reprobati non conſequuntur; ſed contra hoc, inquit, ſunt om-

„ omnes admonitiones ſacræ Scripturæ, exhortantes ad orationem & „ alia bona opera:“ alterum quorumdam gentilium, qui „ dixerunt „ quòd per orationes mutatur divina prædeſtinatio: ſed contra hoc „ etiam, ait, eſt auctoritas Scripturæ ſacræ.“ Deinde iſta duo, immobilitatem ſcilicet prædeſtinationis & neceſſitatem bonorum operum, his verbis conciliat: „ In prædeſtinatione duo ſunt conſideranda, ſcilicet „ ipſa prædeſtinatio divina & effectus ejus. Quantùm igitur ad pri- „ mum, nullomodò prædeſtinatio juvatur precibus ſanctorum. Non „ enim precibus ſanctorum fit quòd aliquis prædeſtinetur à Deo. Quan- „ tùm verò ad ſecundum, dicitur prædeſtinatio juvari precibus ſancto- „ rum & aliis bonis operibus, quia providentia, cujus prædeſtinatio eſt „ pars, non ſubtrahit cauſas ſecundas, ſed ſic providet effectus, ut „ etiam ordo cauſarum ſecundarum ſubjaceat providentiæ. Sicut ergo „ ſic providentur naturales effectus, ut etiam cauſæ naturales ad illos „ naturales effectus ordinentur, ſine quibus illi naturales effectus (Deo „ ſic diſponente) non provenirent; ita prædeſtinatur à Deo ſalus ali- „ cujus, ut etiam ſub ordinem prædeſtinationis cadat quidquid homi- „ nem promovet ad ſalutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel „ alia bona, vel quidquid ejusmodi, ſine quibus aliquis ſalutem non „ conſequitur. Unde prædeſtinatis conandum eſt ad benè operandum „ & orandum, quia per hujusmodi prædeſtinationis effectus certitudi- „ naliter impletur.“ Item 2. 2. q. 83. art. 2. in corp. „ Ex divina „ providentia non ſolùm diſponitur qui effectus fiant, ſed etiam ex „ quibus cauſis & quo ordine proveniant. Inter alias autem cauſas „ ſunt etiam quorumdam cauſæ actus humani. Unde oportet homines „ agere aliqua, non ut per ſuos actus divinam diſpoſitionem immu- „ tent, ſed ut per actus ſuos impleant quosdam effectus ſecundùm or- „ dinem à Deo diſpoſitum: & idem eſt etiam in naturalibus cauſis. „ Et ſimile eſt etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, ut „ divinam diſpoſitionem immutemus, ſed ut id impetremus, quod Deus „ diſpoſuit per orationes ſanctorum eſſe implendum, ut ſcilicet homi- „ nes poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante „ ſæcula propoſuit donare, ut Gregorius dicit in libro Dialogorum, „ cap. 8, poſt medium.“

Nedum igitur, quia Deus ab æterno ſalutem electorum præordinavit, conſequens ſit ceſſandum nobis eſſe à bonis operibus, è contrario hinc potiùs inſtanter operari debemus, non ut immutemus Dei propoſitum, neque ut Deum adjuvemus ad implendnm quod propoſuit, qui nonniſi illo adjuvante operamur; ſed ut Deo cooperemur, ad ſalutem nos per bona opera noſtrâ perducere diſponenti.

Porro, quemadmodùm, quisquis prædeſtinatus eſt, ad Deum convertitur & mandata ejus obſervat, quia non aliter ſalvandus prædeſtinatus eſt, divinâque prædeſtinatione & ſalus, & bona opera, quibus ad ſalu-

ſalutem pervenitur, præparata ſunt; ita, quisquis ad Deum ſincerè convertitur & mandata ejus obſervat, magnum hoc ipſo habet prædeſtinationis indicium, debetque humiliter confidere quòd, qui ipſi bona merita præparavit, perſeverantiam quoque ac ſalutem æternam præparavit.

Inſtant. Eſto: prædeſtinatis præparata ſunt bona opera, ſine quibus non ſalvarentur: at reprobis non ſunt præparata hujusmodi merita. Quare igitur me excruciem? Si prædeſtinatus ſum, ipſâ prædeſtinatione impellar efficaciter ad benè operandum: ſi minùs, fruſtra enitar habere quæ mihi non ſunt præparata.

Reſpondeo. Cur inaniter te excrucias, ô homo? Bonum fac, & ſalvus eris. Non poſſum, inquis, ſi non ſum prædeſtinatus ad faciendum. Erras, frater, erras. Non enim hoc facit prædeſtinatio, ut poſſis, ſed ut facias. Sine illa non facis quidem bonum; ſed ſine illa facere potes, tuâque culpâ non facis, ideò juſtè condemnandus. Saltem, inquis, ſi non ſum prædeſtinatus ad faciendum bonum, non faciam. Ego contra: ſi facias bonum, ut potes & debes, ſcito te eſſe prædeſtinatum ad faciendum, hocque accipe pignus futuræ tuæ ſalutis. Quî faciam, inquis, ſi gratiam efficacem non habeo? Immo quomodò gratiam efficacem non habueris, ſi feceris? Ergo fac, & gratias age Deo, quo donante feceris. Sed dicis: non facio bonum, ergo gratiam non habeo. Tuâ culpâ, mi crede, non facis quod faceres, ſi velles; atque ideò tua culpa eſt, ſi gratiâ careas. Sed ipſa bona voluntas efficacis gratiæ donum eſt, inquies. Hinc ne excuſatum te putas, ô homo, quisquis es, malæ voluntatis? Negabis te poſſe velle quod bonum eſt? Non profectò, non audebis. Verùm; ut præcludatur iſta tua qualiscunque excuſatio, hoc precor attendas, gratiam non eſſe abſolutè neceſſariam ad implenda exteriora opera legis, ſed tantùm ad ea piè & ex caritate implenda. Fac ergo ſaltem exteriora legis: fuge occaſiones peccati, tolle offendicula, largas funde eleemoſynas, jejuna, meditare legem Dei, lectioni Evangelii piorumque librorum aſſueſcas, in Eccleſiis aſſiduus ſis, verbi Dei prædicationem, quàm ſæpiſſimè poteris, auſculta, Davidicos Pſalmos aliasque pias & devotas orationes, quanto poteris affectu, recita &c, Deum precans ut iſta omnia ſanctè propter ejus amorem opereris. Hæc officia legis omnes reipſâ poſſunt implere, & ſi te id poſſe dubitares, conſidera pleroſque homines illa opera ſaltem exteriùs quotidie agere, vel timore pœnæ, vel propriæ utilitatis intuitu, vel etiam inani gloriâ aliâve carnali intentione. Tuam igitur impotentiam inaniter opponeres. Et quid mihi iſta proderunt, inquies, ſi non ex gratia & caritate fiant? Tunc, fateor, juſtitiam legis, non veram juſtitiam, operarentur, ſed tamen paulatim à malo averterent & ad bonum aſſueſcerent. Cùm verò Deus ſub velo legis officii gratiæ ſuæ operationem velit occultare, ac nemini revelet utrum ex ejus influxu agat vel non agat, ſi hæc legis opera præſtes, ſi in eis permaneas, ſi cor tuum, quantùm

Digitized by Google

tùm in te eſt, ab omni mundana affectione purgare nitaris, confide, frater, & valde confide gratiam in te & de te operari, hocque habe ut magnum prædeſtinationis ſignum.

Alacriter, ais, operarer, ſi ex meo libero arbitrio, vel ſolo, vel auxilio verſatili prævento, penderet mea ſalus: quomodò verò non marceam, quando totum ex Deo divinaque prædeſtinatione pendet? Stultè ac ſuperbè tibi relictus benè operareris; & deſpondes animo torpesque, dicente tibi Deo tuo: fide in me, faciam ut facias & mandata mea cuſtodias? Quod faceres, Deo in te efficaciter non operante, hoc, Deo non hortante tantùm, ſed in teipſo operante, ſtrenuè facias; &, cùm feceris, ne infleris, quaſi non acceperis, ſed gloriare in Domino & in potentia virtutis ejus. Num, quæſo, Iſraelitis dici quidquam potuit efficacius, ad excitandam in eis viriliter pugnandi voluntatem vincendique fiduciam, quàm quod Moyſes divino juſſu illis pollicitus eſt: *Dominus ipſe pugnabit pro vobis?* Quonam prodigio ibi animum abjicis, ubi amiſſum reſumere debueras?

Cæterùm ſingulari Dei bonitate & ſapientiâ factum eſt, ut nos prædeſtinationis noſtræ lateat arcanum, quemadmodùm rectè obſervat auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 2. cap. 36; nempe ut „ per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant „ incrementa meritorum.“ Hinc prædeſtinatus diſcit ſalutem ſuam operari cum ſancto tremore, corpusque ſuum & carnales affectus in ſervitutem redigere, ne fortè pereat de via juſta & reprobus efficiatur. Hinc etiam reprobus debet ad propoſitam omnibus palmam cum fiducia currere, ſibique ſoli imputare quòd non comprehendat. Illi elationis, huic deſperationis occaſio adimitur: uterque pariter monetur & legitimè certare ut regnet, & videre ne pereat.

SECUNDA PROPOSITIO.

Doctrina gratuitæ prædeſtinationis modò aſſerta rectè dicitur ad fidem pertinere.

1°. Doctrina in ſacris Scripturis & in Traditione expreſſè contenta, ad fidem pertinet; ſiquidem hi ſunt divinæ revelationis fontes. Atqui patet ex præcedente Propoſitione hanc de prædeſtinatione doctrinam expreſſè contentam eſſe in Scripturis, ac præſertim in Epiſtolis S. Pauli, & à SS. Patribus miro conſenſu traditam, & contra Pelagianos eorumque reliquias defenſam eſſe; idque teſtatur Benedictus XIII in Brevi ad Fratres

tres Prædicatores (quod renovavit & confirmavit in Bulla quæ incipit *Pretioſus*, art. 41). „ Magno animo, inquit, contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris de gratia præſertim per ſe „ & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla prævíſione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & „ quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino & Thoma ſe hauſiſſe, ut verbo „ Dei, ſummorumque Pontificum & Conciliorum decretis, & Patrum „ dictis conſonas, Schola veſtra commendabili ſtudio gloriatur." Ergo hæc doctrina non immeritò aſſeritur pertinere ad fidem.

II°. SS Patres non ſolùm eam verbis tranſmiſerunt, ſed etiam de fide eſſe indubitanter aſſeruerunt.

S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſev.* cap. 19. n. 48: „ Hoc ſcio, inquit, „ neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſacras defendimus" (defendit autem, ut probavimus, planè gratuitam & independentem ab ulla prævíſione meritorum), „ niſi „ errando diſputare potuiſſe." Ibid. cap. 23. n. 65: „ Ille itaque dicat „ Eccleſiam aliquando in ſua fide non habuiſſe veritatem prædeſtinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos (Semipelagianos) curâ diligentiore defenditur; ille, inquam, hoc dicat, qui „ dicere audet aliquando eam non oraſſe, vel non veraciter oraſſe, „ ſive ut crederent infideles, ſive ut perſeverarent fideles. Quæ bona „ ſi ſemper oravit, ſemper ea Dei dona eſſe utique credidit, nec ab illo „ eſſe præcognita unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos novâ ſollicitudine „ nunc defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit." Ergo, ex S. Doctore, Eccleſia ſemper credidit illam prædeſtinationem, quâ Deus non aliud, præter dona ſua futura, præcognovit.

Auctor Hypognoſticon, lib. 6. cap. 8: „ Prædeſtinationem igitur negare, inquit, quam apud Deum eſſe breviter probavimus" (eamque omnimodis gratuitam, ut ſupra ipſius verbis oſtenſum eſt), „ immane „ blaſphemium eſt, quam non tantùm, ſicut ſoletis dicere, in Apoſtolis „ debemus accipere, ſed & in Patriarchis & Prophetis, in Martyribus „ & Confeſſoribus, in omnibus ſanctis & dignè ſervientibus Deo." Hinc apparet nonnullos Pelagianorum non renuiſſe admittere gratuitam quorumdam, Apoſtolorum v. g. prædeſtinationem, ſed non omnium ſalvandorum (quod poſteà renovavit Catharinus). Sed hic auctor affirmat illam reſpectu omnium ſalvandorum, oppoſitamque ſententiam immanem blaſphemiam appellat.

S. Proſper, in Epiſt. ad Rufinum, cap. 11, loquens de Semipelagianis: „ Ab hac autem, ait, confeſſione gratiæ" (medicinalis & efficacis, ad ipſum initium fidei neceſſariæ) „ ideò quidam reſiliunt, ne, „ cùm eam talem confeſſi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & „ qualis opere ſuæ poteſtatis agnoſcitur, etiam hoc neceſſe habeant confiteri

„ fiteri, quòd, ex omni numero hominum per ſæcula cuncta natorum, „ certus apud Deum definitusque ſit numerus prædeſtinati ad vitam æter- „ nam populi, & ſecundùm propoſitum Dei vocantis electi." Hoc eſt: ideò illi negabant gratiam ad fidem eſſe neceſſariam, ne gratuitam cogerentur prædeſtinationem admittere. „ Quod quidem, addit S. Proſper, „ tam impium eſt negare, quàm ipſi gratiæ contraire." Et in Reſponſione ad 9um Excerptum Genuenſum, cùm dixiſſet S. Auguſtinum „ piâ & conſtanti doctrinâ abundanter probaviſſe, prædicandam „ eſſe Eccleſiæ & prædeſtinationem, in qua eſt gratiæ præparatio, & „ gratiam in qua eſt prædeſtinationis effectus, & præſcientiam Dei, „ quâ ante æterna ſæcula quibus eſſet collaturus dona ſua præſcivit" (non dicit qui ea ex libero ſuo arbitrio eſſent acceptaturi), addit: „ Cujus prædicationis quisquis eſt impugnator, apertiſſimus eſt Pelagianæ „ electionis adjutor."

S. Fulgentius, in fine libri *de Incarnat. & gratia*: „ Cujus prædeſtinationis, inquit (utique omnino gratuitæ, quam expreſſiſſimè defenderat, & quam ſolam negabant Semipelagiani), cujus prædeſtinationis veritatem...... ſi quis detractat cordis credulitate recipere, vel „ oris profeſſione proferre; ſi ante ultimum diem vitæ præſentis impietatis ſuæ contumaciam, quâ Deo vivo & vero rebellis obſtitit, non „ abjecerit, manifeſtum eſt eum non pertinere ad eorum numerum, „ quos Deus, ante mundi conſtitutionem, in Chriſto gratis elegit & „ prædeſtinavit ad regnum."

Cœtus Præſulum Africanorum in Sardiniam pro fide divinitatis Chriſti relegatorum, in Epiſtola ſynodica *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 14, ſic decernit: „ Contra prædeſtinationem ſanctorum" (non qualemcunque, ſed gratuitam, non enim de exiſtentia prædeſtinationis, ſed tantùm de illius gratuitate cum Semipelagianis erat controverſia) „ magnæ pervicaciæ eſt aliquem parare vel habere conflictum, cùm „ Apoſtolicæ prædicationi nullus audeat refragari...... Quisquis ergo „ prædeſtinatum Chriſtum & ſanctos ejus negat, Apoſtolicam fidem per- „ verſus oppugnat."

Adrianus I, in Epiſtola ad omnes Epiſcopos per Hiſpaniam commorantes, adverſus quosdam qui prædeſtinationem impetebant, dicentes: ut quid conamur benè vivere, quod in Dei eſt poteſtate? & in alia Epiſt. ad Egilam, refert & adoptat fragmentum S. Fulgentii, in quo hæc inter alia habentur: „ Præparavit Deus hominibus juſtificandis „ merita; præparavit iisdem glorificandis & præmia. Hæc eſt æterna „ prædeſtinatio futurorum operum Dei, quam ſicut nobis Apoſtolicâ „ doctrinâ ſemper inſinuari cognoſcimus, ſic etiam fiducialiter prædicamus...... Teneatur ergo prædeſtinationis veritas à fidelibus cunctis, quia, quisquis divinum non credit in hac prædeſtinatione con- „ ſilium, non perveniet ad glorioſum ejusdem prædeſtinationis effectum."

Lupus

Digitized by Google

Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, q. 1, aſſertâ exquiſitiſſimis verbis gratuitate prædeſtinationis, n. 27 & 28, ſic concludit n. 29: „ Hanc prædeſtinationem, quæ illuſtribus divini eloquii teſti-„ moniis & inexpugnabilibus argumentis adſtruitur, fideles quique „ paſſim ſuſcipiunt; conſtanter defendunt, in hac, ut par eſt, ſuſpen-„ ſi ſpem ſuæ ſalutis pio conſenſu reponunt: nec immeritò; ſiqui-„ dem nulla via ſalutis humanæ poteſt inveniri præter hanc, quam di-„ vina gratia demonſtravit.“

Concilium Valentinum III, cujus canones à conciliis Lingonenſi & Tullenſi renovati & confirmati ſunt, manifeſtè declarat hanc doctrinam ad fidem Eccleſiæ pertinere. Sic enim canone 1 loquitur: „ De præ-„ ſcientia Dei & prædeſtinatione illud tantùm firmiſſimè tenendum duxi-„ mus, quod ex maternis Eccleſiæ viſceribus nos hauſiſſe gaudemus.“ Deinde, can. 3: „ Fidenter fatemur..... in electione ſalvandorum „ miſericordiam Dei præcedere meritum bonum.“

Cladem ſuam probant potiùs quàm effugiunt, qui reſpondent Patres allatos nihil aliud velle, niſi prædeſtinationem ad gratiam non fieri ex præviſione præcedentium meritorum naturalium. Nam de illa prædeſtinatione loquuntur SS. Patres, de qua quæſtio erat cum Pelagianis & Semipelagianis. Porro illi hæretici diſputabant de prædeſtinatione ad gloriam, quam contendebant eis præparatam, quos futuros ſanctos, aut ſaltem credituros & in fide perſeveraturos, Deus ab æterno præſcivit. Ergo de eadem prædeſtinatione loquuntur SS. Patres. Idque adeò clarum eſt, ut P. Duchesne Jeſuita non ſuſpectus, in hiſtoria Prædeſtinatianiſmi, lib. 1., cap. 3 & 5, miretur recentiores Scholaſticos eò cavillationis venire potuiſſe, ut in quæſtione poſuerint an de prædeſtinatione ad gloriam locutus ſit S. Auguſtinus, vel doctrinam ſuam tanquam ad fidem pertinentem defenderit. Pag. 49 & 56

Aliunde, quam prædeſtinationem ad gratiam intelligunt adverſarii? Si gratiam intelligunt, quæ omnibus, etiam reprobis, detur, & ex cujus bono vel malo uſu prædeſtinentur homines vel reprobentur, non eſt profectò iſta prædeſtinatio quam docuerunt SS. Patres, & quâ certiſſimè liberantur quicunque liberantur. Nam illa gratia non eſt effectus prædeſtinationis, quæ reprobis æquè ac prædeſtinatis communis eſt. Si verò gratiam intelligunt ſolis prædeſtinatis propriam, quâ certiſſimè liberentur & perducantur ad regnum, parum noſtrâ intereſt. Idem quippe eſt, ſive dicas Deum, nullis præviſis meritis, prædeſtinare quos vult ad vitam æternam; ſive dicas Deum, nullis præviſis meritis, prædeſtinare quos vult ad gratiam ſeipſâ efficacem certòque liberatricem, quâ ad ſalutem infallibiliter perducantur.

Dici etiam non poteſt SS. Patres hoc ſolum tanquam ad fidem pertinens docuiſſe, prædeſtinationem non fieri ex meritis merè naturalibus, ut Pelagiani putabant; non autem excluſiſſe præviſionem meritorum gra-

gratiæ, hoc eſt, meritorum quæ per bonum uſum gratiæ comparantur. Hoc, inquam, dici non poteſt. Nam SS. Patres manifeſtè excludunt merita qualiacunque, quæ non ſint ipſius gratiæ & prædeſtinationis effectus, nullamque in Deo præſcientiam agnoſcunt, niſi ſuorum futurorum operum ac donorum. Atqui bonus uſus gratiæ verſatilis non eſt effectus gratiæ invitantis & allicientis tantùm, ſed ſolius liberi arbitrii gratiam de ſuo acceptantis; proinde non prædeſtinatur à Deo, ſed præſcitur duntaxat, præſcientiâ quâ Deus præcognoſcit quod homo facturus eſt, non quod ipſe. Hinc Semipelagiani non renuebant fateri homines gratis vocari & invitari à Deo, modò ex bono vel malo uſu illius vocationis, ſive externæ, ſive internæ, pendeat decretum prædeſtinationis vel reprobationis. „ Hæc ipſorum definitio ac profeſſio eſt, ait S. Proſper in Epiſtola ſua ad Auguſtinum, n. 3. „ Deum eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos, gratis vocatos, dignos fore electio„ ne, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præviderit." Ergo, ad evitandam notam Semipelagianiſmi, non ſatis eſt ſi dicas primam gratiam gratis dari; ſed confitendum eſt inſuper bonum uſum gratiæ vocantis & excitantis eſſe effectum, non rationem, prædeſtinationis, Deumque, nos prædeſtinando, nihil aliud præſciviſſe, niſi futura ſua beneficia.

Inter Aug. Epiſt. 225.

Confirmatur noſtra Propoſitio conſenſu recentiorum Theologorum, è quibus ſufficiet Cardinalis Bellarminus Jeſuita, qui non ſolùm hanc doctrinam tuetur, ſed etiam ad fidem pertinere aſſerit, lib. 2 *de Gratia & lib. arb.* c. 11. „ Neque ſolùm SS. Patres, inquit, hoc affirmant, „ ſed antiquiores & doctiores ex ipſis, quos cæteri poſteà ſecuti ſunt, „ & ad fidem catholicam hanc ſententiam pertinere tradunt, & con„ trariam ad Pelagianos rejiciunt." Relatis deinde aliquorum Patrum teſtimoniis, ſic pergit: „ Itaque Sedes Apoſtolica non tantùm ſemel, „ ſed etiam ſecundò & tertiò, adverſùs Pelagianorum reliquias, pro „ defenſoribus gratiæ & prædeſtinationis ſententiam tulit, ut jam hæc „ ſententia non quorumvis Doctorum opinio, ſed fides Eccleſiæ Ca„ tholicæ dici debeat."

Quamobrem, in *Ratione ſtudiorum*, reg. 6, de opinionum delectu, prop. 12 & 13, pag. 14 edit. Rom. 1586, jubentur Jeſuitæ tueri prædeſtinationem gratuitam. „ Non ſolùm, inquiunt libri hujus auctores, „ ex parte noſtra nulla fuit ratio ſeu conditio prædeſtinationis; ſed ne„ que abſolutè dicendum eſt eſſe in noſtra poteſtate ut prædeſtinemur; „ nec ſalvi fient ulli, niſi prædeſtinati. Reprobationis, quâ cæteri „ homines excidere ab ultimo fine permiſſi ſunt, cauſa fuit peccatum „ originale."

Et certè nulla alia Jeſuitis cauſa fuit gratiam extrinſecus congruam, quæ nemini hactenus in mentem venerat, imaginandi (quam quidem gratiam ex decreto ſui Generalis Aquavivæ tenentur, deſerto Molinæ ſyſte-

Digitized by Google

ſyſtemate, defendere), quàm ne gratuitæ prædeſtinationis dogma palam negare convincerentur. Adeò hoc dogma certum & inconcuſſum in ipſis etiam ſcholis videbatur.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1°. S. Auguſtinus, in libro *de Dono perſeverantiæ*, cap. 17. n. 42, fidem catholicam circa negotium prædeſtinationis ad hoc caput duntaxat revocat, gratiam non ſecundùm merita dari. „ Videant, inquit, ... „ impediri potiùs atque ſubverti hâc prædeſtinationis prædicatione illum tantummodò errorem, quo dicitur gratia Dei ſecundum merita noſtra dari, ut, qui gloriatur, non in Domino, ſed in „ ſeipſo glorietur.“

Daniel, Defenſ. S. Aug. cap. 3. art. 2, & Duchesne, Hiſtoria Prædeſtinatianiſmi, lib. 1. cap. 6. p. 63.

Reſpondeo meritò id dixiſſe S. Auguſtinum, quia tota adverſùs Semipelagianos de prædeſtinatione diſputatio ad illud caput reipſâ revocabatur. Fatebantur illi gratiam Chriſti medicinalem ſeipſâ efficacem eſſe; in eoque errabant, quòd eam ad initium fidei & orationis requiri nollent, ſed tantùm ad alias virtutes producendas & perficiendas. Dicebant ergo cæteras virtutes ac bona opera à Deo eſſe prædeſtinata, nec ante præcognita quàm prædeſtinata; initium verò fidei & bonæ voluntatis non eſſe propriè prædeſtinatum. Hunc autem errorem refellit S. Auguſtinus duplici argumento: primò quidem *ad hominem*, hoc pacto: Idcirco negatis fidem eſſe donum Dei & à Deo prædeſtinatam, quia aliàs fruſtra infideles hortaremur ad credendum, aut propter incredulitatem corriperemus. Atqui hæc ratio nulla eſt; fatemini quippe cæteras virtutes eſſe dona Dei & ab æterno prædeſtinata, nec propterea tamen ceſſare debere exhortationes & correptiones. 2°. Ex definitione Eccleſiæ contra Pelagianos; tanquam dixiſſet: Cùm à vobis exigimus ut eamdem gratiam efficacem, quam ad bona opera admittitis, etiam ad initium fidei admittatis, quid aliud exigimus, quàm ut concedatis quod adverſùs Pelagianos ſancitum eſt, gratiam non ſecundùm merita noſtra dari? Quomodò enim gratia Chriſti non datur ſecundùm merita, ſi non datur niſi credentibus? Vide totum illud caput, præſertim num. 42 & 44. Ergo ex relato S. Auguſtini teſtimonio malè concluditur, prædeſtinationem ante prævisa merita ab illo aſſertam non fuiſſe ut dogma fidei; ſed potiùs concludendum eſt doctrinam gratuitæ prædeſtinationis, & doctrinam gratuitatis gratiæ, unam & eamdem eſſe, atque æqualiter pertinere ad fidem, ut paulò ante dixerat idem S. Doctor, nempe cap. 16. n. 41. „ Aut enim, inquit, ſic prædeſtinatio prædicanda „ eſt, quemadmodùm eam ſancta Scriptura evidenter eloquitur, ut „ prædeſtinatis ſine pœnitentia ſint dona & vocatio Dei: aut gratiam „ Dei ſecundùm merita noſtra dari confitendum; quod ſapiunt Pelagiani.“ Et cap. 20. n. 53: „ Quid autem coëgit loca Scripturarum, „ quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſiùs & enucleatiùs iſto „ labore noſtro defendi, niſi quòd Pelagiani dicunt *gratiam Dei ſecun-*

„ *dùm*

„ *dùm merita noſtra dari?* Quod quid eſt aliud, quàm gratiæ omnino „ negatio?“

Objiciunt 2°. Nulla temporibus Pelagianorum aut Semipelagianorum lata eſt definitio circa gratuitatem prædeſtinationis, neque in conciliis Carthaginenſibus, Milevitano aut Arauſicano, neque in Epiſtolis SS. Pontificum Innocentii, Zozimi, Cæleſtini. Immo S. Cæleſtinus in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, propoſitis novem fidei Capitibus, quorum nullum prædeſtinationem ſpectat, ſubjungit alias profundiores quæſtiones à S. Auguſtino agitatas fuiſſe, de quibus aliquid definire ſuperfluum foret. „ Profundiores verò, inquit, difficilioresque partes „ incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis „ reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus „ aſtruere. Quin, ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dig- „ nationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quid- „ quid prædictis regulis Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut „ prorſus non opinemur catholicum, quidquid apparuerit prædictis „ ſententiis eſſe contrarium.“ His verbis ſanctiſſimus Pontifex declarat ſe nolle aſtruere gratuitam prædeſtinationem, eamque collocat inter illas incurrentes quæſtiones, quas, licet non contemnendas, definire non opus ſit.

Reſpondeo Concilia & SS. Pontifices non definiviſſe quidem diſertis verbis gratuitam prædeſtinationem, ſed eam definiviſſe æquivalenter, quoties gratiam Dei, quam ſeipſâ efficacem omnia illorum decreta & canones agnoſcunt, non ſecundùm merita noſtra dari pronuntiarunt. Ea quippe ambo unum atque idem eſſe, docentem modò audivimus Auguſtinum, ipſaque evidentia demonſtrat.

Ad appendicem Epiſtolæ B. Cæleſtini, reſpondeo 1° probatum olim eſſe à nobis eam non eſſe S. Cæleſtini, ſed vel S. Proſperi, vel aliorum diſcipulorum S. Auguſtini, à Romana tamen Sede poſteà approbatam & adoptatam. Quis verò credat diſcipulos S. Auguſtini, qui in omnibus ſuis ſcriptis gratuitam prædeſtinationem tanquam fidei dogma propugnarunt, libertatem cuique reliquiſſe vel eam amplectendi, vel ab ea recedendi, ſi vellet?

Reſpondeo 2° invictè probari tum ex Epiſtola ipſa Cæleſtini, tum è ſubjunctis Capitulis, gratuitam prædeſtinationem, à S. Auguſtino tantâ ſollicitudine defenſam, à Romana Sede habitam eſſe ut fidei dogma, à quo recedere ſit nefas.

1°. Quidem ex Epiſtola Cæleſtini. Eo quippe fine illa ſcripta eſt, ut Maſſilienſibus de doctrina S. Auguſtini, tanquam in diſputando modum exceſſiſſet, expoſtulantibus ſilentium imponeretur, ſanctusque Doctor contra illorum obtrectationes defenderetur. Reverâ totus in eo incumbit ſanctiſſimus Pontifex, ut ora claudat obtrectantium, doceatque S. Au-

S. Auguſtinum nec innovaſſe, nec modum exceſſiſſe. Quid verò illud eſt in quo S. Auguſtinum exceſſûs ac novitatis accuſabant Maſſilienſes, niſi imprimis gratuitæ prædeſtinationis & gratiæ ſeipſâ efficacis, non tantùm ad omnem pietatis actum, ſed etiam ad ipſum fidei initium neceſſariæ dogma? Ergo, ipſo judice Cæleſtino, conſtat S. Auguſtinum in eo non innovaſſe & modum non exceſſiſſe, idque ad fidem pertinere, ſicut pertinere docuit S. Doctor. Alioquin non Auguſtinus illo in certamine, ſed Maſſilienſes ejus accuſatores palmam retuliſſent.

2°. Idem apparet ex Capitulis Epiſtolæ Cæleſtini ſubnexis. Nam Cæleſtinus, vel quiſquis eſt Capitulorum auctor, non ea tantùm tanquam fidei dogma definire voluit, quæ dictis Capitulis expreſſè continentur, ſed illa etiam quæ cum illis neceſſariò cohærent. Atqui gratuitæ prædeſtinationis dogma cum illis Capitulis neceſſariò cohæret.

Major probatur ex præfatione & concluſione illorum Capitulorum. Præfatio ſic habet: „ Ut ergo pleniùs, qui in aliquo dubitant, in„ ſtruantur, Conſtitutiones SS. Patrum compendioſo manifeſtamus in„ diculo, quo, ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium „ diſputationum connexionem ex hac ſubditarum auctoritatum brevitate „ pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum „ Catholicis credat & dicat.“ Et in fine Capitulorum: „ Satis ſuffi„ cere credimus, quidquid prædictis regulis Apoſtolicæ ſedis nos ſcrip„ ta docuerunt, ut prorſus non opinemur catholicum, quidquid ap„ paruerit prædictis regulis eſſe contrarium.“

Minor etiam demonſtratur argumentis evidentiſſimis.

Primum ſuppeditant mox relata præfationis verba. Ex S. Pontifice, *omnium diſputationum* cum Maſſilienſibus agitatarum ſolutio ex Capitulorum *brevitate pendet*. Atqui inter illas diſputationes non ultimum locum obtinet diſputatio de prædeſtinatione, ut apparet ex Epiſtolis Proſperi & Hilarii ad S. Auguſtinum, & libris S. Auguſtini *de Prædeſtinatione ſanctorum* & *de Dono perſeverantiæ*. Ergo, B. Cæleſtini judicio, *nimis contentioſus ille eſt* qui, poſt dicta Capitula, de gratuita prædeſtinatione adhuc ambigere ac contradicere voluerit.

Secundum. Ut non immorer in ſingulis Capitulis, obſervare ſatis eſt ad id illa omnia referri, ut gratiam nihil boni humani præcedere dicatur. Porro ipſimet Semipelagiani fatebantur, hoc admiſſo, negari non poſſe gratuitam electorum prædeſtinationem. Idcirco enim efficacis gratiæ Chriſti neceſſitatem ad initium fidei admittere refugiebant, teſte S. Proſpero in Epiſt. ad Rufinum, cap. 11, „ ne etiam hoc neceſſe haberent „ confiteri, quòd, ex omni numero hominum per ſæcula cuncta nato„ rum, certus ad Deum definitusque ſit numerus prædeſtinati in vitam „ æternam populi, & ſecundùm propoſitum Dei vocantis electi.“ Sufficienter ergo definita eſt adverſus illos gratuita prædeſtinatio, cùm illud definitum eſt, ex quo eam conſequi non ambigebant.

Digitized by Google

3°. Poſt Capitula additur „ tantam eſſe erga omnes homines bonitatem Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt æterna præmia ſit donaturus.“ Unde ſic argumentor: Prædeſtinatio non fit ex prævifione meritorum, ſi merita ſint effectus prædeſtinationis, Deusque, illa præſciendo, non futura opera hominum, ſed futura dona ſua præſciat, quodque ipſe facturus eſt, non quod homines. Atqui ex verbis allatis patet merita ſanctorum eſſe dona Dei, ac proinde non ante prævideri quàm prædeſtinari. Ergo, ex Cæleſtino, certum eſt, ac de fide, prædeſtinationem non fieri ex prævifis meritis.

4°. In ea ipſa, quæ objicitur, clauſula definitur *operi ac dignationi gratiæ nihil penitus eſſe ſubtrahendum.* Unde ſic arguo: Si prædeſtinatio ſequitur prævifionem meritorum, operationi gratiæ nonnihil ſubtrahitur, immo illud ſubtrahitur, quod eſt in bonis operibus præcipuum, conſenſus nempe liberi arbitrii. Id enim gratiæ ſubtrahitur, quod non in decreto dandæ gratiæ, ſed in ipſa voluntate præcognoſcitur. Atqui, ex adverſariis, conſenſus liberi arbitrii à Deo præcognoſcitur in ipſa voluntate humana ante ullum abſolutum decretum. Ergo operi ac dignationi gratiæ aliquid ſubtrahunt, contra definitionem S. Pontificis.

Hinc Cardinalis Bellarminus, lib. 2 *de Gratia & lib. arb.* cap. 11, ex hac ipſa Cæleſtini Epiſtola probat prædeſtinationis omnino gratuitæ dogma ab omnibus Catholicis agnoſci debere, velut fidei dogma, licet in Capitulis expreſſè non definiatur; tum quia ex illis ſponte ſuâ derivatur, tum quia S. Auguſtinus, cujus doctrina in tota illa Epiſtola magnoperè commendatur, ad fidem illud pertinere conceptis verbis affirmavit.

Demum adeò verum eſt doctrinam gratuitæ prædeſtinationis inter opiniones problematicas non fuiſſe in Cæleſtini Epiſtola repoſitam, ut, poſt datam illam Epiſtolam, S Proſper, S. Fulgentius & Adrianus I eam velut doctrinam fidei conſtanter defenderint; ut Hormiſdas in Epiſtola ad Poſſeſſorem, in qua dictorum Capitulorum meminit, Catholicos omnes remittat ad libros S. Auguſtini de Prædeſtinatione SS. & de Dono perſeverantiæ, *ut diſcant quid de gratia Romana, id eſt, Catholica doceat Eccleſia;* ut denique ipſi Maſſilienſes, quàmvis Cæleſtini Reſcripti vim omnibus artibus effugere conati ſint, nuſquam legantur illam clauſulam objeciſſe ad elevandam Auguſtini auctoritatem, vel oppugnandam gratuitæ prædeſtinationis ab illo defenſæ certitudinem.

Quæres quid intelligendum ſit nomine profundiorum ac difficiliorum quæſtionum incurrentium, quas S. Pontifex judicavit non eſſe neceſſe adſtruere?

Reſpondent nonnulli eruditi eas quæſtiones eſſe, quas per occaſionem tractavit S. Auguſtinus, à fide alienas, qualis eſt celebris quæſtio de origine animarum. Crediderim tamen illas potiùs intelligi, quæ, tametſi Capitulis Epiſtolæ ſubjunctis diſertè non definiantur, ad illa tamen

men reducuntur, ab eisque pendent, qualis eſt præſens de præſcientia & prædeſtinatione controverſia; uno verbo illas, quas per Capitulorum ſubdendorum decreta facilè dirimi poſſe ſupra relatis verbis auctor præfatus fuerat. Agitur enim de quæſtionibus cum doctrina Capitulorum connexis, & quæ adverſùs hæreticos, ſive Pelagianos, ſive illorum reliquias, *latiùs pertractatæ* fuerant. Eas porro Capitulorum auctor non neceſſe habuit adſtruere. Quare? Quia parvi erant momenti, ad fidemque non pertinebant? Nequaquam. Sed quia ex præmiſſis Capitulis patebat quid eſſet de illis ſentiendum. „ Quia, inquit, ad confitendum „ gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum „ eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid prædictis regulis Apoſtolicæ „ Sedis nos ſcripta docuerunt; ut prorſus non opinemur catholicum, „ quidquid apparuerit prædictis regulis eſſe contrarium.“ Si primam reſponſionem eligas, non noces noſtræ Propoſitioni; ſi alteram, etiam confirmas.

Quæres adhuc cur S. Cæleſtinus expreſſè non definivit prædeſtinationem eſſe gratuitam; quod & facillimum erat, & contra Maſſilienſes efficaciſſimum?

Reſpondeo admodùm probabile eſſe Cæleſtinum, ſi dictorum Capitulorum reverâ auctor eſſet, ut ſupponitur, peculiari decreto illud dogma ſanciturum fuiſſe. Quoniam verò auctor Capitulorum, quicunque ille fuerit, non erat tantæ auctoritatis, ut decreta fidei omnibus proponenda condere potuerit, ea tantùm collegit quæ à conciliis Africanis & Romanis Pontificibus, antequàm Semipelagiani naſcerentur, decreta fuerant; ut nimirum oſtenderet ea jamdudum definita fuiſſe, quæ in Auguſtini ſcriptis obtrectatores reprehendebant, & ex quibus gratuitæ prædeſtinationis dogma conſequi non abnuebant.

Inſtant. Innocentius XII, in Brevi anni 1694 ad Lovanienſes, qui per Doctorem Hennebel poſtulaverant, ut palam declararetur ipſis liberum eſſe perſeverare in doctrina majorum ſuorum, Cenſuris Lovanienſi ac Duacenſi comprehenſa, doctrinamque de gratia per ſe efficaci, & de prædeſtinatione ante prævisa merita, nullis Apoſtolicis decretis damnatam fuiſſe, laudatâ ipſorum erga S. Petri cathedram obſervantiâ, ſic pergit: „ Verùm quia, *ut S. Cæleſtinus ad Epiſcopos Galliæ reſcripſit*, „ profundiores difficilioreſque partes incurrentium *in materia divinæ gratiæ* quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, „ ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: „ *nec arbitramur opportunum ut in præſens habeatur exactior illa de divinis auxiliis tractatio, quæ à prædeceſſoribus noſtris Clemente VIII & Paulo V inſtituta fuit*; cùm ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credamus, quidquid Apoſtolicæ Sedis ſcripta docuerunt &c.“ Ergo, judice

ce Innocentio XII, S. Cæleſtinus præſentem de gratuita prædeſtinatione diſputationem ſpectavit ut à fide alienam.

Nego conſequentiam. Nam, fatentibus Ultramontanis, falli poteſt S. Pontifex in rationibus vel teſtimoniis quæ ad probandum intentum ſuum allegat. Mirum ergo eſſe non debet ſi Innocentius XII, vel Brevis compilator, memoratam clauſulam minùs feliciter aſſecutus ſit, qui, plerorumque eruditorum judicio, erravit, dum illam B. Cæleſtino attribuit. Cæterùm S. Pontifex hoc ipſo ſatis inſinuat quæſtiones de gratia per ſe efficaci & de gratuita prædeſtinatione ad fidem pertinere, quòd inſtitutam à Clemente VIII & Paulo V de divinis auxiliis tractationem cum laude commemorat, promittitque diſputationem illam opportuno tempore definitum iri. Nam quæ ad fidem non pertinent, ea nunquam definiet Eccleſia, ſemperque liberum erit Theologis circa hujuſmodi quæſtiones in ſenſu ſuo abundare.

Objiciunt 3°. Eccleſia libertatem cuique tribuit prædeſtinationem, vel ante, vel poſt prævisa merita, propugnandi: quod ſanè non permitteret, ſi noſtra ſententia pertineret ad fidem.

Nego antecedens. Quàmvis enim Eccleſia ſolemni judicio illos non damnet, qui prædeſtinationem poſt prævisa merita, eo quem hic impugnamus ſenſu, admittunt, non tamen ita ſentire illis permittit. Aliud eſt errorem cum gemitu tolerare, cujus extirpandi non adeſt opportunitas; aliud permittere. Multa tolerare interdum cogitur Eccleſia, quæ nec approbat, nec facit, nec reprehendere per ora multorum filiorum ſuorum definit. Quæ verò bonis moribus vel ſanæ doctrinæ adverſantur, qualis eſt opinio quam refellimus, nunquam cenſeri debet permittere, quantacunque ſit errantium multitudo vel auctoritas.

Ne tamen inde concludas eos, qui gratuitam prædeſtinationem rejiciunt, hæreticos eſſe ac pro hæreticis habendos. Hæreticum facit non error quilibet contra fidem, ſed talis error qui ſolemni & unanimi totius Eccleſiæ judicio damnatus ſit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm prædeſtinatio ad merita & prædeſtinatio ad gloriam ſint duo decreta, an unicum: &, poſito quòd diſtinguantur, an alterum ſit altero prius, vel poſterius.

Stabilitâ prædeſtinationis adæquatæ, quâ electi à reprobis diſcernuntur, omnimodâ gratuitate, altera remanet agitanda quæſtio in ſchola celebris, ſed non tam gravis momenti: utrum ſcilicet Deus primùm gloriam prædeſtinet, deinde merita; an è contrario priùs merita, deinde gloriam; an demum uno & eodem decreto & merita prædeſtinet & præmia. Inter

Digitized by Google

Inter Thomiſtas & Auguſtinianos plerique docent, poſito quòd diſtinguantur duo decreta, unum quo merita, alterum quo gloria prædeſtinentur, decretum dandi gloriam eſſe prius decreto dandi gratiam, eoquòd intentio finis naturaliter præcedat electionem mediorum. E contrario alii Theologi docent decretum dandi gloriam non videri rationabile, niſi præceſſerit decretum dandi merita, quibus illa tanquam præmium præparetur.

Utrique ſupponunt in decretis divinis dari poſſe vel debere aliquem ordinem, ratione cujus unum ſit altero prius, & quaſi cauſa vel motivum alterius. Reperitur quidem ordo in rebus à Deo volitis & prædeſtinatis. „ Et ſic, ait Doctor Angelicus, 1 part. q. 23. art. 5. in corp. „ nihil prohibet aliquem effectum prædeſtinationis eſſe cauſam & „ rationem alterius, poſteriorem quidem prioris ſecundùm rationem „ cauſæ finalis; priorem verò poſterioris ſecundùm rationem cauſæ „ meritoriæ, quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ: ſicut ſi dicamus „ quòd Deus præordinavit ſe daturum alicui gloriam ex meritis, & „ quòd præordinavit ſe daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam.“ Sed datur ne in decretis divinis ſimilis ordo; ita ut, quemadmodum gloria eſt finis meritorum & merita ſunt cauſa recipiendi gloriam, ſic in Deo velle dare gloriam ſit cauſa volendi dare gratiam & merita, aut velle dare gratiam & merita ſit cauſa volendi dare gloriam, dicique poſſit, ideò Deus decrevit dare gratiam, quia prædeſtinavit ad regnum; vel ideò prædeſtinavit ad regnum, quia decrevit dare gratiam?

Ad ſolvendam illam quæſtionem, revocandum eſt in memoriam quod alibi ex S. Thoma diximus, Deum nihil extra ſe velle ut finem vel ut medium, licet velit ut aliquid ſit medium vel finis reſpectu creaturarum. Si Deus vellet merita ut medium, & gloriam ut finem reſpectu ſui, tunc decretum dandi gloriam rectè diceretur prius decreto dandi gratiam. Sed illud dici non permittit ſumma Dei independentia. Velle aliquid ut medium, eſt velle illud tantùm propter finem, ita ut, ſi finis comparari poſſet non aſſumpto illo medio, non aſſumeretur illud medium. Volumus medicamentum ut medium ad recuperandam ſanitatem, eoque fit ut, ſi ſanari aliter poſſemus, medicamento non uteremur, aut, ſi nihilominùs uteremur, jam non ut medio ad reſtituendam ſanitatem, ſed quia per ſeipſum placeret, vel aliam ob cauſam. Proinde ſi Deus non vellet bona opera noſtra niſi ut medium ad gloriam promerendam, ea vellet præciſè quia gloriam vellet, hoc eſt, unicam haberet intentionem dandi gloriam, voluntaſque donandi merita ſubſerviret illi intentioni, ſicut medium quod ideò tantùm aſſumitur, ut ad optatum finem perveniatur.

Atqui hoc dici nullomodo poteſt. Nam ſi Deus unicè vellet dare electis gloriam, eam protinus daret, nec longâ illâ mediorum ſerie uteretur. Cur ergo priùs merita donat, quàm electos in gloria collocet,

 niſi

niſi quia non tantùm vult eos ſalvare, ſed etiam vult ut per bona opera ſalutem mereantur? Vult ergo & electos ſalvari, & ſalvari per opera bona tanquam per merita; ſed non quia vult ſalutem, ideò vult merita: poſſet enim, ut jam dixi, ſi vellet, ſalvare ſine meritis. „ Sicut „ in Deo, ait S. Thomas, 1 part. q. 19. art. 5, intelligere cauſam „ non eſt cauſa intelligendi effectus, ſed ipſe intelligit effectus in cau„ ſa; ita velle finem non eſt ei cauſa volendi quæ ſunt ad finem: ta„ men vult, ea quæ ſunt ad finem, ordinari ad finem. Vult ergo hoc „ eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.“ Et ad 1: „ Vo„ luntas Dei rationabilis eſt; non quòd ſit aliquid in Deo cauſa vo„ lendi, ſed in quantùm vult unum eſſe propter aliud.“

Eſto: diſtinguantur in Deo duo decreta, modò unum non cenſeatur cauſa alterius. Deus prædeſtinat ad gloriam, quia vult: prædeſtinat quoque ad merita, quia vult. Poteſt prædeſtinare ad gloriam, & non prædeſtinare ad merita, quia poteſt gloriam donare ſine meritis. Poteſt ſimiliter prædeſtinare ad merita, & non prædeſtinare ad gloriam, ut apparet in juſtis qui non perſeverant usque in finem.

Quocirca prædeſtinatio ad gloriam nec prior eſt, nec poſterior prædeſtinatione ad gratiam, ſed utrumque ſimul prædeſtinatur: hoc eſt, eodem inſtanti rationis Deus decrevit ſe daturum alicui vitam æternam & bona opera; vultque & bona opera eſſe meritoria vitæ æternæ, & vitam æternam eſſe bonorum operum mercedem.

Et certè nemo è SS. Patribus, aut etiam è Theologis antiquioribus, ullam in illis decretis prioritatem naturæ aut cauſalitatis attendit. Dixerunt quidem Deum prædeſtinaſſe præmia & prædeſtinaſſe merita, ſed nusquam dixerunt Deum priùs prædeſtinaſſe præmia quàm merita, aut è converſo.

Cæterùm, in rei veritate, ambigi non poteſt quin prædeſtinatio ad gloriam & prædeſtinatio ad merita ſint unum atque idem decretum. Quemadmodùm enim omnes Theologi conſentiunt ſummam intellectûs divini ſimplicitatem & perfectionem exigere, ut non alio actu cauſam, alio effectum agnoſcat, ſed effectum cognoſcat in ſua cauſa; ita perfectio & ſimplicitas divinæ voluntatis poſtulat, ut uno eodemque actu velit finem & media, gloriam & merita.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De effectibus prædeſtinationis.

DOCET generatim S. Paulus, Rom. VIII. 28, *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum* (prædeſtinantis Dei) *vocati ſunt ſancti.* Quidquid ergo prædeſtinatis contingit, quo proficiunt in bonum, dici poteſt aliquo modo effectus illorum prædeſtinationis, & ordinatum ad illorum ſalutem; diverſimodè tamen.

Sunt effectus remoti, ut creatio & conſervatio eorum quos Deus prædeſtinavit. Alii ſunt propinquiores, non tamen proximi, ut incarnatio & paſſio Chriſti, prædicatio Evangelii, patratio miraculorum, inſtitutio ſacramentorum; quæ per ſe tendunt ad ſalutem hominum, quàmvis reprobi per ſuam infidelitatem aut malitiam ea convertant in materiam damnationis. Dicuntur tamen effectus prædeſtinationis, quia efficaciter ordinantur à Deo ad ſalvandos electos.

Alii ſunt effectus adhuc magis ſpeciales; atque ex his rurſus alii per ſe ordinantur ad ſalutem, alii per accidens & ex prædeſtinatione divina.

Primi generis ſunt tres illi effectus ab Apoſtolo recenſiti, Rom. VIII. 29 & 30, quibus prædeſtinatorum ſalus tota comprehenditur, nimirum vocatio, juſtificatio & glorificatio.

Ad vocationem revocantur omnes gratiæ, tam externæ, quàm internæ, quæ juſtificationem præcedunt & ad illam ex Dei propoſito perducunt: ut prædicatio Evangelii, libri pii, Chriſtiana inſtitutio, Catholici magiſtri, bona aliorum exempla, cognitio legis, timor gehennæ, bonæ inſpirationes, dolor de peccatis &c.

Ad juſtificationem referuntur omnia dona gratiæ, quæ juſtis conferuntur uſque ad finem vitæ, bona opera, juſtitiæ augmentum, omnia adjumenta quibus vera pietas interiùs & exteriùs nutritur, remotio omnium tentationum & occaſionum peccati, quibus juſtorum infirmitas ſuccumberet, ac demum finalis perſeverantia.

Glorificatio eſt ultimus prædeſtinationis effectus, complectens perfectam & æternam animæ & corporis felicitatem.

Ex his tribus effectibus primus ad ſecundum, ſecundus ad tertium, tanquam ad finem, refertur in adultis. Nam in parvulis ſola eſt juſtificatio & glorificatio, locumque non habent vocatio propriè dicta, nec bona opera, nec juſtitiæ augmentum, niſi fortè ſacramentum confirmationis recipiant.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam verò multi reprobi vocantur & juſtificantur, obſervandum eſt vocationem & juſtificationen non eſſe effectum prædeſtinationis, niſi in eis quibus utrumque ex abſoluto illos ſalvandi propoſito à Deo tribuitur. Sola ergo glorificatio, &, quæ cum ea ſemper conjuncta eſt, finalis perſeverantia, ita ſunt ex natura ſua effectus prædeſtinationis, ut nullis aliis, præter electis, poſſint eſſe communes.

Secundi generis ſunt 1° bona naturalia electis conceſſa, quæ ex ſpeciali Dei erga eos amore ad vitam æternam eis proficiunt, ut bona indoles, rectum judicium, paſſiones moderatæ, ſcientia, opes, valetudo, & alia hujusmodi, quæ ſicut reprobi ad perniciem ſuam convertunt, ita prædeſtinatis ad ſalutem promerendam Deus prodeſſe facit.

2°. Mala pœnæ, ut morbi, calamitates, perſecutiones, damna; hæc quippe ſpeciali Dei ordinatione prædeſtinatis occaſio ſunt exercendæ & perficiendæ virtutis, ſatisfaciendi divinæ juſtitiæ, præcavendi peccata, cupiditates frænandi, & ad Deum, tanquam ad tutiſſimum ſolatium, recurrendi. Quamobrem S. Paulus, Philipp. I. 29: *Vobis*, ait, *donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.*

3°. Ipſa etiam permiſſio peccati, non quidem ex ſe præciſe ſumpta, ſed ratione bonorum quæ Deus hoc modo vult procurare, efficiendo ut electi poſteà cautiores, humiliores, ferventiores reſurgant. „ Id etiam „ ſcire operæ pretium eſt, ait S. Baſilius in Regulis brevioribus, interrogat. 81, „ contingere ſæpè piorum delicta, divinâ providentiâ ita „ diſpenſante, ad eorum utilitatem. Deus enim labi eos aliquando „ permittit, ad ſanandam priorem quamdam animi elationem, quale eſt „ quod à Petro dictum fuit & in eo ipſo obtigit.“

Idem obſervat S. Auguſtinus, lib. 14 *de Civit. Dei*, cap. 13. „ Audeo „ dicere, inquit, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſ- „ tumque peccatum, unde ſibi diſpliceant qui jam ſibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit quando flevit, quàm ſibi „ placuit quando præſumpſit. Hoc dicit & ſacer Pſalmus: *Imple facies* „ *eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine;* id eſt, ut tu eis „ placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerunt quærendo „ ſuum.“

Cave tamen concludas peccata electorum poſſe dici effectum prædeſtinationis. Nam, ut quid ſit effectus prædeſtinationis, duo præſertim requiruntur, nempe ut Deum auctorem habeat, & ut conducat, ſaltem per accidens, ad ſalutem prædeſtinati. Atqui peccata nec Deum auctorem habent, nec conducunt, etiam per accidens, ad ſalutem peccantis. Contra naturam quippe peccati eſt, & ex ſola Dei omnipotentia, quòd peccatum ſit occaſio alicujus boni, ut explicat S. Gregorius magnus, lib. 33 *Moral.* cap. 11, his verbis: „ Ecce, qui de virtute ſe extollit, „ per vitium ad humilitatem redit: qui verò, acceptis virtutibus extol- „ litur,

Digitized by Google

„ litur, non gladio, ſed, ut ita dixerim, medicamento vulneratur. „ Quid eſt enim virtus, niſi medicamentum? Et quid eſt vitium, niſi „ vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de „ vulnere medicamentum, ut, qui virtute percutimur, vitio curemur. „ Nos namque virtutum dona retorquemus in uſum vitiorum, ille vi„ tiorum illecebras aſſumit in artem virtutum.“

Jam ſi de prædeſtinatione univerſorum electorum loquamur, omnia quæcunque Deus facit vel permittit, facturus vel permiſſurus eſt, ordinantur, vel proximè, vel remotè, ad ſalutem electorum. Cùm enim legitimus ordo ſit, ut quod minus eſt ad id quod majus eſt, tanquam ad finem, referatur, nihilque ſit in omnibus Dei operibus electorum ſalute præſtantius, conſequens eſt omnia, quæ hactenus fuerunt, vel ad finem uſque mundi futura ſunt, à Deo fieri aut permitti propter ſalutem electorum.

CAPUT QUARTUM.

De proprietatibus prædeſtinationis.

Quatuor ſunt proprietates prædeſtinationis. 1°. Quòd æterna ſit. *Elegit nos*, ait Apoſtolus, Epheſ. 1, *ante mundi conſtitutionem.* 2°. Quòd à ſola voluntate divina, non ab humanis meritis, pendeat. 3°. Quòd in Chriſto & per Chriſtum prædeſtinati ſimus. 4°. Quòd certum ſit, immotum atque efficax decretum prædeſtinationis, ut nullus prædeſtinatus perire, nullus non prædeſtinatus ſalvari in ſenſu compoſito poſſit.

De prima nulla eſt difficultas. De ſecunda latè tractatum eſt præcedenti Capite. Reſtat ergo de duabus ultimis ut agamus.

Articulus Primus.

An & quo ſenſu prædeſtinati ſimus in Chriſto & per Chriſtum.

In Chriſto Jeſu nos prædeſtinatos eſſe teſtatur S. Paulus, Epheſ. I. *Elegit nos in ipſo*, inquit, *ante mundi conſtitutionem...... Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto...... Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum.*

Igitur credendum non eſt prius nos electos & prædeſtinatos eſſe à Deo, dein-

deinde Chriſtum, per cujus gratiam ad ſalutem nobis jam deſtinatam perveniremus: alioquin noſtra prædeſtinatio eſſet finis prædeſtinationis Chriſti; quod repugnat. Prætereà prædeſtinati ſumus ut conformes ſimus imagini Chriſti & viva ipſius membra. Priùs autem prædeſtinatur exemplar quàm tranſſumptum, priùs caput quàm membra. Adde nos uno & eodem actu divinæ voluntatis ad gratiam & ad gloriam prædeſtinatos. Sed ad gratiam Chriſti prædeſtinati ſumus. Ergo prædeſtinatio noſtra ſupponit aut ſaltem includit prædeſtinationem Chriſti.

Non tamen prædeſtinatio Chriſti cauſa eſt noſtræ prædeſtinationis ex parte actûs prædeſtinantis; ita ut idcirco Deus nos prædeſtinare voluerit, quia voluit prædeſtinare Chriſtum (nam in Deo, ut paulò ante dixi, velle unum non eſt cauſa volendi aliud), vel ut illos prædeſtinaverit, quos Chriſtus deſignaturus erat pro illis peculiariter orando; id enim in P. Malebranchio jam refutavimus: ſed „ uno modo & eodem „ actu æterno prædeſtinavit Deus nos & Chriſtum, inquit S. Thomas, 3 part. q. 64. art. 3 & 4, in corpore; „ Chriſtum ut caput noſtrum, nos „ ut ipſius membra. Si autem, addit Angelicus doctor, conſideretur prædeſtinatio ſecundùm terminum prædeſtinationis, gratiam „ nempe & gloriam, ſic prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Sic enim Deus ordinavit noſtram ſalutem, ab æterno præ„ deſtinando ut per Jeſum Chriſtum compleretur. Sub prædeſtinatione „ enim æterna non ſolùm cadit id quod eſt fiendum in tempore, ſed „ etiam modus & ordo ſecundùm quem eſt complendum in tempore."

Eſt autem Chriſtus prædeſtinationis noſtræ ſic conſideratæ cauſa multipliciter: 1°. Cauſa meritoria; totum quippe effectum prædeſtinationis, gratiam ſcilicet & vitam æternam, nobis morte ſuâ promeruit. 2°. Cauſa exemplaris, in quantùm prædeſtinati ſumus conformes fieri imaginis ejus: ſive quantùm ad bonum ad quod prædeſtinamur; ſicut enim Chriſtus ad hoc prædeſtinatus eſt, ut eſſet Filius Dei naturalis, ſic nos ad hoc prædeſtinati ſumus, ut filii Dei ſimus per adoptionem, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis: ſive quantùm ad electionis gratuitatem; quemadmodùm enim natura humana in Chriſto, nullis ſuis præcedentibus meritis, eſt unita Filio Dei, ita & nos, nullis præcedentibus bonis operibus, efficimur filii Dei: ſive quantùm ad modum conſequendi gloriam; quemadmodùm enim *oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, ſic oportet nos *compati, ut & conglorificemur.* 3°. Cauſa eſt finalis, quatenus ad hoc prædeſtinati ſumus, ut ex plurium veluti membrorum integritate perficeretur corpus Chriſti myſticum, *ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti*, ut loquitur S. Paulus, Epheſ. IV. Unde idem Apoſtolus, 1 Cor. III, alloquens omnes fideles, ſed præſertim electos: *Omnia*, inquit, *veſtra ſunt; vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

No-

Notandum eſt prædeſtinationem Chriſti cauſam non eſſe prædeſtinationis Angelorum, ſed hominum duntaxat. Non enim per gratiam Liberatoris boni Angeli à malis diſcreti ſunt, ſed per gratiam Creatoris; & communis doctrina eſt SS. Patrum, ſi homo non peccaſſet, Filium Dei incarnandum non fuiſſe: idque confirmat ipſemet Chriſtus, cùm ait, Matth. IX. 12: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus...... Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De certitudine prædeſtinationis.

Prædeſtinatio poteſt dici certa vel in ſeipſa, vel quoad nos. Quamobrem duplex hic oritur qæſtio: una adverſùs Semipelagianos, an ſcilicet prædeſtinatio in ſeipſa ſit certa & immobilis, ita ut nec prædeſtinati perire poſſint, nec reprobi ſalvari in ſenſu compoſito; & undenam oriatur illa certitudo & immobilitas: altera adverſùs Calvinianos, videlicet an unusquisque fidelis omnino certus eſſe debeat de ſua prædeſtinatione.

§. I.

An prædeſtinatio in ſeipſa conſiderata ſit certa & immobilis, & unde repetatur illa immobilis certitudo.

Nolebant Semipelagiani, teſtibus Proſpero & Hilario in ſuis ad Auguſtinum Epiſtolis, definitum ac certum apud Deum admittere prædeſtinatorum numerum, qui nec augeri poſſit, nec minui, eoquòd *ex utraque parte ſuperfluus labor* futurus ſit, *ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere.* Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi negaverint Deum præſciſſe ab æterno quibus regnum cœlorum daturus eſſet (conſtat enim eos nunquam ademiſſe Deo præſcientiam ullorum futurorum): ſed negabant tantùm certum numerum hominum à Deo, ante prævisionem meritorum, abſolutè prædeſtinatum eſſe ad vitam æternam.

Solâ loquendi ratione differunt à Semipelagianis Theologi qui ſtant pro ſcientia media. Docent quippe decretum prædeſtinationis repetere totam ſuam certitudinem ab infallibilitate præſcientiæ, non verò ab efficacia voluntatis divinæ.

Ad ſolutionem hujus quæſtionis obſervandum eſt, cùm quæritur an prædeſtinatus poſſit perire, non attendi cauſam proximam ſalutis, quæ eſt libera voluntas ipſius prædeſtinati; omnes quippe Catholici conſentiunt ſub hoc reſpectu prædeſtinatum excidere, non perſeverare, & non ſalvari, imò & damnari poſſe, quia voluntas creata ſemper eſt defectibilis;

Digitized by Google

bilis; ſed conſiderari vim divinæ prædeſtinationis, ac quæri an, ex parte Dei prædeſtinantis, impoſſibile ſit prædeſtinatum non perſeverare & excidere à ſalute.

PRIMA PROPOSITIO.

Certa eſt, immobilis ac indefectibilis prædeſtinatio, non ſolùm ad gloriam in genere, ſed etiam ad definitum gradum gloriæ, & ad bona opera quibus quiſque ſalutem conſequitur; ita ut, ſuppoſito decreto prædeſtinationis, impoſſibile ſit prædeſtinatum excidere à gloria, vel non aſſequi illum gradum gloriæ ad quem eſt præordinatus, vel non facere omnia bona opera quæ ipſi æternâ prædeſtinatione præparata ſunt.

PROPOSITIO tres habet partes. Prima ſpectat prædeſtinationem ad gloriam in genere, abſtrahendo ab illius gradu: ſecunda ſpectat prædeſtinationem ad talem gradum determinatum gloriæ: tertia ſpectat prædeſtinationem ad merita, meritorumque gradum gloriæ gradui correſpondentem.

Probatur prima pars 1° ex Scripturis.

Joann. VI. 37 & 39, Chriſtus loquens de prædeſtinatis: *Omne*, ait, *quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non ejiciam foras...... Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Et cap. X. 28, loquens rurſum de prædeſtinatis, quos oves ſuas appellat: *Ego*, inquit, *vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt;* nempe ut illi ſim unigenitus Filius, ut exponit S. Auguſtinus, tract. 48 in Joannem, n. 6; vel, ut græcè legitur: *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus.*

Hanc divini propoſiti indefectibilitatem adſtruit S. Paulus, Rom. VIII; ſive cùm dicit omnia cooperari in bonum iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti; ſive cùm addit Deum, quos prædeſtinavit, illos & vocare, & juſtificare, & glorificare; ſive cùm pro certo affirmat nihil poſſe illos ſeparare à caritate Dei: *Si enim Deus pro nobis*, ait, *quis contra nos?* Et 2 Timoth. II. 19: *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognoſcit Dominus qui ſunt ejus.*

Denique S. Joannes, 1 Epiſt. cap. II. 19, oſtendit aliquos è numero prædeſtinatorum non fuiſſe, eoquòd à gratia ad peccatum, à virtute ad er-

errorem deflexerint. *Ex nobis prodierunt*, inquit, *ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiscum; ſed ut manifeſti ſint quia non ſunt omnes ex nobis.*

2°. SS. Patres idem verbis expreſſiſſimis teſtantur.

S. Clemens Romanus, Ep. ad Corinth. n. 2: „ Continua vobis ſollicitudo erat pro univerſa fraternitate, ut...... ſalvaretur numerus „ electorum Dei.“

S. Auguſtinus, lib. *de Corrept. & grat.* cap. 7. n. 14, loquens de electis ſecundùm propoſitum vocatis, prædeſtinatis atque præſcitis: „ Horum, inquit, ſi quisquam perit, fallitur Deus: ſed nemo illorum „ perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quisquam perit, vitio hu„ mano vincitur Deus: ſed nullus illorum perit, quia nullâ re vincitur „ Deus. Quisquis ergo inde eſt, ait idem S. Doctor, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 16. n. 33, „ omnino non perit; nec erat inde „ qui perit.“ Et tract. 48 *in Joannem*, n. 6: „ De ovibus iſtis nec „ lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus eſt de numero „ earum qui pro eis novit quod dedit.“ Vide lib. 13 *de Trinit.* cap. 16. n. 20, & lib. *de Catechizandis rudibus*, cap. 11. n. 16.

S. Fulgentius, in lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 35, iſtud inter immotos fidei articulos ponit, inquiens: „ Firmiſſime tene, & nullatenus „ dubites,..... neque perire poſſe aliquem eorum quos Deus prædeſti„ navit ad regnum cœlorum, nec quemquam eorum, quos non prædes„ tinavit ad vitam, ullâ poſſe ratione ſalvari.“ Et lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 4: „ Cujus prædeſtinationis ita manet „ æterna firmitas & firma æternitas, non ſolum in diſpoſitione operum, „ ſed etiam in numero perſonarum, ut nec de illius numeri plenitudine „ quispiam ſalutis æternæ gratiam perdat, nec extra illius numeri „ quantitatem quisquam ad donum ſalutis æternæ perveniat...... Apud „ ſe habet certiſſimum numerum prædeſtinatorum, ille qui eos in adop„ tionem filiorum per Chriſtum prædeſtinavit, quia in numero, & men„ ſura, & pondere cuncta diſpoſuit.“

Hujus veritatis quamdam effigiem detegit venerabilis Beda in hiſtoria Loth, cujus fores occluſerunt Angeli, ne quis Sodomitarum ei nocere poſſet, & qui nullis cognatorum aut amicorum ſuorum perſuadere potuit ut exirent de Sodomis. Sic ille loquitur lib. 4 in principium Geneſis: „ Quòd oſtium occluſerunt Angeli, ne vel ipſum, vel aliquem „ de domo ejus poſſent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter inſi„ nuat quia nullum de electis Dei perditura ſit impietas & perſecutio „ reproborum...... Quòd item Loth facultate ab Angelis datâ nullum „ de civibus perfidis, ne de ſuis quidem cognatis ſive amicis, tametſi „ multùm conatus, potuit ad ſalutem revocare, ſignificat quia nullus „ labor hominis ad numerum prædeſtinatorum, qui ante conſtitutionem „ mundi electi ſunt à Domino, vel unam poſſit animam adjicere:“

Tom. 5 Anecdot. P. Martenne, pag. 279.

non quòd exhortantium conatus ſit inutilis, ſed quòd ſolis eis proſit, quibus ut proſit ab æterno prædeſtinatum eſt.

Cauſas verò iſtius certitudinis aperiemus alterâ Propoſitione.

Secunda pars, hoc eſt, quâ certitudine certum eſt omnes & ſolos electos perventuros ad vitam æternam, eâdem certum eſſe illos perventuros ad talem gradum gloriæ ipſis ab æterno prædeſtinatum, probatur ex dictis. Deus enim non poteſt aliquem prædeſtinare ad gloriam in genere, ſed neceſſe eſt ut ad determinatum gloriæ gradum prædeſtinet. Siquidem ad providentiam divinam, cujus pars eſt prædeſtinatio, pertinet non ſolùm ut omnia ordinet, ſed etiam ut eorum modum, numerum ac menſuram determinet; alioquin ille modus foret fortuitus reſpectu divinæ providentiæ. Ergo ſi prædeſtinati certò perveniunt ad ſalutem vi prædeſtinationis, conſequenter ad talem gloriæ gradum perveniunt virtute ejuſdem prædeſtinationis; idque ſignificat S. Paulus, 1 Cor. XV, ubi diverſam glorioſorum poſt reſurrectionem corporum claritatem, quæ major vel minor erit pro majore vel minore beatitudine animæ, ſoli divinæ voluntati adſcribit, adhibitâ ſimilitudine ſeminum in terram conjectorum, quibus *Deus dat corpus ſicut vult*, *& unicuique ſeminum proprium corpus.* Si enim varia corporum gloria à divina voluntate ac prædeſtinatione pendet, ergo & varia gloria animarum, ex qua totus corporum ſplendor derivabitur.

Et certè ſi nullus hominum, teſte Chriſto, Matth. VI. 27, poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum, quantò minùs poterit gloriæ gradum ſibi comparare illo majorem, ad quem divinitùs eſt prædeſtinatus?

Denique (ut ad tertiam partem Propoſitionis tranſeamus) omnia opera meritoria, quibus electi perveniunt ad illum gradum gloriæ ad quem ſunt prædeſtinati, præordinata ſunt à Deo, ita ut nec plura, nec pauciora, nec magis aut minùs intenſa producenda ſint in tempore per liberum arbitrium prædeſtinatorum, quàm per liberum prædeſtinantis decretum præordinatum ſit.

Probatur ex eo quòd merita, non ſecus ac præmia, prædeſtinata ſint, juxta illud Apoſtoli, Epheſ. II. 10: *Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quemadmodùm igitur vacillare non poteſt propoſitum Dei gloriam prædeſtinantis, ita nec propoſitum merita præparantis ad gloriam ducentia.

Nec ex hoc ſequitur, ut quidam arguunt, inquit Alvarez, lib. 5 *de Auxiliis*, cap. 41. n. 4, „ prædeſtinatos non poſſe aliud vel aliter „ operari, quàm ſit à Deo præordinatum, ſi verbum *poſſe* accipiatur in „ ſenſu diviſo; ſed ſolùm infertur quòd de facto non operabuntur aliud „ nec aliter, quàm ſit à Deo præordinatum, quàmvis in ſenſu compo- „ ſito concedendum ſit eos non poſſe aliud vel aliter operari, quàm ſit „ à Deo præordinatum: quia videlicet hæc duo ſimul vera eſſe non poſ-

„ ſunt,

„ ſunt, quòd prædeſtinatus aliquod bonum operetur, & illud non ſit „ præordinatum à Deo; ſicut etiam, è converſo, iſta duo ſimul vera „ eſſe non poſſunt, quòd Deus prædeterminaverit ut prædeſtinatus operetur tale bonum, & tamen illud prædeſtinatus non exequatur."

Objiciunt 1°. Liber vitæ idem eſt ac liber prædeſtinatorum. Atqui poteſt quis deleri de libro vitæ. Moyſes enim dicebat, Exod. XXXII. 32: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Et David, Pſalm. 68. v. 29: *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.* Ergo &c.

Reſpondent nonnulli Moyſen per hyperbolem, ut propenſam ſuam in populum Dei voluntatem ſignificaret, dixiſſe: ſi non dimittis, *dele me de libro tuo*, ſub iſta tacita conditione, ſi fieri poſſet. Non placet mihi iſta reſponſio, quia caritas ſub nullo prætextu & ſub nulla conditione conſentire poteſt, nedum optare, ut privetur beatitudine æternâ, quæ nihil aliud eſt quàm perfectio caritatis. Idem eſt ac ſi dicas aliquem ex magnitudine amoris conſentire non amare; quod implicat. Itaque meliùs reſpondent alii librum Dei hîc ſignificare, non numerum prædeſtinatorum, ſed numerum viventium vitâ temporali, Moyſenque poſtulare potiùs è vivis tolli, quàm iram Dei in populum ſuum accenſam cernere: quo ſenſu etiam dixit, Numer. XI. 14 & 15: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia gravis eſt mihi: ſin aliter tibi videtur, obſecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.*

Ad locum Pſalmi 68 reſpondeo *deleri* hîc ſumi metaphoricè pro non inſcribi, ut patet ex præcedentibus & ſequentibus verbis, quæ talia ſunt: *Non intrent in juſtitiam tuam,..... & cum juſtis non ſcribantur.* Ibi quippe ſermo eſt de peccatoribus, ac præſertim de Judæis crucifixoribus Chriſti, qui non erant juſti, niſi forſan juſtitiâ exteriori & fictâ. Senſus ergo eſt: non ſcribantur, vel potiùs (quia hæc vox prophetantis eſt, non optantis) non ſcribentur in libro viventium; aut, omnes intelligent eos eſſe à libro vitæ alienos.

Duplici tamen ſenſu dici poteſt quis deleri de libro vitæ: 1°. Secundùm opinionem hominum. „ Eſt enim conſuetum in Scripturis, ait S. Thomas, 1 part. q. 24. art. 3. in corp. „ ut aliquid dicatur fieri, „ quando innoteſcit; & ſecundùm hoc aliqui dicuntur eſſe ſcripti in „ libro vitæ, in quantùm homines opinantur eos ibi ſcriptos propter „ præſentem juſtitiam, veram vel apparentem, quam in eis vident. Sed „ quando apparet, vel in hoc ſæculo, vel in futuro, quòd ab hac juſtitia exciderunt, dicuntur inde deleri. 2°. Poteſt dici quòd, deleri „ vel non deleri de libro vitæ, non ſolùm ad opinionem hominum referendum eſt, ſed etiam quantùm ad rem. Eſt enim liber vitæ conſcriptio ordinatorum in vitam æternam, ad quam ordinatur aliquis „ ex duobus, ſcilicet ex prædeſtinatione divina, & hæc ordinatio non deficit;

„ ficit; & ex gratia, quicunque enim habet gratiam, ex hoc ipſo eſt „ dignus vitâ æternâ; & hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui „ ordinati ſunt ex gratia habita ad habendam vitam æternam, à qua „ tamen deficiunt per peccatum mortale."

Poteſt etiam diſtingui duplex liber vitæ: unus prædeſtinatorum, alter juſtorum; omnes enim juſti, quandiu ſunt, vivunt vitâ ſpiritali gratiæ. E primo libro deleri nullus poteſt; è ſecundo delentur quicunque in juſtitia non perſeverant.

Eodem modo exponi debet quod dicitur Apocal. III: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; id eſt, coronam quam mereris per præſentem juſtitiam, non ad quam ſis abſoluto Dei decreto prædeſtinatus. „ Corona enim dicitur eſſe alicujus dupliciter, ait rurſus Aquinas, ibid. q. 23. art. 6. ad 1: „ uno modo ex prædeſtinatione divina, & ſic „ nullus coronam ſuam amittit; alio modo ex merito gratiæ, quod enim „ meremur, quodammodò noſtrum eſt; & ſic coronam ſuam aliquis „ amittere poteſt per peccatum mortale ſequens. Alius autem illam co„ ronam amiſſam accipit, in quantùm loco ejus ſubrogatur."

Objiciunt 2°. Joann. XVII. 12, Chriſtus ait: *Quos dediſti mihi custodivi, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis.* Ergo inter illos qui Chriſto dati ſunt, hoc eſt, inter prædeſtinatos nonnulli pereunt & filii ſunt perditionis.

Nego conſequentiam. Senſus enim hujus loci eſt neminem ex datis Chriſto periiſſe, ſed tantùm filium perditionis, qui non erat ex illis. Hinc, cap. XVIII. 9, eadem ſententia refertur citra ullam exceptionem. *Ut impleretur*, ait Evangeliſta, *ſermo quem dixit* (Jeſus), *quia, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* „J'oſerai dire avec aſſurance, inquit doctiſſimus Boſſuetus (Medit. ſur l'Evangile, tom. IV. 148e Jour), „ que Judas n'eſt pas de ceux dont Jeſus Chriſt a dit ici: *Ils étoient à* „ *vous, & vous me les avez donnés.* Car ceux dont il le dit, étoient „ ceux qui étoient préſents lorsqu'il prioit, qui avoient gardé ſa paro„ le, qui croioient, en la foi des quels il étoit glorifié & le devoit „ être. Que le Pere l'ait donné au Fils en un certain ſens, lorsqu'il „ le lui a donné pour Apôtre, & que le Fils l'ait reçu de lui lors„ qu'il l'apella, conformément à cette parole: *Je vous ai élus douze,* „ *& un de vous eſt un diable*, on n'en peut douter. Au même ſens „ qu'il lui a été donné, au même ſens, quel qu'il ſoit, il étoit à lui. „ Mais qu'il fut à lui de cette maniere ſinguliere dont Jeſus parle ici, „ la verité de ſes paroles ne permet pas de le penſer ainſi. *Aucun* „ *d'eux n'eſt peri, ſi ce n'eſt l'enfant de perdition*, c'eſt à dire, *mais* „ *ſeulement cet enfant de perdition*, qui s'eſt perdu lui même en me „ quittant"

Similes phraſes in Scripturis frequentiſſimè reperiuntur: v. g. 4 Reg. V. 17, Naaman dicit ad Elizæum: *Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum*

cauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino ſoli; id eſt, ſed tantùm Domino, qui non eſt diis alienis annumerandus. Matth. XII. 4: *Panes propoſitionis comedit* (David), *quas non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus.* Lucæ IV. 26 & 27: *Multæ viduæ erant in Iſraël,..... & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Elizæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.* Act. XXIV. 20: *Ipſi dicant ſi quid invenerunt in me iniquitatis,..... niſi de una hac ſolummodò voce, quâ clamavi inter eos ſtans: quoniam de reſurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis.* Galat. II. 16: *Non juſtificatur homo in operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Apocal. XXI. 27: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni &c.*

SECUNDA PROPOSITIO.

Certitudo & immobilitas prædeſtinationis non repetitur tantùm à præſcientiâ, ſed etiam, ac primariò, ab indefectibilitate voluntatis divinæ, cui nihil poteſt reſiſtere, & ab efficacia divinæ providentiæ.

PROBATUR 1° è Scripturis. Chriſtus, Joannis X, firmitatem prædeſtinationis & ſalutis electorum inde repetit, quòd Pater, qui illos ipſi dedit, major ſit omnibus, & nemo poſſit eos rapere de manu Patris ſui: & S. Paulus, Rom. IV: *Ideò ex fide,* inquit, *ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio.* Ergo immobilis certitudo ſalutis electorum fundatur in omnipotentia voluntatis Dei, & in efficacia auxiliorum quæ Deus electis præparavit.

Probatur 2° ex SS. Patribus.

S. Auguſtinus, loco jam citato libri *de Correptione & gratia*, docet „ nullum electorum perire, non ſolùm quia non fallitur Deus, ſed „ etiam quia nullâ re vincitur Deus."

S. Fulgentius, lib. 2 *de Remiſſione peccatorum*, cap. 2: „ Iſtorum, inquit, „ nemo perit." Quare? „ Voluntati enim ejus quis reſiſtit?" Et lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 5: „ Illi ergo nu-„ mero nec aliquis additur, nec aliquis demitur; quia ſecundùm pro-„ poſitum voluntatis ſuæ Deus ſanctos ſuos prædeſtinavit, de quo ſcrip-„ tum eſt, *quia omnia quæcunque voluit fecit.* Ita nemo poteſt ejus „ mutare prædeſtinationem, ſicut nullus poteſt ejus vincere volunta-„ tem. Quòd ſi numerus ille certus non eſt apud Deum, aut ſcientia „ di-

Digitized by Google

„ divina fallitur, aut voluntas divina mutatur, aut divina virtus adverſitate aliquâ ſuperatur.“ Non ergo ſolùm à divina præſcientia, ſed ab immutabilitate & omnipotentia divinæ voluntatis certitudinem ſuam trahit prædeſtinatio.

S. Thomas expreſſis verbis ſententiam noſtram adſtruit, Q. 6 *de Veritate*, art. 3, in corp. „ Non poteſt dici, inquit, quòd prædeſtinatio ſupra „ certitudinem providentiæ nihil aliud addit, niſi certitudinem præſcientiæ, ut ſi dicatur quòd Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut „ & quemlibet alium, ſed hoc de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet „ à ſalute: ſic enim dicendo, non diceretur prædeſtinatus differre à non „ prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ eventûs; & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis“ (aut ſaltem conditio prærequiſita ad prædeſtinandum), „ nec prædeſtinatio eſſet ſecundùm electionem prædeſtinantis; quod eſt contra auctoritatem Scripturæ & dicta ſanctorum. Unde, præter certitudinem præſcientiæ, ipſe „ ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem.“ Et *Quodlibeto* 12, art. 3: „ Prædeſtinatio habet certitudinem ex parte ſcientiæ „ Dei, quæ non poteſt falli, & ex parte voluntatis divinæ, cui non „ poteſt aliquid reſiſtere, & ex parte providentiæ, quæ certiſſimo modo „ ducit ad finem.“

Sequitur iſta propoſitio ex dictis alibi de efficientia auxiliorum divinæ gratiæ, ac viciſſim illa confirmat; ac præſertim funditus evertit ſyſtema defenſorum ſcientiæ mediæ. Nam, admiſſo illo ſyſtemate, neceſſariò dicendum eſt prædeſtinationem certam non eſſe niſi ex infallibilitate præſcientiæ, quâ Deus ſupponitur prævidiſſe, antequàm quidquam decerneret, quid quisque ageret, ſi in tali vel tali ordine poneretur. Id autem negant diſertiſſimè SS. Doctores mox relati, & contendunt prædeſtinationem ſeipſâ certam eſſe & immotam, abſtrahendo à præſcientia.

Notandum eſt præſcientiam, ex qua prædeſtinationis certitudinem partim repetunt SS. Patres, non eſſe immediatè præſcientiam futuri conſenſûs voluntatis creatæ, ſed præſcientiam futurorum operum Dei, in quibus reperitur & libera cooperatio voluntatis humanæ.

§. II.

An quisque fidelis debeat eſſe certus de ſua prædeſtinatione.

Docuit Lutherus unumquemque fidelem debere eſſe certum certitudine fidei ſe eſſe juſtificatum, eâque fide, quam ſpecialem appellat, peccatorem juſtificari.

Ultra progreſſus Calvinus contendit omnes fideles debere eſſe certos certitudine fidei, quæ omne dubium excludat, non tantùm ſe eſſe juſtos,

tos, ſed etiam ſe eſſe prædeſtinatos; ac nemini ſine illa fide juſtificationem contingere. Idem aſſerunt Martinus Bucerus in Colloquio Ratisbonenſi, in libro de Concordia, in Conciliatione articuli de Juſtificatione; Petrus Martyr in cap. 8 Epiſtolæ ad Romanos, Kemnitius in Examine concilii Trid. ſeſſ. 6. cap. 12. &c.

È contrario declarat concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 9, „ quemlibet, dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poſſe, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.“ Et cap. 12: „Nemo quoque, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeò præſumere debet, ut certò ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum.“ Et cap. 13: „ Similiter de perſeverantiæ munere nemo ſibi certi aliquid abſolutâ certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent.“ Deinde in Canonibus oppoſitam novatorum doctrinam anathemate percellit. Can. 13: „ Si quis dixerit omni homini, ad remiſſionem peccatorum aſſequendam, neceſſarium eſſe, ut credat certò, & abſque hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, anathema ſit.“

Canone 15: „ Si quis dixerit hominem renatum & juſtificatum teneri ex fide ad credendum ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.“

Et canone 16: „ Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum, abſolutâ & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit.“

Illis verbis, ſimul ac damnantur errores novatorum, ſupponitur fideles confidere debere ſe eſſe de numero prædeſtinatorum, & in auxilio gratiæ firmiſſimam ſpem reponere. Quamobrem duo hîc probabimus, & nemini ſine ſpeciali revelatione abſolutam de ſua prædeſtinatione adeſſe certitudinem, & nemini deeſſe debere humilem de ſua prædeſtinatione fiduciam.

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Nemo ſine ſpeciali revelatione poteſt aut debet eſſe certus, certitudine fidei & abſolutâ, ſe eſſe de numero prædeſtinatorum.

PROBATUR è Scripturis, quæ docent 1° omnia in futurum ſervari incerta. Eccleſiaſtes VIII. 7 & 8: *Multa*, inquit, *hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio.* Si de illis ageretur, quæ ad nos minimè pertinent, non magna eſſet afflictio: ſed inde affligimur, quòd ignoremus quid de nobis futurum, quid ab æterno decretum ſit. Et clariùs IX. 1 & 2: *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen neſcit homo utrùm amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta, eoquòd univerſa æquè eveniant juſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & ſacrificia contemnenti.*

Remiſſio peccatorum & vita æterna danda non promittitur niſi certis conditionibus, v. g. ſinceræ converſionis, caritatis non fictæ, obſervationis mandatorum. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, inquit Chriſtus, Matth. XIX. 17: & S. Paulus, 2 Timoth. II. 5: *Non coronatur niſi qui legitimè certaverit.*

Atqui Scripturæ docent 2° neminem certum eſſe de ſinceritate ſuarum affectionum. Job. IX. 21: *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.* David, pſalmo 18: *Delicta quis intelligit?* S. Paulus, 2 Cor. X. 8: *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Unde de ſeipſo ſic loquitur, 1 Cor. IV. 3: *Neque meipſum judico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Qui autem judicat me Dominus eſt.* Quæ verba exponens S. Bernardus in tract. de Moribus & Officio Epiſcoporum, cap. 6. n. 22: „ Quare, inquit, ſeipſum non judicat Apoſtolus? „ Quoniam non poſſum, ait, ratam vel ipſe de me proferre ſententiam. „ Ego enim nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. „ Non ex toto credo me vel ipſi conſcientiæ meæ, cùm ne ipſa quidem „ queat me comprehendere totum. Nec poteſt judicare de toto, qui „ totum non audit. Qui autem judicat me Dominus eſt: Dominus, „ inquam, cujus utique ſcientiam non effugit, ſententiam non ſubterfugit, etiam quidquid propriam latet conſcientiam."

Et ſanè quis non ſentit vel in ſeipſo quàm verum ſit quòd ait Propheta Jeremias, XVII. 9: *Pravum eſt cor hominum & inſcrutabile: quis cognoſ-*

cognoſcet illud? Quis certò definire audeat opera ſua, quæ videntur bona, aliquo interno vitio non corrumpi, cùm, teſte S. Paulo, 1 Cor. XIII, poſſit quis ſine caritate omnia ſua pauperibus diſtribuere, imò & corpus ſuum tradere comburendum?

Hinc illæ conditionatæ loquendi rationes, quæ non raró in Scripturis leguntur. Daniel IV. 24: *Peccata tua eleemoſynis redime,..... forſitan ignoſcet delictis tuis.* Joelis II. 13 & 14: *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum...... Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat?* Act. VIII. 22: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Hæc enim non eo ſenſu ſcripta ſunt, quaſi dubium eſſe poſſit an Deus ex toto corde ad ipſum redeuntibus parcat; ſed quia nunquam planè certum nobis eſt an eo quo decet affectu ad Deum convertamur.

Docent 3° Scripturæ juſtis ipſis perpetuò tremendum eſſe, ac videndum ne à juſtitia & ſalute excidant; quo certè nihil eſt certitudini ſuæ prædeſtinationis magis contrarium. Pſalm. 2: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* Philipp. II. 12: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini; Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Rom. XI. 20: *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time; ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* 1 Cor. X. 12: *Itaque, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Quem aliis timorem præcipiebat, eo non deſtituebatur idem Apoſtolus, ut patet ex his verbis, 1 Cor. IX. 27: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

Quid verò metuendum habet Calvinianus de ſua prædeſtinatione & æterna ſalute ſecurus? Nihil profectò, neque ex parte divinorum judiciorum, quibus præparatam eſſe ſibi ſalutem indubitanter credit; neque ex parte propriæ imbecillitatis, vel etiam ſuorum peccatorum, cùm firmâ fide certus ſit ſe, illis non obſtantibus, indeficienter in juſtitia perſeveraturum.

Probatur 2° ex SS. Patribus, quorum duos tantùm commemorabimus, Auguſtinum, quem pluris faciunt novatores, & Bernardum, quo ſublimiùs nemo de fiducia ſalutis locutus eſt.

S. Auguſtinus, lib. XI *de Civit. Dei*, cap. 12: „ Licet, inquit, (juſti) „ de ſuæ perſeverantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeverantia „ ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominum ſe in actione profectuque juſtitiæ perſeveraturum uſque in finem ſciat, niſi aliquâ revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re juſto latentique judicio non „ omnes inſtruit, ſed neminem fallit?" Et lib. *de Correptione & gratia*, cap. 13. n. 40: „ Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac „ mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat?

 „ Quia

„ Quia id occultari opus eſt in hoc loco, ubi ſic cavenda eſt elatio, ut „ etiam per ſatanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur „ Apoſtolus...... Nam propter hujus utilitatem ſecreti, ne fortè quis „ extollatur, ſed omnes etiam qui benè currunt timeant, dum occul- „ tum eſt qui perveniant; propter hujus ergo utilitatem ſecreti, creden- „ dum eſt quoſdam de filiis perditionis, non accepto dono perſeverandi „ uſque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur incipere vivere, „ & aliquàndiu fideliter & juſtè vivere, & poſteà cadere, neque de hac „ vita, priuſquàm hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemini con- „ tigiſſet, tamdiù haberent homines iſtum ſaluberrimum timorem, „ quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, quâ piè „ vivitur, pervenirent, deinceps jam ſecuri nunquam ſe ab illa eſſe ca- „ ſuros. Quæ præſumptio in iſto ſecuritatis loco non expedit, ubi „ tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas. Denique „ etiam hoc erit, ſed tunc, quando, quod jam eſt in Angelis, etiam in „ hominibus erit, quando ulla ſuperbia eſſe non poterit."

S. Bernardus, Serm. 1 in Septuageſ. num. 1: „ Quis poteſt dicere: „ ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero „ filiorum? Quis hoc, inquam, dicere poteſt, reclamante nimirum „ Scripturâ: *Neſcit homo ſi ſit dignus amore, an odio?* Certitudinem „ utique non habemus: ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitatio- „ nis hujus anxietate penitus cruciemur.". Et ſerm. 5 in feſto omnium Sanctorum, n. 2: „ Alii quidem jam ſecundùm conſummationem ſancti „ vocantur, alii juxta ſolam adhuc prædeſtinationem. Latet ergo hu- „ juſmodi ſanctitas penes Deum: clauſa eſt, & clauſè quodammodò ce- „ lebratur; ſiquidem neſcit homo *utrùm amore an odio dignus ſit;* ſed „ omnia in futurum reſervantur incerta. Sit ergo iſtorum celebritas „ ſanctorum in corde Dei; quoniam novit Dominus qui ſunt ejus, & „ ipſe ſcit quos elegerit à principio."

Idem docent S. Leo, ſerm. 1 de Jejunio Pent. cap. 2, S. Gregorius magnus, lib. 5 *Moralium*, cap. 6. n. 3 & 4 &c.

Probatur 3°, quia implicat certò cognoſci aliquid à libera & gratuita Dei voluntate dependens, niſi Deus ipſe ſecretum ſuum nobis revelaverit. Atqui prædeſtinatio omnino pendet à libera & gratuita voluntate Dei, ut fatentur novatores: aliunde Deus ſecretum hac de re ſuum non revelavit: neque in Scripturis, quibus omnem revelationem contineri iidem aſſerunt; quàmvis enim Scriptura doceat electos certò eſſe ſalvandos, nullibi tamen declarat quinam in particulari electi ſint: neque ſingulis fidelibus id revelat, ut experientiâ ipſâ compertum eſt. Ergo nullum ſuppetit fidelibus medium certum & infallibile, quo quis certus eſſe queat de ſua prædeſtinatione.

Implicat etiam quemquam eſſe certum de ſua juſtitia & remiſſione ſuorum peccatorum, & non eſſe certum de veritate ac ſinceritate ſuæ fidei,

fidei, ſuæ caritatis, & ſuæ converſionis ad Deum; cùm de fide ſit peccata non remitti niſi converſis ex toto corde. Atqui fatentur Lutherani & Calviniani fideles non eſſe certos de ſinceritate ſuæ pœnitentiæ, fidei & caritatis. Ergo implicat fideles ſimul eſſe certos de ſua juſtitia & futura ſalute.

Præterea Calviniani damnant nobiſcum præſumptionem & falſam ſecuritatem, quâ quis juſtum ſe exiſtimat, cùm non ſit. Atqui nullâ notâ diſcernere poſſunt fidem ſuam certam & ſpecialem à præſumptione & falſa ſecuritate, quam damnant in Anabaptiſtis v. g. vel in malis Calvinianis. Nam unde diſcernent? Ex fide ipſa? Sed utrique teſtantur ſe habere fidem illam ſpecialem, quâ intimè certi ſint de ſua juſtitia & prædeſtinatione. Ex moribus & diſpoſitionibus internis? Sed docent juſtificationem ab illis non pendere, ſed tantùm à firma fide quâ creditur peccata eſſe dimiſſa.

Denique ſi omnes fideles tenentur credere ſe eſſe juſtificatos & prædeſtinatos; ergo etiam, quando graviter peccant, illud credere debent. Atqui id perabſurdum eſt. *Quæ enim paticipatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* 2 Cor. VI. 14 & 15.

Cæterùm non ſine ſalubri ſapientiæ Dei conſilio latet nos hujus prædeſtinationis arcanum, ut & electi non ſuperbiant, & reprobi non deſperent. Narrat pius auctor Imitationis Chriſti, lib. 1. cap. 25. n. 2, cùm quidam anxius inter metum & ſpem fluctuaret, & quâdam die mœrore confectus in Eccleſia ante quoddam altare ſe in oratione proſtraviſſet, hæc intra ſe reſolviſſe: O ſi ſcirem quòd adhuc perſeveraturus eſſem! ſtatimque audiviſſe divinum intus reſponſum: Quòd ſi hoc ſcires, quid facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, & benè ſecurus eris. Patienter igitur ignoremus quod latere nos voluit Deus optimus; & quandiu per fidem ambulamus in caliginoſo loco, ſic curramus in ſolius auxilio gratiæ confiſi, ut comprehendamus.

Objicit Calvinus nonnulla Scripturæ teſtimonia. Rom. VIII. 16: *Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii, & hæredes.* Et v. 38: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei.* 1 Cor. II. 12: *Non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* 2 Cor. XIII. 5: *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide; ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos quia Jeſus Chriſtus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis?* 1 Joannis III. 14: *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Cap. IV. 13: *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, de ſpiritu quem dedit nobis.* Cap. V. 13: *Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.*

Et-

Et rurſus, v. 19: *Scimus quoniam ex Deo ſumus; & mundus totus in maligno poſitus eſt.*

Reſpondeo illis in locis non ſignificari certitudinem immotam & indubitatam, ſed humilem fiduciam, vel certitudinem moralem & conjecturalem, quibusdam indiciis & ſignis prædeſtinationis ſuffultam.

Teſtimonium, quod Spiritus ſanctus reddit ſpiritui noſtro, vel, ut græca habent, cum ſpiritu noſtro, quòd ſumus filii Dei, non eſt teſtimonium expreſſum, directum, clarum, quod immotam pariat certitudinem, ſed indirectum & obſcurum, ac conſiſtens in quibusdam indiciis, quæ tantùm probabilem faciunt homini conjecturam. Hujusmodi teſtimonium eſt pax & tranquillitas bonæ conſcientiæ, fiducia in Deum, propenſa voluntas in bonum, amor verbi Dei, ſanctum orationis deſiderium, & alia id genus, quæ gignere ſolet in juſtis præſentia Spiritûs ſancti, quæ tamen non pariunt abſolutam certitudinem, eoquòd certò diſcerni non poſſint à falſis conjecturis, quæ in fallaciter juſtis nimis ſæpè reperiuntur.

Alter textus, Rom. VIII. 38, duplicem ſenſum habere poteſt. Vel enim hæc verba, *certus ſum*, exprimunt certitudinem abſolutam; & tunc loquitur Apoſtolus in perſona ſolorum electorum, quaſi dicat: certâ & indubitatâ fide teneo prædeſtinatos, quorum è numero eſſe me confido, non poſſe quâvis creaturâ ſeparari à caritate Dei; & hæc eſt interpretatio S. Auguſtini & plerorumque Patrum Latinorum: vel exprimunt tantùm firmam fiduciam, ſicut in aliis benè multis locis, ubi eodem verbo, πέπεισμαι, perſuaſum habeo, utitur Apoſtolus: v. g. Philip. I: *Confidens quia qui cœpit* &c.; Rom. XV. 14: *Certus ſum ego ipſe de vobis, quia pleni eſtis dilectione;* 2 Tim. I: *Certus ſum quòd & in te* habitet fides non ficta; Heb. 6: *Confidemus de vobis meliora.* Neuter ſenſus favet ſectariis, ut patet.

Imperitè allegatur locus 1 Cor. II, ubi Apoſtolus non loquitur de donis perſonalibus, ſed de myſteriis in gratiam electorum conſummatis, ut manifeſtum eſt ex verbis ſequentibus: *Quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritûs, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.*

Quod objicitur ex cap. 13 Epiſtolæ 2 ad Corinth. novatores potiùs refellit quàm juvat. Si enim Corinthios admonet Apoſtolus ut probent ſemetipſos, an ſint in fide, per quam Chriſtus in eis habitet, utique ea de re certi non erant. Nam quod certum eſt probatione non eget. Porro illa probatio non producit abſolutam certitudinem, ſed probabilem ac proportionatam indiciis, ex quibus quisque æſtimat habitare in ſe Chriſtum.

In tribus primis B. Joannis teſtimoniis vel agitur de morali certitudine quam habent fideles, quando experiuntur in ſeipſis dilectionem fra-

fraternam, fidem non fictam, & alia indicia inhabitantis Spiritûs ſancti; vel de certitudine abſoluta, quâ credimus veros fideles, è quibus nos eſſe confidimus, per fraternam dilectionem transferri à morte in vitam, manere in Deo & Deum in ſemetipſis manentem habere, & conſortes eſſe vitæ æternæ, nunc in ſpe, poſteà in re. Eadem eſt expoſitio quarti loci: *Scimus quoniam ex Deo ſumus.* Certi enim ſumus veros Chriſtianos ex Deo eſſe; ſed non ita certi ſumus nos eſſe veros ac bonos Chriſtianos.

SECUNDA PROPOSITIO.

Unusquisque fidelis humiliter confidere poteſt ac debet ſe de numero eſſe prædeſtinatorum. Firma tamen opinio de futura ſua & æterna ſalute ſupponit, ordinariè loquendo, profectum quemdam virtutum & bonorum operum, quæ ſunt probabilia ſigna prædeſtinationis.

PROBATUR 1ª pars ex neceſſitate ſpei chriſtianæ; quæ omnibus hominibus non minùs præcipitur quàm fides & caritas. Nam ſperare in Deum, quid eſt, niſi ſalutem æternam, ad quam ſoli prædeſtinati perveniunt, & omnia media quæ ad ſalutem æternam perducunt, ex infinita bonitate ac miſericordia Dei firma cum fiducia expectare? „ Spes, ait S. Thomas, 2. 2. q. 18. art. 4, „ eſt certa expectatio futuræ beati„ tudinis." Non poteſt autem quis ſalutem ſolis prædeſtinatis præparatam firma cum fiducia expectare, quin hoc ipſo explicitè, vel implicitè confidat ſe ab æterno prædeſtinatum. Spem illam commendant omnes ferè librorum ſacrorum paginæ: v. g. ut alia loca omittam, Eccleſiaſtici II. 6 & ſeq. *Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum...... Metuentes Dominum, ſuſtinete miſericordiam ejus, & ne deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra. Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia...... Reſpicite, filii, nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt...... Quis invocavit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata, & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate...... Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non protegentur ab eo!* Ibi, & innumeris aliis in locis, ſacer textus omnes homines, etiam peccatores, invitat ad ſperandum & confidendum in Deo, eamque ſpem tanquam certiſſimum conſequendæ ſalutis medium proponit.

Idem auctor, poſtquàm profundiſſimum prædeſtinationis & reprobationis arcanum contemplatus eſt, ac docuit, ſicut lutum in manu figuli, ita omnes homines eſſe in manu Dei, ſecundùm diſpoſitionem voluntatis ſuæ alios benedicentis & ſanctificantis, alios deſerentis & maledicentis, ſtatim, quaſi exponens quis illius doctrinæ uſus eſſe debeat, ſubdit ſe ſperaviſſe fore ut particeps eſſet benedictionis electorum, hincque bonis omnibus cumulatum fuiſſe. *In benedictione Dei*, ait, *& ipſe ſperavi, &, quaſi qui vindemiat, replevi torcular.*

Quare S. Paulus omnes fideles tanquam electos ſuis in Epiſtolis alloqui ſolet? Quare de prædeſtinatis, non in tertia perſona, ſed in prima plurali loquitur; ut Rom. VIII: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?..... Quis accuſabit adverſùs electos Dei? Quis nos ſparabit à caritate Chriſti?* & Epheſ. I: *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, elegit nos ante mundi conſtitutionem, prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum* &c, niſi ut unuſquiſque fidelis illa verba, dum legit, ſibi ipſi applicare admoneatur, atque, humiliter confidendo ſe prædeſtinatum, dicere non dubitet: *Elegit nos Deus in Chriſto, prædeſtinavit nos ut eſſemus ſancti* &c?

S. Bernardus, Serm. 10 in pſalmum *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi*, docet hoc eſſe proprium ſpei chriſtianæ, ut, quæcunque bona electis præparata eſſe firmiter credit, ea ſibi per gratuitam miſericordiam donanda confidat. „ Nempe, inquit num. 1, germana fidei ſpeique cognatio eſt, ut, quod illa futurum credit, hæc ſibi incipiat ſperare futurum. Meritò proinde Apoſtolus fidem *ſperandarum rerum ſubſtantiam* eſſe definit...... Dicit ergo fides: parata ſunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus ſuis. Dicit ſpes: mihi illa ſervantur. Nam tertia quidem caritas: curro mihi, ait, ad illa." Quidquid ergo de gratuita dilectione Dei erga electos indubitatâ fide credimus, hoc nobis applicare, non quidem firmiter credendo, ſed ſperando debemus. „ Docent Catholici, inquiunt Wallenburgenſes, de Juſtificatione, cap. 85. n. 3 (tom. 2. pag. 503. col. 2), „ ex certa & invincibili fiducia quemque fidelem ſibi poſſe ac debere perſuadere ſe ad prædeſtinatorum felicem numerum pertinere." Et paulò ſuperiùs: „ Nec Catholici unquam negarunt fideles idipſum ſtatuere poſſe ac debere certitudine ſpei & fiduciæ: aliud quippe eſt ſtatuere, aliud certò credere."

Si autem quæras quodnam ſit motivum illius ſpei, & quo jure nobis ipſis ſperare debeamus vel poſſimus quod in occultis Dei conſiliis latet: reſpondeo eſſe quidem inſanum ac temerarium indubitatâ fide credere illud bonum nobis obventurum, quod an reipſâ nobis obventurum ſit, nullâ certâ ratione cognoſcitur, ut faciunt Calviniani; ſed illud idem ex Deo ſperare & futurum confidere, ut Catholici faciunt, non modò non eſſe temerarium, ſed contra valde pium ac rationabile. Nam ad ſperan-

randum aliquod bonum, neceſſe non eſt ut futurum certò cognoſcatur; immo ſpes locum non habet ubi ſecuritas eſt adipiſcendi, ſed ſufficit quòd ſperando ac petendo obtineri poſſit.

Porro firmiſſima motiva ſperandi ſunt omnipotentia & miſericordia divina, & quæcunque divinam erga homines miſericordiam commendant, quales ſunt gratuitæ promiſſiones Dei omnibus hominibus propoſitæ, quàmvis non in omnibus impleantur; incarnatio Filii Dei, & mors quam pro peccatoribus & impiis pertulit (*Commendat enim caritatem ſuam Deus in nobis*, ait S. Paulus, Rom. V. 8, *quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò igitur nunc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum*); gratiæ jam nobis per Chriſtum datæ; frequentes invitationes, quæ in Scripturis leguntur, ad confidendum in bonitate divina; demum promiſſiones omnibus ſperantibus in Deum divinitùs factæ.

1°. Quidem omnipotentia & miſericordia divina ſunt primarium & eſſentiale motivum ſpei chriſtianæ. „ Spes enim, ut ait S. Thomas, 1. 2, q. 18. art. 4. ad 2, „ non innititur principaliter gratiæ jam habitæ, ſed divinæ omnipotentiæ & miſericordiæ, per quam etiam qui „ gratiam non habet eam conſequi poteſt, ut ſic ad vitam æternam „ perveniat.“ Idem docent Wallenburgenſes in tractatu de Juſtificatione, cap. 82. „ Fundamentalem, aiunt, & undique ſolidam fiduciam „ homini Chriſtiano collocandam eſſe in bonitate Dei noſtram ſalutem „ volentis, in miſericordia Dei dona gratiæ propter Chriſtum conferentis, in liberalitate Dei vitam æternam promittentis, apud omnes in „ confeſſo eſt.“ Enimverò ſi bonitas cum potentia in homine conjuncta miſerorum fiduciam excitat, ſpemque facit fore ut in ipſo confidentes non ſpernat nec confundat; quantam in hominum cordibus fiduciam conſequendi ſalutem excitare poteſt ac debet illa potentia, cui nihil eſt difficile, illa miſericordia, quæ omnem ad ſe confugientium indignitatem infinitè ſuperat?

Cur enim non ſperet peccator ad ſalutèm ſe perventurum? An quia ex propria imbecillitate imparem ſe ſentit tentationibus ac difficultatibus, quæ in via ſalutis occurrunt, ſuperandis? At, qui ex ſeipſo nihil poteſt, Deo ipſum confortante, omnia poteſt. An quia, multis gravibusque peccatis ſordidus, indignum ſe putat cujus Deus miſereatur? Sed infinita eſt miſericordia Dei, & quantâcunque hominis malitiâ infinitè major. Eſt ergo in nobis infirmis & peccatoribus unde ſemper timeamus: ſed eſt in Deo omnipotentiſſimo ac miſericordiſſimo unde ſemper ſperemus ac fidamus; immo unde magis ſperemus quàm metuamus, quia major eſt potentia divina quàm humana infirmitas, major Dei benignitas quàm hominis perverſitas. Proinde „ tota ſpes mea non niſi „ in magna valde miſericordia tua, ait S. Auguſtinus, lib. 10 Confeſſ. n. 40.

n. 40. Et rurſus, cap 32. n. 48: „ Nemo ſecurus eſſe debet in hac „ vita, quæ tota tentatio nominatur...... Una ſpes, una fiducia, una „ firma promiſſio, miſericordia tua."

2°. Ad ſperandum gratiam efficacem ac ſalutem æternam potenter allicimur abſolutis Dei promiſſionibus, quibus gratiam & gloriam ſe daturum in Scripturis pollicetur. Quemadmodum enim divinis revelationibus fide indubitatâ credendum, ita promiſſionibus firmiſſimè fidendum eſt. Neque obſtat quòd illæ abſolutæ promiſſiones ſpectent tantùm electos, in quibus ſolis complentur. Nam nihilominùs ad omnes homines diriguntur, omnibus proponuntur, & in omnibus, ſi illis ut oportet confiderent, implerentur: quod profectò ſufficit ut de illis diffidere nemini liceat.

Tertium ſpei chriſtianæ motivum, quo divina erga nos bonitas maximè clareſcit, eſt paſſio, reſurrectio & aſcenſio Chriſti. *Qui enim proprio filio ſuo non pepercit, quomodò non cum illo omnia nobis donavit*, inquit Apoſtolus, Rom. VIII? David in Pſalmo 129. v. 7, ex miſericordiæ divinæ ſimul & redemptionis conſideratione ſpem naſci teſtatur, cùm ait: *Speret Iſrael in Domino; quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*: usque adeò copioſa, ut nulla crimina ſint, quantumvis atrocia, quibus eluendis non ſufficiat ac ſuperabundet. Unde S. Bernardus, Serm. 1 in Annuntiatione B. Mariæ, n. 5: „ De remiſ„ ſione quidem peccatorum (obtinenda), inquit, validiſſimum teneo „ argumentum Dominicam paſſionem...... *Traditus eſt propter delicta* „ *noſtra.* Nec dubium quin potentior & efficacior ſit mors illius in „ bonum, quàm peccata noſtra in malum. De bonis autem operibus „ argumentum nihilominùs efficax mihi eſt reſurrectio ejus, quia *reſurre*„ *xit propter juſtificationem noſtram.* Porro de ſpe præmiorum teſtimo„ nium ejus eſt aſcenſio, quia aſcendit propter glorificationem noſtram."

4°. Novum præbent benè de Deo ſperandi argumentum gratiæ jam acceptæ. Quomodò enim de futuro illius auxilio non confideres, cujus ſpecialem erga te prævenientem miſericordiam experiris! Quale incentivum ſperandi quòd, qui incœpit & tam gratuitò incœpit, & perficiet usque in diem Chriſti Jeſu! Prima gratia, quâ tangitur cor peccatoris & ad ſeipſum revocatur, quâ de peccatis compungi, & in amorem Dei ac novæ vitæ propoſitum reſpirare incipit, ſicut divinæ erga illum peccatorem dilectionis teſtimonium eſt, ita fiduciam accendere nata eſt, novis ſubinde gratiæ beneficiis fovendam atque reborandam. „ Jam ſe „ vermis viliſſimus & odio digniſſimus ſempiternè tamen confidit ama„ ri, quoniam ſe ſentit amare, ait S. Bernardus, Epiſt. 107 ad Thomam, num. 7. „ Immo, quia ſe amari præſentit, non redamare „ confunditur...... Amat proinde non immeritò, quia amatus eſt ſine „ merito: amat ſine fine, quia ſine principio ſe cognoſcit amatum.

„ Pro-

„ Prodit in lucem, ad miſeri conſolationem, magnum conſilium, quod „ ab æterno latuerat in ſinu æternitatis, quòd nolit videlicet Deus „ mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat."

5°. Pone nullam adhuc gratiam præluxiſſe, quàm clarum divinæ miſericordiæ teſtimonium, quàm efficax confidendi motivum præbent vehementes illæ ac paternæ invitationes, quibus non tantùm ſinimur, verum etiam jubemur in Deo ſperare, & omnia, quibus indigemus, ex infinita ipſius bonitate firma cum fiducia expectare! Pſalm. 61: *Sperate in eo, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra; Deus adjutor noſter in æternum.* Num ſperantes deſeret, qui tam ſuaviter invitat ad ſperandum?

6°. Denique non ſolùm Deus omnes invitat in Scripturis ad ſperandum, ſed etiam, quod omnium potiſſimum eſt, ſingulis ferè ſacrorum librorum paginis teſtatur nuſquam confundi poſſe qui in ipſo ſperaverit, tantòque majora gratiæ & gloriæ munera in nos collatum iri, quantò fuerit ſpes robuſtior ac fiducia firmior. Pſalm. 5. v. 12: *Lætentur omnes qui ſperant in te.* Pſ. 9. v. 11: *Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.* Pſalm. 24: *Deus meus, in te confido, non erubeſcam,..... etenim univerſi qui ſuſtinent te non confundentur.* Pſalm. 2. v. 13: *Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.* Pſ. 16. v. 2: *Salvos facis ſperantes in te.* Pſalm. 90. v. 14: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Pſ. 32. v. 22: *Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodùm ſperavimus in te.* Pſ. 17: *Protector eſt omnium ſperantium in ſe.* Iſaiæ. XL. 30: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Hebr. IV. 16: *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Paginæ me citiùs, quàm teſtimonia, deficerent, quibus Spiritus ſanctus declarat, quicunque confidunt in Domino, ſalvos fore. Ad id pertinent ea quoque loca, quibus aſſeritur omnem *qui petit accipere, omnem, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvum fore*, ut dicitur Rom. X: & Marci XI. 24: *Quæcunque orantes petitis*, ait Chriſtus, *credite*, hoc eſt, confidite, *quia accipietis*, vel firmâ fide credite quia rectè oranti nihil denegatur, quæ fides, ſi viva ſit, firmam accipiendi fiduciam gignit, *& evenient vobis.*

Certè ſi tam facilè confiditur in hominibus, ob relucens in illis quantulæcunque bonitatis veſtigium, etſi forſan nihil promiſerint, etſi nulla adhuc dederint ſuæ dilectionis pignora, etſi planè incertus ſit fiduciæ in illis repoſitæ exitus; quàm firma eſſe debet in Deum fiducia, quæ tam ſolida habet fundamenta, quam infinita potentia & miſericordia Dei exigunt, quæ veraciſſimis promiſſionibus innititur, quæ jam habet ex-

 cel-

cellentiſſima caritatis divinæ pignora, Chriſtum dico & beneficia per Chriſtum data, ad quam Deus ipſe paternâ dilectione invitat, quæ denique certiſſima eſt, ſi ipſa non deſit, auxilium Dei efficax non defuturum!

Nec reponas multos ſalutem æternam à Deo ſperaſſe, qui eam non ſunt conſecuti, & ad finem usque non perſeveraverunt. Hoc enim non defectu divinæ miſericordiæ, quæ nulli deeſt in ſe ſperanti, ſed ſpei non perſeverantis defectu ſemper accidit, ut docet S. Thomas, 2. 2. q. 18. art. 4. „ Quòd aliqui habentes ſpem, inquit, deficiant à con-„ ſecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis „ obſtaculum peccati, ac præſertim à ſpe ac fiducia chriſtiana ceſſantis; „ non autem ex defectu divinæ potentiæ vel miſericordiæ, cui ſpes in-„ nititur. Unde hoc non præjudicat certitudini ſpei."

Hæc ſpei motiva S. Bernardus ſolita cum pietate recenſet Serm. 9 in pſalmum *Qui habitat*. Exponens nempe iſta verba: *Quoniam tu es, Domine, ſpes mea*, ſic loquitur: „ Hoc ſapere, ex fide vivere eſt; nec „ alius ex ſententia dicere poteſt: *Quoniam tu es, Domine, ſpes mea*, „ niſi cui intus perſuaſum ſit à ſpiritu, ut (quemadmodùm monet Pro-„ pheta) *jactet cogitatum ſuum in Domino*, ſciens quòd enutriendus ſit „ ab eo, juxta illud quoque Petri Apoſtoli: *Omnem ſollicitudinem ve-„ ſtram projicientes in eum; ipſi enim cura eſt de vobis.* Utquid enim, „ ſi hæc ſapimus, utquid cunctamur abjicere omnes ſpes miſeras, va-„ nas, inutiles, ſeductorias; & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, „ tam beatæ ſpei, totâ devotione animi, toto fervore ſpiritûs in-„ hærere? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære „ aliud in quo ſperes. Sed verbo omnia poteſt. Quid facilius dic-„ tu? Attamen hujusmodi dictum intelligas volo. Si decreverit ſal-„ vare nos, continuò liberabimur: ſi vivificare voluerit, vita in vo-„ luntate ejus eſt: ſi præmia æterna largiri, licet ei quod vult facere. „ An verò de facilitate jam non dubitas, ſed ipſa tibi eſt ſuſpecta vo-„ luntas? Planè & voluntatis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis. „ *Majorem hanc dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat „ quis pro amicis ſuis.* Denique quando in ſe ſperanti deſit illa Majeſ-„ tas, quæ tam ſtudioſè monet in ſe ſperari? Planè non derelinquit „ ſperantes in ſe. *Adjuvabit eos*, ait, *& liberabit eos, & eruet eos à „ peccatoribus, & ſalvabit eos.* Quare? Quibus meritis? Audi quod „ ſequitur: *Quia ſperaverunt in eo.* Dulcis cauſa, attamen efficax, at-„ tamen irrefragabilis. Nimirum hæc eſt juſtitia quæ ex fide eſt, non „ ex lege. *De quacunque tribulatione*, inquit, *clamaverint ad me, exau-„ diam eos.* Ecce numera tribulationes: ſecundùm multitudinem earum „ conſolationes ejus lætificabunt animam tuam; dummodò ad alium „ non converiaris, dummodò clames ad eum, dummodò ſperes in eum, „ nec humile aliquid vel terrenum, ſed Altiſſimum ponas refugium „ tuum.

„ tuum. Quis ſperavit in eo, & confuſus eſt? Facilius eſt cœlum & „ terram tranſire, quàm verbum ejus evacuari.“

Ex his duo ſequuntur maximi momenti. Primum, immeritò exiſtimare nonnullos, qui gratiæ myſterium non ſatis attentè meditantur, doctrinâ gratuitæ prædeſtinationis & gratiæ ſeipſâ efficacis homines agi in torporem & in deſperationem ſalutis: cùm è contrario doctrina illa, ſi benè comprehendatur, deſperationem ac puſillanimitatem pellere, ſolidamque ſpem accendere ſola poſſit.

Alterum, reprobos nonniſi ſibimetipſis perniciem ſuam imputare poſſe. Si enim, ut Scriptura præcipit, invitantque tot momenta graviſſima, ſpem ſuam in Deo omnipotentiſſimo & miſericordiſſimo ponere vellent, utique non perirent. Nec dicant illam ſpem eſſe magnum gratiæ per ſe efficacis donum; proinde non culpandos ſe eſſe, ſed miſerandos, ſi non habuerint. Fateor equidem nonniſi ſpecialis gratiæ dono ſperare quicunque ſperant, ſed nihilominùs clarum eſt ſolâ ſuâ culpâ cordiſque duritiâ non ſperare, quiſquis tot tamque potentibus ad ſperandum motivis inſtructus non ſperat nec confidit in Deo. Qui enim in creaturis infirmis, caducis, mendacibus confidis, quantò magis confideres in Deo vivo & vero, ſi velles? Ergo non potentia, ſed ſola tibi deeſt, utique tuâ culpâ, ſperandi in Deo voluntas.

Quantùm ad ſpem ac fiduciam verè chriſtianam ſeipſum excitare quiſque debet, tantùm cavendum eſt præſumptionis vitium, quod fiduciæ per exceſſum opponitur, ſicut diffidentia per defectum. His verò notis dignoſces, quantùm hac in vita poteſt dignoſci, utrùm ſincerè ſperes in miſericordia Dei, an de illa periculosè præſumas: 1°. Ille præſumit, qui ſperat ſibi, quàmvis in peccato perſeveranti, non defuturam Dei miſericordiam. Nedum enim hoc Deus promiſerit, imò contrarium in Scripturis paſſim minatur. 2°. Præſumptio quoque eſt, quando quis, negligendo bona opera, de ſpe ſibi blanditur. Spes etenim, quemadmodum caritas, otioſa eſſe non poteſt, nec vacare in anima ſperantis. Magna eſt, ſi magna operatur; parva, ſi parum conatur; nulla, ſi nullum producit effectum. *Omnis enim*, ait B. Joannes, 1 Epiſt. cap. III. 3, *qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe ſicut & ille ſanctus eſt.* Et David, pſalm. 36: *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Et certè ſi ſpes humanæ non ſegnes ſunt, ſed actuoſæ, eòque magis quo ad majus bonum anhelant, quid ſpe chriſtianâ actuoſius eſſe poteſt, quæ ad ſummum bonum ſe cum auxilio divino perventuram confidit? Imprimis hominem convincit de ſua infirmitate ad bonum, eoque humilem facit: Deum, cujus auxilio innitur, aſſiduis orationibus interpellat, bona viſibilia contemnit, nec ſperat in incerto divitiarum, vitam æternam concupiſcit, & ad illam toto cordis affectu ſuſpirat &c.

Atque hinc ducimur ad iſtam alteram partem Propoſitionis, quâ dixi firmam & legitimam opinionem de futura ſua ſalute & æterna electione aliter

aliter haberi, ordinariè loquendo, non poſſe, niſi ex profectu virtutum & bonorum operum, quæ ſunt probabilia ſigna prædeſtinationis.

Quod antequàm probetur, obſervandum eſt diſcrimen eſſe non parvum inter fiduciam in Deum, omnipotentiæ ac miſericordiæ divinæ innixam, quâ homo quilibet gratiam & gloriam ſperare debet, & confidere de numero ſe eſſe prædeſtinatorum; & opinionem quamdam ſignis & conjecturis ſuffultam, quâ quis, vitæ ſuæ converſationem attendendo, probabiliter judicat ſe eſſe prædeſtinatum, & vitâ æternæ remunerandum. Illa affectio pertinet ad voluntatem, hæc ad intellectum propriè ſpectat: illa non ſupponit bona opera præcedentia quibus nitatur, hæc ſupponit: illa omnibus præcipitur, etiam perditiſſimis ac ſceleratiſſimis, hæc nulli præcipitur; quàmvis enim nobis præcipiatur ut ſancti ſimus, non tamen præcipitur ut opinemur nos ſanctos eſſe, & quæ nobis inſunt ſigna prædeſtinationis advertamus. Denique illa nimia eſſe non potet, quoniam divinæ omnipotentiæ ac miſericordiæ, quæ infinitæ ſunt, unicè innititur; hæc autem nimia eſſe poteſt, ſi nimirum majorem quis concipiat de futura ſua ſalute opinionem, quàm permittant illa indicia in quibus ejus opinio fundatur.

Hujuſmodi opinio appellatur à S. Thoma, 2. 2. q. 129. art. 6. in corp. fiducia; non illa quâ fidimus Deo, ſed quâ, conſiderando bona opera noſtra, de futura ſalute ac mercede confidimus. „Fiducia, inquit, importat quoddam robur ſpei proveniens ex aliqua conſideratione, quæ „ facit vehementem opinionem de bono aſſequendo.“ Et ad 3: „Fiducia importat quemdam modum ſpei: eſt enim fiducia ſpes roborata „ ex aliqua firma opinione, v. g. cùm aliquis videns ſe ſanum confidit „ ſe diu victurum.“

Utramque fiduciam clarè diſtinguunt Wallenburgenſes, in tract. de Juſtificat. cap. 82, his verbis: „Prima fiducia obtinendæ vitæ æternæ, „ per modum hæreditatis filiis aſſignandæ, reſpicit bonitatem & miſericordiam Dei meliorem & manentem ſubſtantiam liberaliter donantis. „ Altera fiducia obtinendæ vitæ æternæ, quæ eſt confirmatio prioris „ confidentiæ per modum mercedis benè operantibus promiſſæ, reſpicit liberalitatem Dei promittentis, & bona opera cujusque fidelis.“

Probatur itaque ſpem chriſtianam, quatenus in aliquibus hominibus adjunctam habet firmam opinionem de futura ſua ſalute & æterna electione, oriri ex teſtimonio bonæ conſcientiæ & bonorum operum, quæ ſpectantur ut quædam indicia prædeſtinationis. Hoc docet S. Petrus, 2 Epiſt. I. 10, cùm ait: *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Ergo ſine bonis operibus non habetur illa certitudo ſeu firma opinio, quam *robur ſpei* appellat S. Thomas. Hâc opinione bonis operibus comparatâ dicebat S. Paulus, 2 ad Tim. IV. 7: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus*

nus in illa die juſtus judex. Et cap. I. 12: *Hæc patior, ſed non confundor: ſcio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Eamdem confidentiam commendat, tanquam bonæ conſcientiæ fructum, B. Joannes, 1 Epiſtolæ III. 21. *Si cor noſtrum*, ait, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quia mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.* S. Paulus, cùm Hebræos laudaſſet quòd & vinctis compaſſi eſſent, & rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcepiſſent, ſic illos hortatur, Hebr. X. 35: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Et 1 Tim. III. 13, de Diaconis loquens: *Qui*, ait, *benè miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Tobias, IV. 12, dicit *fiduciam magnam eſſe coram ſummo Deo eleemoſynam omnibus facientibus eam.* Eſt ergo aliqua ſpes ſeu fiducia quam bona opera pariunt, illa nimirum quâ quis confidit ſe gratum eſſe Deo & in via ſalutis ambulare, quoniam ſigna quædam & indicia prædeſtinationis in ſeipſo ſe animadvertere exiſtimat. De hac ſpe capeſſendæ ſalutis loquitur S. Auguſtinus, ſerm. 158. n. 6, cùm dicit: „ Et quæ ſpes eſt, niſi „ de aliqua conſcientiæ bonitate ?“

S. Bernardus, ſerm. 1 in Septuageſima, n. 1, cùm dixiſſet ſpei fiduciam conſolari nos in noſtræ prædeſtinationis incerto, addit illam fiduciam naſci ex bonis operibus ac virtutibus. „ Propter hoc, inquit, „ data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſalutis, ut indubitabile „ ſit eum eſſe de numero electorum, in quo ea ſigna permanſerint. „ Propter hoc, inquam, quos præſcivit Deus, & prædeſtinavit con„ formes fieri imaginis Filii ſui, ut, quibus certitudinem negat cauſa „ ſollicitudinis, vel fiduciam præſtet gratia conſolationis. Hoc eſt „ enim unde ſemper ſolliciti, & in timore & tremore, humiliemur ne„ ceſſe eſt ſub potenti manu Dei; quoniam quales ſumus noſſe poſſu„ mus vel ex parte; quales autem futuri ſumus, id noſſe penitus im„ poſſibile eſt. Itaque, qui ſtat, videat ne cadat, & in ea forma, quæ „ ſalutis indicium eſt & argumentum prædeſtinationis, perſeveret at„ que proficiat.“ Et in tract. de Grat. & lib. arb. cap. 14, n. 51: „ Si „ propriè appellentur ea quæ dicimus merita noſtra, ſpei quædam ſunt „ ſeminaria, caritatis incentiva, occultæ prædeſtinationis indicia, fu„ turæ felicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi.“ Igitur, ex S. Bernardo, quàmvis omnibus firmiter ſperandum ſit in Deo, & de ſempiterna ejus erga nos dilectione confidendum, non tamen omnibus adeſſe poteſt iſta probabilis opinio ac fiduciæ quæ ſpem roborat, ſed iis tantùm qui, rectè vivendo, quædam in ſe prædeſtinationis ſigna humiliter animadvertunt.

Eſtius quoque idem confirmat in 2. diſt. 26. §. 6. „ Eſt, inquit, & „ certitudo fiduciæ, dum videlicet...... ſibi quis applicat per fiduciam, „ quod

„ quod in univerſali tenebat per fidem, propterea quod in ſe probabi-
„ liter conſpiciat ea media quibus promiſſa eſt vita æterna. Credit enim
„ omnem eum, qui in juſtitia & bonis operibus perſeverat, habiturum
„ vitam æternam. Atqui in ſe probabiliter agnoſcit juſtitiæ & bono-
„ rum operum perſeverantiam, dicente Apoſtolo: *qui cœpit, perficiet.*
„ Sequitur ergo ut benè confidat ſe habiturum vitam æternam.....
„ Hæc porro fiduciæ certitudo, quam parit bona conſcientia, tantùm
„ augetur & confirmatur in nobis, quantùm quis in juſtitia & bona
„ converſatione ſe proficere probabiliter novit."

Et certè, ut ratiocinantur Wallenburgenſes in tract. de Juſtificat. cap. 82, „ poſitâ promiſſione divinâ, quæ eſt certa & indubitata, ſi „ nos exerceamus in bonis operibus, obtinetur fiducia obtinendæ rei „ promiſſæ, quæ eſt vita æterna. Sic docet Apoſtolus (Rom. V. 4 „ & 5): *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem,* „ *probatio verò ſpem*" (*ſpes autem non confundit*): „ ubi ſpei & fiduciæ „ origo deſumitur ex bonis operibus. Nam ſicut conſideratio bonitatis „ & miſericordiæ Dei ſpem excitat in animis fidelium, ita exercitium „ bonorum operum eamdem ſpem confirmat, atque eam dicitur opera- „ ri:" ferè quemadmodum donum intelligentiæ, quàmvis ad fidem neceſſariò non requiſitum, ſi tamen accedit fidei, ſecundat eam roborando & adjuvando, & credendi difficultates ac tentationem minuendo.

Ne tamen inde concludas ſpem chriſtianam bonis operibus tanquam fundamento inniti. Nimis caducum foret illud fundamentum, cùm ſæpè, quæ putamus bona, ante ſuperni judicis oculos immunda ſint, & aliunde in multis offendamus omnes. Unde Propheta regius, in Pſalmo 142. v. 2: *Non intres*, inquit, *in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens:* & Eccleſia in ſuis orationibus: *Deus, qui conſpicis quia ex nulla noſtra actione confidimus* &c.

Quomodò ergo, inquies, bonis operibus ſpes nutritur ac roboratur?

Reſpondeo tripliciter id fieri: 1°. Quia ex profectu bonorum operum, & ex teſtimonio bonæ conſcientiæ gignitur utplurimùm in juſtis firma & vehemens opinio, quâ probabiliter exiſtimant ſe eſſe in gratia, atque ex illa habituros vitam æternam: quæ quidem opinio non eſt propriè virtus ſpei, ſed pietatis quædam merces, & accidentalis *modus ſpei*, ut ait S. Thomas.

2°. Quia bona opera, cùm dona Dei ſint, ſpecialem Dei erga nos miſericordiam teſtantur, voluntatemque excitant ut magis ac magis de illa bonitate confidat, per quam tantis eſt præventa pignoribus. „ Nam „ ex perceptione præſentium munerum firma eſt expectatio futurorum, inquit S. Bernardus, ſerm. 7 in Pſ. *Qui habitat*, n. 1, „ & præſentis „ gratiæ virtus nimis credibiliter atteſtatur felicitatem promiſſæ gloriæ „ ſine dubio ſecuturam."

3°. Quia

3°. Quia caritas benè operando magis ac magis accenditur, facitque ut, Deum plus diligendo, plus quoque confidamus nos à Deo diligi. Vide S. Bernardum, ſerm. 69 in Cantica.

CAPUT QUINTUM.

De numero prædeſtinatorum.

Certum eſſe Deo numerum electorum, conſtat ex dictis Cap. IV. Sed quærunt Theologi, non quidem quantus ſit determinatè ille numerus, quem ſoli Deo cognitum eſſe dicit Eccleſia in ſuis precibus, ſed quantus ſit in genere, utrùm major, an minor, vel æqualis numero Angelorum, ſive ſtantium, ſive lapſorum.

Dicunt nonnulli, poſt S. Gregorium magnum, hom. 34 in Evangelia, Eccleſiam Lugdunenſem, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. ultimo, & alios, tot ex hominibus eſſe electos, quot Angeli ſteterunt. Sed ea opinio nullâ firmâ ratione, nullâ Scripturæ auctoritate fulcitur, niſi hoc textu Deut. XXXII. 8, ubi legunt 70: *Statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei*, pro eo quod in hebræo legimus: *juxta numerum filiorum Iſrael;* qui quidem textus ſenſum habet valde diverſum: ſignificat enim Deum ita diſtribuiſſe cæteris gentibus quaſdam terræ partes ad habitandum, ut uberem & electam terræ portionem populo ſuo Iſraelitico ſervaverit.

Alii dixerunt tot homines ſalvatum iri, quot angeli ceciderunt; ſuæque opinioni applicant hæc verba Pſalmi 109: *implebit ruinas;* in quibus nullatenus agitur de replendis locis angelorum malorum, ſed de vindicta Chriſti, qui in die iræ ſuæ potentiam regum impiorum confringet, judicabit damnabitque nationes, omniaque damnatorum ruinis ſeu cadaveribus opplebit.

Plus roboris, ad probandam iſtam opinionem, ineſſe videtur textui Apoſtoli, Epheſ. I, ubi *omnia* dicuntur *in Chriſto inſtaurari, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.* Huc enim reſpexiſſe videntur SS. Patres, qui docent per homines electos reparari ſeu inſtaurari in cœlis angelicam ruinam: S. Auguſtinus, Enchiridii cap. 29 & 62, S. Gregorius magnus, lib. 31 Moral. cap. 35, S. Bernardus, ſerm. 1 de Adventu Domini &c. Verùm S. Hieronymus, in hunc locum, oſtendit legendum eſſe, juxta propriam græci vocabuli ſignificationem, *recapitulari*, non *inſtaurari*, ſenſumque eſſe, omnia quæ in cœlis & quæ in terra ſunt, id eſt, angelos & homines, quos peccatum diviſerat, ad unum

 caput

caput Chriſtum per Chriſti paſſionem fuiſſe revocatos; quem ſenſum tradunt etiam Patres Græci, Chryſoſtomus, Theophylactus, & alii.

Non tamen omnino rejicienda eſt Patrum memoratorum ſententia, per hominum prædeſtinationem angelicam ruinam fuiſſe reſarcitam. Hoc quippe verum eſt debetque admitti, modò non credas homines ad hoc primariò creatos, ut ſupplerent angelos qui ceciderant. Quàmvis enim ex creatione & reparatione hominis hoc bonum conſecutum ſit, ut angelicæ ruinæ fieret quædam inſtauratio, non tamen idcirco principaliter creatus eſt homo, ſed quia, præter creaturam merè corpoream & creaturam merè ſpiritalem, naturam quamdam ex mente & corpore compoſitam creare voluit, angelorum beatorum felicitati coæquandam. Proinde certò affirmari non poteſt numerum hominum electorum eſſe aut æqualem, aut majorem, aut minorem numero reproborum angelorum.

Denique alii, teſte S. Thoma, 1 p. q. 23. art. 7. in corp. opinati ſunt tot ex hominibus ſalvari, quot angeli ceciderunt, & inſuper tot, quot fuerunt angeli creati. Verùm horum opinio nullâ probabili ratione firmari poteſt. Quamobrem Angelicus Doctor, relatis ibidem tribus ſententiis modò expoſitis, cenſet „ meliùs dici quòd ſoli Deo eſt cogni„ tus numerus electorum in ſuperna felicitate locandus.“

Hoc tantùm latere nos noluit Deus optimus, ad ſtimulandam pietatem torporemque pellendum magis pertinens, nempè electorum minorem eſſe numerum quàm reproborum. Et quidem ſi totum cenſeatur genus humanum, adeò clarum eſt numerum reproborum multò majorem eſſe numero prædeſtinatorum, ut probatione non indigeat; cùm & ante Chriſtum pauciſſimi ex fide ipſius vixerint, & poſt Chriſtum longè major pars hominum aliena ſit ab Eccleſia Catholica, extra quam neminem ſalvari fides docet. Verùm in ipſa Eccleſia Catholica, inter adultos (nam de parvulis non eſt hìc quæſtio) plures eſſe qui pereunt, quàm qui ſalvantur, rectè concluditur, tum ex verbis Chriſti aſſerentis multos quidem eſſe vocatos, paucos verò electos, contendendum intrare per anguſtam portam, quia multi quærent intrare, & non poterunt, Luc. XIII. 23, & Matth. VII. 13; tum ex ſuffragio SS. Patrum, qui dicunt in Eccleſia parum frumenti latere ſub multa palea; tum etiam ex vivendi ratione Chriſtianorum. Nam quotusquiſque eſt qui mandata obſervet? Quàm pauci baptiſmalem innocentiam ſervant! Quàm pauci amiſſam congruis pœnitentiæ operibus recuperant! *Perverſi difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus*, ait Eccleſiaſtes, X. 15. „ Quantùm quiſque proficit, ait S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſ. 119. n. 6, „ tantùm videt majora ſcandala in populo. Nam ſi non proficiat, non videt iniquitates; & ſi non ſit verax Chriſtianus, non videt „ fictos.“

Quòd ſi quæras, cùm ſuperexaltet Dei miſericordia judicium, quare numerus reproborum excedat numerum electorum, ſic reſpondet S. Auguſti-

guſtinus, lib. 2 *Op. imperf.* cap. 143: „ Conſilium Dei velle noſſe, „ multorum eſt; noſſe autem, vel pauciſſimorum hominum, vel omnino „ nullorum." Hanc tamen rationem affert ibidem: „ Ut oſtendatur quo „ merito fuerit damnata natura, non vult facilè de tanto malo nec „ ipſe omnipotens liberare: propter quod & peccata proclivia ſunt, & „ laborioſa juſtitia, niſi amantibus." Et Epiſt. 190, olim 157, ad Optatum, cap. 3. n. 12: „ Ut etiam ipſâ rejectorum multitudine oſten„ deretur, quàm nullius momenti ſit apud Deum juſtum quantalibet „ numeroſitas juſtiſſimè damnatorum; atque ut hinc quoque intelligant, „ qui ex ipſa damnatione redimuntur, hoc fuiſſe debitum maſſæ illi uni„ verſæ, quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent, non ſolùm „ in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, „ verum etiam in tam multis parvulis, qui tantummodò vinculis „ peccati originalis obſtricti, ſine gratia Mediatoris ex hac luce ra„ piuntur."

Alteram rationem affert S. Thomas, petitam ex concupiſcentiæ tyrannide, quæ ſaluti maximam affert difficultatem, juxta illud Chriſti: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cùm enim providentia & ſapientia divina ſupernaturalem ordinem eodem ferè modo diſponat, quo naturalis ordo regitur, & in ordine naturali ea ſint rariſſima quæ difficillima, ea verò frequentiſſima quæ facillima, conſequens eſt multò plures eſſe debere, etiam ex iis qui ſalvari ſibi proponunt, qui à ſalute excidant, quàm qui ſalutem capeſſant. „ Dicendum „ quòd bonum proportionatum communi ſtatui naturæ accidit, ait Angelicus Doctor, 1 p. q. 23. art. 7. ad. 3, „ ut in pluribus, & deficit „ ab hoc bono ut in paucioribus: ſed bonum quod excedit communem „ ſtatum naturæ, invenitur ut in paucioribus, & deficit ab hoc bono „ ut in pluribus...... Cùm igitur beatitudo æterna in Dei viſione „ conſiſtens excedat communem ſtatum naturæ, & præcipuè ſecundum „ quòd eſt gratiâ deſtituta per corruptionem originalis peccati, pauciores ſunt qui ſalvantur; & in hoc etiam maximè miſericordia Dei ap„ paret, quòd aliquos in illam ſalutem eligit, à qua plurimi deficiunt „ ſecundùm communem curſum & inclinationem naturæ."

Igitur nihilominùs ſuperexaltat miſericordia judicium, quia plus relucet miſericordia in vaſis miſericordiæ, qui gratis liberantur, quàm juſtitia in vaſis contumeliæ; cùm his reddat juſtitia quod merentur, illis hoc donet miſericordia quo planè indigni ſunt. Adde miſericordiam Dei multipliciter apparere in ipſis reprobis. Non enim quia donis Dei abutuntur in ſuam perniciem, idcirco non magna miſericordia eſt quòd creantur, quòd innumeris bonis ſatiantur, quòd invitantur & expectantur ad pœnitentiam.

Cæterum non ideò animis deſpondendum eſt, quia pauci ſunt qui ſalvantur. Contra totis viribus enitendum intrare per anguſtam por-

tam. Hoc enim conſtat, quantùmlibet parvus ſit numerus electorum, neminem, qui benè vixerit, & in bono perſeveraverit, à ſalute excluſum iri, multitudinemque pereuntium, non decretis divinis, ſed tantùm ſuæ impœnitentiæ & ſocordiæ imputare poſſe quòd pereunt. Nam „ unde populoſior eſt via læva, quàm dextera, inquit S. Leo, ſerm. 11 in Quadrageſima, cap. 1, „ niſi quia ad mundana gaudia & corpora- „ lia bona multitudo proclivis eſt? Et quàmvis caducum incertumque „ ſit quod cupitur, libentiùs tamen ſuſcipitur labor pro deſiderio volup- „ tatis, quam pro amore virtutis. Ita, cùm innumeri ſint qui viſibi- „ lia concupiſcant, vix inveniuntur qui temporalibus æterna præpo- „ nant.“ Studeamus igitur viſibilia contemnere, & ex fide vivere, certi quòd erit merces operi noſtro. Aliunde, „ quàmvis ex comparatione „ pereuntium pauci ſunt qui ſalvantur, ſine comparatione tamen pereun- „ tium & ipſi multi ſunt,“ ut obſervat S. Auguſtinus, lib. 2 Op. imperf. cap. 42 & 205, & teſtatur S. Joannes in Apocalypſi, cùm ait vidiſſe ſe *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus ſtantes ante thronum.*

CAPUT SEXTUM.

An expediat myſterium prædeſtinationis populis prædicare, & quomodò.

Cùm apertiſſimis Scripturarum oraculis convincebantur Semipelagiani admittendam eſſe in Deo gratuitam, & à meritorum quallumcunque prævisione independentem, prædeſtinationem, eò demum illorum pervicacia confugiebat, teſte S. Proſpero, in Epiſt. ad S. Auguſtinum, n. 3, „ ut eam fidem ædificationi audientium contrariam eſſe definirent, ac „ ſic, etiamſi vera ſit, non promendam.“ Ægrè ferebant S. Auguſtinum in argumento tam profundo & arcano verſatum fuiſſe. „ Quid „ opus fuit, inquiebant apud Hilarium, Epiſt. ad eumdem Auguſtinum, n. 8, „ hujus diſputationis incerto tot minùs intelligentium cor- „ da turbari? Neque enim minùs utiliter ſine hac definitione, aiebant, „ tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis & „ aliorum, cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, catholi- „ cam fidem fuiſſe defenſam.“

Inter Auguſt. Epiſt. 225.

Inter Auguſt. Ep. 226.

Idem ſentiebant, teſte eodem Hilario, nonnulli Galli, ex his qui S. Auguſtini hac de re doctrinam improbare non audebant; & etiamnum idem ſentiunt plurimi, ſive adverſarii hujus doctrinæ, ſive ab eis non planè abhorrentes.

Fa-

Digitized by Google

Fateor aliquas veritates prudenter interdum non dici nondum capero valentibus, aut ſic diſpoſitis ut inde deteriores probabiliter futuri ſint. ,, Si ergo tantùm habet pondus aliquod verum, ait S. Auguſtinus, vel alius auctor *Quæſtionum ſeptemdecim in Matthæum*, q. 11. n. 4, ,, ut vi- ,, res diſcentis excedat, ſuſpendendum eſt, ut extendat creſcentem, non ,, imponendum, ut obterat parvulum.“ Ita cum diſcipulis ſuis egit ipſemet Chriſtus, ut patet Joannis XVI. 12: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Ita cum Corinthiis S. Paulus, ut ipſe declarat, 1 Cor. III. 1: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: quaſi parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: ſed nec nunc nunc quidem poteſtis.* Ita cum cathecumenis agebat Eccleſia, quibus primaria tantùm elementa fidei tradebat, omiſſis ad tempus quæ illi portare nondum potuiſſent. ,, Cauſas verum tacendi, ait S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 16. n. 40, ,, longum eſt omnes quærere vel inſerere; quarum tamen eſt & ,, hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus ,, eos qui intelligunt facere doctiores; qui, nobis tale aliquid tacenti- ,, bus, doctiores quidem non fiunt, ſed nec pejores fiunt.“

Sed aliud eſt aliquod verum coram debilibus, carnalibus aut parvulis prudenter tacere ad tempus; aliud omnino tacere. Si eſt tempus tacendi, eſt & loquendi. Si eſt ratio verum non dicendi, eſt & dicendi neceſſitas: primò quidem generalis, nam omnia quæ ad fidem pertinent in Eccleſia prædicari debent: deinde etiam particularis, quando nimirum aliquis error veritati contrarius ſubintroducitur, ac multos ſeducit aut ſeducere poteſt. ,, Cùm enim reverâ ita ſe habet, pergit idem S. Doctor, ,, ut fiat pejor, nobis eam dicentibus, ille qui capere non ,, poteſt, nobis autem tacentibus, ille qui poteſt, quid putamus eſſe ,, faciendum? Nonne potiùs dicendum eſt verum, ut, qui poteſt capere, ,, capiat, quàm tacendum, ut non ſolùm id ambo non capiant, verùm ,, etiam qui eſt intelligentior ipſe ſit pejor, qui ſi audiret & caperet, ,, per illum etiam plures diſcerent?“

Aliunde quis omnino effugere poſſit, ne vérum dicendo ullis ſcandalo ſit, cùm nec ipſa veritas id effugerit? Quoties verbis Chriſti offenſi ſunt, non dico Scribæ & Phariſæi, ſed nonnulli ex ipſius diſcipulis, præſertim quando promiſit ſe daturum carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum? *Ex hoc* enim, ait Evangeliſta Joannes, cap. 6, *multi diſcipulorum ejus* non modò ſcandalizati ſunt, ſed etiam *abierunt retro*. Non tamen idcirco Chriſtus illud verum tam altum, tam captu difficile, ſilendum tunc putavit. ,, Abierunt retro, ait S. Auguſtinus, tract. 27 in Joannem, n. 8, ,, non pauci, ſed multi. Et hoc fortè ,, factum eſt ad conſolationem; quoniam aliquando contingit ut dicat ,, homo verum, & quod dicit non capiatur, atque illi qui audiunt ,, ſcandalizentur & diſcedant. Pœnitet autem hominem dixiſſe quod

,, ve-

„ verum eſt. Dicit enim apud ſe homo: non ſic debui dicere; non „ hoc dicere debui. Ecce Domino contigit: dixit, & perdidit multos, remanſit ad paucos. Sed non turbabatur ipſe, quia ab initio „ noverat & qui credentes eſſent, & qui non credentes; nos autem, ſi „ nobis contingat, perturbamur. Solatium in Domino inveniamus, & „ tamen cautè verba dicamus."

Sileatur ergo ad tempus aliquod verum, quando ſine periculo ignorari poteſt, quando nulla verum dicendi inſtat neceſſitas aut gravis utilitas, quando non à tergo imminet error pietati contrarius. „ Sed dicatur „ verum, ait S. Doctor, loco jam citato libri *de Dono perſeverantiæ*, „ maximè ubi aliqua quæſtio ut dicatur impellit, & capiant qui poſ- „ ſunt; ne fortè, cùm tacetur propter eos qui capere non poſſunt, non „ ſolùm veritate fraudentur, verùm etiam falſitate capiantur qui verum „ capere, quo caveatur falſitas, poſſunt."

His prænotatis, dico gratuitam electorum prædeſtinationem populis occultari non debere, imò prædicari debere, modò opportunè & ſapienter id fiat.

Cur enim non prædicetur ea veritas, quæ amorem Dei in electos demonſtrat; quæ ſuperbiæ tumorem ſanat; quæ chriſtianæ humilitatis fundamentum eſt; quæ totam noſtræ ſalutis ſpem in ſolo Deo omnipotentiſſimo & miſericordiſſimo ponendam eſſe admonet; quæ gratitudinem in Deum parit; quæ demum nos docet ſervire Domino in timore & exultare ei cum tremore? „ Prædicandum eſt prorſus, ait S. Auguſtinus, ibid. cap. 20. n. 51, „ ut, qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, ſi non accepit ab illo qui ait: *Dabo eis* „ *cor cognoſcendi me, & aures audientes?* Certè qui non accepit, reji- „ ciat, dum tamen, qui capit, ſumat & bibat, bibat & vivat. Sicut enim „ prædicanda eſt pietas, ut ab eo qui habet aures audiendi Deus rectè „ colatur, prædicanda eſt pudicitia, ut ab eo qui habet aures audien- „ di nihil genitalibus membris illicitum perpetretur, prædicanda eſt ca- „ ritas, ut, ab eo qui habet aures audiendi, Deus & proximus „ diligatur; ita prædicanda eſt & iſta prædeſtinatio beneficiorum Dei, „ ut, qui habet aures audiendi, non in ſeipſo, ſed in Domino glorie- „ tur."

Baruch. II. 31.

Et ſanè quam regulam tutiorem ſequi poteſt prædicator Evangelicus, quàm ut ſeſe ad normam Chriſti & Apoſtolorum componat, eaque doceat quæ illi palam docuerunt? Atqui & Chriſtus in Evangelio identidem loquitur de prædeſtinatione ſuarum ovium, & Apoſtoli in ſuis Epiſtolis ad omnes fideles datis eam frequentiſſimè commemorant. Imprimis Apoſtolus gentium, qui tam religioſè curabat ne cui offenſionem daret, ut affirmaret ſe nunquam carnem manducaturum ſi quiſquam fidelium inde ſcandalizandus eſſet, hanc tamen doctrinam de prædeſtinatione & reprobatione hominum, quam non ignorabat multis ſcandalo futu-

futuram, ex inſtituto & enucleatè tradere voluit in plerisque ſuis Epiſtolis. Ubique „ pro gratiæ defenſione clamat atque concertat, ait S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 7. n. 12, „ nec, in re pro-„ funda & nimis abdita, non intelligentium & verba ſua ſana in per-„ verſum ſenſum detorquentium curat invidiam, dum tamen incunc-„ tanter prædicet donum Dei, quo uno ſalvi fiunt filii promiſſionis, „ filii beneficii divini, filii gratiæ & miſericordiæ, filii teſtamenti no-„ vi. Denique ad Romanos penè ipſa quæſtio ſola verſatur tam pug-„ naciter, tam multipliciter, ut fatiget quidem legentis intentionem, „ ſed fatigatione utili ac ſalubri, ut interioris hominis magis exerceat „ membra quàm frangat." Ibi ſententias illas, quibus humana ratio tantoperè offenditur, ſcribere non dubitavit: *Miſerebor cujus miſerebor: non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam* &c?

Hoc exemplo probat S. Fulgentius, lib. 3 *de Verit. prædeſtinat. & gratiæ*, cap. 8, prædicandum eſſe fidelibus myſterium prædeſtinationis. „ B. Paulus Apoſtolus, inquit, noluit ſileri quod voluit ſcribi. Præ-„ deſtinationem namque ſicut tam fidenter quàm veraciter B. Apoſto-„ lus prædicavit, ita nobis prædicandam fidenter veraciterque manda-„ vit." Et ſanè ſi verbi Dei miniſtri nihil ferè aliud quàm doctrinam & verba ſacræ Scripturæ exponere debent, quomodò illud tacere poſſent, quod in Scriptura tam ſæpè & tam enucleatè tractatur?

Errant ergo qui ſacris concionatoribus hoc unum propoſitum eſſe volunt, ut contra vitia declament & ad virtutes excitent. Hoc oportet facere, & illud non omittere. Nec aliam profectò ob cauſam tot fideles præcipuas fidei veritates, in quibus tota ferè religio conſiſtit, periculosè ignorant, ſemper diſcentes, & ad cognitionem veritatis nunquam pervenientes, niſi quia illæ veritates, quaſi nullius aut parvi momenti eſſent, à verbi Dei miniſtris ſilentio plerumque premuntur, quàmvis in rei veritate morali chriſtianæ fundamenti loco ſint. Hinc Apoſtoli in omnibus ferè ſuis Epiſtolis primùm dogmata ſuſè adſtruunt, deinde ad moralia tranſeunt. „ Nec prædeſtinationis igitur prædicatione im-„ pedienda eſt prædicatio fidei perſeverantis & proficientis, concludit S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſev.* cap. 14. n. 36, „ ut quod oportet „ audiant, quibus datum eſt ut obediant,..... nec rurſus prædicatione „ fidei proficientis & usque ad ultimum permanentis impedienda eſt „ prædicatio prædeſtinationis, ut qui fideliter & obedienter vivit, non „ de ipſa obedientia, tanquam de ſuo non accepto bono, glorietur, & „ qui gloriatur, in Domino glorietur."

Porro ſi quocunque tempore hæc populis prædicanda ſunt, tanquam ad partem dogmatis & humilitatis ædificationem pertinentia, quanto ma-

Digitized by Google

magis hiſce temporibus, quibus inimici gratiæ nihil non conantur, ut imperitis perſuadeant uniuscujusque ſortem in manu ſui liberi arbitrii, tanquam in cauſa determinatrice, poſitam eſſe? „ Inſtat inimicus gra-„ tiæ, ait idem S. Doctor, ibid. cap. 16. n. 40, atque urget modis „ omnibus, ut credatur ſecundùm merita noſtra dari, ac ſic gratia jam „ non ſit gratia: & nos nolumus dicere quod, teſte Scripturâ, poſſu-„ mus dicere. Timemus enim videlicet ne loquentibus nobis offenda-„ tur, qui veritatem non poteſt capere" (& forſan ne illam odientibus diſplliceamus); „ & non timemus ne, tacentibus nobis, qui veritatem „ poteſt capere falſitate capiatur."

Quomodò igitur, inquies, prædicari prædeſtinatio debet, ut nemini, ſaltem loquentis culpâ, ſcandalo ſit?

Reſpondeo prædeſtinationem eodem modo prædicari debere, quo eſt ab Apoſtolis & SS. Patribus prædicata: hoc eſt, ut & juſtitia Dei defendatur contra obloquentes, & adverſùs ingratos miſericordia demonſtretur; ut elatio reprimatur, & nutriatur humilitas; ut inſinuetur ſpem ſalutis multò tutiùs in Deo collocari, quàm in humana voluntate tam fragili, tam ad omne malum propenſa; ut fideles, ad quos ſermo dirigitur, ſpectentur ut electi ante mundi conſtitutionem, admoneanturque per bona ſua opera certam ſuam ſalutem & electionem facere; ut ea omnia caveantur, quæ efferendis potiùs quàm ædificandis, & ad gratitudinem profectumque virtutum excitandis hominibus videntur aptiora. Denique „ non ita prædicanda eſt, ait S. Auguſtinus, ibid. cap. 22. n. 57, „ ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem „ redargui quodammodò ipſâ ſuâ prædicatione videatur; ſicut redargui „ videtur & ipſa præſcientia Dei (quam certè negare non poſſunt) ſi „ dicatur hominibus: ſive curratis, ſive dormiatis, quod vos præſcivit „ qui falli non poteſt, hoc eritis. Doloſi autem vel imperiti medici „ eſt etiam utile medicamentum ſic alligare, ut aut non proſit, aut ob-„ ſit. Sed dicendum eſt: *Sic currite ut comprehendatis*, atque ut ipſo „ curſu veſtro ita vos præcognitos eſſe noveritis, ut legitimè currere-„ tis; & ſi quo alio modo Dei præſcientia prædicari poteſt, ut homi-„ nis ſegnitia repellatur."

Proponit deinde S. Doctor vitioſum prædeſtinationis prædicandæ modum, eique alium pium ac ſalubrem modum opponit, quem ipſiusmet verbis, quàmvis prolixus ſit textus, referam.

„ Quàmvis ergo, ait n. 58, ita ſe habeat de prædeſtinatione defi-„ nita ſententia voluntatis Dei, ut alii ex infidelitate, acceptâ obediendi „ voluntate, convertantur ad fidem, vel perſeverent in fide, cæteri „ verò, qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, ſi „ & ipſi ſint prædeſtinati, ideò nondum ſurrexerunt, quia nondum eos „ adjutorium gratiæ miſerantis erexit; ſi qui enim nondum ſunt vo-„ cati, quos gratiâ ſuâ prædeſtinavit eligendos, accipient eamdem gra-„ tiam,

„ tiam, quâ electi eſſe velint & ſint; ſi qui autem obediunt, ſed in „ regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec „ usque in finem in eadem obedientia permanebunt: quàmvis ergo hæc „ vera ſint, non tamen iſto modo dicenda ſunt audientibus multis, „ ut ſermo ad ipſos etiam convertatur, eisque dicantur illa iſtorum „ verba" (verba ſunt Maſſilienſium prædicationem prædeſtinationis odioſam facere volentium)...... „ *Ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis ex infidelitate, acceptâ obediendi voluntate, veneritis ad fidem.* Quid opus eſt dici: *alii ex vobis?* Si enim Eccleſiæ Dei loquimur, ſi credentibus loquimur, cur, „ alios eorum ad fidem veniſſe dicentes, cæteris facere videamur injuriam, cùm poſſimus congruentiùs dicere: Ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis „ ad fidem, acceptâ obediendi voluntate, &, acceptâ perſeverantiâ, „ permaneatis in fide?"

N. 59: „ Nec illud quod ſequitur eſt omnino dicendum, id eſt: „ *Cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondum ſurrexiſtis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miſerantis erexit*" (immo planè falſum eſt ideò hominem nondum ſurrexiſſe, quia nondum eſt, miſerante gratiâ, erectus. Eſt quidem gratiæ adjutorium cauſa ſurgendi: at permanendi in peccato ſola creata voluntas ſibi cauſa eſt); „ cùm „ benè & convenienter dici poſſit ac debeat: Si qui adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite ſaluberrimam „ diſciplinam: quod tamen cùm feceritis, nolite extolli quaſi de operibus veſtris, aut gloriari quaſi non acceperitis; Deus eſt enim qui „ operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate, & à Domino „ greſſus veſtri diriguntur ut viam ejus velitis. De ipſo autem curſu „ veſtro bono rectoque condiſcite vos ad prædeſtinationem divinæ gratiæ pertinere."

Num. 60: „ Item quod ſequitur & dicitur: *Verumtamen ſi qui eſtis adhuc nondum vocati, quos gratiâ ſuâ prædeſtinaverit eligendos, accipietis eamdem gratiam quâ velitis & ſitis electi*, duriùs dicitur quàm „ dici poteſt, ſi nos, non quibuslibet hominibus loqui, ſed Chriſti „ Eccleſiæ, cogitemus. Cur enim non potiùs ita dicitur: Et ſi qui ſunt „ nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus; fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, ut veſtris orationibus concedantur, & accipiant eamdem gratiam quâ velint & efficiantur electi? Deus enim, qui omnia „ quæ prædeſtinavit implevit, ideò & pro inimicis gratiæ orare nos „ voluit, ut hinc intelligeremus quòd ipſe etiam infidelibus donet ut „ credant, & volentes ex nolentibus faciat."

Num. 61: „ Jam verò, quod illis verbis connectitur, miror ſi ullo „ modo poteſt in populo Chriſtiano quisquam infirmus patienter audire, cum dicatur eis: *Et ſi qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis reji-*

 „ *cien-*

„ *ciendi*, *ſubtrahentnr obediendi vires*, *ut obedire ceſſetis.* Hoc enim
„ dicere, quid videtur aliud eſſe quàm maledicere, aut mala qnodam-
„ modò prophetare? Sed & ſi de iis qui non perſeverant placet aliquid
„ dicere, vel neceſſe eſt, cur non potiùs ita ſaltem dicitur, ut paulò
„ ante à me dictum eſt, primùm ut non de ipſis, qui in populo au-
„ diunt, hoc dicatur, ſed de aliis ad ipſos: id eſt, ut non dicatur:
„ *Si qui obeditis*, *ſi prædeſtinati eſtis rejiciendi*, ſed, ſi qui obediunt,
„ & cætera per verbi perſonam tertiam, non per ſecundam. Res enim
„ non optabilis, ſed abominabilis dicitur, & duriſſimè atqne odioſiſſi-
„ mè quaſi in audientium frontem compellando colliditur, quando,
„ qui eis loquitur, dicit: *Et ſi qui eſtis qui obeditis*, *ſi prædeſtinati eſtis*
„ *rejiciendi*, *ſubtrahentur obediendi vires*, *ut obedire ceſſetis.* Quid enim
„ ſententiæ deperit, ſi ita dicatur: Si qui autem obediunt, ſed in reg-
„ num ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec us-
„ qne in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & veriùs ea-
„ dem res & congruentiùs dicitur, ut non ipſis tantum malum tan-
„ quam optare videamur, ſed de aliis proferre quod oderint, nec ad
„ ſe exiſtiment pertinere, ſperando orandoque meliora? Illo autem
„ modo quo id dicendum putant, eâdem ſententiâ, iisdem penè verbis
„ etiam de præſcientia Dei, quam certè negare non poſſunt, pronun-
„ tiari poteſt, ut dicatur: *Si qui obeditis*, *ſi præſciti eſtis rejiciendi*, *obe-*
„ *dire ceſſabitis.* Nempe hoc veriſſimum eſt: ita ſanè; ſed improbiſſi-
„ mum, importuniſſimum, incongruentiſſimum, non falſo eloquio,
„ ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmitatis appoſito."

Addit num. 62: „ Illum autem modum, quo utendum eſſe in præ-
„ deſtinationis prædicatione nos diximus, loquenti apud populum non
„ exiſtimo debere ſufficere, niſi hoc vel hujusmodi aliquid addat, ut
„ dicat: Vos itaque etiam ipſam obediendi perſeverantiam à Patre lu-
„ minum, à quo deſcendit omne datum optimum & omne donum per-
„ fectum, ſperare debetis, & qnotidianis orationibus poſcere, atque
„ hoc faciendo confidere non vos eſſe à prædeſtinatione ejus populi
„ alienos, qnia, etiam ut hoc faciatis, ipſe largitur. Abſit autem à
„ vobis ideò deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere
Jerem. XVII. 5. „ jubemini, non in vobis! *Maledictus* enim *omnis qui ſpem habet in ho-*
Pſ. CXVII. 8. „ *mine*, & *bonum eſt confidere in Domino quàm confidere in homine*,
Pſ. II. 13. „ quia *beati omnes qui confidunt in eum.* Hanc ſpem tenentes *ſervite*
Pſ. II. 11. „ *ei in timore*, *& exultate ei cum tremore*, quoniam de vita æterna,
„ quam filiis promiſſionis promiſit non mendax Deus ante tempora
„ æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi conſummata fuerit iſta vita, quæ
„ tentatio eſt ſuper terram: ſed faciet perſeverare in ſe usque in ejus
„ vitæ finem, cui quotidie legimus: ne nos inferas in tentationem."
Hæc S. Auguſtinus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

De Reprobatione.

CIRCA reprobationem tria conſideranda habemus, 1um. Quid ſit reprobatio. 2um. Quæ ſint illius cauſæ. 3um. Qui ſint ejuſdem effectus.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Reprobatio.

REPROBARE, ſecundùm vim nominis, idem eſt ac rejicere, & reſpuere tanquam vile aut malum. Iſaiæ VII. 15: *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.* 1 Cor. I. 19: *Prudentiam prudentium reprobabo.* Hebr. VII. 18: *Reprobatio ſit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.*

Hinc reprobum generatim dicitur quod eſt abjectum, nullius pretii, rejectitium, ut Jeremiæ VI. 30: *Argentum reprobum vocate eos;* 1 Reg. XV. 9: *Quidquid vile fuit ac reprobum, hoc demoliti ſunt;* Ep. ad Titum, I. 16: *ad omne opus bonum reprobi*, hoc eſt, inutiles.

Reprobatio hic opponitur prædeſtinationi. Cùm igitur prædeſtinatio ſit actus providentiæ divinæ erga electos, quo ad gloriam præordinantur, reprobatio eſt actus ejuſdem providentiæ quo cæteri homines extra hunc numerum relinquuntur, & propter ſua futura peccata damnationi deſtinantur. „ Sicut enim prædeſtinatio, ait S. Thomas, 1 part. q. 23. art. 3. in corp. „ includit voluntatem conferendi gratiam & glo-
„ riam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cade-
„ re in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.“

Igitur in reprobatione adæquata duo potiſſimùm conſideranda ſunt: nimirum voluntas excludendi à gloria, ſeu permittendi aliquem excide-

re à gloria; & voluntas addicendi æternæ damnationi. Prior voluntas dicitur reprobatio negativa; poſterior reprobatio poſitiva.

Reprobatio negativa non dicitur, quaſi mera ſit non prædeſtinatio, ſive negatio decreti, ut nonnulli exiſtimant; ſed eſt actus poſitivus voluntatis divinæ, quo voluit quosdam non perducere ad vitam æternam.

Nam 1° ad reprobationem non ſufficit quòd Deus ſe habuerit merè negativè circa reprobos, non ordinando eos efficaciter ad vitam æternam. Quamdiu enim Deus nihil circa aliquos decrevit, tamdiu illorum futura ſors manet indeciſa & velut in ſuſpenſo: alioqui omnes angeli & homines merè poſſibiles deberent dici reprobati, quandoquidem non ſunt ad vitam æternam prædeſtinati.

2°. Electio eſt acceptatio unius præ alio, adeòque includit realiter & acceptationem unius, & rejectionem alterius. Sed Deus ab æterno actu poſitivo quosdam elegit ad vitam æternam. Ergo actu poſitivo voluit alios non perducere efficaciter ad vitam æternam.

3°. Reprobatio eſt pars divinæ providentiæ. Ergo conſiſtit in actu poſitivo. Et certè ſuſpenſio aut negatio actûs imperfectionem involvit, quæ in Deum perfectiſſimum & actum puriſſimum cadere non poteſt.

Adde reprobationem in Scriptura exprimi verbis actum poſitivum ſignificantibus: v. g. Rom. IX: *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui;* & rurſus: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Idcirco itaque prior illa reprobatio vocatur negativa, quia eſt voluntas non perducendi ad vitam æternam, vel excludendi à vita æterna.

Dico, *non perducendi ad vitam æternam, vel ab ea excludendi.* Nam, tametſi ambæ illæ voces promiſcuè ſumi ſoleant & idem ſignificare videantur, differunt nihilominùs non parum. Excludi à regno cœlorum videtur importare aliquam pœnam, quæ decerni à Deo juſto non poteſt, niſi ſuppoſito aliquo peccato, quale eſt in omnibus hominibus originale peccatum. È contrario non perducere nec ordinare efficaciter ad regnum cœlorum, non habet ullo modo rationem pœnæ, ſed tantùm negationis, nec ſupponit ullum peccatum. Quamobrem negativam reprobationem hominum originali peccato infectorum rectè definieris voluntatem illos excludendi à regno cœlorum, ſeu relinquendi in maſſa damnationis: angelorum verò, qui ceciderunt, meliùs definieris voluntatem illos efficaciter non perducendi ad regnum cœlorum, ſeu permittendi illos ab ea felicitate excidere.

Reprobationem negativam ſubſequitur, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, reprobatio poſitiva, quâ, ex prævisione peccatorum in quibus negativè reprobati morientur, certus pœnarum modus eis deſtinatur.

Quæritur an reprobatio poſitiva ſit prædeſtinatio ad pœnam; & an reprobi poſſint dici prædeſtinati ad interitum æternum?

Reſpondeo affirmativè. Quàmvis enim ipſa verba non inveniantur in Scripturis, „ ſenſus tamen manifeſtè in pluribus locis apparet, inquit S.

Digitized by Google

S. Amolo, in Epiſt. ad Gotteſchalcum, ſect. 7: v. g. Proverb. XVI. 14: *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Eccleſiaſtici XXVII. 26: *Qui trangreditur à juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam.* Act. I. 24, Judas dicitur ab honore Apoſtolatûs prævaricatus excidiſſe, *ut abiret in locum ſuum*, hoc eſt, ad quem erat propter ſuum ſcelus prædeſtinatus. Rom. IX. 22: *Suſtinuit* (Deus) *in multa patientia vaſa iræ apta* (græcè, aptata, perfecta, præparata, κατηρτισμένα) *in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: ubi opponuntur vaſa deſtinata in interitum vaſis præparatis in gloriam.

Hoc modo loquuntur ſæpiſſimè SS. Patres.

S. Auguſtinus, lib. 4 *de Anima & ejus origine*, cap. 11. n. 16, dicit Deum iis, „ quos prædeſtinavit ad vitam æternam, miſericordiſſimum „ eſſe gratiæ largitorem, qui eſt & illis quos prædeſtinavit ad æternam „ mortem juſtiſſimus ſupplicii retributor. „ Lib. 15 *de Civitate Dei*, cap. 1: „ Una (civitas) eſt, quæ prædeſtinata eſt in æternum regnare „ cum Chriſto; altera æternum ſupplicium ſubire cum diabolo." Tract. 110 in Joann. n. 2: „ Pro iſto mundo non rogat (Chriſtus); neque „ enim quò ſit prædeſtinatus ignorat." Ibid. n. 4, & Tract. III. n. 5, eumdem mundum dicit *damnationi prædeſtinatum*. Vide tract. 42 in Joannem, n. 13, & 48. n. 4; Epiſt. 204, olim. 61, ad Dulcitium, n. 2; lib. 21 *de Civit. Dei*, cap. 24. n. 1.

S. Proſper, in Reſponſione ad Capitula Gallorum, cap. 14, ait „ præ- „ deſtinationem Dei ſemper in bono eſſe; aut ad retributionem juſtitiæ, „ aut ad donationem gratiæ.

S. Fulgentius, lib. 1 *ad Monimum*, cujus titulus eſt: *De duplici prædeſtinatione Dei, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam*, ex profeſſo probat Deum prædeſtinare ad mortem æternam, non ad peccatum, „ ad interitum ſupplicii, non delicti; neque ad malum, quod „ injuſtè admittunt, ſed ad cruciatum quem juſtiſſimè patientur," ut ait cap. 5.

Adrianus I, Romanus Pontifex, in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, docet „ impios prædeſtinatos, non ad peccatum, ſed ad judicium, hoc eſt, non ad impietatem, ſed ad punitionem.

S. Iſidorus, lib. 2 *Sententiarum*, cap. 6: „ Gemina eſt prædeſtina- „ tio, inquit, ſive electorum ad requiem, ſive reproborum ad mortem."

Nono ſæculo grandis circa hunc loquendi modum controverſia orta eſt, Rabano Archiepiſcopo Moguntino non ferente quod dixerat Gotteſchalcus, geminam eſſe prædeſtinationem, electorum ad vitam, malorum ad mortem ſempiternam, nec intelligente quomodò impii ad pœnam prædeſtinati dici poſſint, quin ſint etiam ad peccatum prædeſtinati, ut patet ex ipſius Epiſtolis ad Nothingum, ſub finem, ad Heberardum Comitem, & ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem. Rabano conſen-

ſenſerunt Hincmarus & Joannes Scotus, contendentes dici quidem poſſe pœnam æternam prædeſtinatam, non verò malos ad pœnam æternam prædeſtinatos; nitebanturque auctoritate Hypognoſticon ſeu Hypomnesticon, quod S. Auguſtino perperam attribuebant.

Verùm his reſtiterunt ſcriptores doctiſſimi, Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, quæſt. 2. n. 30; Florus Lugdunenſis in ſerm. *de Prædeſtinatione*, & in lib. *adverſùs Scotum*, cap. 2 & 11; Lupus Abbas Ferrarienſis, in Epiſtola *ad Regem Carolum* (Calvum), & in collectaneo *de Tribus Quæſtionibus*, q. 1; Ratramnus monachus Corbeienſis, lib. 2 *de Prædeſtinatione*; S. Prudentius Epiſcopus Trecenſis, in lib. *de Prædeſtinatione adverſùs Scotum*, cap. 1 & 11, & in *Tractoria ad concilium Senonenſe*, ubi hâc conditione ſuffragatur ordinationi Æneæ in Epiſcopum Pariſienſem, ut credat atque fateatur quosdam Dei gratuitâ miſericordiâ ante omnia ſæcula prædeſtinatos ad vitam, quosdam imperſcrutabili juſtitiâ prædeſtinatos ad pœnam; ut id videlicet, ſive in ſalvandis, ſive in damnandis, prædeſtinaverit, quod ſe præſcierit eſſe judicando facturum. S. Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis, in Epiſt. *ad Gotteſchalcum*, ſect. 7; S. Remigius ejus ſucceſſor, ſimulque Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Tribus Epiſt.* cap. 4. 24 & 28. Capite verò 30 ſic loquitur: „ Quæ eſt iſta res, quæ cauſa vel ratio, pro qua iſti refugiunt prædeſtinationem Dei dicere in damnatione reproborum? Numquid hæc erga illos divina prædeſtinatio non eſt juſta, quæ, quos præſcivit in iniquitatibus permanſuros, prædeſtinavit æternis ſuppliciis perituros? Numquid non eſt vera, quæ niſi decerneret tam juſtum opus Dei in æternitate, nunquam impleri poſſet in tempore? Numquid non eſt à SS. Patribus prædicata, & ab Eccleſia Catholica recepta? Quid ergo cauſæ eſt ut refugiamus credere quod fides tenet, refugiamus dicere quod veritas docet?“

Mauguin tom. 1 pag. 24.

Ibid. pag. 68 & 92.

Horum auctorum doctrinam confirmarunt concilium Valentinum III, & Lingonenſe, à Nicolao I Rom. Pontifice approbata, his verbis: „ Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.“

Denique id probat manifeſta ratio quam afferunt SS. Patres; nempè: Deus prædeſtinat ab æterno quidquid facturus eſt in tempore. Igitur, cùm Deus impiis in tempore infligat æternum ſupplicium, ſequitur Deum ab æterno prædeſtinaſſe illos perpetuo ſupplicio cruciare, „ quoniam apud Deum, ait Ratramnus, lib. 2 *de Prædeſtinatione*, ſicut non eſt nova cogitatio, ſic nec novum conſilium, & ſicut non novum conſilium, ſic nec novum judicium...... Qua de re ſicut, antequàm peccaret homo, novit eum peccaturum, ſic, antequàm puniret illum, decreverat pœnam quâ fuerat puniendus. Nec tamen propterea quia Deus decreverat hominem puniendum, idcircò punitus eſt, ſed quia peccavit.“

Ni-

Nihilominùs advertendum eſt multò frequentiùs & uſitatiùs prædeſtinationem in bonis tantùm, id eſt, electis intelligi, tum apud veteres, tum maximè apud Doctores Scholaſticos, qui inter prædeſtinationem & reprobationem tanquam oppoſitas ſpecies diſtinguunt, & reprobos malunt præſcitos appellare, quàm prædeſtinatos ad pœnam.

Reprobi variis nominibus appellantur aut deſignantur in Scriptura. Ac primùm quidem vocantur *reprobi*, 1 Cor. IX. 27: *Ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar;* id eſt, rejiciar à Deo, & inveniar in numero reproborum.

2°. *Ignoti, non cogniti*, hoc eſt, non dilecti. Matth. V, & alibi ſæpè: *Neſcio vos:* ſicut è contrario prædeſtinati dicuntur *præcogniti*.

3°. *Odio habiti*, ſive quia Deus non eis vult efficaciter bonum vitæ æternæ, ſive quia illos propter peccata, tum originale, tum etiam actualia, poſitivè odit. Rom. IX. 13: *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.*

4°. *Deſpecti.* Eccleſ. VII. 4: *Nemo poteſt corrigere quem ille* (Deus) *deſpexerit.*

5°. *Vaſa iræ.* Rom. IX. 22.

6°. *Vaſa in contumeliam.* Ibid. & 2 Tim. II. 20.

7°. *Hœdi.* Matth. XXV. 33: *Statuet oves quidem à dextris; hædos autem à ſiniſtris.*

8°. *Maledicti.* Ibid. v. 41: *Diſcedite à me, maledicti.*

9°. A Scholaſticis vulgò appellantur *præſciti*, eo forſitan quòd in eis ſit aliquid tantùm præſcitum, non prædeſtinatum, ſcilicet peccata ob quæ damnabuntur; cùm è contrario bona opera, propter quæ electi remunerabuntur, non ſolùm præſcita, ſed & prædeſtinata ſint. Fatendum tamen hoc vocabulum in uſu Scripturæ electis convenire, non reprobis, ut Rom. VIII. 29: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit;* & XI. 2: *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit.*

CAPUT SECUNDUM.

De cauſis reprobationis.

REPROBATIO, ut diximus, alia eſt negativa, alia poſitiva. Negativa eſt decretum non perducendi ad gloriam. Poſitiva eſt decretum infligendi pœnam æternam.

Reprobatio negativa conſiderari poteſt duobus modis, abſolutè & comparatè. Conſideratur abſolutè, cùm quæritur an aliqua ratio ſit in creaturis rationalibus, propter quam aliæ aſſumantur ad gloriam, aliæ

verò relinquantur. Conſideratur comparatè, cùm quæritur cur hic relinquatur potiùs quàm ille.

Rurſus quæſtio proponi poteſt vel de angelis, vel de hominibus. Homines verò qui reprobantur, vel ſunt parvuli ſine baptiſmo morientes, in quibus ſolum eſt originale peccatum; vel fideles adulti, quibus originale peccatum remiſſum eſt; vel infideles, in quibus, præter originale, ſunt etiam actualia peccata.

Calvinus & quàmplurimi ejus ſequaces docent Deum, ſicut pro ſola ſua voluntate electos prædeſtinat ad vitam æternam, ſic pro ſolo ſuo beneplacito reprobos, nullis prævìſis eorum peccatis, prædeſtinare ad ſupplicium æternum. Ita Calvinus, lib. 3 *Inſtitutionum*, cap. 23. n. 2. Addit Deum, ad exequendum hoc decretum, negare omnibus reprobis fidem & omnem gratiam, illosque impellere ac neceſſitare ad peccandum. Ibidem, n. 9, & cap. 24, n. 12.

In duas claſſes illi revocantur, quarum una dicitur Antelapſariorum, altera Poſtlapſariorum. Illi ponunt in Deo hujuſmodi decretum ante prævìſionem humani lapſûs: hi poſt prævìſam humanæ naturæ per Adami peccatum infectionem.

Catholici, rejectâ, ut par eſt, horrendâ illâ impietate, varias in opiniones circa cauſas negativæ reprobationis abeunt.

Moliniani, qui electorum prædeſtinationem fieri dicunt poſt prævìſionem meritorum, conſequenter aſſerunt neminem à Deo reprobari negativè, ſed tantùm poſitivè, poſt prævìſa peccata uniuscujusque actualia, ſi agatur de adultis, aut ſaltem originale non dimiſſum, ſi de parvulis agatur.

Auguſtiniani diſtinguunt inter reprobationem angelorum & reprobationem hominum. Quantùm ad angelos qui ceciderunt, aiunt nullam fuiſſe illorum reprobationem, niſi poſt prævìſum illorum peccatum actuale: quoad homines verò, negativæ eorum reprobationis cauſam unicè repeti à peccato Adæ, totiusque humani generis maſſæ corruptione inde conſecuta, non verò à præſcientia peccatorum actualium, ut pote quorum permiſſio ſit effectus negativæ hujus reprobationis.

S. Thomæ diſcipuli docent Deum, ſicut creaturas rationales, quas vult, indebito beneficio abſolutè prædeſtinat ad gloriam, nullis prævìſis meritis, ita ſummum jus habere reprobandi negativè quas voluerit, ante prævìſum quodcunque illarum peccatum; ac talem reverâ fuiſſe reprobationem malorum angelorum, quos idcirco in peccatum labi Deus permiſit, quia voluit in eis demonſtrare juſtitiam ſuam. Potuit ſanè Deus, inquiunt, eodem modo & homines ordinare citra injuſtitiam, etiamſi nullum originis eſſet vitium. „ Ad providentiam quippe pertinet, addunt cum ſuo magiſtro, 1 p. q. 23. art. 3. in corp. „ permittere aliquem defectum in rebus quæ providentiæ ſubduntur. Unde „ cùm per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur,

Digitized by Google

„ tur, pertinet etiam ad divinam providentiam ut permittat aliquos ab „ iſto fine deficere; & hoc dicitur reprobare. Sic igitur, ſicut præ- „ deſtinatio eſt pars providentiæ reſpectu illorum qui divinitùs ordi- „ nantur in æternam ſalutem, ita reprobatio eſt pars providentiæ reſ- „ pectu illorum qui ab hoc fine deficiunt. Unde reprobatio non nomi- „ nat præſcientiam tantùm, ſed aliquid addit ſecundùm rationem, „ ſicut & providentia. Sicut enim prædeſtinatio includit voluntatem „ conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem „ permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœ- „ nam pro culpa."

Utrùm verò in hominibus negativè reprobandis rationem Deus habuerit peccati originalis, an non, diffident inter ſe Thomiſtæ. Alii quippe ſentiunt Deum negativè reprobaſſe quos voluit ex hominibus, ante prævisum peccatum originale: alii verò, quos inter Thomas Lemos, Gonetus, Contenſonius, Maſſoulié, negant Deum reprobaſſe quemquam ex hominibus, niſi poſt & propter prævisam labem originalis peccati.

Congruiſtarum opinio, omnium duriſſima & aſperrima, hæc eſt: Deum, cùm exploraſſet per ſcientiam mediam omnes ordines poſſibiles, & quid in unoquoque facturi homines eſſent boni vel mali, alios quidem miſericorditer prædeſtinaſſe, alios verò pro ſola ſua voluntate negativè quodammodò reprobaſſe; ideòque eum, qui nunc eſt, rerum ordinem præ cæteris elegiſſe, in quo reprobis ea auxilia præparata ſunt, quæ Deus incongrua futura eſſe prænovit.

His expoſitis, multiplex ſeſe offert quæſtio tractanda.

1°. Adverſùs Calvinum: an reprobatio poſitiva antecedat prævisionem peccatorum, hominesque ex neceſſitate impellat ad peccandum.

2°. Adverſùs Molinianos: an nulla reprobatio ſit adultorum, niſi poſt prævisa actualia eorum peccata.

3°. An mali angeli, ante prævisum illorum peccatum, negativè reprobati ſint.

4°. An negativa hominum reprobatio ſupponat maſſam humani generis corruptam.

5°. An peccatum originale ſit cauſa, ſaltem radicalis & remota, reprobationis omnium hominum qui pereunt, etiam fidelium, quibus illud peccatum per baptiſmum remiſſum eſt.

6°. Denique an reprobationis comparatè conſideratæ afferri poſſit aliqua ratio ex parte reprobati.

Articulus Primus.

Calvini impietas refellitur.

P R O P O S I T I O.

Execrandus eſt error Calvini aſſerentis reprobationem poſitivam, ſeu prædeſtinationem ad ſupplicium æternum, antecedere præviſionem peccatorum, & homines ex neceſſitate impellere ad peccandum.

Probatur prima pars omnibus Scripturæ locis quæ docent Deum eſſe juſtum, eoque nomine pœnam decernere non poſſe niſi ſuppoſito peccato. Sap. XII. 15: *Cùm ſis juſtus, juſtè omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à virtute tua. Virtus enim tua juſtitiæ initium eſt.* Unde S. Auguſtinus, lib. 3 *contra Julianum*, cap. 18, dicit: „ Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus. Poteſt ali„ quos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt. Non poteſt quem„ quam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt."

Probatur altera pars iis omnibus Scripturæ teſtimoniis, quæ declarant Deum non eſſe auctorem peccati. Quomodò enim non eſſet auctor peccati, impellens ac neceſſitans ad peccandum?

Teſtantur prætereà Scripturæ ſacræ Deum non impellere nec neceſſitare quemquam ad peccandum. Eccleſiaſtici XV. 10 & ſeq. *A Deo profecta eſt ſapientia...... & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi. Ne dixeris, per Deum abeſt; quæ enim odit ne feceris. Ne dicas: ille me implanavit; non enim ei neceſſarii ſunt homines impii. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui: adjecit mandata & præcepta ſua...... Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.* Et S. Jacobus, cap. I. 13: *Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt; ipſe verò neminem tentat.*

Et ſanè ſi Deus impelleret aut neceſſitaret ad peccandum, *quomodò Deus judicabit hunc mundum*, ut in ſimili cauſa dicebat S. Paulus, Rom. III? Quid enim injuſtius, quid crudelius, quid à Deo alienius, quàm in quoquam id punire, quod ſe impellente fecerit?

Probatur 2° expreſſis SS. Patrum teſtimoniis, qui Calvini dogma, antequàm appareret, ut horrendam impietatem præfocarunt.

Ter-

Tertullianus, lib. *de Reſurrectione carnis*, cap. 14, ait „ Deum de ſuo „ optimum, de noſtro juſtum. Niſi enim homo deliquiſſet, optimum „ ſolummodò Deum noſſet ex naturæ proprietate: at nunc etiam juſtum „ eum patitur ex cauſæ neceſſitate; tamen & hoc ipſo optimum, dum „ & juſtum." Et lib. 2 *contra Marcion.* cap. 11: „ Ita prior bonitas „ Dei ſecundùm naturam; ſeveritas poſterior ſecundùm cauſam: illa in- „ genita, hæc accidens: illa propria, hæc accommodata: illa edita, „ hæc adhibita...... Alteram ſibi, alteram rei Deus præſtitit."

Clemens Alexandrinus, lib. 1 *Pædag.* cap. 9. pag. 127: „ Deus qui- „ dem bonus eſt per ſeipſum, juſtus autem propter nos, & ideò quia „ bonus."

S. Auguſtinus, lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 4. n. 10: „ Deus, in- quit, „ omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit, non tamen omnium „ quæ præſcit ipſe auctor eſt. Quorum autem non eſt malus auctor, „ juſtus eſt ultor." Et lib. 1. *de Ordine*, cap. 1, dicit magis impium eſſe affirmare mala omnia Dei voluntate committi, quàm negare divinam providentiam ad omnia pertendi.

Effugere tamen non potuit S. Doctor quin tantam impietatem ipſi im- putaverint gratuitæ prædeſtinationis adverſarii. Verùm illorum calum- nias poſt S. Auguſtini obitum fortiter repulit S. Proſper in Reſponſio- ne ad Capitula 1. 11. 14 & 15 Gallorum, & in Reſponſione ad 10am & 14am Vincentii objectionem, ubi ſic loquitur: „ Ad prævaricatio- „ nem legis, ad neglectum religionis,..... ad perpetrationem qualiſ- „ cunque peccati, nulla omnino eſt prædeſtinatio Dei. Nec fieri po- „ teſt ut, per quem à talibus malis ſurgitur, per eum in talia deci- „ datur."

Auctor Hypognoſticon hanc calumniam repellens, lib. 6. cap. 7: „ Qui verò abſque prædeſtinationis gratia ſunt, inquit, id eſt, alieni „ à propoſito Dei, & perdurant in operibus malis, ſi etiam ex hac „ migraverint vita, non eos dicimus, ut vos putatis, ita à Deo om- „ nium opifice ordinatos, ut perirent, tanquam ipſe illis mores malæ „ vitæ creaverit, ipſe ad omne opus mortis invitos præcipitaverit. Ab- „ ſit hoc à divino propoſito. Non enim volens eſt iniquitatem Deus: „ nec mandavit cuiquam impiè agere, nec alicui dedit laxamentum „ peccandi."

Eamdem blaſphemiam à ſe amoliuntur Patres ſynodi Arauſicanæ II, can. ultimo, his verbis: „ Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate „ prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non dicimus, ſed etiam, ſi qui ſunt „ qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis ana- „ thema dicimus."

Totus incumbit S. Fulgentius, lib. 1 *ad Monimum*, in hoc nefando errore refellendo. „ Sicut peccatum in eo non eſt, inquit cap. 6, ita „ peccatum ex eo non eſt. Quod autem ex eo non eſt, opus ejus utique

 „ non

Digitized by Google

„ non eſt. Quod autem nunquam eſt in opere ejus, nunquam fuit in „ prædeſtinatione ejus." Cap. 7: „ Non ergo prædeſtinati ſunt mali „ ad hoc quod malè operantur,..... ſed ad hoc quod juſtè patiuntur „ inviti. Prædeſtinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia neceſſitas exprimitur, ſed miſericors & juſta futuri operis divini ſempiterna diſpoſitio prædicatur." Cap. 13: „ Quos prædeſtinavit ad gloriam prædeſtinavit ad juſtitiam: quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam. Poſſet enim peccatum aliquod ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum „ juſtè peccare." Totus ille liber nihil aliud eſt quàm Calviniani dogmatis anticipata quædam & ſolidiſſima confutatio. Vide etiam ejusdem S. Doctoris librum 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 6, & lib. 3, cap. 5, & Adrianum I in *Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*.

Scriptores noni ſæculi, qui malorum prædeſtinationem ad ſempiternum interitum adverſùs Rabanum, Hincmarum & Joannem Scotum defenderunt, multò adhuc inſtantiùs ac fortiùs deteſtati ſunt eum, quem refellimus, errorem.

Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, q. 2. n. 28: „ Perditorum malæ voluntatis Deum eſſe auctorem, ait, nemo niſi inſcius & „ perditus opinari audebit. Neque enim, cujus voluntas ſummè bona „ eſt, malam eſſe facit alterius. Auctor itaque ſicut non eſt malæ „ voluntatis impiorum, ita nec aliorum quorumlibet peccatorum quæ „ ex ea procedunt."

Florus idem docet, tanquam catholicâ fide firmiſſimè tenendum, in ſerm. *de Prædeſtinatione*, & in libro *contra Scotum*, cap. 3. Cùm autem Gotteſchalco illam impietatem imputarent ejus adverſarii, quam Calvinus vomere auſus eſt, videlicet *quòd prædeſtinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim & neceſſitatem inferat ad malum, ut inevitabiliter mali ſint, & omnino aliud eſſe non poſſint*, reſpondet Florus, cap. 4, „ hoc omnino alienum eſſe à fide catholica; nimis abſurdum & impium eſſe, ut dicatur quòd aliquem cogat & compellat eſſe malum,
Pſ. 10. v. 8. „ de quo ſcriptum eſt: *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit*...... Qui autem, ait, vim & neceſſitatem peccandi Deum intuliſſe homini vel „ inferre dicit, manifeſtè horribiliter in Deum blaſphemat, quem ad „ peccata compellendo utique auctorem peccati eſſe confirmat."

Eccleſia Lugdunenſis, in libro *de Tribus Epiſtolis*, cap. 4, regulâ 5, & in libro *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 5, Calvinianum illud dogma vocat *horrendam blaſphemiam*.

Non abſimili modo loquuntur S. Amolo, in *Epiſtola ad Gotteſchalcum*, ſect. 7; Lupus Ferrarienſis in collectaneo *de Tribus Quæſtionibus*, q. 1; Ratramnus monachus Corbeienſis, lib. 2 *de Prædeſtinatione;* S. Prudentius in *Epiſtola ad Hincmarum & Pardulum*, cap. 3.

Tom. 1 Mauguin, pag. 38.

In Appendice Cellotii hiſtoriæ Gotteſchalci.

Denique concilia Valentinum III & Lingonenſe, can. 2: „ Non ex „ præ-

„ præjudicio Dei aliquem, ſed ex merito propriæ iniquitatis, credimus „ condemnari; nec ipſos malos ideò perire, quia boni eſſe non potue- „ runt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnatio- „ nis, vel merito originali, vel etiam actuali, permanſerunt.“ Et can. 3 renovant totidem verbis Arauſicanum canonem ſupra relatum.

Igitur omnes Eccleſiaſtici ſcriptores, qui pro gratia Chriſti & gratuita prædeſtinatione electorum fortiùs dimicarunt, Calvini dogma, cui prætenſa illius Reformatio magna ex parte innititur, tanquam hæreticum, impium, blaſphemum atque horrendum, uno conſenſu deteſtati ſunt.

Solvuntur objectiones.

Quàmvis pro tantæ impietatis defenſione audiri nihil debeat, ad intelligentiam tamen nonnullorum locorum Scripturæ & ſanctorum Patrum, Auguſtini præſertim, cujus ſuffragio ſectarii falsò gloriantur, apologiam, præcipuis Calvini argumentis breviter eſt ſatisfaciendum.

Objicit hæc loca Scripturarum. Actorum II. 23: *Hunc* (Jeſum), ait S. Petrus, *definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis.* Et IV. 28: *Convenerunt verè in civitate iſta adverſùs puerum tuum Jeſum* (verba ſunt omnium Apoſtolorum),... *facere quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri.* Prov. XVI. 14: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impiùm quoque ad diem malum.* Eccleſiaſtæ VII. 14, ſecundùm hebraicam veritatem: *Quis poteſt dirigere quem Deus depravaverit*, ſeu, ut vertunt 70, *perverterit?* Ubi nos in Vulgata legimus: *Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit.* Denique illa teſtimonia, in quibus indurare & excæcare Deus dicitur.

Reſpondeo ad duo loca Actorum, Deum quidem tradidiſſe Filium ſuum in mortem, & decreviſſe illam mortem, ſed minimè decreviſſe peccatum Judæorum, à quibus Chriſtus morti traditus eſt. Unus idemque effectus & ſanctus fuit, & ſceleratus: ſanctus, quatenus à Deo fuit decretus & prædeſtinatus pro hominum ſalute; ſceleratus, quatenus per immane crimen Judæorum peractus eſt, quod quidem crimen Deus non decrevit, nec fecit, ſed permiſit & ordinavit. „ Judas tradidit ad paſſionem Filium Dei, inquit S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalm. 93. n. 28, „ & per paſſionem Filii Dei omnes gentes redemptæ ſunt ad ſalutem: „ nec tamen pro ſalute gentium merces reddita eſt Judæ, ſed pro ejus „ malitia debitum ſupplicium retributum eſt. Nam ſi traditio Chriſti, „ & non tradentis animus conſiderandus eſt, hoc fecit Judas quod fecit Rom. VIII. 32. „ Deus Pater, de quo ſcriptum eſt, *quia proprio Filio non pepercit, ſed* „ *pro nobis omnibus tradidit illum.* Hoc fecit Judas quod fecit ipſe Do- „ minus Chriſtus, de quo ſcriptum eſt: *Qui ſeipſum tradidit pro nobis* Epheſ. V. 2. „ *hoſtiam & oblationem Deo in odorem ſuavitatis.....* Et tamen gra- „ tias agimus Deo Patri, qui unico Filio non pepercit, ſed pro nobis „ tra-

Digitized by Google

„ tradidit illum: gratias agimus ipſi Filio, qui ſeipſum tradidit pro „ nobis, & in eo voluntatem Patris implevit; & deteſtamur Judam, de „ cujus facto nobis tantum beneficium præſtitit Deus, & rectè dici- „ mus: reddidit ei Dominus ſecundùm iniquitatem ejus." Et tract. 7 in 1 *Epiſtolam S. Joannis*, n. 7: „ Facta eſt traditio à Patre; facta „ eſt traditio à Filio; facta eſt traditio à Juda: una res facta eſt..... „ Diverſa ergo intentio diverſa facta fecit. Cùm ſit una res, ex di- „ verſis eam intentionibus ſi metiamur, unum amandum, alterum dam- „ nandum, unum glorificandum, alterum deteſtandum invenimus. „ Tantùm valet caritas." Quàmvis ergo Deus juſtè decreverit Chriſtum moriturum, non tamen decrevit crimen Judæ ac Judæorum, nec eos impulit ad peccandum.

Locus Proverbiorum non ſignificat Deum feciſſe impium ut impium, vel ad impietatem impuliſſe; ſed Deum, qui omnia propter ſemetipſum operatus eſt, illos ipſos, quos prævidit fore impios, creaviſſe ad gloriam ſuam, ordinando illos ad æterna ſupplicia, in quibus juſtitia ipſius elucebit.

Eccleſiaſtæ VII impropriè dicitur Deus depravare ſeu pervertere peccatorem, cui juſto judicio non dat gratiam interiorem quâ convertatur & ſalvetur: unde Vulgatus interpres optimè vertit, *quem Deus deſpexerit.*

Eodem ſenſu improprio dicitur Deus excæcare & obdurare, non quòd propriè cauſa ſit excitatis & duritiæ ſpiritualis, ſed quando non dat lumen interius, quo cæcitas cordis ſanetur, nec infundit caritatem, quâ ſolâ cor emollitur, uno verbo quando ſubtrahit conſueta gratiæ auxilia, quibus ſubtractis, homo fit tenebroſior & durior. Excæcat etiam & indurat indirectè, quando, in pœnam præcedentium peccatorum, objicit ſenſibus aut phantaſiæ nonnulla, quæ homini jam malè diſpoſito & ad peccatum inclinato fiunt occaſiones gravioris ruinæ, ut præclarè exponit S. Auguſtinus, quæſt. 18 in Exodum, ubi loquitur de induratione Pharaonis. „ Quàmvis, ait, uniuſcujuſque cordis in malitia „ qualitas, id eſt, quale cor habeat ad malum, ſuo fiat vitio, quod „ inolevit ex arbitrio voluntatis, eâ tamen qualitate malâ ut huc vel „ illuc moveatur, cùm ſive huc, ſive illuc malè moveatur, cauſis fit „ quibus animus propellitur: quæ cauſæ ut exiſtant, vel non exiſtant, „ non eſt in hominis poteſtate, ſed veniunt ex occulta providentia, „ juſtiſſima ſanè & ſapientiſſima, univerſum quod creavit diſponentis & „ adminiſtrantis Dei. Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientiâ „ Dei non moveretur ad pietatem, ſed potiùs ad impietatem, vitii „ proprii fuit: quòd verò ea facta ſunt, quibus cor ſuo vitio tam ma- „ lignum reſiſteret juſſionibus Dei,..... diſpenſationis fuit divinæ, quâ „ tali cordi non ſolùm juſta, ſed evidenter juſta pœna parabatur, quâ „ timentes Deum corrigerentur. Propoſito quippe lucro, verbi gratiâ,

„ prop-

Digitized by Google

„ propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ „ contemptor movetur, ille ſcilicet ad facinus perpetrandum, ille ad „ cavendum; ipſius tamen lucri propoſitio in alicujus illorum non fuit „ poteſtate. Ita cauſæ veniunt hominibus malis, quæ non ſunt qui- „ dem in illorum poteſtate; ſed hoc de illis faciunt, quales eos inve- „ nerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate.“ Ex quo manifeſtum eſt Deum non impellere ad peccandum, nec malitiæ, quâ peccatur, auctorem eſſe, ſed ordinare hominum peccata, atque interdum juſto judicio id agere, ex quo accidit graviora peccata pœnam eſſe præcedentium peccatorum.

Objicit 2° S. Auguſtinum dicentem, non ſolùm per patientiam, ſed etiam per potentiam Dei homines in peccata compelli, & Judam electum ſeu prædeſtinatum fuiſſe ut funderet ſanguinem Chriſti. Nimirum lib. 5 *contra Julianum*, cap. 3. n. 13, ſic illum alloquitur S. Doctor: „ Quid eſt autem quod dicis: *Cùm deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti* „ *per divinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata* „ *compulſi?* Quaſi non ſimul poſuit hæc duo idem Apoſtolus, & pa- „ tientiam & potentiam, ubi ait: *Si autem Deus, volens oſtendere iram,* „ *& demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ quæ* „ *perfecta ſunt in perditionem.*“ Et lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 7. n. 14, loquens de prædeſtinatis: „ Electi ſunt, inquit, ad regnandum „ cum Chriſto, non quomodò electus eſt Judas ad opus cui congrue- „ bat..... Illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum „ per judicium; illos ad obtinendum regnum ſuum, illum ad funden- „ dum ſanguinem ſuum.“

Reſpondeo, ad 1um locum, S. Auguſtinum non dicere, ut ei Julianus imputabat, homines per divinam potentiam compelli ad peccandum, ſed Deum ſic interdum priora peccata poſterioribus, quorum tamen auctor aut impulſor non eſt, punire, ut in eo potentiam ſuam demonſtret. Quæſtio ibi agitatur an peccatum aliquando ſit præcedentis pœna peccati. Affirmabat S. Auguſtinus; negabat Julianus, ſolamque in ſufferendis hominum peccatis patientiam Dei agnoſcebat. Contra S. Auguſtinus oſtendit non ſolùm elucere patientiam Dei peccata permittentis, ſed etiam potentiam, non quâ compellat peccare, ut vult Calvinus, abſit, ſed quâ magnis quibuſdam calamitatibus & portentis ſuperbos & contumaces homines affligat, quibus illi adeò non corriguntur, ut, ſumptâ inde occaſione, magis ac magis excæcentur, & contra Deum ac veritatem indurentur, ut patet in Pharaone, atque etiam in Judæis, quibus miracula Chriſti majoris impietatis occaſio fuere.

Alterius loci ſenſus eſt, Judam, cujus perfidiam Deus prævideræt & permiſſurus erat, non facturus, electum fuiſſe ex multis unum, non ut funderet ſanguinem Chriſti, ſed ut Deus tanto illius ſcelere uteretur ad humanum genus redimendum. Mentem ſuam explicat ibidem S. Doctor:

„ Ab illo quippe, inquit, electus eſt (Judas), qui novit benè uti „ etiam malis, ut & per ejus opus damnabile illud, propter quod ipſe „ venerat, opus venerabile compleretur.“

ARTICULUS SECUNDUS.

An reprobatio negativa hominum adultorum ſupponat eorum actualia peccata.

RROPOSITIO.

Negativa adultorum reprobatio non ſupponit prævisa eorum peccata actualia

PROBATUR omnibus auctoritatibus & argumentis, quibus ſupra oſtenſum eſt prædeſtinationem præcedere omnem prævisionem meritorum. Cùm enim eodem inſtanti rationis Deus & electos prædeſtinaverit ad gloriam, & cæteros ſibimetipſis relinquendos decreverit, manifeſtum eſt, ſi electi ante prævisa illorum merita liberantur à maſſa perditionis, reprobos quoque ante prævisa actualia ipſorum peccata in eadem damnationis maſſa relinquendos decerni.

Hoc evidenter declarat S. Paulus, Rom. IX, exemplo Jacob & Eſaü. *Cùm enim*, inquit, *nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus,* Gen. XXV. 23. *ſed ex vocante dictum eſt ei* (Rebeccæ): *major ſerviet minori; ſicut ſcriptum eſt:* Malach. XII. *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Ibi, ſicut futura bona opera prædeſtinationis, ita futura peccata actualia reprobationis cauſam non eſſe, docet Apoſtolus, idque confirmatur ex toto illo capite, in quo definit Deum *cujus vult miſereri, & quem vult indurare*, & *poteſtatem habere*, ſicut *figulum luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Certè ſi nemo reprobaretur, niſi poſt prævisa actualia peccata, hoc dicere S. Paulus debuit, ut hominum querelis ſatisfaceret, atque oſtenderet non eſſe iniquitatem apud Deum. Atqui hoc non dicit, imò ubique recurrit ad voluntatem Dei, tanquam ad ſupremam prædeſtinationis & reprobationis cauſam, ſilentiumque humanæ rationi imponit his verbis: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic?*

Hoc

Hoc argumento utitur S. Auguſtinus lib. 1 *Quæſtionum ad Simplicianum*, q. 2. n. 8. „ An fortè, ait, quemadmodum illud de Jacob nul-
„ lis meritis bonæ actionis dictum eſt, ita Eſaü nullis meritis malæ
„ actionis odioſus? Si enim, quia præſciebat Deus futura ejus opera
„ mala, ideò eum prædeſtinavit ut ſerviret minori, propterea prædeſ-
„ tinavit & Jacob, ut ei major ſerviret, quia futura ejus bona opera
„ prævidebat, & falſum eſt jam quod ait: *non ex operibus.*" Num. 9 probat Jacob non fuiſſe dilectum merito fidei prævifæ, quia fides ipſa Dei donum eſt. Et n. 10: „ Sed cur hæc miſericordia ſubſtracta eſt
„ ab Eſaü, ut non ſic vocaretur, ut & vocato inſpiraretur fides, & cre-
„ dens miſericors fieret, ut benè operaretur? An fortè quia noluit? Si
„ ergo Jacob ideò credidit quia voluit, non ei Deus donavit fidem,
„ ſed eam ſibi ipſe volendo præſtitit, & habuit aliqnid quod non ac-
„ cepit." Audis tam certum eſſe reprobationem adæquatam non ſupponere actualia peccata, quàm certum eſt prædeſtinationem non ſupponere ulla merita; imò ambo illa unum ac idem eſſe.

2°. Ex eodem Apoſtolo & SS. Patribus, inſcrutabile eſt cur illi aſſumantur in gloriam, illi derelinquantur. Atqui hoc non eſſet inſcrutabile, ſi reprobatio fieret propter prævifa peccata actualia.

3°. Eadem ratio eſſe debet reprobationis omnium hominum qui à gratia excidunt. Atqui certi ſunt homines qui non reprobantur propter peccata actualia, nempe parvuli qui cum ſolo originali moriuntur. Ergo nullorum hominum reprobatio fit propter actualia peccata.

Denique peccata actualia non ſunt cauſa reprobationis adultorum, ſi permiſſio peccatorum actualium ſit effectus reprobationis. Atqui res ita eſt. Sicut enim idcirco datur electis gratia efficax, quâ perducuntur ad vitam æternam, quia ſunt ab æterno prædeſtinati; ita idcirco reprobi permittuntur cadere in peccata quibus damnationem merentur, quia Deus decrevit eos relinquere in maſſa perditionis. Cur enim Deus hos liberat, illos non liberat, niſi quia hos prædeſtinavit, illos non prædeſtinavit? Hinc Chriſtus, Joannis X. 26, non ait: ideò non eſtis ex ovibus meis, quia non creditis; ſed, *ideò vos non creditis*, hoc eſt, ideò vobis non datur fides, quâ perveniatur ad regnum, *quia non eſtis ex ovibus meis*, è numero prædeſtinatorum. Et S. Thomas, 1 part. q. 23. art. 3. in corp. „ Sicut, ait, prædeſtinatio includit voluntatem
„ conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem
„ permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœ-
„ nam pro culpa:" quibus verbis perſpicuè docet permiſſionem peccati non præcedere reprobationem, ſed ex ea conſequi.

Digitized by Google

ARTICULUS TERTIUS.

An angeli qui ceciderunt ante præviſum ipſorum peccatum negativè reprobati ſint.

PROPOSITIO.

Angeli qui ceciderunt ante prævisum ipſorum peccatum negativè reprobati ſunt, ſi tamen decretum permittendi illos excidere à gloria reprobatio dici poteſt.

DICO, ſi decretum permittendi illos excidere à gratia poteſt dici reprobatio. Nam vox *reprobatio*, ſi propriè accipiatur, videtur importare aliquam pœnam, ſignificatque rei vel perſonæ vilis & indignæ rejectionem, ac proinde rectiùs applicatur derelictioni hominum in maſſa damnationis, quàm permiſſioni peccati angelorum, in quibus, antequàm caderent, nulla erat indignitas. Quoniam tamen uſus obtinuit ut ea vox ex hominibus ad angelos transferretur, dicimus angelos malos negativè reprobatos fuiſſe, hoc eſt, Deum decreviſſe illos non ordinare efficaciter ad vitam æternam ante præviſum eorum caſum.

Probatur ex eis quæ alio loco dicta ſunt de ſtatu innocentiæ & de gratia illius ſtatûs. Si enim angeli, præter adjutorium *ſine quo*, quod eis dabat & voluntatem liberam & ſufficientiſſimam facultatem, opus habebant auxilio efficaci & prædeterminante, quod Deus pro ſuo beneplacito dederit angelis qui perſeveraverunt, & non dederit angelis qui ceciderunt, ut ibi oſtenſum fuit, manifeſtum eſt prædeſtinationem bonorum angelorum, & reprobationem malorum, factam eſſe non ex præviſis utrorumque meritis & demeritis, ſed pro libera Dei voluntate diſcernente, gratuito prorſus & indebito beneficio, lucem à tenebris, hoc eſt, angelos qui gratiæ efficacis munere in veritate ſteterunt, ab angelis qui propriâ ſuâ defectione à luce veritatis averſi ſunt.

Neque id debet injuſtum videri. Non enim injuſtus eſt qui non dat alieno quod non tenetur illi dare. Debebat equidem Deus ſuæ bonitati & ſuæ ſapientiæ ut naturam angelicam bonam & juſtam crearet, utque illam inſtrueret facultate & auxiliis ſufficientiſſimis ad perſeverandum in juſtitia. Sed nec angelis, nec ſibi debebat ut eos in bono immutabiles faceret, vel ut ipſam perſeverantiam eis donaret. Quòd ergo eam

eam plurimis dedit, gratuitum beneficium eſt. Quòd non omnibus, altitudo eſt, occulta quidem, ſed juſta, divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus incomprehenſibilia ſunt judicia & inveſtigabiles viæ.

Articulus Quartus.

An negativa hominum reprobatio ſupponat maſſam ob meritum originalis peccati damnatam.

Ex iis quæ de angelis modò dicta ſunt patet homines, æquè ac angelos, negativè reprobari à Deo potuiſſe ante prævifum originale peccatum, abſque eo quòd propterea ulla eſſet in Deo iniquitas. Utrùm autem, quod ſine injuſtitia fieri potuiſſet, reverà factum ſit; an Deus neminem hominum priùs reprobavit excludendo à ſalute, quàm univerſam humani generis maſſam peccato infectam præviderit, hoc nunc quæritur.

PROPOSITIO.

Nullus hominum negativè reprobatus eſt à Deo ante prævifum peccatum Adæ, illiusque peccati in omnes Adæ poſteros tranſitum.

Probatur 1°, quia eodem inſtanti rationis prædeſtinatio & reprobatio factæ ſunt. Atqui Deus neminem prædeſtinavit, niſi poſt prævifum originale peccatum, ut patet, tum quia prædeſtinati ſumus in Chriſto, tanquam in cauſa exemplari noſtræ prædeſtinationis, cùm certum ſit prædeſtinationem Chriſti ſupponere peccatum Adæ, ſine quo Filius Dei incarnatus non eſſet; tum quia prædeſtinatio noſtra, juxta S. Auguſtini definitionem ubique receptam, nihil aliud eſt quàm *præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur* à maſſa perditionis.

Hæc igitur, non temporis, ſed rationis inſtantia, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, in Deo diſtinguenda ſunt: 1°. Decrevit creare Adamum & Evam æternæ in cœlo felicitatis capaces. 2°. Decrevit permittere illorum peccatum, utque illud peccatum ad omnes ex eis naſcituros pertranſiret. 3°. Prævidit peccatum Adæ, ſimulque omnium hominum originale peccatum, uno verbo totam humani generis maſſam peccato obligatam & ſempiternæ damnationis ream. 4°. Decrevit

Filium ſuum unigenitum incarnari, & eum pro humano genere redimendo morti tradere. 5°. Decrevit certum ac definitum numerum hominum, intuitu meritorum Chriſti, diſcernere à communi damnationis maſſa, cæteros omnes in ea juſto judicio derelinquere.

Probatur 2° hic ordo è Scripturis, ac præſertim ex Epiſtola ad Romanos, ubi S. Paulus, ex profeſſo tractans de hominum electione & reprobatione, ſupponit ubique originale peccatum. Nam, antequàm ad exponendum illud myſterium accedat, peccati Adæ in omnes ejus poſteros tranſitum aſtruit toto ferè cap. V. Deinde, cap. IX, electorum & reproborum typum demonſtrat in Jacob & Eſaü, de quibus, dum in materno utero eſſent, dictum eſt: *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Porro certum eſt illos geminos in utero materno originali labe infectos fuiſſe. Denique prædeſtinationem & roprobationem eis verbis exprimit, quæ peccatum manifeſtè ſupponunt. Prædeſtinationem quidem multoties appellat miſericordiam: *Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor. Cujus vult miſeretur.* Miſericordia verò miſeriam, adeòque peccatum ſupponit. Reprobationem verò appellat 1° odium: *Eſaü autem odio habui.* Porro licet, juxta nonnullos, Deus dici poſſit negativè odiſſe quos non diligit ad vitam æternam, quo ſenſu dixiſſe videtur Angelicus Doctor, part. 1. q. 23. art. 3. ad 1: „ In quantum Deus quibusdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æter„ na, dicitur eos odio habere vel reprobare;" fatendum tamen voce *odii* poſitivum quid in Scripturis ſolere intelligi; ut Pſalmo V. 7: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Sap. XIV. 9: *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Ibid. cap. XI. 25: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Unde ſic argumentor: Deus in ſuis creaturis nihil odit niſi peccatum. Atqui Deus Eſaü & omnes reprobos, antequàm quidquam mali egiſſent aut acturi eſſent propriâ voluntate, odiſſe dicitur. Ergo in eis odit originale peccatum. 2°. Reprobationem appellat indurationem: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Atqui induratio non eſt permiſſio primi peccati, ſed præcedentis pœna. 3°. Reprobos vocat *vaſa iræ.* Non ſunt autem vaſa iræ, niſi propter culpam, & eam utique originalem. 4°. Toto illo nono capite reprobationem, quam negativam dicimus, deſcribit tanquam actum juſtitiæ vindicativæ, ut attentè legenti perſpicuum erit. Omnis autem juſtitia vindicativa ſupponit peccatum quod puniatur.

Probatur ex SS. Patribus.

S. Auguſtinus illud paſſim docet adeò evidenter, ut evidentius nihil eſſe queat.

In Epiſtola 186, ad Paulinum, cap. 6. n. 16, laudatis his Apoſtoli verbis, *miſerebor cujus miſerebor*, ſic loquitur: „ Quid nos hic docuit, „ niſi, ex illa maſſa primi hominis, cui merito mors debetur, non ad „ merita hominum, ſed ad miſericordiam Dei pertinere quòd quiſque

„ li-

„ liberatur; atque ita non eſſe iniquitatem apud Deum, quia, neque „ remittendo, neque exigendo quod debetur, injuſtus eſt? Ibi enim „ gratia eſt indulgentia, ubi juſta poſſet eſſe vindicta. Et hinc evi- „ dentiùs apparet à pœna debita liberato & gratiâ juſtificato quantùm „ beneficii conferatur, quòd alter æqualiter reus ſine punientis iniqui- „ tate punitur.“ Et num. 18: „ Hæc maſſa ſi ita eſſet media, ut, „ quemadmodùm nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſ- „ tra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vaſa in contumeliam. Cùm „ verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem univer- „ ſa defluxerit, procul dubio, quòd ex ea fiant vaſa in honorem, „ non ipſius juſtitiæ, quæ gratiam nulla præceſſit, ſed Dei miſericor- „ diæ; quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ abſit ut ſit „ apud Deum, ſed judicio deputandum eſt.“ Hæc verba, ſicut præ- ſentem Propoſitionem clarè adſtruunt, ita præcedenti non adverſantur. Non enim ait S. Doctor iniquum fore, ſi ex maſſa non corrupta, qualis fuit angelorum, aliis detur perſeverantiæ bonum, alii permittantur labi in peccatum; ſed ait iniquum fore, ſi, ex maſſa quæ mala non ſit, alii ſalventur, alii puniantur. Quod ſupponit reprobationem hominum non eſſe actum ſimplicem providentiæ Dei, ad quam pertinet, ut ait S. Thomas, part. 1. q. 23. art. 3. in corp. „ ut permittat aliquos à ſuo fine „ deficere,“ ſed actum juſtitiæ vindicativæ, ſive agatur de infligenda pœna parvulis reprobatis (de quibus eo loco loquitur S. Auguſtinus), ſive de adultis, in pœnam præcedentis originalis peccati, per gratiæ ſubtractionem excæcandis & indurandis. Aliud eſt quippe auxilium efficax perſeverantiæ non concedere & peccatum permittere, conceſſis tamen auxiliis ex parte potentiæ ſufficientiſſimis & expedientiſſimis, quod angelis cadentibus contigit; aliud hominem omni gratiæ auxilio privatum horrendæ ignorantiæ tenebris & inordinatæ concupiſcentiæ depravationi dimittere, ut infidelibus v. g. contingit. Illud divinæ providentiæ profundum eſt: hoc verò pœnale eſſe quis non intelligat? Meritò itaque S. Auguſtinus dicit, ſi humani generis maſſa mali aliquid non mereretur, non fruſtra videri injuſtum ut ex ea fierent vaſa in contumeliam, eo ſcilicet modo quo fiunt, non per ſimplicem permiſſionem peccati, ſed per judicium omnino pœnale. Hoc ante oculos habere oportet, ad intelligendam hac de re S. Auguſtini mentem, circa quam multi hallucinantur.

Pergit in eadem Epiſtola S. Doctor, & ait num. 21: „ Quomodò, „ inquiunt, Eſaü non damnatur indignus, ſi *non ex operibus*, *ſed ex* „ *vocante dictum eſt*, *quia major ſerviet minori?* Sicut enim illius nulla „ præceſſerant opera bona, ut ad gratiam pertineret; ſic nec hujus ma- „ la, ut ad pœnam pertinere deberet. Nulla planè in utroque opera, „ vel bona, vel mala, ſed propria.“ (Hinc conclude reprobationem non ſupponere prævisa actualia peccata). „ Uterque autem illi uni ob-

„ noxius

„ noxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes in illo morerentur...... Si ambo, qui nondum propria, vel bona, vel mala, operabantur, rei tamen ex origine naſcebantur, laudet miſericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur.“ Ergo S. Paulus, ex Auguſtino, cùm dicit Eſaü odio habitum antequàm mali aliquid egiſſet, ſola excludit actualia, originale verò ſupponit.

In Epiſtola 190, olim 157, ad Optatum, cap. 3. n. 9: „ Meritò videretur injuſtum, quòd fiunt vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adam maſſa damnata. Quòd ergo fiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quòd autem fiunt renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam.“ Supponit ubique S. Doctor in hominum reprobatione & derelictione eſſe aliquid pœnale, idcòque docet iniquam illam fore, ſi originalis peccati prævisionem antecederet.

In Epiſtola 194, olim 105, ad Sixtum, cap. 3. n. 14: „ Quærimus meritum obdurationis, & invenimus; merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Quibus autem non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur; & potiùs, ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur.“ Ibi evidenter agitur de reprobatione negativa, hoc eſt, de decreto non impertiendi reprobis eam miſericordiam quæ tribuitur electis. Tamen Auguſtinus eam vocat obdurationem, & peccatum originis ſupponere affirmat. Quod evidentiùs adhuc declarat cap. 8. n. 34, his verbis: „ Quid diligebat in Jacob, antequàm natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſaü, antequàm natus feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum?“

Lib. 1 *Quæſtionum ad Simplicianum*, quæſt. 2, cùm multis probaſſet rejectionem Eſaü factam non eſſe ob prævisa illius mala opera, eoquòd alioquin dici oporteret & Jacob propter prævisa ipſius bona opera dilectum, diligentiùs quærit quid tamen cauſæ ſit ut Eſaü negatum ſit quod Jacob attributum eſt. „ Cur ergo, inquit n. 14, Eſaü non eſt ſic vocatus ut vellet obedire?..... Quis enim dicat modum, quo ei perſuaderetur ut crederet, etiam omnipotenti defuiſſe?“ En ipſa, quam hìc tractamus, quæſtio. Reſpondet autem, n. 16, S. Doctor: „ Quis non videat iniquitatis argui neminem poſſe, qui quod ſibi debetur exegerit; nec eum certè qui, quod ei debetur, donare voluerit; hoc autem non eſſe in eorum qui debitores ſunt, ſed in ejus cui debetur arbitrio? Hæc imago, vel, ut ſupra dixi, veſtigium negotiis hominum de faſtigio ſummo æquitatis impreſſum eſt. Sunt enim omnes homines...... una quædam maſſa peccati, ſupplicium debens divinæ ſummæque juſtitiæ, quod ſive exigatur, ſive donetur, nulla eſt iniquitas: à quibus autem exigendum, & quibus donandum ſit, ſuperbè

„ ju-

Digitized by Google

„ judicant debitores.“ Poſteà, n. 17: „ Illud tantùm inconcuſſâ fide „ teneatur, quòd non ſit iniquitas apud Deum, qui ſive donet, ſive „ exigat debitum, nec ille, à quo exigit, rectè poteſt de iniquitate „ ejus conqueri, nec ille, cui donat, debet de ſuis meritis gloriari. „ Et ille enim, niſi quod debetur, non reddit; & ille non habet niſi „ quod accepit.“ Poſtulat deinde, n. 18, quomodò quod ait Apoſtolus, Eſaü odio habitum eſſe, conſentiat libro Sapientiæ declaranti Deum nihil odiſſe eorum quæ fecit; ac ſic reſpondet: „ Non odit Deus Eſaü „ hominem, ſed odit Deus Eſaü peccatorem...... Quòd ergo Jacob „ dilexit, numquid non peccator erat? Sed dilexit in eo, non culpam „ quam delebat, ſed gratiam quam donabat...... Non itaque odit Deus, „ nec in quantùm homines ſunt, nec in quantùm vaſa ſunt, id eſt, „ nec quod in eis fecit creando, nec quod in eis facit ordinando; nihil „ enim odit eorum quæ fecit...... Odit enim in eis impietatem, quam „ ipſe non fecit.“ Et lib. 6 *contra Julianum*, cap. 3. n. 6: „ In una „ igitur eademque maſſa alius relinquitur juſtitiâ judicante, non fato, „ alius aſſumitur gratiâ præſtante, non merito.“

Demum in Enchiridio, cap. 99: „ Miſeretur (Deus) magnâ boni„ tate: obdurat nullâ iniquitate...... Sola enim gratia redemptos diſ„ cernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab „ origine ducta cauſa communis.“

Ex his tam manifeſtis teſtimoniis liquidum eſt reprobationem hominum, etiam negativam, hoc eſt, decretum non ſalvandi, ſupponere in mente S. Auguſtini corruptam humani generis maſſam, nec meram eſſe beneficii indebiti negationem, qualis fuit angelorum qui ceciderunt reprobatio ac ſibi ipſis permiſſio, ſed juſtam punitionem & in peccato obdurationem.

Auguſtino conſentit ſynodus Africanorum Præſulum in Sardiniam relegatorum, in Epiſtola ſynodica, cap. 6, ubi approbant & confirmant quod à monachis Scythis dictum erat, „ quòd, Eſaü & Jacob „ necdum natis, Jacob per miſericordiam gratuitam eligitur, Eſaü au„ tem originali peccato detentus juſto judicio Dei eſt odio habitus,“ hoc eſt, reprobatus. Et cap. 7: „ Deus...... in Eſaü judicium juſtæ „ ſeveritatis oſtendit, qui, ſacramento quidem circumciſionis octavo „ die, ſecundum tenorem divinæ conſtitutionis, accepto, reatu pec„ cati originalis caruit, ſed per nequitiam cordis in hominis terreni „ vetuſtate permanſit, illius ibi judicio derelictus, qui gratis ſalvat „ juſtèque condemnat.“

Petrus Diaconus ejuſque ſocii in Epiſtola ad illos Præſules, cap. 7: „ Nos, inquiunt, inſcrutabilia credentes, & demonſtrantes Dei judi„ cia, ex una maſſa perditionis alios ſalvari dicimus bonitate & gratiâ „ Dei, alios juſto & occulto judicio derelinqui.

S. Gregorius magnus, vel alius auctor, in Pſalm. 101, ad hæc ver-

bâ: *Cinerem tanquam panem manducabam*, ait: „ Cùm, juxta Apoſtoli „ ſententiam, *neque volentis*, *neque currentis*, *ſed miſerentis ſit Dei*, „ alios, qui corruerant, miſericorditer erigit, alios, qui ſtare videban- „ tur, cadere juſtè permittit. Ex peccato namque primi parentis acce- „ pimus ut ne in ipſa juſtitia ſtabiles eſſe poſſimus."

Idem docent nono ſæculo Florus & Eccleſia Lugdunenſis per Antiſti-tem ſuum S. Remigium. Florus, in lib. *de Prædeſtinatione contra Scotum*, cap. 11, in refutatione primæ definitionis: „ In Eſaü ſolo „ originalis peccati reatu odio habito prædeſtinatio reproborum ad in- „ teritum (declarata eſt)." Et poſteà: „ Manifeſtè oſtendit Deus & „ ſe eſſe figulum, & omne humanum genus in manu ipſius quaſi lutum „ in manu figuli, ut ex eo faciat vaſa diverſa, ſicut placuerit in oculis „ ejus: ex una videlicet maſſa, & tota in Adam æqualiter damnata, „ efficiens vaſa judicio ſuo diſtincta atque diverſa, dum aliud ex eis fit „ in honorem, aliud verò in contumeliam."

Eccleſia verò Lugdunenſis, libro *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 4: „ Manifeſtè, inquit, hoc odium Dei in Eſaü ex merito fuit origi- „ nalis peccati: illa verò dilectio Dei in Jacob, cùm eodem damnatio- „ nis merito teneretur obligatus, ex ſola gratuita miſericordia exti- „ tit." Et in libro *de Tribus Epiſtolis*, cap. 12: „ Quos autem ſalva- „ re noluit, ubi, niſi in illa ex Adam veniente maſſa damnationis, re- „ liquit?"

Denique S. Thomas paſſim docet repobationis hominum cauſam eſſe originale peccatum. Quæſt. 6 de Verit. art. 2. ad 9: „ Electio Dei, „ quâ unum eligit & alium reprobat, rationalis eſt: nec tamen oportet „ quòd ratio electionis ſit meritum, ſed in ipſa electione ratio eſt divi- „ na bonitas. Ratio autem reprobationis eſt in hominibus peccatum ori- „ ginale, ut dicit Auguſtinus, vel hoc ipſum quod eſt non habere de- „ bitum ad hoc quòd eis gratia conferatur." Igitur, ut obſervat Gonetus in Manuali Thomiſtarum, tom. 1. lib. 5. cap. 3. §. 3, „ juxta „ doctrinam D. Thomæ, datur duplex motivum reprobationis, ſeu in- „ tentionis efficacis excludendi reprobos à gloria, nempe titulus inde- „ bitæ gloriæ," & ſub hoc reſpectu reprobatio non habet rationem pœnæ, ſed meræ negationis, „ & titulus debitæ juſtitiæ propter pec- „ catum originale;" ſub quo reſpectu reprobatio habet rationem pœnæ & privationis. „ Primus tantùm locum habet in reprobatione ma- „ lorum angelorum: uterque verò reperitur in reprobatione hominum;" ac proinde reprobatio hominum ſupponit peccatum originale.

Idem S. Doctor, 1 part. q. 23. art. 5. ad 3: „ Voluit Deus in homi- „ nibus, quantùm ad aliquos, ſuam repræſentare bonitatem, per mo- „ dum miſericordiæ parcendo, & quantùm ad aliquos, quos reprobat, „ per modum juſtitiæ, puniendo. Et hæc eſt ratio quare Deus quos- „ dam eligit, & quoſdam reprobat." Hæc verba, *parcendo* & *punien-do*,

do, **manifeſtè ſupponunt peccatum electis & reprobis commune**, **quod** illis condonetur, in iſtis puniatur.

2. 2. q. 2. art. 5. ad 1: „ Hoc auxilium (gratiæ), inquit, quibus-„ cunque divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autem non da-„ tur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem „ originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in libro *de Corrept & gratia.*" Unde ſic argumentor: Illud eſt cauſa reprobationis hominum, quod eſt cauſa primi effectûs reprobationis. Atqui, ex Angelico Doctore, peccatum originale eſt cauſa negationis gratiæ, quæ quidem negatio primus eſt reprobationis effectus. Ergo peccatum originale eſt cauſa reprobationis hominum.

Et Lect. 4 in caput 9 Epiſtolæ ad Rom. „ Humana natura, inquit, „ vilitatem habet ex ſua materia...... Sed majorem vilitatem habet ex „ corruptione peccati, quæ per unum hominem in hunc mundum intra-„ vit; & ideò homo luto meritò comparatur...... Deus liberam potes-„ tatem habet ex eadem corrupta maſſa generis humani, ſicut ex quo-„ dam luto, nulli faciendo injuriam, quoſdam homines facere præpa-„ ratos in gloriam, quoſdam autem in miſeria derelictos." Poſt tam diſerta teſtimonia nullum de Angelici Doctoris hac de re mente dubium remanere poteſt.

Hinc multi ex ejus diſcipulis iſtam tenent tanquam indubitatam ejus ſententiam. Maſſoulieus, diſſert. 1. q. 8. art. 12, loquens de opinione illorum, „ qui reprobationem factam eſſe exiſtimant ex præſcientia „ & prævifione originalis peccati: quam ego, inquit, veriſſimam SS. „ Auguſtini & Thomæ ſententiam eſſe non dubito." Alvarez, qui aliter ſentit, fatetur nihilominùs, lib. 11 *de Auxiliis*, diſp. 110. n. 5, „ eam ſententiam ſequi multos Thomiſtas, convictos auctoritatibus Au-„ guſtini." Pag. 201. col. 1.

Objiciunt 1° Thomiſtæ, qui aliter ſentiunt, Apoſtolum, Rom. IX, reprobationem, ſicut & prædeſtinationem, repetere ex ſolo Dei beneplacito & ſupremo in creaturas ſuas dominio: v. 18: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat:* & v. 20: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic?* Et v. 21 Deum comparat figulo luti, qui *habet poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem*, *aliud verò in contumeliam.* Porro lutum, ſicut boni, ita vitii prorſus expers eſt.

Addunt idem ſignificari capite 33 Eccleſiaſtici, ubi 1° myſterium prædeſtinationis & reprobationis comparatur diſcretioni dierum, quorum alii in feſtivos electi ſunt, alii in prophanis relicti. At in diebus, dum diſcernuntur, nulla eſt indignitas. Ergo nec in hominibus dum reprobantur. 2°. Conſiderantur homines in ſtatu in quo creatus eſt Adam, non in ſtatu per Adamum corrupto; & ſic conſideratorum dicitur facta diſcretio. *Omnes homines*, inquit v. 10 & 11, *de ſolo & ex terra unde crea-*

creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ ſeparavit eos, & immutavit vias eorum. 3°. Adhibetur, ſicut ab Apoſtolo, ſimilitudo figuli, v. 13 & 14. *Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plasmare illud & diſponere; omnes viæ ejus ſecundùm diſpoſitionem ejus: ſic homo in manu illius qui ſe fecit, & reddet illi ſecundùm judicium ſuum.* 4°. Prædeſtinatio & reprobatio dicuntur factæ ſecundùm ordinem quem divina providentia ſibimet præſcripſit in omnium aliarum creaturarum gubernatione, ut ſcilicet mala bonis permixta eſſe permitteret: v. 15: *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita; ſic & contra virum juſtum peccator: & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & unum contra unum.* Atqui ille ordo divinæ providentiæ quoad cæteras creaturas nullum peccatum ſupponit, nullum vitium: ergo nec prædeſtinatio aut reprobatio hominum.

Diſtinguo antecedens. S. Paulus reprobationem comparativam unicè repetit à voluntate Dei, concedo: reprobationem abſolutè conſideratam, diſtinguo iterum. Reprobationem abſolutam repetit à voluntate Dei, tanquam à cauſâ primaria & remota, concedo; tanquam à cauſa proxima & immediata, nego.

Itaque reprobatio ſpectari poteſt abſolutè & comparatè: abſolutè, ut cùm quæritur quare ex hominibus quidam reprobentur, abſtrahendo ab his aut illis in particulari: comparatè, ut cùm quæritur quare iſti potiùs quàm illi reprobentur. Fatemur reprobationis comparatè conſideratæ cauſam non eſſe peccatum originale, utpote utriſque commune, ſed ſolam voluntatem Dei; ideòque S. Paulus non aliam cauſam memorat cur Jacob dilectus, Eſaü odio habitus ſit. At reprobationis abſolutè conſideratæ, ut nempe aliqui ex hominibus reprobentur, cauſam dari dicimus ex parte humani generis, quod eſt veluti una maſſa corrupta & damnata, idque nedum neget S. Paulus, imò ubique ſupponit, ut in probatione oſtendimus.

Quoniam tamen, dempto originali peccato, Deus potuiſſet non omnes prædeſtinare ad vitam æternam, ſicut non omnes angelos prædeſtinavit, ſed alios gratuitâ bonitate elegit, alios à ſalute excidere nullâ injuſtitiâ permiſit; atque, etiam ſuppoſito originali peccato, poſſet Deus, ſi vellet, vel nullum, vel omnes homines à communi perditionis maſſa liberare, ſemper recurrendum eſt cum Apoſtolo ad voluntatem Dei, tanquam ad primariam & remotam prædeſtinationis & reprobationis cauſam: quod non impedit quominùs Deus in reprobandis hominibus rationem habuerit peccati originalis, quo ut tota natura humana inficeretur, permittere decreverat.

Ex his facilè explicantur etiam illa quæ ex libro Eccleſiaſtici alleganтur. Et quidem quòd originale peccatum reprobationi hoc in textu præſupponatur, inſinuant hæc verba: *omnes homines de ſolo & ex terra unde creatus eſt Adam;* quæ ſignificant Deum, homines prædeſtinando ac

ae reprobando, illos vidiſſe in Adamo, tanquam in radice totius humani generis, in qua omnes peccaverunt. Nec refert quòd non dicatur ex terra ſeu limo quem corrupit Adam, ſed *ex terra unde creatus eſt Adam.* Nam, ad inſinuandum originale peccatum, ſatis eſt omnes homines ad ſuum caput, in quo perditi ſunt, revocari. Porro hominum ſic conſideratorum electio & reprobatio meritò comparatur diſcretioni dierum feſtorum & communium, & vaſorum honeſtorum & inhoneſtorum, quæ ex eodem luto fabricantur: meritò etiam revocatur ad ordinem divinæ providentiæ ſic univerſum gubernantis, ut mala bonis permixta eſſe ſinat. Hinc quippe oſtenditur aliquos homines reprobari potuiſſe ſine injuſtitia, etiamſi non fuiſſet tota ex Adamo natura damnata: quantò magis, univerſâ maſſâ pœnas debente, Deus potuit cujus vult miſereri gratuitâ bonitate, & quem vult indurare juſto judicio?

Inſtant. S. Paulus, ibidem, nullam affert prædeſtinationis & reprobationis rationem, quàm ut in electis miſericordia, & in reprobis juſtitia Dei declararetur. *Quòd ſi*, inquit v. 22, *Deus, volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ergo, ex Apoſtolo, reprobatio hominum non fit propter originale peccatum.

Nego conſequentiam. Nam Apoſtolus in citatis verbis manifeſtè ſupponit maſſam corruptam, ſive cùm electos appellat vaſa miſericordiæ, in quibus reſplendent divitiæ miſericordiæ Dei, ſive cùm reprobos vocat vaſa iræ, in quibus ira Dei juſtiſſima demonſtratur. Cæterùm, cùm dicimus reprobationem hominum fieri poſt prævifum peccatum originale, non ideò negamus eam pendere à ſola Dei voluntate. Etenim ſi quæritur quare, toto humano genere damnationem merente, Deus nec omnes rejecerit, nec omnium miſertus ſit, reſpondendum eſt quia voluit. Et ſi ultra quæritur cur ita voluerit, reſpondendum nullam quærendam eſſe cauſam voluntatis Dei, cùm nulla ſit: Deum tamen id, quia ſibi placuit, decernendo, voluiſſe ut ſicut in electis ipſius miſericordia, ita in derelictis juſtitia demonſtraretur.

Objiciunt 2.° S. Thomam, in 1 ad Annibaldum, diſt. 41. q. unicâ, art. 1, ubi nullam agnoſcit rationem reprobationis, niſi quòd gratia ſit naturæ indebita. En ipſius verba: „ Voluntati divinæ de ſalute „ hominis duplex voluntas videtur opponi, ſcilicet voluntas de contra„ dictorio, ſecundùm quam vult aliquem non ſalvare; & voluntas de „ contrario, ſecundùm quam vult aliquem damnare. Prima quidem „ voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm ſalus „ hominis non ſit debita naturæ humanæ; neque enim requiritur ratio „ quare non dem alicui, cui dare non debeo: ſed voluntas damnationis „ reſpicit rationem voliti ex parte damnati, cùm damnatio ex debito „ inferatur."

Reſpondeo Doctorem Angelicum ſtatuere quidem ſufficientem cauſam reprobationis eſſe, quòd gratia efficax, quâ pervenitur ad ſalutem, nemini debeatur, adeò ut, etiamſi ea ſola eſſet, divinam providentiam nemo juſtè reprehenderet; ſed non excludere aliam rationem, quam alibi ſæpè commemorat, ſcilicet quòd natura in primo parente vitiata non ſolùm gratiam ſalvatricem non mereatur, ſed etiam eâ prorſus indigna ſit.

ARTICULUS QUINTUS.

An originale peccatum ſit cauſa, ſaltem radicalis & remota, reprobationis omnium qui pereunt, etiam illorum quibus illud peccatum per baptiſmum dimiſſum eſt.

PROPOSITIO.

Omnium hominum qui pereunt, etiam fidelium baptizatorum, reprobatio rectè petitur ab originali noxa, tanquam à cauſa radicali ac remota.

SEQUI videtur hæc Propoſitio ex præcedenti. Si enim reprobatio hominum facta eſt poſt prævisum originale peccatum, nihil conſequentius eſt quàm ut propter hoc peccatum facta credatur. Et certè cùm reprobatio anteceſſerit prævisionem demeritorum actualium, ut Articulo II oſtenſum eſt, ex his duobus unum eligendum eſt, aut Deum pro ſolo ſuo beneplacito, nec reſpiciendo ad infectionem naturæ, tot millia hominum reprobaſſe; vel in eis reprobandis originalis peccati à ſe prævisi rationem habuiſſe. Atqui hoc ultimum non modò veroſimilius & divinæ bonitati congruentius, ſed etiam relatis modò Scripturæ oraculis & SS. Patrum dictis omnino conſentaneum eſt.

Et verò, ſi qui homines non propter originale peccatum negativè reprobarentur, certè fideles baptizati, in quibus macula originalis deleta eſt. Atqui nec ſacer textus, nec S. Auguſtinus aliique SS. Patres eos excipiunt, imò expreſſè comprehendunt, cùm dicunt Eſaü propter originale peccatum odio habitum eſſe. Vix enim ullum dubium eſſe poteſt quin in Eſaü originalis noxa deleta ſit, cùm communis doctrina ſit SS. Patrum, per fidem parentum, circumciſione vel alio quovis ſigno declaratam (quæ utique fides Iſaaco & Rebecæ non defuit), parvulis contra originis maculam ante adventum Chriſti proviſum eſſe; idque di-

diſertis verbis confirmant Præſules Africani in Sardinia exules, in Epiſtola ſua ſynodica *de Gratia Dei & humano arbitrio.* Eſaü, inquiunt cap. 7, „ ſacramento circumciſionis octavo die ſecundùm tenorem di-„ vinæ conſtitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit." Et tamen cap. 6 agnoſcunt eumdem Eſaü originali peccato detentum juſto judicio Dei eſſe odio habitum. Unde ſic argumentor: Idem ſit judicium de cæteris fidelibus reprobis ac de Eſaü. Atqui, juxta SS. Patres, Eſaü reprobatus eſt propter originale peccatum, quàmvis ei dimiſſum. Ergo fideles baptizati, qui pereunt, reprobati ſunt ob peccatum originale.

Probatur 2° & explicatur iſta Propoſitio ex doctrina S. Auguſtini, in qua non idem eſt alicui remitti peccatum originale, & ipſum erui ex communi corruptionis luto. Fideles qui non perſeverant percipiunt quidem in baptiſmo remiſſionem peccatorum; ſed, hoc ipſo quòd eis perſeverantia non datur, à damnata maſſa non diſcreti intelliguntur, quia ab illa diſcerni, & ad vitam æternam prædeſtinari, unum ac idem eſt. „ Ac per hoc, ait S. Doctor, lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 7. n. 12, „ & qui Evangelium non audierunt, & qui, eo audito, in „ melius commutati perſeverantiam non acceperunt,...... non ſunt ab „ illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus „ omnibus ex uno in condemnationem." N. 13: „ Quicunque ergo „ ab illa originali damnatione iſtâ divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, „ non eſt dubium quòd & procuratur eis audiendum Evangelium, &, „ cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, „ usque in finem perſeverant, & ſi quando exorbitant, correpti emen-„ dantur, & quidam eorum, etſi ab hominibus non corripiantur, in „ viam quam reliquerant redeunt, & nonnulli, acceptâ gratiâ, in qua-„ libet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate ſubtrahuntur." Et n. 16: „ Qui verò perſeveraturi non ſunt, & ſic à fide Chriſtiana & „ converſatione lapſuri ſunt, ut eos tales vitæ hujus finis inveniat, „ procul dubio nec illo tempore, quo benè pièque vivunt, in iſtorum „ numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa illa perditionis „ præſcientiâ Dei & prædeſtinatione diſcreti." Ex his ſancti Auguſtini verbis ſic argumentor: Eis originale peccatum reprobationis cauſa eſt, qui non ſunt ab originali damnatione diſcreti, ideòque perſeverantiam non accipiunt, quia non ſunt à perditionis maſſa divinæ gratiæ largitate diſcreti. Atqui, ex S. Auguſtino, fideles qui damnantur non ſunt ab originali damnatione diſcreti, ideòque perſeverantiam non accipiunt, quia non ſunt à communi perditionis maſſa divinæ gratiæ largitate diſcreti: quod confirmat etiam S. Gregorius magnus, in pſalmum 101, ad hæc verba, *quia cinerem tanquam panem manducabam*, ſic loquens: „ Cùm, juxta Apoſtoli ſententiam, *non volentis, neque currentis, ſed* „ *miſerentis ſit Dei*, alios qui corruerunt miſericorditer erigit, alios, „ qui ſtare videntur, cadere juſtè permittit. Ex peccato namque primi

„ pa-

„ parentis accepimus ut nec in ipſa juſtitia ſtabiles eſſe poſſimus.“ Ergo fidelibus qui pereunt peccatum originale reprobationis cauſa eſt, ſaltem radicalis & remota.

Quod ut pleniùs intelligatur, in eo præciſè rationis inſtanti conſiderandum eſt peccatum originis, in quo ex uno in omnes tranſiit in condemnationem, antequàm Deus aliquos ab illa communi damnatione liberare velle concipiatur. Hoc in puncto Deus poterat omnes, nullo excepto, in perditionis maſſa derelinquere: quod ſi feciſſet, nemo utique non ſentiret peccatum originale futurum fuiſſe veram cauſam reprobationis totius humani generis. Verùm aliter Deo viſum eſt. Ex hominibus quippe eamdem damnationis cauſam habentibus, decrevit in aliis quidem ſuam oſtendere miſericordiam, remittendo illis debitum, gratiamque & gloriam illis præparando; in aliis ſuam demonſtrare juſtitiam, debitum ab eis exigendo, eoſque relinquendo in maſſa damnationis. Illos prædeſtinatos, hos reprobatos dicimus. Inſuper voluit Deus ut reprobi ad utilitatem & documentum viverent prædeſtinatorum; atque idcirco alios quidem, non percepto regenerationis lavacro, in infantia morituros decrevit, ut, videndo parvulos ſine ullo proprio merito alios adoptari in filios Dei, alios rejici, intelligamus, ipſiſque, ut ita dicam, oculis perſpiciamus quàm gratuitâ miſericordiâ diſcernatur à non liberato liberatus: alios in infidelitatis caligine per diverſa ſcelerum genera longam vitam trahere permittit ac permittere decrevit, ut in eorum omnimodis libidinibus, tanquam in ſpeculo, intueamur quàm profundo vulnere ſit proſtrata natura, & in quæ vitiorum abrupta nos quoque præcipites laberemur, ſi non miſericors gratia præveniret: demum aliis fidem chriſtianam, remiſſionem peccatorum & gratiam benè ac ſanctè vivendi ad tempus largiri, prædeſtinatiſque ac certò perſeveraturis quoſdam non perſeveraturos admiſcere ſtatuit, ut horum lugendo caſu admoneamur nobis etiam juſtificatis ſemper ineſſe unde juſtè à Deo deſeri poſſimus, ac per hoc diſcamus non altum ſapere, ſed timere. Ex quo patet juſtos temporales à maſſa damnationis coram Deo & in æternis ejus decretis non eſſe diſcretos, nec tam propter ſuam, quàm propter electorum ſalutem juſtificari.

Quis verò divinum conſilium eam ob rem juſtè reprehendat? Si enim de Deo jure conqueri non poſſunt tot reprobi infideles, quibus in regione umbræ mortis ſedentibus gratiæ lumen nunquam ortum eſt, quantò minus conqueri poſſunt fideles baptizati, qui in eo quod acceperunt perſeverarent, ſi vellent? Non enim divina reprobatio, ſed ſola ſua voluntas ad malum propenſa ipſis cauſa eſt non perſeverandi.

Hanc eſſe indubitatam S. Auguſtini doctrinam conſentiunt non ſolùm Thomas Lemos, Didacus Ruiz, *de Prædeſtinatione*, cap. 1, Gonetus, Franciſcus Macedo in *Cortina D. Auguſtini*, theſi 20, Cardinalis Noriſius in *Vindiciis Auguſtinianis*, cap. 4. §. 10, Cardinalis de Laurea, opus-

opuſculo 2, Maſſoulié, differt. 1. q. 8. art. 2, qui huic ſententiæ adſtipulantur, verùm etiam Petavius qui ab ea receſſit. „ Auguſtinus, inquit lib. 9. cap. 7. n. 3, „ quòd aliqui in accepta juſtitia non perſeverant, ei imputat, quòd à damnatione facta per Adamum & ab „ illa conſperſione per electionem & prædeſtinationem liberati non fuerint.“

Objiciunt 1°. Peccatum dimiſſum per gratiam baptiſmalem non poteſt eſſe cauſa reprobationis, etiam negativæ, quia, ex Apoſtolo, Rom. VIII. 1, *nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu:* & ex concilio Trid. ſeſſ. 5, decreto *de Peccato originali*, n. 5, „ in renatis nihil odit Deus.“

Reſpondeo 1° id adverſùs S. Auguſtini doctrinam dudum objectum à Semipelagianis fuiſſe. Nam, inter multas Gallorum querelas, hæc ſecunda legitur apud S. Proſperum, quòd, in eis qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta baptiſmi gratia originale peccatum. Cui calumniæ ſic reſpondet S. Proſper: „ Qui recedit à Chriſto, & alienatus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem „ cadit? Sed non in id quod remiſſum eſt recidit, nec in originali „ peccato damnabitur: qui tamen propter poſtrema crimina eâ morte „ afficietur, quæ ei propter illa quæ remiſſa ſunt debebatur. Quod „ quia Dei præſcientiam nec latuit, nec fefellit, ſine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædeſtinavit, & periturum nunquam ab æterna perditione diſcrevit.“

Reſpondeo 2° diſtinguendo propoſitionem. Peccatum remiſſum non poteſt eſſe cauſa reprobationis, quatenus remiſſum eſt, concedo: quatenus remanent nonnullæ ejus reliquiæ ad nova peccata impellentes, nego. De fide eſt, quidquid in originali peccato habet rationem culpæ, remitti in baptiſmo; proinde neminem, perceptâ baptiſmi gratiâ, propter idem illud peccatum damnatum iri. De fide eſt etiam ignorantiam & concupiſcentiam, quæ in baptizatis remanent, non eſſe peccatum propriè dictum, quod à Deo juſtè imputari poſſit concupiſcentiæ non conſentientibus. Quamobrem veriſſimè docet Apoſtolus *nihil damnationis eſſe iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant;* & concilium Tridentinum adverſùs Calvinum, aſſerentem motus indeliberatos concupiſcentiæ eſſe veri nominis peccata, definivit *Deum in renatis nihil odiſſe*, illo ſcilicet odio quo veri nominis peccatum proſequitur.

Nihilominùs de fide eſt, remiſſo per baptiſmi ablutionem reatu culpæ, remanere adhuc aliquem reatum pœnæ, ſeu pœnalitates & reliquias peccati originalis, ignorantiam, concupiſcentiam, innumeras miſerias, & mortem. Hinc Theologi diſtinguunt originale peccatum, ut eſt infectio naturæ, & ut eſt infectio perſonæ. Peccatum originale, ut eſt infectio naturæ, eſt peccatum quo tota humana natura in Adamo peccavit, quodque totam humanam naturam corrupit & in deterius commu-

mutavit. Peccatum verò originale, ut eſt infectio perſonæ, eſt peccatum quo naſcendo inficimur, quod contrahitur per ſeminalem propagationem, & deletur per ſacramentum baptiſmi. Poteſt autem, ſublatâ infectione perſonæ, remanere infectio naturæ, & reverâ remanet per concupiſcentiam & inordinationem appetituum. Illam diſtinctionem expreſſè tradit S. Thomas, 3 parte, q. 8. art. 5. ad 1. „ Dicendum, ait, „ quòd peccatum originale in Adam, quod eſt peccatum naturæ, derivatum eſt à peccato actuali ipſius, quod eſt peccatum perſonale, „ quia in eo perſona corrupit naturam, quâ corruptione mediante, peccatum primi hominis derivatur ad poſteros, ſecundùm quòd natura „ corrumpit perſonam.“

Remanet igitur in homine etiam baptizato ea naturæ infectio, quâ plurima legis naturalis capita ignorat & non niſi cum difficultate cognoſcere poteſt, & quâ inſuper velut pondere deorſum deprimitur, & in voluptates aliaque ſenſibilia bona, præter & contra rationem, vehementer inclinatur.

Unde, cùm divinæ providentiæ leges hoc habeant, ut juxta diſpoſitiones cauſarum eas agere ſinat, poteſt Deus ſinere, &, quando ſpecialiùs non miſeretur, ſinit utique ut homo, tametſi juſtificatus, ex inſita ſibi ignorantia in multa peccata impingat, & pondere illo naturæ corruptæ, ſeu fomitis & concupiſcentiæ, in gravia delicta pertrahatur: eoque fit ut & Deus neminem priùs deſerat quàm ab eo deſeratur, ut alibi explicatum eſt, & tamen peccatum originale cauſa ſit deſertionis, quâ juſti interdum deſeruntur à Deo, quia ignorantia & concupiſcentia, ex illo peccato, quàmvis remiſſo, ſuperſtites, cauſa ſunt illius deſertionis quâ ipſi priores Deum deſerunt.

Igitur non eâdem ratione auxilia efficacia gratiæ baptizatis reprobis negantur propter originale peccatum, ac illis in quibus illud peccatum deletum non eſt. „ His enim immediatè, directè & proximè propter „ originale peccatum gratia denegatur, ait Maſſoulié loco citato, & vera „ eſt privatio gratiæ, ſicut negatur his qui eâ ſeſe indignos exhibent. „ Aliis verò indirectè & remotè ſolùm, vel mediatè, propter conditio„ nem naturæ illudque concupiſcentiæ pondus, quo perpetuò homo „ in malum urgetur ac premitur: unde ea carentia gratiæ veriùs ne„ gatio quàm privatio dicenda eſt.“

Reſponderi etiam poteſt, & quidem breviùs, ac forſan ad S. Auguſtini mentem aptiùs, peccatum originale non eſſe cauſam reprobationis negativæ, poſtquàm baptiſmo dimittendum decernitur, ſed priusquàm remittendum decernatur. Non enim Deus primum ſtatuit delere in quibusdam peccatum originale, & poſthac illos reprobat, ut objectio ſupponit: ſed primùm, juxta noſtrum concipiendi modum, ſtatuit in maſſa perditionis quos vult derelinquere, ac deinde quibusdam ex his gratiam ad tempus dare conſtituit, ut prædeſtinati illorum caſu ſalubriter territi di-

diſcant non ſuperbire, & in ſolo gratiæ adjutorio totam ſpem ſuam collocare. Quis verò ſuccenſeat Deo quòd nonnullis, quos originali peccato adhuc detentos juſtè reprobavit, remiſſionem peccati & gratiam juſtificantem, licet non usque in finem perſeveraturam, gratuitâ miſericordiâ præparaverit?

Objiciunt 2° SS. Proſperum & Fulgentium, fideliſſimos S. Auguſtini diſcipulos, docuiſſe reprobationem fieri poſt prævisa peccata actualia.

S. Proſper ſic loquitur In tertia Reſponſione ad Capitula Gallorum: „ A ſanctitate ad immunditiam...... plerosque tranſire non dubium „ eſt, & tales ad prædeſtinationem filiorum Dei non pertinere certiſ- „ ſimum eſt. Quòd ergo hujusmodi in hæc prolapſi mala ſine correc- „ tione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habue- „ runt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideò prædeſtinati non ſunt, „ quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt." Et infra: „ Non enim relicti ſunt à Deo, ut relinquerent Deum. Sed „ reliquerunt, & relicti ſunt, & ex bono in malum propriâ voluntate „ mutati ſunt, atque ab hoc licet fuerint renati, fuerint juſtificati, ab „ eo tamen, qui illos tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati." Et Sententiâ tertiâ ſuper idem Capitulum: „ Qui dicit quòd non prædeſtinatis „ ad vitam, etiamſi fuerint in Chriſto per baptismum regenerati, & piè „ juſtèque vixerint, nihil proſit, ſed tamdiu reſerventur, donec ruant „ & pereant, nec ante eos ex hac vita, quàm hoc eis contingat, au- „ ferri, tanquam ad conſtitutionem Dei talium hominum ruina refe- „ renda ſit, non eſt Catholicus." Et Sententiâ ſuper 7um Capitulum: „ Qui dicit quòd Deus quibusdam filiis ſuis, quos regeneravit in „ Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, ob hoc non det „ perſeverantiam, quia à maſſa peditionis præſcientiâ Dei & prædeſtina- „ tione non ſunt diſcreti, ſi hoc vult firmare, quòd Deus hujusmodi „ homines in bonis quæ donaverat noluerit permanere, & ipſe eis cauſa „ averſionis extiterit, contra juſtitiam Dei ſentit." Et Sententiâ ſuper duodecimum Capitulum: „ Qui dicit quòd quibusdam vocatis & piè „ juſtèque viventibus obedientia ſubtrahatur, ut obedire deſiſtant, ma- „ lè opinatur de bonitate Dei atque juſtitia, ut videatur ad impieta- „ tem pios cogere, & innocentiam bonis adimere, cùm ipſe ſit pietatis „ & innocentiæ largitor & cuſtos."

S. Fulgentius, lib. 1 *ad Monimum*, cap. 24, eidem doctrinæ ſuffragatur his verbis: „ (Deus) prædeſtinavit illos ad ſupplicium, quos à ſe „ præſcivit voluntatis malæ vitio diſceſſuros."

Reſpondeo S. Proſperum totum eſſe illo in libro, ut Semipelagianorum adverſùs Auguſtini doctrinam calumnias refellat: quæ quidem calumniæ ſupponunt eam reverâ fuiſſe ſententiam S. Auguſtini quam nos defendimus. Sed obtrectatores S. Doctoris atris eam coloribus exprimebant, quemadmodùm fit à multis etiamnum, imputabantque S. Auguſtino im-

 pia

pia quædam conſectaria, imprimis Deum illos in peccata impellere & cadendi cauſam illis eſſe, quos non prædeſtinavit ad vitam, & juſtos qui non perſeverant priùs deſeri à Deo quàm ipſi Deum deſerant; quaſi in Deo cauſa ſit quòd à Deo recedant. Hos errores magiſtro ſuo calumnioſè attributos execratur S. Proſper, atque hæc duo tanquam indubitata profitetur: primum, reprobationem Dei nemini eſſe cauſam peccandi: alterum, ſemel juſtificatos à Deo gratiâ non priùs relinqui, quàm eam ipſi reliquerint, juxta illud S. Auguſtini effatum, lib. 13 *de Civit. Dei*, cap. 15: „ Ad malum ejus (creaturæ) prior eſt voluntas ejus; „ ad bonum verò ejus prior eſt voluntas creatoris ejus."

S. Fulgentius loco citato loquitur de reprobatione poſitiva, ſeu de decreto infligendi pœnam æternam; quod decretum poſterius eſſe præſcientiâ peccatorum actualium, extra dubium eſt.

Articulus Sextus.

De reprobatione comparatè ſpectata.

PROPOSITIO.

Reprobationis comparatè ſpectatæ nulla ratio afferri poteſt, præter beneplacitum divinæ voluntatis.

Hoc docet S. Paulus Rom. IX: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Hujus ergo ſolutio quæſtionis tota pendet ex Dei voluntate.

Explicatiùs id tradit S. Auguſtinus paſſim. Nam reprobationis quidem abſolutè conſideratæ rationem affert originale peccatum; comparatæ verò nullam eſſe aſſerit, ſed ad incomprehenſa judicia Dei recurrit. „ Cur non omnibus detur fides, inquit lib. *de Prædeſtinatione SS.* cap. 8. n. 16, „ fidelem movere nòn debet, qui credit ex uno omnes „ iiſſe in condemnationem ſine dubitatione juſtiſſimam, ita ut nulla „ Dei eſſet juſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur." En reprobatio abſoluta, ad originale peccatum tanquam ad radicem relata. „ Cur autem iſtum potiùs quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt judi- „ cia ejus & inveſtigabiles viæ ejus. Meliùs enim & hìc audimus aut „ dicimus: *ò homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* quàm dicere au- „ demus, quaſi noverimus, quod occultum eſſe voluit, qui tamen ali- „ quid injuſtum velle non potuit." Et lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap.

cap. 8. n. 18: „Sed ſi jam, inquit, hoc oportebat, ut, damnatis omni-
„ bus, quid omnibus deberetur oſtenderet, atque ita gratius gratiam
„ ſuam vaſis miſericordiæ commendaret, cur in eadem cauſa me potiùs
„ quàm illum puniet, aut illum quam me potiùs liberabit? Hoc non
„ dico, ſi quæris. Quare? Quia fateor me non invenire quid di-
„ cam,..... quia in hac re, ſicut juſta eſt ira ejus, ſicut magna eſt
„ miſericordia ejus, ita inſcrutabilia ſunt judicia ejus."

S. Anſelmus in *Proslogio*, cap. 11: „ Si utcunque, ait, capi po-
„ teſt cur malos potes velle ſalvare, illud certè nullâ ratione com-
„ prehendi poteſt, cur de ſimilibus malis hos magis ſalves quàm illos
„ per ſummam bonitatem, & illos magis damnes quàm iſtos per ſum-
„ mam juſtitiam."

Denique, ex Scholaſticis, S. Thomas, Lect. 4 in cap. 9 Ep. ad Ro-
manos: „ Conſiderandum eſt, inquit, quòd circa electionem bonorum
„ & reprobationem malorum duplex quæſtio moveri poteſt: una qui-
„ dem in generali, quare Deus velit quosdam indurare, quorumdam
„ miſereri; alia verò in ſpeciali, quare velit hujus miſereri, & hunc
„ vel illum indurare. Et poteſt quidem hujus (primæ) quæſtionis
„ ratio aſſignari" (puta originale peccatum, manifeſtationem divinæ
juſtitiæ, clariorem demonſtrationem miſericordiæ Dei erga electos,
commoda atque utilitates quæ inde ad electos redeunt &c): „ ſecundæ
„ autem quæſtionis non poteſt aſſignari ratio, niſi ſimplex voluntas
„ Dei."

Et certè ſi qua hujus rei poſſet afferri ratio, vel ex parte divinorum attributorum, vel ex parte ipſorummet reproborum. Non ex parte reproborum: vel enim illa ratio eſſet peccatum originale, vel peccata actualia. Peccatum originale electis æquè ac reprobis commune eſt: peccata actualia, ut diximus, non præſupponuntur reprobationi, ſed ex reprobationis decreto permittuntur. Non etiam ex parte divinorum attributorum: non enim magis aut minùs elucent miſericordia & juſtitia divina, ſive hic, ſive ille prædeſtinetur, vel reprobetur. Ergo hujus ſecreti ratio nulla eſt, niſi quòd poteſtatem habeat figulus luti, ex una eademque materia, facere pro ſola ſua voluntate hoc quidem vas in honorem, iſtud verò in contumeliam.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De effectibus reprobationis.

„ QUI non pertinent ad certiſſimum & feliciſſimum numerum (prædeſtinatorum), ait S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 13. n. 42, „ pro meritis juſtiſſimè judicantur. Aut enim jacent
„ ſub peccato quod originaliter generatione traxerunt, & cum illo hæ-
„ reditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum:
„ aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt; arbitrium, in-
„ quam, liberum, ſed non liberatum, liberum juſtitiæ, peccati autem
„ ſervum, quo volvuntur per diverſas noxias cupiditates, alii magis,
„ alii minùs, ſed omnes mali, & pro ipſa diverſitate diverſis ſuppliciis
„ judicandi: aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec
„ perſeverant, deſerunt & deſeruntur; dimiſſi enim ſunt libero arbitrio,
„ non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto.".

Verùm eorum omnium, quibus reprobi in mortem æternam præcipitantur, Deum auctorem eſſe cave exiſtimes. „ Aliter quippe, ait S. Thomas, 1 parte, q. 23. art. 3. ad 2, „ ſe habet reprobatio in cau-
„ ſando, quàm prædeſtinatio. Nam prædeſtinatio eſt cauſa & ejus
„ quod expectatur in futura vita à prædeſtinatis, ſcilicet gloriæ, &
„ ejus quod percipitur in præſenti, ſcilicet gratiæ. Reprobatio verò
„ non eſt cauſa ejus quod eſt in præſenti, ſcilicet culpæ, ſed eſt cauſa
„ derelictionis à Deo. Eſt tamen cauſa ejus quod redditur in futuro,
„ ſcilicet pœnæ æternæ: ſed culpa provenit ex libero arbitrio ejus qui
„ reprobatur & à gratia deſeritur."

Tres vulgò recenſentur effectus reprobationis, ad quos omnes alii referuntur. Primus eſt ſimplex permiſſio peccati: 2us, dimiſſio ſeu derelictio in peccato, quam ſequuntur excæcatio, induratio, traditio in reprobum ſenſum, & perſeverantia in malo uſque ad finem vitæ: 3us eſt æterna damnatio.

Primus effectus locum habet propriè in reprobatione angelorum, quos, nullâ præcedente culpâ, in primum peccatum Deus labi permiſit. In hominibus verò in peccato conceptis & natis primus effectus reprobationis eſt derelictio in peccato. Attamen in juſtis, quos Deus à juſtitia excidere & in peccato mori ſinit, reperitur aliquo modo ſimplex permiſſio illius peccati, quo primùm juſtitiam amittunt.

Dimiſſio ſeu derelictio in peccato eſt pœna præcedentis peccati, quâ fit ut peccator ſibimet derelictus in alia atque alia peccata ſubinde prola-

labens deterior efficiatur, & reatum æternæ damnationis ſibi aggravet, ſicut dicitur pſalmo 80, v. 13: *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus ſuis:* & Act. XIV. 15: *Dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.*

Hanc pœnam ſequuntur in multis reprobis excæcatio, induratio & traditio in reprobum ſenſum. *In multis* dico, nam has pœnas non incurrunt parvuli qui ſine baptiſmo decedunt, nec aliqui peccatores minùs pravi. Indicat illos effectus ſacra Scriptura multis in locis. Pſ. 68, v. 24: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva...... Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Joannis IX. 39: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Iſai. LXIII. 17: *Quare errare feciſti nos à viis tuis, induraſti cor noſtrum ne timeremus te?* Rom. I. 21: *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum...... Propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis ſui, in immunditiam...... Propter quod tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ...... Pro eo quòd non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt.*

Obſervandum eſt cum Bellarmino, lib. 2 *de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati*, cap. 14, cæcitatem mentis, ut etiam cordis obdurationem, eſſe peccatum, cauſam peccati, & effectum ſeu pœnam peccati: peccatum, quia per ſe malum & vitium eſt: cauſam peccati, quia parit innumera peccata, & bibit quaſi aquam iniquitatem: pœnam peccati, quia, quò magis peccatur, eò magis & mens obtenebratur, & cor obduratur, dum *infatigabili lege ſparguntur pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*, ut ait S. Auguſtinus, lib. 1 *Confeſſ.* cap. 18. n. 29. Itaque cæcitas mentis non eſt ſimplex abſentia luminis, ſed affectus pravus, quo quis illuſtrationes divinas, aut veritatem ſibi exteriùs propoſitam repellit, vel impedimentum ponit quominùs à Deo illuminetur. Quare dicuntur hujuſmodi homines, Matth. XIII. 14, *videntes videre, & non videre;* quia vident quidem unde illuminari poſſent, ſed ex veritatis odio nolunt advertere, atque ita excæcat eos malitia eorum, ut apparet in Judæis, quos Chriſti miracula magis excæcabant. Hæc verò peccati pœna juſtiſſima quàm magna ſit, non eſt hujus loci exponere. „ Si quis fur-„ tum faciens ſtatim oculum perdidiſſet, inquit S. Auguſtinus, in pſ. 57. n. 18, „ omnes dicerent Deum præſentem vindicaſſe. Oculum cor-„ dis amiſit, & ei peperciſſe putatur Deus.“ Pariter cordis obduratio eſt pravus affectus voluntatis, quo quis admonitiones divinas, ſive internas, ſive externas, contemnit, & ſemper magis ac magis eis reſiſtit, donec ad eum ſtatum perveniat, ut eas ne ſentiat quidem. Nam, „ quan-„ do aliquid pungitur & dolet, aut ſanum eſt, aut eſt in illo ſpes ali-„ qua ſanitatis: quando autem tangitur, pungitur, vellicatur, nec do-„ let,

„ let, pro mortuo habendum eſt," ait idem S. Doctor, ſerm. 17, olim hom. 28 inter 50, cap. 3.

Sicut Deus permittendo peccatum non eſt cauſa peccati, ſic dimittendo, excæcando, indurando peccatorem, cauſa non eſt ejus cæcitatis ac duritiæ. „ Obduratio quippe Dei eſt nolle miſereri, inquit S. Auguſtinus, lib. 1 Quæſt. ad Simplicianum, q. 2. n. 15, „ ut non ab illo „ irrogetur aliquid quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior „ non erogetur." Vel potiùs dicendum eſt cum S. Thoma, 1. 2. q. 79. art. 3. in corpore, „ excæcationem & indurationem duo importare, quo- „ rum unum eſt motus animi humani inhærentis malo & averſi à di- „ vino lumine, & quantùm ad hoc Deum non eſſe cauſam excæcationis „ & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati;" ſed unumquemque peccatorem ſeipſum excæcare & obdurare: „ aliud autem eſſe ſubtractionem „ gratiæ, ex qua ſequitur quòd mens divinitùs non illuminetur ad rectè „ videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum; & „ quantùm ad hoc Deum eſſe cauſam excæcationis & obdurationis."

Alio modo Deus indirectè excæcat & obdurat, in quantùm nonnulla ſenſibus aut phantaſiæ objici facit vel permittit, quæ homini jam depravato & ad peccandum propenſo fiant occaſiones gravioris ruinæ. Ezech. III. 20: *Si converſus juſtus à juſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Hujusmodi offendicula plerùmque ſunt tentationes vel ſuggeſtiones ad malum excitantes, v. g. ſigna & prodigia mendacia quæ Antichriſtus patrabit, & alia hujusmodi quibus homines in errorem inducuntur. Unde S. Paulus dicit, 2 Theſſal. II. 10: *Eoquòd caritatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Tale eſt etiam illud quod legitur, 2 Regum, cap. 22, ſpiritui pollicenti ſe decepturum Achab regem Iſrael, ac fore ſpiritum mendacem in ore omnium prophetarum ejus, Dominum reſpondiſſe: *Decipies & prævalebis, egredere & fac ita.* Quandoque verò ſunt beneficia & adjumenta, quibus homines abuſuri prævidentur in ſuam perniciem; quomodò Simeon, Luc. II. 34, prædicit Chriſtum poſitum eſſe *in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.* Et Rom. IX. 32 & 33: *Offenderunt in lapidem offenſionis & petram ſcandali:* quomodò etiam Apoſtoli *aliis erant odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*, 2 Cor. II. 16.

Verùm ſive tentationes reprobis evenire Deus permittat, ſive quædam beneficia largiatur, quæ illi in malum ſuum convertunt, neutrum facit eâ intentione ut homo graviùs peccet; *non enim Deus volens iniquitatem tu es* (pſ. 5): licet ad demonſtrandam juſtitiam ſuam graviora illa peccata velit permittere.

Tertius effectus reprobationis eſt æterna damnatio reproborum meritis proportionata. Circa hunc effectum nulla eſt difficultas.

Sed

Sed notandum eſt cum Eſtio, in 1. diſt. 41. §. 17, magnum diſcrimen eſſe reprobationem inter & prædeſtinationem quoad utriusque effectus. Nam effectus prædeſtinationis certum quemdam ordinem habent inter ſe, ita ut primi ultimos mereantur, & ad eos tanquam ad finem referantur; qui ordo inter effectus reprobationis non invenitur. Quàmvis enim prædeſtinatio non cadat ſub merito, ſic tamen effectus ejus inter ſe ordinantur, ut prima gratia ſecundam, vocatio juſtificationem, juſtificatio glorificationem mereatur, & ut juſtificatio ſit finis vocationis, glorificatio juſtificationis. Hunc autem ordinem inter ſe non habent effectus reprobationis. Nam permiſſio peccati non meretur derelictionem hominis in peccato, neque alterutra vel utraque meretur æternam damnationem; ſunt enim actus providentiæ Dei erga hominem, ac proinde boni. Sed tam derelictionem, quàm damnationem, merentur ipſius hominis peccata, quæ non ſunt à Deo, ſed tantùm fiunt eo permittente & deſerente. Pariter æterna damnatio finis non eſt derelictionis in peccato, neque derelictio permiſſionis peccati. Non enim exiſtimandum eſt Deum immediatè præordinare hominem ad æternam damnationem, ſicut immediatè eum præordinat ad gloriam, ac velle ut reliqui effectus tanquam media quædam referantur in eum finem, ſicut in prædeſtinatione; ſed omnes effectus reprobationis ſimul ordinat in unum finem, qui eſt manifeſtatio juſtitiæ ipſius in univerſo, quæ dum fit circa reprobos, conſequitur etiam illuſtrior oſtenſio miſericordiæ ejus erga prædeſtinatos, quemadmodùm, Rom. IX, docet Apoſtolus. Non igitur ideò permittit Deus homines cadere in peccatum, ut eos derelinquat & puniat, neque ideò derelinquit, ut damnet, quomodò quidam ſententiam SS. Auguſtini & Thomæ malè intelligunt, & malè intellectam reprehendunt: ſed permittit peccatum, derelinquit in peccato, & damnat, ut juſtitiam ſuam in reprobis, & miſericordiam in electis oſtendat, in omnibus autem ipſe glorioſus appareat.

DISSERTATIO TERTIA.

De voluntate Dei circa ſalutem hominum.

Cùm prædeſtinatio & reprobatio ſint actus divinæ voluntatis erga homines, ex dictis hactenus faciliùs intelligitur quid de voluntate ſalvandi omnes homines, qualem nonnulli Theologi in Deo admittunt, ſentiendum ſit.

Nullâ re magis eonati ſunt Pelagiani ac Semipelagiani catholicæ doctrinæ à S. Auguſtino contra ipſos defenſæ invidiam procreare, quàm calumnioſè objiciendo conſequi ex illa Deum non velle omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum mortuum non eſſe pro omnibus, ut patet præſertim ex objectionibus Gallorum & Vincentii apud S. Proſperum. Eâdem fraude uti ſolent Molinæ diſcipuli. Ut enim SS. Auguſtini & Thomæ diſcipulis odium concilient, impudenter clamitant eos negare Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus. Impudenter dico: omnes quippe illa duo à S. Paulo expreſſè declarata plane confitentur, ac tantum de interpretandi mòdo controverſia eſt.

Quamobrem valde intereſt iſtas quæſtiones dilucidè ac ſemotis ambiguitatibus exponere, & quid SS. Patres ac probati Theologi unoquoque ſæculo circa utrumque caput docuerint, diligentiſſimè inveſtigare. Primum caput, de voluntate Dei circa ſalutem omnium, hîc tractabimus, alterum, de morte Chriſti pro omnibus, ſequenti diſputatione expoſituri. Quàmvis enim ambo inter ſe non parum conjuncta ſint, doctrinæ tamen ordo exigit ut ſeorſim expendantur, maximè cùm Chriſtus nonnulla velle potuerit voluntate humanâ & naturali, quæ noluit Pater, ſicut ipſe de morte ſua dixit: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Tota difficultas primæ, quam hîc expendimus, quæſtionis inde oritur, quòd voluntas ſalutis omnium hominum conciliari vix poſſe videatur cum efficaciſſima vi voluntatis divinæ, quam ſemper impleri ſacræ litteræ teſtantur. „ Quomodò, inquit Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 11, „ omnipotens Deus & omnes homines ſalvos „ fieri vult, & ad agnitionem veritatis venire, & tamen non omnes „ ſal-

„ ſalvantur, nec veniunt ad hanc agnitionem, cùm alibi Scriptura dicat: „ *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit?* Cur ergo hoc voluit, & non „ fecit, qui omnia quæcunque voluit fecit?" En tota difficultas, quæ reſolvi aliter non poteſt, niſi textus Apoſtoli, *vult* (Deus) *omnes homines ſalvos fieri*, reſtringatur & explicetur per textum Pſalmiſtæ, *omnia quæcunque voluit Dominus fecit*, vel è contrario iſte per illum.

Sancti Patres & antiquiores ſcholæ magiſtri, ut ex dicendis conſtabit, principii clari & illimitati loco habent, voluntatem Dei ſemper impleri; textum verò Apoſtoli velut obſcurum aliquid, quod alii aliter exponunt, eâ tamen omnes attentione adhibitâ, ut divinæ voluntatis efficacia immota ſiet. „ Hæc quæſtio, ait ibidem Eccleſia Lugdunenſis, „ multùm perplexa, & in SS. Patrum ſcriptis multùm ver„ ſata & multipliciter expoſita, non nobis videtur præcipitanter defi„ nienda, ſed cautiſſimè & fideliſſimè perſcrutanda atque pertractanda, „ & ex aliis videlicet Scripturæ ſacræ manifeſtioribus locis, quibus „ ejus obſcuritas illuſtretur, & ex paternæ auctoritatis expoſitionibus, „ & ex ipſa fidei ratione." Contra verò Pelagiani & Semipelagiani, & etiamnum Molinæ diſcipuli velut illimitatum principium aſſerunt, Deum velle omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri, ideòque dictum pſalmi, de efficacia divinæ voluntatis, ſpectant ut dictum obſcurum ac temperamento indigens. Id obſervare plurimùm refert, ad intelligendum quantùm diſtet à vulgata SS. Patrum doctrina recentiorum opinio.

Nos, ut inſtitutam ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus methodum ſequamur, expendemus primùm an voluntas Dei ſemper impleatur; deinde quomodo intelligi poſſit aut debeat Deum velle omnes homines ſalvos fieri.

CAPUT PRIMUM.

An voluntas Dei ſemper impleatur.

PRÆSENTEM controverſiam totam ferè videri eſſe de nomine dicit Tournely: & reverâ de ſolo nomine foret diſputatio, ſi, ut ille vult, diſtingueretur in Deo duplex voluntas, una efficax, altera inefficax. Voluntatem quippe efficacem ſemper impleri, inefficacem non ita, quid clarius? (De Attributis div. tom. 2. pag. 265.)

Verùm non de nomine, ſed de re graviſſima quæſtionem eſſe non dubitabit, quisquis verum controverſiæ ſtatum cognoverit. Quæſtio enim non eſt an voluntas Dei abſoluta & efficax ſemper impleatur, quod

Digitized by Google

negare nemo ſanæ mentis poteſt; ſed an aliqua ſit in Deo admittenda voluntas formalis & ſimpliciter dicta, quæ non impleatur.

Ibid. pag. 267. Diſtinguit idem Theologus inter ea quæ Deus operatur per ſeipſum ſolum, & ea quæ operatur per ſe & per creaturam rationalem; ac contendit, in iis quidem quæ à ſolo Deo pendent, & quæ ſolus Deus operatur, ſine ullo creaturæ conſortio ſeu cooperatione, voluntatem Dei ſemper impleri, nec illi reſiſti poſſe. In iis verò quæ non à ſolo Deo pendent, ſed à libera etiam creatæ voluntatis cooperatione, voluntatem Dei non ſemper impleri, deficiente nimirum conditione ex parte creaturæ. Quæ quidem diſtinctio clarè ſupponit voluntatem omnipotentis minùs efficacem eſſe reſpectu liberarum voluntatum, quàm reſpectu cæterarum creaturarum, nec pendere à ſolo Deo ut voluntates determinet, niſi & ipſæ conſentire voluerint; quod jam ſæpè refellimus.

Ibid. pag. 328. Non ſolum docet hic Theologus dari in Deo voluntatem inefficacem, ſed etiam id in fidei dogma erigit. „ De fide eſt, inquit, quòd ſit in „ Deo vera & interna voluntas inefficax, quæ non impleatur.“ Et rurſùm: „ Fidei noſtræ caput eſt eſſe in Deo aliquam veram, ſed ineffi- „ cacem, voluntatem, quæ non impletur.“

Diſtinguunt Theologi duplicem in Deo voluntatem, nempe voluntatem beneplaciti, & voluntatem ſigni. Prior eſt voluntas quæ propriè de Deo dicitur: poſterior verò eſt metaphorica & Deo extrinſeca, quia merum eſt externum ſignum, quod per figuram appellatur voluntas, ut exponit Angelicus Doctor, 1 parte, q. 19. art. 11. in corp. his verbis: „ In Deo quædam dicuntur propriè, & quædam ſecundùm metaphoram. „ Cùm autem aliquæ paſſiones humanæ in divinam prædicationem me- „ taphoricè aſſumuntur, hoc fit ſecundùm ſimilitudinem effectûs. Unde „ illud, quod eſt ſignum talis paſſionis in nobis, in Deo nomine illius „ paſſionis metaphoricè ſignificatur; ſicut apud nos irati punire con- „ ſueverunt, unde ipſa punitio eſt ſignum iræ, & propter hoc ipſa „ punitio nomine iræ ſignificatur, cùm Deo attribuitur. Similiter id „ quod ſolet eſſe in nobis ſignum voluntatis, quandoque metaphoricè „ in Deo voluntas dicitur; ſicut cùm aliquis præcipit aliquid, ſignum „ eſt quòd velit illud fieri: unde præceptum divinum quandoque meta- „ phoricè voluntas Dei dicitur, ſecundùm illud Matth. VI: *Fiat vo-* „ *luntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.* Sed hoc diſtat inter volunta- „ tem & iram, quia ira de Deo nunquam propriè dicitur, cùm in ſuo „ principali intellectu includat paſſionem: voluntas autem de Deo pro- „ priè dicitur. Et ideò in Deo diſtinguitur voluntas propriè & me- „ taphoricè dicta. Voluntas enim propriè dicta vocatur voluntas be- „ neplaciti: voluntas autem metaphoricè dicta eſt voluntas ſigni, eo „ quòd ipſum ſignum voluntatis voluntas dicitur.“ Igitur voluntas quæ dicitur ſigni, non propriè, ſed metaphoricè Deo attribuitur, quia Deus non vult ipſam rem quam velle videtur, ſed vult tantùm quædam ſigna;

quæ

Digitized by Google

quæ quidem, ſecundùm Angelicum Doctorem, ibid. ad 2, „ dicuntur „ voluntates divinæ; non quia ſunt ſigna quod Deus velit, ſed quia, „ ea quæ in nobis ſolent eſſe ſigna volendi, in Deo voluntates divinæ „ dicuntur." Unde in Quæſtionibus diſputatis, q. 23 de Veritate, art. 3. ad 3, dicit „ quod voluntas ſigni non eſt in Deo, ſed à Deo. „ Eſt enim aliquis Dei effectus talis, qualis ſolet apud nos voluntas „ hominis deſignari."

Quinque vulgò aſſignantur voluntatis ſigna hoc verſu expreſſa:

Præcipit & prohibet, permittit, conſulit, implet.

Id eſt, præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, operatio. Hæc quippe velle quiſpiam cenſetur, quod præcipit, aut permittit, aut conſulit, aut reipſâ facit, hoc autem nolle quod prohibet. „ Propter hoc, inquit S. Thomas, art. 12. in corp. „ iſta quinque nominantur inter„ dum nomine voluntatis divinæ, tanquam ſigna voluntatis:" duo ſcilicet reſpectu mali, prohibitio & permiſſio; tria verò reſpectu boni, præceptum, conſilium, operatio

His quinque ſignis ſextum addit Eſtius, in 1 Sent. diſt. 45. §. 7, quod vocat præparationem. Nec immeritò: quædam enim ſunt, quæ Deus quàmvis ſecundùm ſe nec velit, nec faciat, aut facturus ſit, velle tamen videtur, quia facit aliquid quod ad illa præparationis loco habentur." Hoc ſenſu Moyſes dicit, Deut. IX: *Iratus Dominus delere te voluit:* id eſt, comminatus eſt, aliaque fecit, quæ facere ſolent homines qui inimicos perdere volunt. Eodem quoque ſenſu de Chriſto dicitur, Marc. VII. 24: *Neminem voluit ſcire, & non potuit latere:* ubi ſi Christus verè ac propriè voluiſſet latere, profectò latuiſſet, ſed *voluit*, id eſt, clanculum intravit, eoque modo quo ſolent qui latere volunt. Et cap. VI. 48: *Volebat præterire eos;* hoc eſt, gradum accelerabat, quaſi voluiſſet eos præterire.

Attamen nihil prohibet quin Deus, id quod metaphoricè dicitur velle voluntate ſigni, reipſâ velit voluntate beneplaciti. Operatio enim ita eſt ſignum voluntatis, ut formalem beneplaciti voluntatem ſemper in Deo conjunctam habeat; nihil quippe Deus non volens operatur. È contrario permiſſio in Deo ſemper ſeparatur à voluntate beneplaciti. Nam Deus, accuratè loquendo, nec vult, nec poteſt dici velle peccatum, licet illud fieri permittat. Alia ſigna interdum habent adjunctam voluntatem beneplaciti, quando nimirum fiunt quæ Deus præcipit aut conſulit, & non fiunt quæ prohibet; interdum non habent, ſcilicet quando fiunt quæ Deus vetat, &, quæ imperat vel conſulit, non fiunt.

Obſervandum eſt voluntatem, quæ per præceptum, conſilium & prohibitionem in Deo ſignificari videtur, non talem eſſe quâ Deus intelligatur velle facere aut non facere aliquid, ſed quâ intelligatur velle aliquid fieri vel non fieri à creaturis. Operatio verò ac præparatio ſigna

 ſunt

ſunt voluntatis, vel formalis, vel metaphoricæ, faciendi illud quod Deus operatur, vel ad quod operandum videtur ſeipſum præparare.

Diſtinguitur etiam in Deo voluntas ordinis, & voluntas decreti. Voluntas ordinis eſt ſuprema ratio in Deo exiſtens, & jubens omnia eſſe ordinatiſſima. Voluntas decreti eſt poſitiva voluntas Dei, decernens quidquid futurum eſt aut non futurum. Illa eſt neceſſaria & immutabilis; hæc libera. Illa dictat quid creatura rationalis facere debeat; hæc determinat quod reipſâ futurum eſt. Illa eſt regula actionum noſtrarum; hæc eſt cauſa omnium eventuum. Illi obedire debemus, ut boni rectique ſimus; huic in proſperis & in adverſis ſubmitti tenemur, dicentes cum Chriſto: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Voluntas ordinis nihil operatur ad extra, niſi adjunctam habeat voluntatem decreti, quâ ſolâ Deus facit quæcunque facit. Nam Deus non operatur ad extra, niſi voluntate liberâ libertate contradictionis: voluntas autem ordinis non eſt hoc ſenſu libera, ſed planè neceſſaria.

Voluntas decreti habet pro objecto res ſingulares & determinatas. Sicut enim quidquid fit, ſingulare eſt, ita etiam quidquid decernitur aut proponitur faciendum. At voluntas ordinis habet objectum univerſale & præciſum à circumſtantiis ſingularibus.

Diſtat nonnihil hæc diviſio à præcedente. Nam voluntas ſigni, quatenus ſigni eſt, metaphoricè dicitur de Deo. Voluntas autem ordinis, quanquam non eſt formalis & propriè dicta voluntas, tamen propriè attribuitur Deo, qui eſt ſuprema juſtitia & ſummus ordo. Aliunde voluntas ſigni latiùs patet voluntate ordinis. Deus quippe multa præcipit quæ nullomodò voluit: v. g. cùm præcepit Abrahamo ut immolaret filium ſuum Iſaac, quem tamen immolari nullomodò volebat. Multa etiam lege poſitivâ, tum veteri, tum novâ, ſanxit, quæ lege æternâ non præſcribuntur, ut ſacramenta & ritus ſacrificiorum. At voluntate ordinis id ſolum Deus vult, quod æternâ lege præſcribitur; vel potiùs voluntas ordinis nihil aliud eſt quàm ipſa lex æterna, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans, ac peccatum, ſi admiſſum fuerit, impunitum eſſe non ſinens. Attamen voluntas ordinis revocatur ad voluntatem ſigni, quia per legem, ſive naturalem, ſive ſcriptam, nobis innoteſcit. Sed diſtinguitur-ne ſimiliter voluntas beneplaciti à voluntate decreti? Reſpondeo non unam eſſe hac de re Theologorum loquendi rationem, atque ipſummet S. Thomam videri interdum illas voluntates confundere, interdum diſcernere. Si beneplacitum Dei appelles omnem affectum qui propriè convenit Deo, tunc voluntas ordinis includetur in voluntate beneplaciti. Si verò ſolam formalem voluntatem beneplacitum Dei appelles, quæ acceptio communior eſt in ſchola, tunc beneplacitum erit omnino quid idem cum voluntate decreti.

At-

Atque ut hoc meliùs intelligatur, obſervandum eſt aliud eſſe voluntatem aliquam propriè dici de Deo, aliud eam eſſe voluntatem formalem, ſeu propriè & ſimpliciter dictam. Ut voluntas propriè dicatur de Deo, ſatis eſt quòd illud, quod voluntatis nomine appellatur, Deo verè ac propriè competat, non metaphoricè tantùm. Ut autem voluntas ſit formalis, & propriè ſeu ſimpliciter dicta, illud non ſufficit, ſed requiritur inſuper ut habeat caracteres formalis voluntatis.

Hoc eſt, 1° ut ſit actus liber & poſitivus in Deo; Deus enim, quidquid vult extra ſe, liberè vult, non neceſſariò. 2°. Ut feratur in aliquid determinatè conſideratum. „ Voluntas enim, inquit S. Thomas, 1 parte, q. 19. art. 6. ad 1, „ comparatur ad res ſecundùm quòd in „ ſeipſis ſunt: in ſeipſis autem ſunt in particulari. Unde ſimpliciter „ volumus aliquid, ſecundùm quòd volumus illud conſideratis omni„ bus circumſtantiis particularibus.“ 3°. Ut ordinetur ad aliquid producendum, ſitque principium operationis. Nam omnis voluntas propriè dicta eſt actuoſa: quæ autem nihil operatur, cùm facilè poſſit, non eſt vera & propriè dicta voluntas.

Hinc manifeſtum eſt ſolam voluntatem decreti eſſe in Deo formalem & propriè dictam voluntatem; voluntatem verò ordinis, quàmvis propriè dicatur de Deo propter reale fundamentum quod in ipſo habet, non propriè & ſimpliciter dici voluntatem; tum quia non eſt actus Dei liber & poſitivus ad extra, ſed ipſamet veritas & juſtitia divina, tanquam norma omnis veri & æqui; tum quia ita abſtrahit à creaturis in particulari conſideratis, ut, etiamſi nihil prorſus creatum exiſteret, nihilominùs eſſet in Deo; tum denique quia nihil omnino operatur, niſi adjunctam habeat voluntatem decreti.

His ita expoſitis, aperiendus eſt ſtatus quæſtionis. Quæſtio non eſt an voluntas ſigni ſemper impleatur. Nam fatentur omnes, & quotidiana experientia demonſtrat, eam non impleri, quoties faciunt homines quod Deus prohibet, vel non faciunt quod imperat, aut quod conſulit: neque id derogat efficaciæ divinæ voluntatis, ut pote cùm voluntas ſigni non niſi metaphoricè Deo attribuatur.

Quæſtio etiam non eſt an voluntas ordinis ſemper impleatur. Nam de illa voluntate quæri non debet an ſemper impleatur, quæ per ſe non ordinatur ad producendum exteriùs aliquem effectum, nec propriè ac ſimpliciter dicitur voluntas. Atqui voluntas ordinis non ordinatur ad producendum aliquid extra ſe, nec propriè ac ſimpliciter dicitur voluntas; ſed tantummodò norma eſt ac regula cui creaturæ debent inter agendum ſeſe conformare. Alio tamen ſenſu paulò poſt explicando iſta voluntas ſemper impletur, in quantum peccatores penitus effugere non poſſunt ordinem divinæ juſtitiæ.

Igitur quæſtio eſt de voluntate poſitiva & propriè dicta, quam decreti

Digitized by Google

appellamus, an ſcilicet ſemper fiat omne quod Deus vult, hoc eſt, quod liberè decernit ac proponit fieri, ſive per ſeipſum ſolum, ſive per creaturas rationales, ſive in ordine naturæ, ſive in ordine gratiæ.

PRIMA PROPOSITIO.

Omnis voluntas Dei propriè dicta ſemper impletur, hoc eſt, omne quod Deus liberè decernit ac proponit faciendum, certiſſimè fit, ſive pendeat à ſolo Deo, ſive pendeat etiam à conſenſu voluntatis creatæ.

HANC veritatem invictè demonſtrant omnia argumenta, quibus Lib. IV, agendo de gratia per ſe efficaci, probavimus divinæ voluntati nihil omnino reſiſtere, imò nec poſſe reſiſtere. Nam ſi voluntas Dei aliquando fruſtraretur effectu quem intendit, maximè quia creaturæ ei reſiſterent, effectumque ab eo volitum impedirent. Cùm ergo demonſtratum ſit divinæ voluntati nihil poſſe reſiſtere, evidentiſſimè ſequitur voluntatem Dei propriè dictam nunquam fruſtrari ſuo effectu.

Confirmatur eadem veritas expreſſis teſtimoniis Scripturæ ſacræ & SS. Patrum ejus interpretum.

Pſalm. 113: *Deus autem noſter in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit.* Et Pſalm. 134, v. 6: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Iſaiæ XLVI. 10: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Eccleſiaſtæ VIII. 3: *Omne quod voluerit faciet, & ſermo illius poteſtate plenus eſt.* Non ergo aliqua Deus vult & non facit, ſed prorſus omnia quæcunque voluit fecit, tum in hominibus, tum in creaturis inanimatis. Porro ſi datur in Deo voluntas propriè dicta, quæ propter humanæ voluntatis reſiſtentiam effectu careat, jam Deus non omnia quæ voluit fecit, nec omnis ejus voluntas fit, nec univerſaliter verum eſt quod ait Daniel, IV. 33: *Omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui ejus.*

Sancti Patres non minùs hac in re diſerti ſunt. S. Auguſtinus, in Enchiridio, cap. 95. n. 24: „ Tunc in clariſſima ſapientiæ luce vide-
„ bitur, inquit, quod nunc piorum fides habet, antequàm manifeſtâ
„ cognitione videatur, quàm certa, immutabilis, efficaciſſima ſit vo-
„ luntas Dei; quàm multa poſſit, & non velit, nihil autem velit quod
„ non poſſit; quàmque verum ſit quod in pſalmo canitur: *Deus autem*
„ *noſter*

Digitized by Google

„ *noſter in cœlo ſurſum, in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit.* „ Quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit, &, „ quod eſt indignius, ideò non fecit, quoniam, ne fieret quod vole- „ bat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Hoc niſi credatur, addit cap. 96, „ periclitatur ipſum confeſſionis noſtræ initium, quo „ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim „ ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult po- „ teſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis im- „ peditur effectus." S. Doctor his verbis non ſolùm docet voluntatem Dei eſſe efficaciſſimam, ſed nullam prorſus agnoſcit voluntatem divinam formaliter ſumptam, quæ per hominis voluntatem ſuo poſſit effectu fruſtrari; hocque affirmat tanquam piorum fidem, imò tanquam primum fidei chriſtianæ articulum, quo nos in Deum omnipotentem credere gloriamur, & errorem oppoſitum rejicit ac deteſtatur veluti Deo injurioſum & indigniſſimum.

Illud autem fidei principium negotio ſalutis applicat lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 14. n. 43. „ Cui volenti ſalvum facere nullum, inquit, „ reſiſtit arbitrium: ſic enim velle ſeu nolle in volentis ſeu nolentis „ eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet po- „ teſtatem. Etiam de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipſe „ quæ vult." Ergo, tam reſpectu æternæ ſalutis, quàm reſpectu quorumcunque aliorum, voluntas Dei propriè dicta ſemper impletur.

S. Fulgentius, lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 9: „ Voluntas, ait, omnipotentis neceſſe eſt in omnibus impleatur. Fit „ ergo quidquid ille voluerit fieri, cujus voluntati nemo reſiſtit: nec „ enim poteſtas Dei minor eſt quàm voluntas, & ideò nihil invenitur „ velle quod non poſſit efficere. Quædam quidem Deus facere poſſet, „ & non facit; nihil eſt tamen quod fieri velit aliquando, nec faciat. „ *Omnia* enim, *quæcunque voluit*, *Dominus fecit in cœlo & in terra, in* „ *mari & in omnibus abyſſis.* Proinde & in hominibus, quoniam quæ- „ cunque voluit fecit, quoscunque vult fieri, ſalvos fecit: & quoniam „ ipſa veritas veraciter dicit: *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit* „ *me attraxerit eum*, illos omnes facit ad agnitionem veritatis venire, „ quos ipſe miſericorditer dignatur attrahere." Nulla hic voluntas in Deo agnoſcitur, quæ non ſit efficaciſſima; imò conceptis verbis excluditur voluntas quælibet inefficax, non ſolùm in iis quæ Deus per ſeipſum facit, ſed in iis etiam quæ indigent hominis cooperatione, atque imprimis in eis quæ ſalutem æternam ſpectant.

Præſules Africani in Sardiniam relegati idem teſtantur in ſua Epiſtola ſynodica *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 14. „ Semper quippe, inquiunt, „ voluntas Dei omnipotentis impletur" (non ergo aliquando, non plerùmque, non aliqua tantùm voluntas Dei impletur, ſed

ſemper voluntas Dei impletur), „ quia poteſtas ejus nullatenus vinci„ tur. Ipſe eſt enim qui *omnia quæcunque voluit fecit, in cœlo & in* „ *terra, in mari & in omnibus abyſſis, & cujus voluntati nemo reſiſtit.* „ Verum namque eſt quod de ſeipſo teſtatus eſt Filius, quia *quos vult* „ *vivificat*, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis ex„ pectat, ſed ipſam voluntatem bonam faciendo vivificat." Ergo divina voluntas humanâ nec retardatur, nec impeditur, ſemperque quod vult etiam in hominibus peragit.

S. Avitus Viennenſis, Frag. 4 ex libris *contra Arianos:* „ Firmum „ debet apud nos fixumque teneri, ait, quòd, quidquid omnipotens „ non fecerit, reſtat ut nolit." Igitur nullam habet propriè dictam voluntatem quæ ſuo fruſtretur effectu, idque apud Chriſtianos firmum fixumque eſſe debet.

Synodus ſexta œcumenica pro certo & indubitato ſuppoſuit omnem voluntatem divinam ſemper impleri. Nam Actione 4 probatum eſt ex Epiſtola Agathonis Papæ duas eſſe in Chriſto voluntates, unam divinam, alteram humanam, hoc inter utramque conſtituto diſcrimine, quòd divina ſemper impleatur, humana non item: quod certè argumentum nullius roboris eſt, ſi admittendæ ſint in Deo velleitates inefficaces. Monothelitæ quippe reſpondere potuiſſent voluntates Chriſti, quæ impletæ non ſunt, non ideò humanas cenſeri debere, ſed divinas fuiſſe, non quidem abſolutas, ſed conditionatas, v. g. cùm dicitur, Marc. VII (quo exemplo utuntur Patres): *voluit latere, & non potuit.*

S. Gregorius magnus, lib. 6 *Moralium*, cap. 12, docet voluntatem Dei eſſe adeò omnipotentem etiam in voluntates hominum, ut, dum ei reſiſtere videntur, nihil aliud quàm eam impleant. „ Sæpè, inquit, „ nonnulli humanâ ſapientiâ inflati, dum deſideriis ſuis divina judicia „ contraire conſpiciunt, aſtutis eis reluctari machinationibus conan„ tur...... Sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare „ contendunt, atque omnipotentis Dei conſilio, dum reſiſtere nitun„ tur, obſequuntur." Laudat in exemplum fratres Joſephi Patriarchæ, quorum perfidia divinis exequendis conſiliis inſervivit. „ Sic, ſic, inquit, „ divinum judicium, dum devitatur, impletur: ſic humana ſa„ pientia, dum reluctatur, comprehenditur...... Hinc rurſum dicitur: „ *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra.*" Sanè omnes ferè eventus temporales pendent à conſenſu & cooperatione voluntatum creatarum: quocirca pleraque Dei conſilia & voluntates omnino nutarent, ſi, quod per creaturas rationales faciendum proponit, per eaſdem impediri poſſet

Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, q. 1. n. 26, idem aſſerit & hominum ſaluti applicat. „ Deus, inquit, quorum vult liberator eſt; & utique, ut eſt quorumdam, ſi voluiſſet, eſſe potuiſſet & „ om-

Digitized by Google

„ omnium: omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & „ in terra.“ Concludit Deum non velle omnes liberare, eoquòd non omnes liberet, qui omne quod vult facit.

S. Prudentius Treçenſis, in Epiſtola ad Hincmarum & Pardulum, cap. 3, allatis pro explicatione textûs Apoſtolici, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, S. Auguſtini interpretationibus, de quibus poſteà dicemus, ſic pergit: „ Alioquin ſi generaliter, & non ſpecialiter, omnes „ intelligendi ſunt, ubi eſt illa omnipotentia, quâ omnia quæcunque „ voluit in cœlo & in terra, prorſus non quædam, ſed omnia gene„ raliter fecit, de quo veriſſimè canitur: *Omnia quæcunque voluit Do„ minus fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis;* & cui „ dicitur: *In voluntate* vel *ditione tua, Domine, cuncta ſunt poſita, & „ non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati?* Et ubi eſt quod jugiter diur„ nis nocturniſque confeſſionibus, nos credere in *Deum Patrem omni„ potentem*, fideliſſimè dicimus? Si aliqua vult, & non facit, quod ab„ ſit ab omnium ſalvandorum cordibus, impotentiæ arguitur qui om„ nipotens prædicatur: quod quantæ ſit imprudentiæ, prudentia veſtra „ viderit.“ Idem probat toto capite 4. Audis Deum non eſſe omnipotentem, ſi aliqua vult voluntate formali & propriè dictâ, & non facit, hancque doctrinam tanquam in fide certiſſimam tradi.

S. Bernardus, ſerm. 2 de Diverſis, n. 3: „ Non ſimpliciter peti„ mus, ait, ut fiat voluntas Domini, quam in omnibus & per omnia „ fieri certiſſimè conſtat (voluntati enim ejus quis reſiſtit?); ſed ut „ fiat, ſicut in cœlo, & in terra, id eſt, ut eam amemus & approbe„ mus.“ Ergo quod Deus vult certiſſimè evenit. Quod autem Oratione Dominicâ petimus, hoc eſt, ut Deus velit & efficiat nos ſuæ deſervire voluntati, quia, ſi velit, nos conſentientes utique habebit, ut præclarè explicat B. Epiſcopus ac martyr Cyprianus in lib. *de Oratione Dominica.* „ Oramus, inquit, non ut Deus faciat quod vult, ſed ut nos „ facere poſſimus quod Deus vult, hoc eſt, quod imperat nobis. Nam „ Deo quis obſiſtit, quominùs quod velit faciat? Sed quia nobis à dia„ bolo obſiſtitur, quominùs per omnia noſter animus atque actus Deo „ obſequatur, oramus & petimus ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut „ fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope ejus atque protec„ tione.“

Sanctorum Patrum doctrinæ ſummo conſenſu adhæſerunt Scholaſtici antiquiores, atque ita conati ſunt explicare textum Apoſtoli de voluntate ſalutis omnium hominum, ut divinæ voluntatis efficaciam ſalvam illibatamque ſervarent. Præcipuos ex illis appellabimus.

Hugo Victorinus, in Summa, tract. 1. cap. 13, duplicem tantùm diſtinguit in Deo voluntatem, propriè dictam, quam beneplaciti appellat, & metaphoricam ſeu ſigni, illamque nunquam non impleri aſſerit. „ Vo„ luntas Dei, inquit, in ſacra Scriptura aliquando intelligitur ipſa, quæ

„ idem eſt cum Deo & ipſi coæterna eſt, & hæc voluntas ſemper im-
„ pletur. De hac dicit Apoſtolus: *Voluntati ejus quis reſiſtit?* .... Et
„ poteſt hæc voluntas beneplacitum Dei vel diſpoſitio appellari. Unde
„ Propheta: *quæcunque voluit fecit*, id eſt quæcunque diſpoſuit ſe factu-
„ rum. Aliquando præceptio vel prohibitio Dei voluntas Dei dicitur
(locutione metaphoricâ), quia ſunt ſigna divinæ voluntatis, ut ſigna
„ iræ appellantur ira." Sola ergo voluntas ſigni, quæ non eſt vera &
formalis voluntas, teſte Hugone, non ſemper impletur; omnis verò
formalis & propriè dicta voluntas Dei ſemper impletur.

Magiſter Sententiarum, lib. 1. diſt. 46. litt. A, ſtatuit primùm, tan-
quam immotum principium, „ voluntatem Dei, quæ beneplacitum ejus
„ vocatur, caſſari, hoc eſt, irritam fieri non poſſe." Deinde, objecto
ſibimet textu Apoſtolico, reſpondet, litt. C, „ horum occaſione ver-
„ borum multos à veritate deviaviſſe, dicentes Deum multa velle fieri
„ quæ non fiunt. Sed, addit, non eſt intelligendum eâ ratione illud
„ eſſe dictum, quaſi Deus velit aliquos ſalvari, & non ſalventur. Quis
„ enim tam impiè deſipiat, ut dicat Deum malas hominnm voluntates,
„ quas voluerit, & quando voluerit, & ubi voluerit, in bonum non
„ poſſe convertere? Non eſt utique verum quod in pſalmo dicitur,
„ *quæcunque voluit fecit*, ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod eſt
„ indignius, ideò non fecit, quoniam, ne fieret quod volebat omnipo-
„ tens, voluntas hominis impedivit...... Non eſt enim credendus om-
„ nipotens aliquid voluiſſe fieri quod factum non ſit...... Qui ſine ul-
„ lis ambiguitatibus, ſicut in cœlo, & in terra, ſicut veritas cantat, *omnia*
„ *quæcunque voluit fecit*, profectò facere non voluit quodcunque non fe-
„ cit. Ex his apertè oſtenditur quòd Deus eâ voluntate, quæ ipſe eſt,
„ non vult aliquid fieri, quod non fiat, neque non fieri quod fiat." Hæc
luculentiſſima verba, ex Auguſtino maxima ex parte deprompta, invictè
demonſtrant ſcholarum parentem nullam internam voluntatem in Deo
agnoviſſe, quæ ſuo poſſit fruſtrari effectu.

Petrus Pictavienſis, qui in Academia Pariſienſi docuit ab anno 1167
usque ad annum 1205, in Summa, part. 1. cap. 11, cùm dixiſſet „ mul-
„ ta fieri contra ſigna voluntatis Dei," inquirit „ an poſſit aliquid fie-
„ ri contra voluntatem Dei, quæ ipſe eſt, id eſt, an, quidquid Deus
„ vult fieri, fiat, & è contrario:" & ſic reſpondet: „ Palam eſt nihil
„ fieri velle à Deo, quod non faciat, ſecundùm illud: *Voluntati ejus*
„ *quis reſiſtit?* &: *Omnia quæcunque voluit fecit.*

Præpoſitivus, in principio ſuæ Summæ, probat „ voluntatem Dei
„ nunquam manere inexpletam." Et cum ſibi objeciſſet hunc textum:
Nolo mortem peccatoris: „ Ad hæc, inquit, dicunt magiſtri noſtri quòd
„ hoc nomen, voluntas, duobus modis accipitur, ſcilicet pro benepla-
„ cito, quod eſt ipſe Deus, & pro ſigno beneplaciti...... Quod ergo
„ dicitur, voluntas Dei nunquam remanet inexpleta, intelligendum eſt
„ de

Digitized by Google

„ de beneplacito; ſigna enim ſæpè remanent inexpleta." Ergo, juxta illos antiquos magiſtros, omnis voluntas, quæ remanet inexpleta, non eſt voluntas beneplaciti, ſed ſigni.

S. Thomas, 1 part. q. 19. art. 8. ad 1: „ Intelligenda eſt neceſſitas in „ rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionalis. Neceſſe eſt enim „ hanc conditionalem eſſe veram: ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſ- „ ſe." Loquitur S. Doctor de voluntate beneplaciti, quam ſemper impleri docuerat art. 6.

Scotus, in 1 diſt. 46, q. unicâ, probat voluntatem beneplaciti ſemper impleri, eoquòd ſit ultima determinatio, quæ poteſt poni ex parte voluntatis Dei omnipotentis, ad producendum aliquid. „ Ergo, inquit, „ reſpectu cujuſcunque effectûs, ſive à ſolo Deo, ſive etiam à „ cooperatione creatæ voluntatis pendeat, ſi Deus eſt ſic volens, ſic „ erit."

Recentiores hic recenſere ſuperfluum eſt.

Rationes quoque evidentiſſimæ idem demonſtrant.

Prima petitur ab omnipotentia divina. Repugnat quippe omnipotentem aliquid velle verâ & propriè dictâ voluntate, quod non fiat. Cur enimverò non fieret quod Deus vult fieri? An quia non poſſet exequi quod vult omnipotens? Abſit à mente Chriſtianorum tam horrenda impietas. An quia non eo modo vult ut effectus ſequatur? Ergo non habet reſpectu illius effectûs veram & propriè dictam voluntatem. Nihil eſt medium. Vel Deus non poteſt facere quidquid vult, quod eſt hæreticum; vel, quidquid non facit, fieri non vult.

Secunda deſumitur à ſumma ſimplicitate Dei. Repugnat Deum facere aliquid, & illud non fieri; fieret enim ſimul, & non fieret. Atqui in Deo velle & facere ſunt unum & idem. *Dixit, & facta ſunt: mandavit, & creata ſunt.* Ergo repugnat Deum velle aliquid fieri, & illud non fieri.

3°. Si qua Dei voluntas eſſet inefficax, maximè voluntas conditionata. Atqui nulla eſt in Deo voluntas conditionata, etiam ex parte objecti. Vel enim conditio ponenda eſt à Deò, vel à creatura. Si à Deo ponenda eſt per gratiam ſeipſâ efficacem, & non ponitur, Deus non vult propriè effectum eâ conditione ſuſpenſum: quemadmodum qui diceret, volo tibi dare centum nummos, ſi tibi dedero unum nummum, & non daret unum nummum, omnium judicio diceretur nolle dare centum nummos. Si verò conditio ponenda eſt à creatura ſine gratia ſeipſâ efficaci, Deus non eſt cauſa prima & efficax omnis boni: quod ſine graviſſimo errore dici nequit. Ergo nulla eſt in Deo voluntas conditionata & inefficax. Sed de voluntate conditionata recurret dicendi locus.

Digitized by Google

SECUNDA PROPOSITIO.

Voluntas quoque ordinis ſuo modo ſemper impletur (non tamen ſine voluntate decreti). In quantùm quid recedere videtur ab uno ordine, in alium ordinem per potentiam & juſtitiam divinam reducitur.

NON unum eſt æternæ legis præſcriptum. Primum eſt ut homo non peccet: alterum, ſi peccaverit, ut convertatur, vel ut puniatur. Horum alterutrum contingat, omnia remanent ordinatiſſima, quia homo, qui perverſè ſe ordinat in peccatis, juſtè ordinatur in pœnis, & qui non reddit faciendo quod debet, reddit patiendo quod debet. Quamobrem ſi peccator, qui, quantùm in ſe eſt, ordinem turbavit, nunquam pœnam effugit, ſemper impletur voluntas ordinis, ſeu ordo divinæ juſtitiæ. Porro res ita eſt.

S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalm. 110. n. 2: „ Non ſic, ait, conſtituta ſunt opera Domini, ut creatura in libero arbitrio conſtituta „ creatoris ſuperet voluntatem, etiamſi contra ejus faciat voluntatem. „ Non vult Deus ut pecces, nam prohibet: tamen, ſi peccaveris, non „ putes hominem feciſſe quod voluit, & Deo accidiſſe quod noluit. Si„ cut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut re„ vertatur & vivat; ita vult poſtremò in peccato perſeverantem punire, „ ut juſtitiæ potentiam contumax non evadat. Ita, quidquid elegeris, „ omnipotenti non deerit unde ſuam de te compleat voluntatem."

Idem S. Doctor, ſerm. 214. n. 3: „ Nec ideò credant iniqui Deum non „ eſſe omnipotentem, quia multa contra ejus faciunt voluntatem: quia, „ & cùm faciunt quod non vult, hoc de eis facit quod ipſe vult. Nul„ lomodò igitur omnipotentis vel mutant vel ſuperant voluntatem. Si„ ve homo juſtè damnetur, ſive miſericorditer liberetur, voluntas om„ nipotentis impletur. Quod ergo non vult omnipotens, hoc ſolum „ non poteſt. Utitur ergo malis, non ſecundùm eorum pravam, ſed „ ſecundùm ſuam rectam voluntatem. Nam ſicut mali naturâ ſuâ „ bonâ, hoc eſt, bono ejus opere malè utuntur, ſic ipſe bonus malis „ eorum operibus benè utitur, ne omnipotentis voluntas aliqua ex „ parte vincatur...... Sic in univerſa creatura occultis atque abditis „ finibus, quos nec oculorum, nec mentis acie penetramus, no„ vit quemadmodum malis Deus utatur, ut in omnibus, quæ naſcun„ tur & adminiſtrantur in mundo, voluntas omnipotentis impleatur."

Idem docet in lib. *de Agone chriſtiano*, cap. 7; lib. *de Natura boni* contra Manichæos, cap. 37; lib. *de Spiritu & littera*, cap. 33. n. 58. &

& in *Enchiridio*, cap. 26. n. 100 & 102, ubi ſic loquitur: „ Quantùm „ ad ipſos Angelos & homines peccantes pertinet, quod Deus noluit fe- „ cerunt; quod verò ſpectat ad omnipotentiam Dei, nullomodò id ef- „ ficere valuerunt. Hoc quippe ipſo, quod contra voluntatem fecerunt „ ejus, de ipſis facta eſt voluntas ejus. Propterea namque *magna ope-* „ *ra Domini*, *exquiſita in omnes voluntates ejus*, ut miro & ineffabili mo- „ do non fiat præter voluntatem ejus, quod etiam contra ejus fit vo- „ luntatem; quia non fieret, ſi non fineret; nec utique nolens ſinit, ſed „ volens; nec ſireret bonus fieri malè, niſi omnipotens & de malo poſ- „ ſet facere benè...... Sed quantælibet ſint voluntates Angelorum vel „ hominum (vel bonorum, vel malorum, vel illud quod Deus, vel „ aliud volentes quàm Deus), omnipotentis voluntas ſemper invicta „ eſt...... Deus igitur omnipotens...... nec iniquè aliquid facit, nec „ niſi volens aliquid facit, & omnia quæcunque vult facit."

Idipſum probat Angelicus Doctor, 1 part. q. 19. art. 6. in corp. hoc modo: „ Poteſt aliquid fieri extra ordinem alicujus cauſæ particularis „ agentis, non autem extra ordinem alicujus cauſæ univerſalis, ſub qua „ omnes cauſæ particulares comprehenduntur; quia ſi aliqua cauſa parti- „ cularis deficiat à ſuo effectu, hoc eſt propter aliquam aliam cauſam „ particularem impedientem. Unde effectus ordinem cauſæ univerſalis „ nullomodò poteſt exire...... Cùm igitur voluntas Dei ſit univerſalis „ cauſa rerum omnium, impoſſibile eſt quòd divina voluntas ſuum ef- „ fectum non conſequatur. Unde quod recedere videtur à divina vo- „ luntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium: „ ſicut peccator, qui, quantùm in ſe eſt, recedit à voluntate divina „ peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſti- „ tiam punitur."

Pulchrâ ſimilitudine explicat iſtam veritatem S. Anſelmus, lib. 1 *Cur Deus homo*, cap. 15. „ Si ea, inquit, quæ cœli ambitu continen- „ tur, vellent non eſſe ſub cœlo, aut elongari à cœlo, nullatenus poſ- „ ſent niſi ſub cœlo eſſe, nec fugere cœlum niſi appropinquando cœlo. „ Nam unde, & quò, & quà irent, ſub cœlo eſſent, & quantò magis „ à qualibet parte cœli elongarentur, tantò magis oppoſitæ parti ap- „ propiquarent. Ita, quàmvis homo, vel malus angelus, divinæ volun „ tati & ordinationi ſubjacere nolit, non tamen eam fugere valet. „ quia, ſi vult fugere de ſub voluntate jubente, currit ſub voluntatem „ punientem; & ſi quæris quà tranſit, nonniſi ſub voluntate permitten- „ te: & hoc ipſum, quod perverſè vult & agit, in univerſitatis ordi- „ nem & pulchritudinem ſumma ſapientia convertit."

Eſt autem obſervandum non poſſe ullo temporis intervallo iſta duo divelli, ut alio tempore peccator ab ordine divinæ legis recedat, alio labatur in ordinem juſtitiæ punientis. Sicut enim eodem ipſo motu, quo aliquid conatur ab una parte cœli effugere, ad aliam cœli partem ap-

appropinquat, ita eodem motu, quo creata voluntas juſtitiam deſerit, miſeriam amplectitur, ſimul peccatrix & miſera. Nam, „ quia nemo „ ſuperat leges omnipotentis creatoris, ait S. Auguſtinus, lib. 3 *de Lib. arbitrio*, cap. 15. n. 44, „ non ſinitur anima non reddere debitum. „ Aut enim reddit benè utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo „ benè uti noluit. Itaque ſi non reddit faciendo juſtitiam, reddet pa- „ tiendo miſeriam...... Nullo autem intervallo temporis iſta dividun- „ tur, ut quaſi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur „ quod debet, ne vel puncto temporis univerſitatis pulchritudo turpe- „ tur, ut ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ. Sed in futurum „ ſæculum ſervatur, ad manifeſtationem atque ad acerrimum ſenſum mi- „ ſeriæ, quidquid nunc occultiſſimè vindicatur."

Igitur prorſus impoſſibile eſt ut deſertori juſtitiæ non malè ſit, vel ad momentum. Differtur quidem cruciatus inferorum, ſed differri non poteſt interior pœna. Quæris quænam illa ſit? Ipſamet iniquitas. „ Juſſiſti enim, & ſic eſt, ait idem S. Doctor, lib. 1. *Confeſſ.* cap. 12. n. 19, „ ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus." Et lib. 4. cap. 9. n. 14: „ Te nemo amittit, niſi qui dimittit: & qui te dimit- „ tit, quò it, vel quò fugit, niſi à te placido ad te iratum? Nam ubi „ non invenit legem tuam in pœna ſua?

Solvuntur objectiones contra primam Propoſitionem.

D. Languet Epiſcopus Sueſſion. 5 Inſtr. Paſtor. part. 2. §. 56, & Tournely, tom. 2 de Attributis, pag. 915.

Objiciunt contra primam Propoſitionem. Deus vult voluntate verâ & formali, non figuratâ & metaphoricâ, ut faciamus bonum & à malo abſtineamus. „ *Eſt enim beneplacitum Deo recedere ab iniquitate*, ait Eccleſiaſticus, XXXV. 5; &, ut loquitur Apoſtolus, 1 Theſſal. IV. 3: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione.* Et S. Joannes Damaſcenus in Dialogo contra Manichæos: „ Lex Dei „ voluntas ipſius eſt: nemo quippe ea præcipit à quibus abhorreat." Atqui illa voluntas Dei non ſemper impletur; non enim homines ſemper abſtinent à malo & faciunt bonum. Ergo datur in Deo voluntas formalis & propriè dicta, quæ non ſemper impletur.

Diſtinguo majorem. Deus vult voluntate verâ & formali ut faciamus bonum, id, inquam, vult voluntate ordinis, concedo: voluntate poſitivâ & decreti, iterum diſtinguo. Id vult quando reipsâ facit ut faciamus bonum, concedo; quando permittit ut non faciamus bonum, nego.

Confundunt adverſarii voluntatem ordinis, quæ eſt regula agendorum & fugiendorum, & voluntatem decreti, quæ eſt cauſa eventuum. Utraque eſt verè & propriè in Deo. Quis enim dicat Deum metaphoricè tantùm velle juſtitiam & nolle iniquitatem? Sed non idem eſt utriuſque objectum. Voluntas ordinis præſcribit quid agendum fugiendumve ſit, peccantibus pœnam minatur, juſtis præmia promittit. Voluntas

verò

verò decreti ſpeciatim determinat quid futurum ſit. Per voluntatem ordinis Deus amat juſtitiam & odit iniquitatem. Amat, inquam, & odit verè, propriè, non metaphoricè. Vult ut quævis creatura libera teneatur declinare à malo & facere bonum, jubetque ſic fieri. Sed vultne hunc eventum, ſcilicet Petrum hic & nunc peccare? Nequaquam, ſupponendo Petrum hic & nunc peccare. Supponendo autem Petrum reverâ non peccare, hunc eventum Deus vult, non per voluntatem ordinis, ſed per decretum poſitivum. Igitur cùm dicitur Deus voluiſſe ut Petrus v. g. non negaret Chriſtum, figurata eſt locutio, non quaſi Deus metaphoricè & non propriè oderit illud peccatum, abſit, ſed in quantùm voluntas ſeu amor ordinis per tropum transfertur ad voluntatem particularis eventûs.

Porro Deum non velle formaliter talem eventum qui non evenit, ſcilicet obſervationem præcepti quod de facto non obſervatur, manifeſtè patet ex eoquòd alioqui agnoſcendæ eſſent in Deo duæ voluntates contrariæ; una qua formaliter non vult, ex hypotheſi, talem transgreſſionem accidere, altera quâ vult formaliter permittere ut talis transgreſſio accidat.

Et certè ſi Deus poſitivè vellet tale peccatum, quod reverâ accidit, non accidere, profectò vel voluntate decreti, vel voluntate ordinis. Atqui neutrum dici poteſt. Non primum. Nam quod Deus decernit, certiſſimè evenit, juxta illud: *Omnis voluntas mea fiet.* Non ſecundum. Nam voluntas ordinis eſt neceſſaria in Deo, fatentibus adverſariis. Nullus verò eſt particularis eventus, quem Deus naturæ ſuæ neceſſitate velit, ut conſentiunt omnes Theologi.

Inſtant. S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 33. n. 58, dicit „ infideles facere contra voluntatem Dei, non tamen eam vincere:“ ubi eadem eſt voluntas contra quam agitur, & quæ non vincitur. Atqui voluntas quæ non vincitur eſt formalis & propriè dicta. Ergo & illa cui reſiſtitur.

Reſpondeo illam voluntatem, quam infideles contra eam faciendo vincere non poſſunt, eſſe voluntatem ordinis, quæ, ut dictum eſt in 2ª Propoſitione, ſemper remanet invicta. „ Cùm Deus aliquid prohibet, ait Bellarminus, lib. 2 *de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati*, cap. 16, „ non abſolutè vult illud non fieri, ſed vult aut non fieri, aut puniri „ eum qui facit. Quare ſemper invicta manet voluntas divina, neque „ ei ullo modo reſiſti poteſt. Nam etiamſi aliqui legem ejus prævari- „ centur, & faciant quod ipſe fieri prohibuit, non tamen evadunt ſup- „ plicium quod idem ipſe peccatoribus comminatur.“

CAPUT SECUNDUM.

An formali & propriè dictâ voluntate velit Deus omnes & ſingulos homines ſalvos fieri.

Quæstio non eſt an Deus voluntate abſolutâ, & conſequente præſcientiam meritorum, omnes homines ſalvos fieri velit: ſed quæritur an Deus, ante prævïſam cujusque diſpoſitionem, habeat veram & formalem voluntatem ſalvandi omnes homines; quæ voluntas per creaturæ reſiſtentiam ſuo in multis hominibus fruſtretur effectu.

Pelagiani & Semipelagiani contendebant Deum habere, reſpectu omnium hominum, æqualem & indifferentem voluntatem eos ſalvandi, modò ipſi vellent ſuo rectè uti libero arbitrio, ſive faciendo bonum, ſive ſaltem gratiam medicinalem perſeveranter deſiderando & poſtulando: divinam verò voluntatem in eis impleri, qui ſuâ ſponte efficaciter volunt ſalvari, in aliis caſſam atque irritam reddi.

Idem tueri tenentur quicunque abſolutam & efficacem prædeſtinationem electorum non admittunt, ante prævïſum bonum uſum gratiæ. Quàmvis enim hi à Pelagianis ſeſe, admiſſâ gratiâ interiori, diſcernere nitantur, tamen gratiæ efficaciam à conſenſu creatæ voluntatis repetendo, hominem conſtituunt primum ſuæ ſalutis arbitrum, ſicque in Pelagianismum recidunt.

Nonnulli Theologi, ultro agnitâ in Deo gratuitâ prædeſtinatione, ſpecialique voluntate ſalvandi ſolos electos, contendunt Deum nihilominùs habere formalem & propriè dictam beneplaciti voluntatem, quam antecedentem vocant, ſalvandi omnes & ſingulos homines, eamque voluntatem ſeu velleitatem ſuo effectu in reprobis fruſtrari.

Ex his pauci ſententiam ſuam, de formali voluntate ſalvandi omnes homines, tradunt tanquam ad fidem pertinentem. Plures volunt ſaltem de fide eſſe Deum hoc modo velle omnium fidelium ſalutem; atque ita ſenſit, inter alios, illuſtriſſimus ac doctiſſimus Boſſuetus.

Denique cæteri Theologi docent non eſſe in Deo formalem & propriè dictam beneplaciti voluntatem ſalvandi alios quàm electos, quia nimirum nulla eſt in Deo formalis voluntas quæ ſit inefficax.

Ut autem in tanti momenti quæſtione methodo & ordine procedamus, plures in partes eam ſecabimus.

Ac primò quidem oſtendemus de fide eſſe admittendam eſſe in Deo, ante omnem præſcientiam, ſpecialem & gratuitam voluntatem ſalvandi om-

omnes & ſolos electos, cæteris omnibus in damnationis maſſa juſto judicio derelictis.

2°. Referemus & exponemus varias textûs Apoſtolici, *qui vult omnes homines ſalvos fieri* &c, expoſitiones, diverſis ſæculis à SS. Patribus & Theologis antiquioribus propoſitas.

3°. Refellemus eam opinionem modernorum, quæ admittit in Deo conditionatam voluntatem ſalvandi omnes homines, modò ipſi velint, ita ut illius voluntatis impletio à creata voluntate pendeat.

4°. Expendemus an ſit de fide, aut veritati conſentaneum, Deum velle omnes & ſingulos homines, nullo excepto, ſalvos fieri.

5°. Diſpiciemus an ſaltem, omnes & ſingulos fideles Deum velle ſalvos fieri, vel fides doceat, vel firma argumenta demonſtrent.

6°. Denique expendemus quid ſentiendum ſit de iſtis loquendi modis: Deus vult, quantùm in ſe eſt, verâ, ſincerâ, fervidâ, activâ voluntate, omnes homines ſalvos fieri.

ARTICULUS PRIMUS.

PROPOSITIO.

Deus, ante præſcientiam meritorum, habet abſolutam voluntatem ſalvandi ſolos electos, & reliquos omnes in maſſa perditionis relinquere.

Solis verbis differt iſta Propoſitio à dogmate gratuitæ prædeſtinationis ſupra ſtabilito. Nam ſi Deus, multis exploratis meritis, aliquos gratuitâ miſericordiâ elegit ad ſalutem efficaciter conſequendam, cæteris in maſſa damnationis derelictis, clarum eſt Deum, abſoluto decreto in ſola ſua voluntate fundato, voluiſſe non alios, quàm gratis à ſe electos, ad ſalutem perducere; & ſi doctrina gratuitæ prædeſtinationis ad fidem pertinet, ut ibidem docuimus, eſt quoque de fide Deum poſitivè decreviſſe nullum reproborum ſalvare, ſed tantùm electos.

„ Summa eſt voluntatis Dei, inquit Tertullianus, lib. *de Orat.* cap. 5, „ ſalus eorum quos adoptavit.“ Non omnes autem adoptavit.

Id confirmat Florus Diaconus Lugdunenſis in libro quem adverſus Scotum nomine Eccleſiæ Lugdunenſis ſcripſit. Cùm enim adverſario ſuo conceſſiſſet prædeſtinationem Dei nihil aliud eſſe quàm voluntatem Dei, ſic proſequitur: „ Conſequens ergo omnino eſt ut & illud, quod de Deo

 „ di-

„ dicit Apoſtolus, *qui vult omnes homines ſalvos fieri* &c, ſicut eſt in „ prædeſtinatione Dei, ita rectiſſimè intelligatur eſſe in voluntate Dei; „ id eſt, ut, quos prædeſtinavit Deus æternâ voluntate ſuâ ex omni „ genere humano electos, ipſos omnes velit ſalvos fieri & ad agnitionem „ veritatis venire: videlicet quia prædeſtinatio Dei ipſa eſt certiſſima „ voluntas Dei, & ſicut de voluntate Dei veraciter ab Apoſtolo dictum „ eſt, *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, ita & de prædeſtina„ tione Dei certiſſimè teneatur; ſcilicet quòd æternâ prædeſtinatione, „ ſicut æternâ voluntate ſuâ, *Jacob dilexit, Eſaü autem odio habuit*, & „ *ex eadem maſſa fecit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in con*„ *tumeliam*; ſed illud bonitate ſuâ, iſtud juſto judicio ſuo, ut eſſent „ alii vaſa iræ, alii vaſa miſericordiæ."

ARTICULUS SECUNDUS.

Textûs Apoſtolici, qui vult omnes homines ſalvos fieri, *variæ expoſitiones à SS. Patribus ac Theologis propoſitæ.*

Cùm Semipelagiani, ad evertendum gratuitæ prædeſtinationis dogma, nihil frequentiùs objicerent quàm textum Apoſtoli, 1 Tim. II. 4: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, qui illis reſtiterunt SS. Patres, coacti ſunt illud teſtimonium cum dogmate prædeſtinationis & efficaciſſimæ voluntatis divinæ conciliare; præſertim S. Auguſtinus, cujus tres circumferuntur expoſitiones ab omnibus, qui ipſum ſecuti ſunt, ſive SS. Eccleſiæ Doctoribus, ſive Theologis, unanimi conſenſu approbatæ atque adoptatæ.

Prima expoſitio fit per accommodam, ut loquuntur, diſtributionem, id eſt, ut vox *omnes* non ſignificet omnes omnino homines, ſed omnes qui ſalvi fiunt, ſitque ſenſus: omnes homines qui ſalvi fiunt, nonniſi Deo volente & operante, ſalvi fiunt; quomodò eadem vox accipitur in multis aliis ſacræ Scripturæ locis: ut Pſalm. 144, v. 14: *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.* Non enim omnes corruentes & eliſi allevantur à Deo, ſed omnes qui allevantur & eriguntur, nonniſi à Deo allevantur & eriguntur. Rom. V. 18: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ:* non quòd omnes homines juſtificentur à Chriſto, ſed quòd nemo juſtificetur niſi per Chriſtum. 1 Cor. XV. 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur:* id eſt, ſicut omnes qui moriuntur, in Adam moriuntur, ita omnes qui vivificabuntur per glorioſam reſurrectionem, in Chriſto vivificabuntur.

Hanc interpretationem tradit S. Auguſtinus Epiſt. 217, olim 107, *ad Vitalem*, cap. 6. n. 19; lib. 4 *contra Julianum*, cap. 8. n. 42 & 43, &c

& lib. 6. cap. 24. n. 80; & in *Enchiridio*, cap. 103. n. 27, ubi ſic loquitur: „ Cùm audimus, & in ſacris litteris legimus, quòd velit omnes homines ſalvos fieri, quàmvis certum ſit nobis non omnes homines ſalvos fieri, non tamen ideò debemus omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod ſcriptum eſt,..... tanquam diceretur nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri voluerit: non quòd nullus ſit hominum, quem non ſalvum fieri velit, ſed quòd nullus fiat, niſi quem velit; & ideò rogandus ſit ut velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.“

Id autem alibi (lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 18. n. 14, & lib. 6 *contra Julianum*, cap. 24. n. 80) explicat familiaribus exemplis ludimagiſtri, qui, ſi ſolus doceat aliqua in urbe, dicitur omnes pueros docere litteras, non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit, quicunque ibi litteras diſcit; & januæ, per quam, ſi ſola ſit in domo, ingredi omnes dicuntur, non quia omnes homines intrant in eamdem domum, ſed quia nemo intrat niſi per illam.

Secunda expoſitio vocem *omnes* intelligit de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum; hoc eſt, de omnibus hominum conditionibus, non de ſingulis individuis. „ Aut certè ſic dictum eſt, ait S. Doctor, Enchiridii loco citato, „ *qui vult omnes homines ſalvos fieri*,..... ut omnes homines omne humanum genus intelligatur, per quaſcunque differentias diſtributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adoleſcentes, juvenes, ſeniores, ſenes, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum diverſitate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in omnibus hominibus. Quid eſt enim eorum, unde non Deus, per Unigenitum ſuum Dominum noſtrum, per omnes gentes ſalvos fieri homines velit, & ideò faciat, quia omnipotens velle inaniter non poteſt quodcunque voluerit?“

Facilis eſt iſta explicatio, humano loquendi modo conſentanea, fundamentumque habet in aliis Scripturæ locis, ubi vox *omnes* pariter accipitur pro generibus, non pro individuis: v. g. Luc. XI. 42: *Decimatis omne olus*, hoc eſt, omne genus olerum. Act. X. 12, S. Petro linteum oſtenſum eſt, *in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cœli*, omnia, inquam, non individua, ſed genera. 1 Cor. X. 33: *Per omnia omnibus placeo*, inquit Apoſtolus. „ Numquid, ait Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 14. n. 44, „ placebat tam multis perſecutoribus ſuis“ (qui etiam alibi dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*)? „ Sed placebat omni generi homi-

 „ num „

„ num, quod Chriſti congregabat Eccleſia, ſive jam intus poſitis, ſive „ introducendis in eam."

Optimè etiam coaptatur toti contextui, ut obſervat S. Doctor loco citato Enchiridii. „ Præceperat enim Apoſtolus ut oraretur pro omnibus hominibus, & ſpecialiter addiderat, pro regibus & iis qui in „ ſublimitate ſunt, qui putari poterant faſtu & ſuperbiâ ſæculari à fidei „ chriſtianæ humilitate abhorrere. Proinde,... ut deſperationem tolleret, „ addidit: *qui vult omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis* „ *venire*. Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium „ dignaretur ſalutem præſtare ſublimium; quod utique jam videmus impletum." Vide Epiſt. 149, olim 59, ad Paulinum, cap. 2. n. 17.

Tertia explicatio eſt, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quatenus ſanctis ſuis inſpirat voluntatem ſalutis omnium hominum, modo ſcilicet loquendi in Scripturis frequente, quo id facere Deus dicitur, quod facit alios facere. Nullus quippe homo eſt, quem non optent & poſtulent ſancti ſalvum fieri & ad agnitionem veritatis venire. „ Poteſt „ ergo etiam ſic intelligi, quòd *omnes homines vult Deus ſalvos fieri*, ait S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 15. n. 47, „ quia „ nos facit velle, ſicut *miſit Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem, Abba, Pater*, id eſt, nos clamare facientem...... Nos ergo „ clamamus, ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit ut clamemus. Si „ ergo clamantem Spiritum rectè dicit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus, rectè etiam volentem Deum, à quo efficitur ut velimus." Et lib. 22 *de Civit. Dei*, cap. 2. n. 1: „ Secundùm hanc voluntatem, ait, „ quam Deus operatur in hominibus, etiam velle dicitur quod ipſe „ non vult, ſed ſuos id volentes facit; ſicut dicitur cognoviſſe, quod „ ut cognoſceretur fecit, à quibus ignorabatur...... Secundùm hanc „ ergo voluntatem, quâ Deum velle dicimus quod alios efficit velle, „ à quibus futura neſciuntur, multa vult, nec facit. Multa enim „ fieri volunt ſancti ejus ab illo inſpiratâ bonâ voluntate, nec fiunt: „ ſicut orant pro quibuſdam piè ſanctèque, & quod orant non facit, „ cum ipſe in eis hanc orandi voluntatem ſancto Spiritu ſuo fecerit. „ Ac per hoc, quando ſecundùm Deum volunt & orant ſancti, ut „ quiſque ſit ſalvus, poſſumus illo modo locutionis dicere: vult Deus, „ & non facit, ut ipſum dicamus velle, qui, ut velint iſti, facit."

Hæ ſunt celebres explicationes à S. Auguſtino propoſitæ, ſed adeò modeſtè, ut unicuique liberum relinquat ad alias recurrere, modò tamen, quod eſt imprimis obſervandum, non agnoſcatur interna & formalis in Deo voluntas, quæ, homine impediente, effectu ſuo fruſtretur. Hanc conditionem expreſſè apponit in Enchiridio, loco jam citato. „ Quocunque alio modo, ait, intelligi poteſt, dum tamen credere non „ cogamur aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non „ eſſe;

Digitized by Google

„ eſſe; qui, ſine ullis ambiguitatibus, ſi *in cælo & in terra*, ſicut ve-
„ ritas cantat, *omnia quæcunque voluit fecit*, profectò facere noluit
„ quodcunque non fecit.“ Eamdem repetit Epiſtolæ 217, olim 107, *ad Vitalem*, cap. 6. n. 19. „ Quod dictum eſt, ait, *omnes homines*
„ *vult Deus ſalvos fieri*, cùm tamen multos nolit ſalvos fieri, ideò
„ dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt;
„ & ſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen
„ huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus
„ hominibus, ſed Deo nolente, ſalvos non fieri, contraria eſſe non
„ poſſint.“

Eâ igitur lege licet Apoſtoli verba aliter interpretari, ut immotum & inconcuſſum ſtet omnem voluntatem Dei propriè dictam ſemper efficacem eſſe. Quo poſito, vel vox *omnes* reſtringi debet ad omnes electos, ut in duabus primis explicationibus, vel verbum *vult* intelligi debet de voluntate impropriè dicta, ut in tertia modò allata.

Qui Pelagianos & Semipelagianos impugnarunt, ii, ſi librorum de Vocatione gentium auctorem, de quo poſteà, excipias, in tribus hæſerunt B. Auguſtini interpretationibus.

Auctor Hypognoſticon, lib. 6. cap. 8, ſibimet objicit textum Apoſtoli, & juxta primam explicationem reſpondet, „ quod dicit Apoſto-
„ lus, *qui vult* &c, omnino non eſſe falſum; quia omne quod vult
„ Deus, facere poteſt, nec prorſus humanâ voluntate præpeditur quod
„ vult...... Quapropter, addit, omnes homines qui ſalvantur, Deo
„ volente, ſalvantur. *Deus etenim noſter Deus ſalvos faciendi, & Do-*
„ *mini exitus mortis*, & quia *ira in furore ejus & vita in voluntate ejus.*“

Eamdem expoſitionem adoptat S. Proſper in Epiſtola *ad Rufinum*, cap. 13. „ Confiteamur, ait, neminem immeritò perdi, neminem me-
„ ritò liberari, & omnipotentiſſimam Domini bonitatem omnes ſalvare,
„ & omnes ad cognitionem veritatis imbuere, QUOS *vult* OMNES *ſalvos*
„ *fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Niſi enim ipſo vocante, do-
„ cente, ſalvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo ſalvatur.“ Et in *Reſponſione ad Capitula Gallorum*, objectione 15. n. 8: „ Ex toto
„ mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes ho-
„ mines adoptantur. Nec poteſt ullo modo per infidelitatem atque in-
„ obedientiam multorum Dei promiſſio vacillare, dicentis ad Abraham:
„ *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod autem promiſit Deus,
„ potens eſt & facere, ut & qui ſalvantur, ideò ſalvi fiant, quia illos
„ voluit Deus ſalvos fieri, & qui pereunt, ideò pereant, quia perire
„ meruerunt.“

S. Fulgentius, lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 9 & 10, duabus primis explicationibus inhæret. „ Hos omnes, ait, Deus vult ſalvos
„ fieri & ad agnitionem veritatis venire, quos ante mundi conſtitutionem
„ prædeſtinando elegit. Voluntas autem omnipotentis neceſſe eſt in om-
„ ni-

„ nibus impleatur...... Ideò autem *omnes* dicuntur, quia ex omni ho-
„ minum genere colliguntur...... Ita ſalvi fiunt omnes quos Deus vult
„ ſalvos fieri, quia nemo ſalvatur, niſi quem ille voluerit gratuitâ juſ-
„ tificatione ſalvare."

Idem confirmat & adſtruit in libro *de Incarnatione & gratia*, cap. 31. Ac primùm quidem ſtatuit, tanquam firmiſſimam veritatem, voluntatem Dei nunquam fruſtrari ſuo effectu, atque adeò, quos ſalvari Deus vult, omnes ſine dubio ſalvari. „ Quocirca, inquit, illos omnes, „ quos Deus vult ſalvos fieri, ſic intelligere debemus, ut nec aliquem „ putemus ſalvari poſſe, niſi volente Deo, nec exiſtimemus voluntatem omnipotentis Dei aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim, quos Deus vult ſalvos fieri, ſine dubitatione „ ſalvantur; nec poſſunt ſalvari, niſi quos Deus vult ſalvos fieri; nec „ eſt quiſquam quem Deus ſalvari velit, & non ſalvetur, quia Deus „ noſter *omnia quæcunque voluit fecit*." Deinde ait vocem, *omnes*, in verbis Apoſtoli ſignificare omnes & ſolos electos, juxta primam & ſecundam explicationem S. Auguſtini. „ Ipſi omnes, inquit, utique ſalvi „ fiunt, quos omnes vult ſalvos fieri, quia hæc ſalus non illis ex humana voluntate naſcitur, ſed ex Dei bona voluntate præſtatur. Veruntamen in his omnibus hominibus, quos Deus vult ſalvos facere, „ non totum omnino genus ſignificatur hominum, ſed omnium univerſitas ſalvandorum. Ideò autem *omnes* dicti ſunt, quia ex omnibus „ hominibus omnes iſtos divina bonitas ſalvat, id eſt, ex omni gente, „ conditione, ætate, ex omni lingua, ex omni provincia." Denique oſtendit eſſe in Scripturis uſitatum, ut vox *omnes* non pro omnibus & ſingulis individuis, ſed pro omnibus ad quemdam peculiarem ordinem pertinentibus accipiatur: „ Eſt autem, ait, familiare divinis eloquiis, ut omnes nonnunquam dicant, & tamen non omne humanum „ genus in ipſis hominibus ſemper intelligi debere commoneant, ſicut „ eſt illud quod dicit Dominus per Prophetam: *In noviſſimis diebus effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*." Quod falſò utique diceretur, ſi de omnibus & ſingulis diceretur. Quinam autem ſint illi *omnes*, exponit S. Petrus, Act. II. 39, ubi, illo textu citato, poſteà ſubjungit: *Vobis eſt repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter:* omnes dicit, ſed quoſcunque Dominus advocaverit. Laudat etiam S. Fulgentius Rom. XI: *Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur;* quàmvis non omnium Deus miſereatur, ſed aliquorum, prout ipſe voluerit, ut ibidem, cap. IX, dicitur: *Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor.* Pariter Pſalmo 85 dicitur: *Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te, Domine;* & tamen, Matth. X, dicit Chriſtus: *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum:* quæ conciliari aliter nequeunt, niſi primum textum intelligendo de

de fidelibus electis ex omnibus gentibus, alterum verò de infidelibus in toto mundo diſperſis. Poſtremò concludit, cùm voluntas divina ſit efficaciſſima, eos omnes ſalvos fieri, quos Deus vult ſalvos fieri. „ Si-„ cut enim, ait, Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos „ vult vivificat. Eosdem autem vivificari vult, quos vult ſalvos fieri. „ Sic ergo quos vult ſalvat, quemadmodùm quos vult vivificat. Nihil „ namque voluit & non fecit, qui, Scripturâ teſte, *omnia quæcunque* „ *voluit fecit*. Proinde non indignè dicimus aliquid Deum nolle quod „ poſſit, nefas eſt autem ſi quis dicat omnipotentem aliquid facere „ non poſſe quod velit: voluntati enim ejus quis reſiſtit?"

Non ſolius B. Fulgentii eſt præclarum illud teſtimonium, ſed & cæterorum Epiſcoporum pro fide divinitatis Chriſti cum eo relegatorum. Verùm iidem Præſules mentem ſuam non minùs evidenter exprimunt in Epiſtola ſua ſynodica *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 14. „ Om-„ nes autem prædeſtinati, inquiunt, ipſi ſunt quos vult (Deus) ſalvos „ fieri & ad agnitionem veritatis venire; qui propterea omnes dicun-„ tur, quia in utroque ſexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate „ & conditione ſalvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis „ impletur."

Hactenus SS. Patres, qui contra Pelagianismum & Semipelagianismum ex inſtituto ſcripſerunt. Omnes Auguſtinum ſecuti textum Apoſtoli vel de ſolis electis, vel de voluntate impropriè dicta intelligunt, eo nimirum quòd non impleri non poſſit quidquid Deus propriè ac formaliter voluerit.

Quam S. Auguſtinus reliquerat licentiam dictum verſiculum aliter exponendi, ſalvâ tamen divinæ voluntatis efficaciâ, eâ uſus eſt auctor librorum *de Vocatione gentium*. Sed primùm, lib. 1. cap. 12 & 13, probat adverſus Semipelagianos Deum incomprehenſibili judicio velle ſolos electos efficaciter perducere ad ſalutem, hocque probat ipſomet Apoſtoli teſtimonio quo illi hæretici abutebantur. Scilicet S. Paulus ibi præcipit fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus &c; eoque præcepto imbuta univerſalis Eccleſia omnium ſacerdotum & fidelium devotione ubique „ gentium „ ſupplicat Deo, non ſolùm pro ſanctis & in Chriſto jam regeneratis, „ ſed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Chriſti,..... „ pro Judæis,..... pro hæreticis & ſchismaticis...... Quid autem „ pro iſtis petit, niſi ut, relictis erroribus ſuis,..... in agnitionem „ veniant veritatis? Quod quia ipſi præſtare ſibi nequeunt,..... „ miſericors & juſtus Dominus pro omnibus ſibi vult hominibus ſup-„ plicari, ut, cum viderimus de tam profundis malis innumeros erui, „ non ambigamus Deum præſtitiſſe, quod ut præſtaret oratus eſt, & „ gratias agentes pro his qui ſalvi facti ſunt, ſperemus etiam eos, „ qui necdum illuminati ſunt, eodem divinæ gratiæ munere eximendos

„ de poteſtate tenebrarum. Quòd ſi aliquos, ſicut videmus accidere, „ ſalvantis gratia prætericrit, & pro eis oratio Eccleſiæ accepta non „ fuerit, ad occulta divinæ juſtitiæ judicia referendum, & agnoſcen- „ dum ſecreti hujus obſcuritatem nobis in hac vita patere non poſſe.“ Quaſi dicat: Apoſtolus, cùm præcipit ut oretur, & Eccleſia, cùm orat pro ſalute omnium hominum, confitentur ſalutem non ab humana, ſed à divina voluntate pendere, ideòque Deum rogandum eſſe ut velit, quia neceſſe eſt eſſe ſi voluerit, ut ait S. Auguſtinus. Igitur agnoſcenda eſt in Deo, reſpectu omnium qui ſalvantur, gratuita & efficax voluntas eos ſalvandi præ cæteris hominibus, quos inſcrutabili judicio, ſed tamen juſto, ſtatuit non eximere à maſſa damnationis, nec Eccleſiæ precibus donare.

Salvâ hâc doctrinâ, conatur ille auctor aliam, quàm S. Auguſtinus, verborum Apoſtoli explicationem, ad omnes omnino homines pertinentem, proponere. Sic loquitur lib. 1. cap. 1: „ Inter defenſores liberi arbitrii & „ prædicatores gratiæ Dei magna & difficilis dudum vertitur quæſtio. „ Quæritur enim utrùm Deus velit omnes homines ſalvos fieri; & quia „ negari hoc non poteſt“ (ut pote ipſiſſimis verbis ab Apoſtolo enuntiatum), “ cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. „ Cumque hoc ſecundùm voluntatem hominis fieri dicitur, gratia vi- „ detur excludi; quæ ſi meritis redditur, conſtat eam non donum eſſe, „ ſed debitum. Unde iterum quæritur cur hoc donum, ſine quo nemo „ ſalvus eſt, ab eo, qui omnes ſalvari vult, non omnibus confera- „ tur...... De hac igitur compugnantia opinionum quâ menſurâ & „ temperantiâ ſentiendum ſit, quantum Dominus adjuverit, adnitor „ inquirere, exercens atque diſcutiens modulum facultatis meæ in his „ quæ cordi meo ſobriè, quantùm arbitror, inhæſerunt: ut ſi in eas „ regulas proceſſerit ſtylus, quæ nihil offenſionis, nihil habeant pravi- „ tatis, non ſolùm nobis, ſed & aliis utile ſit ad aliquem nos limi- „ tem perveniſſe, quem non debeamus excedere.“ En ſcopus auctoris. Sibi proponit exponendum quomodò conciliari ſecum mutuò poſſint divina circa omnium hominum ſalutem voluntas, & gratuita electorum prædeſtinatio prævertens omnia merita; ſuamque expoſitionem non pro fidei dogmate, ſed tanquam nihil offenſionis habentem, pacificè tradit. Et lib. 2. cap. 25: „ Rationabiliter, inquit, & piè creditur omnes ho- „ mines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe.“

Hanc autem voluntatem ſalutis omnium hominum probat idem auctor, ibid. cap. 2, ex eo quòd Chriſtus, Matth. XXVIII. 15, & Marci XVI. 15, jubeat prædicari Evangelium omni creaturæ. „ Numquid, ait, „ in hac præceptione ullarum nationum ullorumve hominum facta „ diſcretio eſt? Neminem merito excipit, neminem genere ſeparavit, „ neminem conditione diſtinxit. Ad omnes prorſus homines miſſum „ eſt Evangelium crucis Chriſti.“ Quoniam verò, ut obſervat capite ſequen-

ſequenti, non ſtatim, imò necdum ad omnes omnino homines Evangelica prædicatio pervenit, aliam probationem addit inde petitam, quòd ſaltem aſpectabilis univerſitas nunquam deſierit omnibus hominibus ſuum enarrare auctorem. „ Hoc, inquit, (nempe Deum velle ſemperque voluiſſe omnes homines ſalvos fieri) „ non aliunde monſtratur, quàm de „ iis beneficiis quæ providentia Dei univerſis generationibus communiter „ atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac ſunt hujusmodi dona „ ita generalia, ut ipſorum teſtimonio ad quærendum verum Deum poſ- „ ſent homines adjuvari," ſi non cupiditatibus mancipati mentem ſuam affectumque ſuum aliò converterent.

Clarum eſt ex his argumentis voluntatem generalem ab hoc auctore admiſſam non connotare ſalutem ipſam, quaſi Deus omnium hominum ſalutem propriè ac formaliter velit, ſed tantùm beneficia exteriora omnibus præſtita, quibus, cùm ſola ſunt, homines ſemper abutuntur, ſed ſolâ ſuâ culpâ: ac proinde illam voluntatem, prout ſalutis dicitur, non eſſe beneplaciti, ſed ſigni, nec differre à voluntate antecedente, ſic dicta à theologis ſæculi XIII, quòd verſetur circa antecedentia ad ſalutem, ut poſtea dicturi ſumus.

Similes textûs Apoſtoli expoſitiones paſſim reperire eſt apud ſanctos Patres, tum latinos, tum græcos, S. Auguſtino antiquiores, qui Pelagianos vel Semipelagianos debellandos non habebant, aliamque tradiderunt interpretationem ejusdem textûs; nempe Deum velle omnes homines ſalvos *bonitate creatoris*, hoc eſt, eâ bonitate quâ omnes homines in eum finem creavit, ut ſalutem conſequantur, ac paratus eſt omnes, ut homines ſimpliciter conſideratos, reipſâ ſalvare, ſi peccata hujus infinitæ bonitatis effectibus obicem non ponerent; juxta illud Sapientiæ, XI. 25: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Non enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti.* Hanc ultimam explicationem etiam adoptaſſe ac enucleaſſe quosdam ex Theologis Scholaſticis XIII ſæculi, mox oſtendetur.

Verùm prima auctoris librorum de Vocatione gentium interpretatio, quæ nec ipſi peculiaris eſt, propoſitum Apoſtoli feliciter aſſequi videtur, nedum ſit contemnenda. Hanc interpretationem S. Joannes Chryſoſtomus, poſt Origenem, lib. 4 *contra Celſum*, & quosdam alios veteres Patres, jam dudum exhibuerat hom. 7 in Epiſt. ad Tim. ubi præfatum textum, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, ad litteram exponit. Hæc autem verba, *ſalvos fieri*, non directè intelligit S. Doctor de cœleſti beatitudine, quâ electi donantur, ſed de omnium nationum ad fidem & agnitionem veritatis vocatione; ita ut ſenſus ſit: Nunc vult Deus voluntate formali ac beneplaciti ut Evangelium ſalutis ubique terrarum annuntietur, nec ulla natio, quæ ſub cœlo eſt, ab hoc excludatur univerſali beneficio. Chriſti quippe miſſio non

unum duntaxat populum, quemadmodùm Moſaica, reſpicit; omnes orbis regiones complectitur. *Ite*, inquit Chriſtus Apoſtolis, *docete omnes gentes.* Hæc autem explanatio eò magis Apoſtoli ſenſum exprimit, quòd in omnibus ſuis Epiſtolis manifeſtè ac frequenter doceat gratiam Evangelii ſalutarem, ſecundùm promiſſa divina Patriarchis olim facta & à Prophetis temporum decurſu prænuntiata, non ad ſolum populum Judaicum, ſed etiam ad univerſas ſpectare nationes. *Non eſt*, inquit, Rom. X. 11., *diſtinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Etenim* (1 Cor. XII. 13) *in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi.* Epheſ. II. 14 & ſeq. *(Chriſtus) eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore.... Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem iis qui propè. Nos annuntiamus* (Chriſtum), pergit Apoſtolus (Col. I. 28), *docentes omnem hominem in omni ſapientia.* Et 1 Tim. II. 1: *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus...... Hoc enim bonum & acceptum coram Salvatore noſtro, qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Id eſt, qui vult omnes populos terræ ad fidem & agnitiònem veritatis, quæ, ut declarat concilium Tridentinum (ſeſſ. 6. cap. 8), *eſt humanæ ſalutis initium*, nullis hominibus exceptis aut excluſis, vocari; ac jubet nos orare ut omnes credant, & ſalutem, ad quam invitantur, per gratiam Salvatoris obtineant. *Non eſt* enim (Col. III. 11) *Gentilis & Judæus, circumciſio & præputium, barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus.* Et iterum (Gal. III. 28): *Non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus neque femina: omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.*

Hæc genuina expoſitio textûs Apoſtoli, quæ verba, *omnes homines*, ad eos tantùm generatim ſpectatos qui poſt incarnationem vixere, & vocem, *ſalvos fieri*, ad prædicationem ſalutis reſtringit, non minori pondere, ut patet, quàm ſupradictæ, falſas elidit Pelagianorum & Semipelagianorum interpretationes. Attamen cùm S. Auguſtinus & alii gratiæ defenſores de illa explanatione minùs attenderint, cæteri Patres, qui Theologiæ Scholaſticæ tempora præceſſerunt, eâ neglectâ vel ignotâ, expoſitiones Auguſtinianas ſupra relatas, apprimè fidei conſentaneas, & ubique hâc ætate in Eccleſia receptas, unanimiter adoptarunt, ac in eis firmiter perſtiterunt.

Sic S. Gregorius magnus, initio ſeptimi ſæculi, vel alius auctor Commentariorum in primum librum Regum, lib. 5. cap. 4, in hæc verba cap. 14: *Quòcunque ſe vertebat Saül, ſuperabat*, dicit, juxta ſecundam ex-

explicationem S. Auguſtini, „ Deum velle omnes homines ſalvos fieri,
„ quia de omni hominum genere eligit quos ad gaudium æternæ ſalutis
„ trahit.“

Octavo ſæculo Beda, in Commentario ſuper Epiſtolas S. Pauli ſub ejus nomine vulgato, non aliter explicat textum de quo agitur, quàm per verba S. Auguſtini in Enchiridio.

Sequenti ſæculo, cùm Gotteſchalcus monachus docuiſſet non omnes homines Deum velle ſalvare, ſed tantum prædeſtinatos, orta eſt gravis ea de re controverſia, Hincmaro ex una parte Gotteſchalcum tanquam hæreticum perſequente, ex altera viris doctiſſimis doctrinam ejusdem ſtrenuè defendentibus.

Hincmarus, ut exercitam in miſerabilem monachum, quem in arctiſſima cuſtodia detinebat, inhumanitatem approbaret, quatuor Capitula ſurtim propoſuit in conventu Cariſiaco anni 853, & à quibusdam Epiſcopis, qui in aula Caroli Calvi verſabantur, partim metu, partim fraude ſubſcribi fecit. Horum tertium ſic habet: „ Deus omnipotens omnes
„ homines ſine exceptione vult ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur.
„ Quòd autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum: quòd autem qui-
„ dam pereunt, pereuntium eſt meritum.“

Vide hiſtoriam illius conventûs, ſupra, Lib. I.

Eruditis valdè diſplicuit illa Hincmari temeritas, quâ, ſpretis vel ignoratis S. Auguſtini interpretationibus, voluntatem ſalvandi omnes homines ſine exceptione tanquam Eccleſiæ doctrinam adſtruebat.

Imprimis Lupus Servatus, in lib *de Tribus Quæſtionibus*, q. I. n. 26, affirmat omnes, quos vult Deus ſalvos fieri, ſine dubitatione ſalvari, aliasque non affert Paulini textûs explicationes, quàm Auguſtinianas.
„ Nam, inquit, quod venerabilis Paulus ait: *qui vult omnes homines*
„ *ſalvos fieri*, non ſic accipiendum eſt, quaſi, cum Deus velit generali-
„ ter omnes fieri ſalvos, quibusdam impedientibus impotentiſſimis, non
„ valeat omnipotentiſſimus implere quod velit; ſed ita potiùs quòd......
„ ſalvantur omnes, quoscunque ille ſalvare voluerit. Omnes ergo vult
„ ſalvos fieri homines, ſed non alios quam qui ſalvantur: quo elocu-
„ tionis genere uſus eſt Evangeliſta Joannes his verbis: *qui illuminat*
„ *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Non quòd fidei luce om-
„ nes in hunc mundum venientes illuminet, quod ſentire perquàm ab-
„ dum eſt, quandoquidem plures infidelitatis tenebris obſcurentur, ſed
„ eos videlicet qui illuminantur, dum non ab alio quàm ab illo illumi-
„ nantur...... Poſſumus etiam, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, ſic
„ ſano ſenſu intelligere, quòd ex omni genere hominum colligat ad ſa-
„ lutem, hoc eſt, quosdam Judæorum atque Gentilium, quosdam
„ utriusque ſexûs, nonnullos magiſtratuum & privatorum, aliquos do-
„ minorum atque ſervorum, alios ingenioſorum atque hebetum, & qua-
„ rumcunque differentiarum homines poſſunt à ſubtiliter contemplantibus
„ deprehendi, qui omnium vocabulo non immeritò cenſeantur...... Nec

„ ille ſenſus abhorret à vero, ut, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*,
„ quia velle nos facit omnes homines ſalvos fieri, ſignificare voluerit,
„ ut qui ſciamus multos vocatos, paucos verò electos, & nullo diſ-
„ crimine ſeparare valeamus, omnes indifferenter velimus ſalvos fieri."

S. Prudentius Trecenſis, in *Epiſtola ad Hincmarum & Pardulum*, & in *Tractoria ad Concilium Senonenſe*, & Florus Lugdunenſis, lib. *adverſùs Scotum*, cap. 2, idem docent, ac verba Apoſtoli de ſolis intelligunt prædeſtinatis. Flori teſtimonium ſupra allegavimus; Prudentii verò textum dabimus poſteà.

S. Remigius & ejus Eccleſia Lugdunenſis latè ac doctiſſimè tractant hoc argumentum, tum in libro *de Tribus Epiſtolis*, tum in libro *De tenenda veritate Scripturæ*. In illo quidem, cap. 11, dicunt locum Apoſtoli, quem vocant *obſcuriſſimum & difficillimum*, quatuor modis à Patribus Catholicis fuiſſe explanatum. Tres primi ſunt quos S. Auguſtinus tradidit. „ Videlicet, inquiunt, ut vel ita intelligatur dictum, *qui vult*
„ *omnes homines ſalvos fieri*, ut omnes homines omnia hominum gene-
„ ra accipiamus...... Aut ita accipiamus dictum, *qui vult omnes homi-*
„ *nes ſalvos fieri*, ut illos ſolos ſalvari intelligamus, quos ille ſalvare
„ voluerit: id eſt, non quòd omnes ſalventur, ſed quòd nemo niſi mi-
„ ſerationis ejus bonitate ſalvetur, de quo Pſalmiſta dicit: *Salvum me*
„ *fecit, quoniam voluit me*: & iterum: *Et vita in voluntate ejus*......
„ Vel certè ita intelligatur, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, quia
„ hoc ſanctos ſuos per Spiritum ſuum velle facit, id eſt, velle eis in-
„ ſpirat, ut omnes homines, ſicut ſeipſos, ſalvos fieri optent." Quartus modus eſt plerorumque græcorum Patrum, qui textum Apoſtoli accipiunt de omnibus hominibus, docentque Deum, quantum in ipſo eſt, omnes ſalvari velle bonitate creatoris; ſed, quia liberi arbitrii eos condidit, expectare ut hoc etiam ipſi velint, & ſi voluerint, juſtè ſalventur, ſi noluerint, juſtè puniantur.

In hac quarta expoſitione id incommodi reperiunt, quòd, ſi non rectè intelligatur, Deus credetur hominum expectare voluntatem; quod ſynodus Arauſicana damnavit. „ Sed huic ſenſui, inquiunt cap. 12, im-
„ primis illud videtur eſſe contrarium, quomodò omnipotens Deus eo-
„ rum, quos vult ſalvos fieri, expectet voluntatem, ut ipſi ſcilicet
„ propriâ arbitrii libertate ſalvi eſſe velint, cùm, velle fideliter ſalvum
„ fieri, ſit per redemptionem Domini Jeſu Chriſti...... Si enim hanc
„ voluntatem redemptionis & ſalutis, quæ eſt in Chriſto, nemo habet
„ ex ſeipſo, ſed ab illo qui operatur in eis quos vocat & velle & per-
„ ficere pro bona voluntate, ſicut manifeſtiſſimè Apoſtolicæ doctrinæ
„ veritas docet, utquid expectat eorum, quos vult ſalvos fieri, vo-
„ luntatem? Aut quomodò in tali ſenſu Pelagianus error non habet
„ victoriam, qui ſalutem hominis non ex Dei dono, ſed ex libero ipſius
„ hominis arbitrio eſſe confirmat? Quod ſi falſum eſt, ſicut omnino fal-

„ ſum

Digitized by Google

„ ſum eſſe convincitur, quid cauſæ eſt ut Deus, qui vult omnes homi-
„ nes ſalvos fieri, non omnes ſalvet? Voluntatem eorum non expectat,
„ quia voluntatem veræ ſalutis ſuæ nemo habere poteſt niſi per illum.
„ An quod vult non poteſt omnipotens, ut, quod abſit, velit homines
„ ſalvare, nec poſſit? Quid ergo reſtat, niſi ut ille, qui omnia quæ-
„ cunque voluit fecit, ideò hoc non faciat, quia nolit, non-quia non
„ poſſit; quia ſicut verè omnia quæ voluit fecit, ita verè noluit quæ
„ non fecit? Cur ergo noluit, niſi quia in hac re, ſicut juſtum, ita &
„ occultum eſt judicium ejus?..... Quos ergo voluit, ſalvavit, quia
„ omnia quæcunque voluit fecit: quos autem ſalvare noluit, ubi, niſi
„ in illa ex Adam veniente maſſa damnationis, reliquit?“

Non tamen penitus rejiciunt quartum illum explicandi modum, ſi nec omnipotentiæ divinæ voluntatis, nec virtuti ac neceſſitati gratiæ deroget. Nam immediatè poſt verba mox allata ſic pergunt: „ Ita fit“ (hoc eſt, hæ veritates ſalvæ remanent), „ etiamſi, ſecundùm piam
„ quorumdam Patrum priorum ſenſum, Deus omnes homines vult ſal-
„ vos fieri bonitate creatoris, quâ creaturam ſuam benè à ſe conditam
„ perire non vult, ſed idipſum iterum nolit judicis æquitate, quâ
„ eamdem creaturam ſuam, vel originali, vel etiam actuali peccato
„ nequiter inquinatam & vitiatam, impunitam eſſe non ſinit,..... ita
„ in uno atque eodem homine & bonitatem & ſeveritatem ſuam oſten-
„ dens; bonitatem, quâ non vult eum perire; ſeveritatem, quâ perſe-
„ verantem in iniquitate non vult impunitum relinquere. Si ergo hoc,
„ quod de uno homine diximus, de omni genere hominum pereuntium
„ ſimiliter intelligatur, poteſt forſitan non abſurdè dici quòd Deus ve-
„ lit omnes homines ſalvos fieri bonitate creatoris, & tamen eos, quos
„ indignos ſalute judicaverit, juſtâ ſeveritate non ſalvet.“

Capite ſequenti præferunt explicationes S. Auguſtini, tanquam ſaluberrimas, veriſſimas, tutiſſimas; quartam autem, pravæ intelligentiæ licet obnoxiam, admitti permittunt, modò perverſi ſenſus, quibus patere poteſt, excludantur. Ipſamet eorum verba hic legere non pigebit.
„ In tribus itaque prioribus modis intelligentiæ horum verborum, inquiunt,..... „ nulla abſurditas, nulla repugnantia fidei invenitur......
„ In his, inquam, omnibus & vera omnino & ſalubris intelligentia eſt.
„ In quarto autem modo illud ſine dubio cavendum, quia & occaſio-
„ nem Pelagianæ pravitati præbet, quòd Deum, ut ſalvet homines,
„ humanas expectare aſſerat voluntates...... Quod autem ibi ſimpli-
„ citer intelligitur, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, bonitate
„ ſcilicet creatoris, ita ut putamus, fideliter poteſt recipi, ſi hanc
„ voluntatem bonitatis ſuæ erga ſalutem hominum non credatur, hu-
„ manâ obſiſtente voluntate, implere non poſſe, ſed, obſiſtente huma-
„ nâ iniquitate, implere nolle.“

Non ergo renuit Eccleſia Lugdunenſis, conceſſâ à S. Auguſtino liber-

tate

tate utendo, generalem admittere in Deo voluntatem ſalutis omnium hominum, *bonitate ſcilicet creatoris*, in quantum Deus in eum finem omnes homines creat, ut ſalutem conſequantur, nec cuiquam cauſa damnationis exiſtit. Sed, quod valde notandum eſt, hanc explicationem eâ tantùm lege admittit, ut non credatur vel Deum expectare hominum voluntates, qui è contrario ipſum velle & perficere operatur in nobis; vel voluntatem Dei humanâ voluntate impediri poſſe, quominùs faciat quod vult: hoc eſt, eâ lege, ut non credatur illam generalem voluntatem eſſe veram, formalem & propriè dictam voluntatem, quæ propter creaturæ reſiſtentiam effectu ſuo fruſtretur. Nam cum omnis voluntas Dei propriè dicta ſemper impleatur, „ quid reſtat, inquit doctiſſima Eccleſia, „ niſi ut ille, qui omnia quæcunque voluit „ fecit, ideò hoc non faciat, quia nolit, non quia non poſſit; quia „ ſicut verè omnia quæ voluit fecit, ita verè noluit quæ non fecit?"

Denique ſic temperatam & correctam illam explicationem non ut fidei dogma proponit, ſed veluti piam nec abſurdam opinionem admitti poſſe cenſet. „ Poteſt forſitan, ait, non abſurdè dici: ut putamus, fideliter „ poteſt recipi." Illam vocat pium quorumdam Patrum ſenſum, & dicit, cap. 24, quâdam piâ ratione non abhorrere à veritate. Hinc vehementer improbat ibidem, quòd Hincmarus, eam ob rem à fide alienam, Gotteſchalcum tres B. Auguſtini explicationes ultro agnoſcentem condemnaret; & in lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 12, graviter reprehendit eumdem Hincmarum, quòd, per Capitulum tertium Cariſiacum, omnes adigere vellet ad intelligendum de omnibus ſine exceptione hominibus textum Apoſtoli.

Cæterùm voluntas illa generalis, circa ſalutem omnium hominum *bonitate creatoris*, eadem eſt aliis verbis ac voluntas antecedens, quam S. Thomas admiſit, ut videbimus.

Eodem ſæculo IX Haymo Epiſcopus Alberſtatenſis, Comment. in hunc locum Apoſtoli, de ſolis cum electis intelligit. „ Quærendum eſt, ait, „ quare non omnes homines ſalventur? Ad quod dicendum eſt quia „ verum eſt quod Pſalmiſta dicit: *quia ipſe dixit, & facta ſunt*. Similiter „ omnes homines vult ſalvare, qui ſalvantur, & qui per ejus miſericordiam „ quærunt ſalvari. Totum enim pro parte poſuit Apoſtolus, ſicut & in „ Evangelio, ubi dicit Dominus: *Si exaltatus fuero à terra, omnia* „ *traham ad meipſum*. Non enim omnes homines traxit aut trahit ad „ ſe, ſed *omnia*, ſubaudi electa, & ex omni ſexu & conditione..... „ Nemo tamen poteſt ſalvari, niſi quem Dominus vult, quia ipſe cui „ vult miſeretur."

Pag. 75, col. 1. Petrus Damiani Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, ſæculo XI, lib. 5. Epiſt. 13 ad Capellanos Gothifredi Ducis, non tantùm intelligit de electis textum Apoſtoli, ſed etiam ſic intelligere neceſſariò debere (ſuppoſito quòd agatur de vera & formali voluntate) affirmat. „ Apoſto- „ lus,

„ lus, inquit, perhibet quia Deus vult omnes ſalvos fieri, & nemi-
„ nem vult perire. Sed cùm Propheta dicat quoniam *omnia, quæ-
„ cunque voluit, Dominus fecit*, cur reprobos perire permittit? .....
„ Unde, cùm dicitur quòd Deus omnes fieri ſalvos velit, neceſſe eſt
„ ut de ſolis intelligatur electis."

Hugo Archiepiſcopus Rothomagenſis, ſæculo XII, lib. 3 *Dialogo- rum*, interrogat. 14, quærit „ quomodò velit omnes homines ſalvos „ fieri, qui non omnes ſalvos facit: & reſpondet, juxta primam expoſitio- „ nem S. Auguſtini: Iſtud ita dictum intelligimus, quia, quos vult, om- „ nes ſalvantur. Nullus enim poteſt ſalvari, niſi ipſe velit. Unde ſup- „ plicandum eſt ei: ſalvabit enim, ſi voluerit. Unde Apoſtolus monet „ ut oretur pro omnibus, maximè pro regibus." Subdit tertiam Augus- tini interpretationem. „ Quiſquis omnes ad ſalutem diligit, verum eſt „ quia vult omnes homines ſalvos fieri, & hoc velle Deum rectiſſimè „ dicit, cui Deus id velle præcipit. Nec enim Deus id præciperet, ſi mi- „ nimè vellet" (ſaltem voluntate ſigni vel voluntate ordinis). „ Con- „ ſtat etiam id velle Deum, quia ſpirando facit ſuos volentes idipſum."

Tom. 5 Theſauri novi Anecdot. P. Martene, pag. 930.

S. Aelredus, initio ſæculi XIII, lib. 2 *Speculi caritatis*, cap. 18 (Bibl. PP. Colon. tom. 13. pag. 109. col. 2): „ Si fortè homo juſtus „ aliquando velit ſalutem alicujus, quod tamen nolit Deus, non tamen „ ejus voluntas à Dei voluntate diſcordat, quandoquidem, ut hoc ve- „ lit, Dei utique operatur voluntas, qui ideò vult omnes homines ſal- „ vos fieri, quia à ſuis id facit optari."

Devenimus jam ad ætatem Scholaſticorum, quorum varias expoſitiones ab ea, quam S. Auguſtinus tradidit, regula minimè exorbitare oſtendendum eſt.

Et quidem antiquiores Scholæ magiſtri non alias attulerunt loci Apoſtolici explicationes, quàm tres Auguſtinianas jam ſæpè memoratas.

Robertus Pullus, lib. 1 *Sentent.* cap. 14, non affert niſi tertiam. Dicit quippe Deum velle omnes homines ſalvos fieri, „ non in ſe, quia „ quæcunque voluit fecit, ſed in cunctis quos ita facit velle."

Petrus Lombardus, lib. 1. diſt. 46. litt. C, poſtquàm dixit Deum omnino nihil velle quod non fiat, textum Apoſtoli explicat de illis omnibus qui ſalvantur.

Qui eos ſecuti ſunt duplicem diſtinxerunt in Deo voluntatem, beneplaciti, quæ eſt formalis & propriè dicta voluntas, & ſemper impletur, & ſigni, quæ non propriè, ſed metaphoricè dicitur voluntas; dixeruntque Deum velle voluntate ſigni omnes homines ſalvos fieri, quia omnibus præcipit omneſque invitat ut ſalvi fiant; non autem id velle voluntate beneplaciti, ſiquidem non in omnibus operatur quæ ſunt ſalutis.

Ita Hugo à Sancto Victore, in Summa, tract. 1. cap. 13, ubi rectè obſervat in tertia Auguſtini explicatione intelligi voluntatem ſigni.

 „ Signa

„ Signa voluntatis divinæ, inquit, in Scriptura ſacra ſæpè appellantur „ voluntas Dei. Unde illud Apoſtoli: *Vult Deus omnes homines ſalvos „ fieri*, quod ita exponit Auguſtinus: id eſt, nos facit velle.“

Petrus Pictavienſis, Summæ part. 1. cap. 11, ubi dictum Apoſtoli ſic exponit poſt Auguſtinum, id eſt: „ Nullus ſalvatur niſi quem Deus „ vult ſalvum fieri...... Eodem modo, addit, & illud: *Jeruſalem, quo- „ ties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Id eſt: quotquot de filiis „ tuis voluntate meâ ſemper efficaci congregavi, te nolente & invitâ, „ hoc feci.“

Præpoſitivus, ſuæ Summæ principio, eâdem omnino ratione diſputat.

Alexander Alenſis, in 1 part. q. 36. membr. 2: „ Reſponſio Ma- „ giſtrorum eſt, ait, quòd eſt voluntas beneplaciti & voluntas ſigni. „ Voluntate beneplaciti non vult Deus omnes homines ſalvos fieri: „ voluntate verò ſigni vult omnes homines ſalvos fieri.“ Adoptat deinde duas primas explicationes S. Auguſtini.

Eâdem explicatione uſi ſunt omnes deinceps Theologi, ex quibus unum appellabo S. Thomam in opuſculo de *Præſcientia & prædeſtinat.* cap. 6. „ Sciendum eſt, ait, quòd Deus dicitur velle aliquid dupliciter: „ Uno modo propriè, & ſic dicitur velle aliquid cujus voluntas „ verè in eo eſt, & quod ſibi complacet; & hæc dicitur voluntas bene- „ placiti, quæ ſemper in omnibus infallibiliter impletur, & de hac lo- „ quitur Pſalmiſta, & Iſaias, XLVI. Alio modo dicitur velle aliquid „ metaphoricè, id eſt, per ſimilitudinem, eoquòd ad modum volentis „ ſe habet, in quantùm præcipit vel conſulit, prohibet vel permittit „ aliquid; & hoc dicitur voluntas ſigni, quæ non ſemper impletur. „ De quo dicit Apoſtolus, 1 Tim. II: *qui vult omnes homines ſalvos „ fieri*, cùm tamen omnes ſalvi non fiant, ſed multi damnentur.“

Nullum habet incommodum iſta explicatio. Nam cùm voluntas ſigni, in quantùm reſpicit rem ſignificatam, non ſit vera voluntas, ſed metaphorica, non ſequitur Deum omnipotentem velle aliquid fieri, quod non fiat. Aliunde quàmvis non ſit propriè in Deo voluntas, quæ ſigni dicitur, tamen ſic loquendi fundamentum præbent multa quæ Deus facit, & quæ ſolent eſſe in hominibus ſigna voluntatis. „ Vocat Deus „ undique ad correctionem, ait S. Auguſtinus, in Pſ. 102. n. 16. „ Vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat „ impertiendo tempus benè vivendi, vocat per lectorem, vocat per „ tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum „ correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis.“

Servatâ illâ explicatione, aliam addiderunt Theologi, nimirum Deum velle voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri, conſequente non velle: ſed hujus diſtinctionis non una fuit in ſcholis acceptio.

Nonnulla ejus ſemina reperire eſt apud S. Chryſoſtomum, hom. 1 in cap. 1 Epiſtolæ ad Epheſios, ſub nomine primæ & ſecundæ voluntatis: pri-

Digitized by Google

primæ, quâ Deus vult ut non pereant qui peccaverunt; ſecundæ, quâ vult ut, qui malos ſe faciunt, pereant.

Sed expreſſis verbis tradita eſt à S. Joanne Damaſceno ſæculo VIII, ſenſu tamen à Theologorum ſenſu diſpari. Antecedentis voluntatis nomine intelligit eam quæ nullam habet cauſam moralem, præter ipſam bonitatem divinam, & quæ gratuitâ miſericordiâ gratiam & gloriam largitur. Conſequentem verò definit eam quæ ex noſtro vitio ortum ducit, quâ ſcilicet peccantes punire Deus vult. Damaſceni hæc verba ſunt, lib. 2 *de Fide orthodoxa*, cap. 29: „ Sciendum eſt Deum præci-„ puè & antecedente voluntate velle omnes ſalvari & regni ſui compo-„ tes fieri; non enim nos ut puniret condidit, ſed ut participes ſimus „ ipſius bonitatis, quia bonus eſt: peccantes verò vult puniri, quia „ juſtus eſt. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur, & benepla-„ citum quod ex ipſo eſt: ſecunda autem conſequens voluntas & per-„ miſſio, ex noſtra cauſa ortum habens, eaque duplex. Altera diſpen-„ ſatione quâdam fit & ad ſalutem erudit: altera à reprobatione profi-„ ciſcitur, ad abſolutam pœnam pertinens...... Eorum autem quæ in „ nobis ſita ſunt bona quidem primariò vult Deus, & ſecundùm be-„ neplacitum: mala autem, quæ reverâ mala ſunt, id eſt, peccata, „ neque primariò, neque conſequenter vult, ſed libero arbitrio permit-„ tit.“ Damaſcenus his verbis refert ad voluntatem antecedentem omnia bona quæ Deus hominibus donat, ſive gratiam, ſive gloriam, eoque gratuitam prædeſtinationem electorum admittit: ſola verò mala pœnæ voluntati conſequenti attribuit, juxta illud Tertulliani: *Deus de ſuo bonus eſt, & de noſtro juſtus.*

Obſcura manſit ea diſtinctio usque ad ſæculum XIII. Nam neque S. Hildebertus, neque Pullus, neque Petrus Pictavienſis, neque Petrus Lombardus, neque Hugo Victorinus, neque Præpoſitivus, qui vivebant ſæculo XII, illius meminerunt. Primus eam renovaſſe creditur Guillelmus Autiſſiodorenſis, qui, probè intellectâ mente Damaſceni, ſalutem electorum voluntati antecedenti, damnationem verò malorum conſequenti adſcribit. Sic loquitur lib. 1. cap. 10: „ Item dicit Damaſcenus quòd „ providentia divina duplex eſt. Quædam eſt ſecundùm acceptionem“ (hoc eſt, mero beneplacito Dei): „ quædam ſecundùm conceſſionem“ (hoc eſt, ex hominum vitio ortum habens). „ Secundùm acceptionem „ fiunt quæcunque ſunt bona, ſicut gratia, gloria, & bujusmodi. Di-„ cit Damaſcenus quòd Deus vult antecedenter omnes ſalvari; ad hoc „ enim eſt ejus antecedens voluntas, actio ex ipſo exiſtens: bona enim „ ſpiritualia ex corde ſuo dat. Providentia ſecundùm conceſſionem eſt „ voluntas Dei conſequens ex cauſa noſtra, ſicut punire, quod nobis „ infligitur ex peccato noſtro.“

Sed alii Theologi, retentis vocibus, aliam notionem ſubſtituerunt, dicentes Deum antecedenter velle omnes ſalvari, conſequenter verò ſolos

Digitized by Google

electos: & ſic gloriam æternam, quam Damaſcenus voluntatis antecedentis effectum eſſe dixerat, per conſequentem decerni docuerunt, eumdem nihilominùs Damaſcenum, à cujus mente aberrabant, velut illius diſtinctionis parentem laudantes.

Illam Theologorum ſui ævi hallucinationem animadvertit Gregorius Ariminenſis, qui Pariſiis docebat anno 1344, & in Generalem Auguſtinienſium electus fuit anno 1357. Hic, in 1. diſt. 46, oſtendit Theologorum à Damaſceno diſcrepantiam in hoc maximè poſitam, quòd, juxta Theologos, Deus voluntate conſequente velit electis beatitudinem, cùm, juxta Damaſcenum, Deus id velit voluntate antecedente. „ Secundò, inquit, ſecundum Damaſcenum, Deus, ea quæ vult nobis, conſequenter vult ex cauſa noſtra. Ex quo ſequitur quòd, quodcunque bonum Deus homini conferret, ſive meriti, ſive præmii, illud vellet & daret ei ex cauſa ejus; quod indubitanter hæreticum eſt: nam ſic nulla eſſet gratia." Concludit ſtandum eſſe explicationibus S. Auguſtini, atque, ut probet S. Damaſcenum ab illis non differre, mentem ipſius ſic explicat: „ Sciendum eſt quòd quæcunque Deus vult nobis, aut facit in nobis, vel habent in nobis cauſam meritoriam, & talia dicit Damaſcenus Deum velle conſequenter, ſicut pœnam quamlibet & punitionem, quam propterea vult nobis, quia peccavimus......... Aut non habent in nobis talem cauſam meritoriam, ſaltem primam, ſed ex ſua bonitate & gratia illa nobis concedit, & talia ſunt bona omnia quæ habemus: & hoc dicit ipſum Deum velle nobis voluntate antecedente, quoniam nulla in nobis cauſa antecedit." Iſtum autem ſenſum eſſe Damaſceni oſtendit his verbis: „ Præmiſſo Deum velle omnes ſalvari & peccatores puniri, ait: Dicitur ergo prima antecedens voluntas & acceptatio ex ſeipſo exiſtens. Secunda verò ſequens voluntas & conceſſio ex cauſa noſtra. Et poſteà ſubdit quòd, quæcunque ſunt in nobis bona, Deus vult nobis antecedenter; quæ verò pernicioſa & verè mala & peccata, neque antecedenter vult, neque conſequenter; concedit autem, id eſt, permittit libero arbitrio. Itaque ex ejus ſententia poſſumus colligere diviſionem generalem talem: Omnium quæ ſunt in nobis quælibet vel ſunt bona, vel mala. Si bona, illa vult nobis antecedenter & ex ſeipſo, tanquam ex prima cauſa omnium bonorum noſtrorum liberali & gratuita: ſi mala, vel ſunt mala pœnæ, vel culpæ. Si pœnæ, illa vult nobis conſequenter, non ex ſeipſo, ſed ex cauſa noſtra...... Si autem ſunt mala culpæ, illa nobis nullomodò vult, nec illorum nobis eſt cauſa." Hactenus Gregorius Ariminenſis, ex cujus dilucido commentario patet admiſſam fuiſſe à Joanne Damaſceno gratuitam prædeſtinationem, & conſequenter ſpecialem atque efficacem voluntatem ſalvandi ſolos electos.

Verùm, quàmvis Scholaſtici non aſſecuti ſint mentem S. Damaſceni, à quo illam mutuati ſunt divinæ voluntatis diviſionem in antecedentem

&

Digitized by Google

& conſequentem, nihil tamen eſt in eorum explicatione rectè intellecta, quod vel repugnet doctrinæ S. Auguſtini, vel efficaciæ divinæ voluntatis contrarium ſit.

Duobus modis accepta eſt iſta diviſio à vetuſtioribus Theologis (nam de modernis Molinæ diſcipulis, qui ſenſu antiquis planè incognito eam intelligunt, dicetur poſteà). Aliter eam acceperunt Theologi qui ſæculo XIII floruerunt; aliter S. Thomas eodem ſæculo, & qui eum ſecuti ſunt: de utriſque ordine agemus.

Theologis XIII ſæculi voluntas antecedens ſalutis eſt voluntas, quâ Deus vult dare omnibus hominibus quædam antecedentia ad ſalutem, ut naturam ſalutis capacem, præcepta & leges, pretium ſanguinis Christi omnibus applicabile, & alia externa adminicula, quibus homines ordinantur ad ſalutem. Non enim exiſtimabant illi ſcholæ magiſtri dari omnibus hominibus gratiam interiorem ſufficientem ad ſalutem conſequendam, ſed tantùm aliqua bona, ſive exteriora, ſive interiora, ſive naturalis ordinis, ſive ſupernaturalis, quibus ſi benè uterentur, omnes pervenirent ad ſalutem. Voluntas autem conſequens eiſdem eſt voluntas dandi ipſam ſalutem, & efficaciter perducendi ad gloriam, quæ quidem voluntas eſt ipſummet abſolutum & efficax decretum prædeſtinationis. Hoc poſito, dicebant Deum velle omnes homines ſalvos fieri voluntate antecedente, hoc eſt, procurante nonnulla antecedentia ad ſalutem, ſed ſolos electos ſalvos fieri velle voluntate conſequente, hoc eſt, intendente ipſam ſalutem.

Ubi obſervandum eſt voluntatem antecedentem, ſecundùm illos Theologos, non connotare ſalutem ipſam, ſed tantùm antecedentia quæ hominibus reipſâ dantur, & quorum reſpectu voluntas eſt beneplaciti, cùm reſpectu ipſiuſmet ſalutis ſit tantùm voluntas ſigni. Proinde non ſequitur ex ea explicatione Deum omnipotentem aliquid velle quod non fiat: Sed audiendi ſunt illi Theologi mentem ſuam aperientes.

Alexander Alenſis, 1 part. q. 36. memb. 2, adoptatis S. Auguſtini interpretationibus, addit: „ Deus, ſecundùm Damnaſcenum, voluntate „ antecedente vult omnes ſalvari, voluntate verò conſequente non. „ Et ad quæſtionem, quâ quæritur utrùm voluntate beneplaciti velit „ omnes ſalvari, per hoc eſt reſponſio. Nam voluntas beneplaciti poſ- „ ſet dici reſpectu poſſibilitatis creaturæ rationalis ad ſalutem, quæ qui- „ dem poſſibilitas eſt in ipſa à Deo: & hoc modo voluntate beneplaci- „ ti vult omnes ſalvos fieri, hoc eſt, vult omnes poſſe ſalvos fieri. „ Alio modo voluntas beneplaciti dicitur reſpectu effectûs, qui reddi- „ tur à Deo rationali creaturæ pro meritis. Et ſic voluntate beneplaciti „ non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed ſolùm prædeſtinatos.“ Itaque voluntas generalis antecedens verſatur tantùm circa poſſibilitatem ſalutis, non circa ſalutem ipſam. Uno verbo per eam vult Deus ut omnes ſalvi eſſe poſſint, non ut ſalvi fiant. Quod & clarius adhuc exponit:

ponit poſteà diſtinguendo hæc tria: 1°. Ordinabilitatem ad ſalutem per facultatem liberi arbitrii. 2°. Uſum liberi arbitrii. 3°. Remunerationem liberi arbitrii. Primum & tertium non ſunt in nobis: ſecundum autem, nempe uſus liberi arbitrii, in nobis eſt, hoc eſt, in noſtra poteſtate. „ Voluntas ergo antecedens, inquit, eſt reſpectu conſtitutionis liberi „ arbitrii: voluntas conſequens reſpectu remunerationis liberi arbitrii. „ Item uſus liberi arbitrii aut exit bonus, aut malus: ſi bonus, illum „ reſpicit divina voluntas: ſi malus, illum non reſpicit divina voluntas, „ quia illius non eſt cauſa. Voluntas ergo antecedens eſt reſpectu uſûs „ illius boni," iis ſcilicet qui benè utuntur libero arbitrio. Igitur, juxta hunc antiquum Theologum, Deus vult voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri, aut potiùs poſſe ſalvos fieri, in quantùm omnes homines creat cum libero arbitrio. 2°. Deus vult etiam voluntate antecedente ut benè utantur libero arbitrio, quicunque illo benè utuntur, idque præſtat per gratiam ſeipſâ efficacem. 3°. Deus vult voluntate conſequente remunerare bonum uſum liberi arbitrii, quem antecedente & planè gratuitâ voluntate electis donavit. Patet nullam harum trium voluntatum eſſe inefficacem.

S. Bonaventura, in 1 Sent. diſt. 46. art. 1. q. 1, primùm docet: „ Cùm non omnes ſalventur, & voluntas Dei nunquam fruſtretur, ideò „ neceſſe eſt ut vis fiat in modo diſtribuendi, vel in modo volendi:" hoc eſt, ut in textu Apoſtoli vox *omnes* non de omnibus omnino hominibus, vel vox *vult* non de voluntate quæ verſetur circa ſalutem ipſam intelligatur. Dicit S. Auguſtinum, quem vocat *Doctorem egregium*, vim facere in modo diſtribuendi in Enchiridio, adoptatque duas primas explicationes S. Auguſtini ſupra allatas, addens, quod imprimis notandum eſt, „ neceſſe eſſe alterutro modo ſolvere, ſuppoſito quòd velle „ ibi (apud Apoſtolum) dicat velle Dei, ſecundùm quòd velle dicitur „ velle placito, quietato, ſive voluntate abſolutâ, de qua verum eſt „ dicere: *omnia quæcunque voluit Dominus fecit.*" Deinde proponit explicationem Damaſceni de voluntate antecedente & conſequente. „ Differentia autem inter hanc voluntatem & illam, inquit, non eſt ſe„ cundùm diverſitatem affectionis, ſive modi volendi qui ſit in Deo, „ ſed ſecundùm rationem connotandi & intelligendi," hoc eſt, differunt tantùm penes objectum. „ Prout enim dicitur Deus velle omnium „ ſalutem, quantùm in ſe eſt & antecedenter, connotatur in omnibus or„ dinatio ad ſalutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ „ oblatæ. Dedit enim Deus naturam, ſecundum quam poſſent eum „ cognoſcere & cognitum quærere,..... ac per hoc ſalutem obtinere. „ Gratiam ſimiliter obtulit dum Filium miſit & obtulit, cujus pretium „ omnium ſaluti ſufficit. Leges etiam & mandata tribuit ſalutis & oſ„ tendit...... Velle ergo hominem antecedenter ſalvare, eſt ordinatum „ ad ſalutem facere, & volenti pervenire non deeſſe. Unde velle an-

„ te-

Digitized by Google

„ tecedenter ſalvare, non connotat ſalutem, ſed ordinabilitatem ad ſa-
„ lutem. Velle autem conſequenter, ſive abſolutè, ſalvare, eſt velle
„ dare ſalutem ei, quem præſcit ad ſalutem perventurum per ſuum au-
„ xilium & gratiam, & connotat ſalutis eventum; & ſic non eſt dicere
„ quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri.“ Igitur, ex S. Bonaventura, Deus per voluntatem antecedentem non vult ſalutem ipſam omnium hominum, ſed ſolum *ordinabilitatem ad ſalutem.*

Scotus, in 1. diſt. 46. q. unicâ, ſentit „ dictum Apoſtoli meliùs poſſe
„ exponi de voluntate antecedente, ſic: Id eſt, vult omnes homines
„ ſalvare & ſalvos fieri, quantùm ſcilicet eſt ex parte ſui & voluntate
„ ſua antecedente, pro quanto eis dedit dona naturalia, & leges rectas,
„ & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem.“ (Intelligit omnia exteriora adjutoria, quæ in ſuo genere ſufficiunt, non tamen ſine gratia interiore, quæ eſt alterius generis, nec omnibus communis)...... „ Ita
„ dico in propoſito quòd, etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum, tamen vult iſti illa adjutoria communia an-
„ tecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter
„ benè vivere & ſalvari.“ Audis Deum non velle voluntate beneplaciti omnes ſalvare, ſed tantùm omnibus dare adjutoria quædam communia.

Durandus, in 1. diſt. 47. q. 3, idem docet expreſſis verbis. „ Diſ-
„ tinctio, ait, voluntatis divinæ per antecedentem & conſequentem
„ non eſt ex-parte ipſius voluntatis, ſed potiùs ex parte volitorum.
„ Dicitur enim aliquid volitum voluntate conſequente, quando eſt vo-
„ litum in ſe, ita quòd in illud feratur voluntas divina: ſed dicitur
„ volitum voluntate antecedente, quando non eſt volitum in ſe, ita
„ quòd (non) ſuper illud feratur voluntas, ſed ſuper ſuum antecedens, ad
„ quod natum eſt conſequi, licet non ex neceſſitate: ſicut quia Deus
„ vult ſimpliciter homini dare talem naturam, ſcilicet rationalem, ad
„ quam ſequuntur vel natæ ſunt conſequi tales operationes, per quas
„ poteſt acquirere beatitudinem, ideò Deus, volendo antecedens ſimpli-
„ citer, dicitur in ipſo antecedente velle cætera, quæ nata ſunt con-
„ ſequi ad illud antecedens, ſecundùm convenientiam, non ex neceſſi-
„ tate. Similiter cùm Deus præcipit aliquid.“ Ergo per voluntatem antecedentem Deus vult tantùm antecedentia ſalutis, non autem ipſam ſalutem, niſi voluntate ſigni & metaphoricâ.

Hervæus eiſdem ferè verbis loquitur in 1. diſt. 41. q. 9. art. 1.

Ex iis omnibus, & aliis quos referre poſſemus, apparet voluntatem antecedentem eſſe quidem voluntatem formalem ac beneplaciti, ſi compararetur cum antecedentibus ſalutis, quæ omnibus hominibus aut plura aut pauciora conferuntur; eſſe verò voluntatem ſigni, ſi cum ſalute ipſa comparetur: idque diſertis verbis agnoſcit Marſilius ab Inghen Theologus Germanus, qui vivebat ſæculo XIV. Sic enim loquitur in 1. diſt. 46. q. 44. art. 2: „ Alii dicunt quòd Apoſtolus ibi loquitur de

„ vo-

Digitized by Google

„ voluntate antecedente & ſigni, ut ſit ſenſus: Deus januam paradiſi „ omnibus ſuâ paſſione aperuit, & de omnibus peccatis ad ſufficientiam „ Patri ſatisfecit, & legem dedit omnium ſalutem exprimentem, ſcilicet „ præceptorum & conſiliorum, ſecundum quam quis vivens ſalvus erit. „ Sed non vult hoc voluntate conſequentis & beneplaciti, quia nun- „ quam erit quòd omnes ſalvi fiant.“ Et rurſùs: „ Mihi videtur, inquit, „ quòd iſta voluntas antecedens non ſit niſi voluntas ſigni reſ- „ pectu ſalutis, quàmvis poſſit dici voluntas beneplaciti reſpectu eorum „ quæ Deus confert; quia natura capax beatitudinis, ordo ejus ad bea- „ titudinem, & auxilia per Deum exhibita videntur ſignificare volunta- „ tem Dei ipſi homini pro conſequenda beatitudine: & ſic oportebit in- „ telligi dictum Apoſtoli de voluntate ſigni.“

Vera eſt ac ſolida iſta explicatio, ab antiquo ſcriptore librorum de Vocatione gentium, licet aliis verbis, propoſita, ut obſervavimus; nec improbaretur ab ipſomet S. Auguſtino, quandoquidem textum Apoſtoli variis modis exponi permittit, modò hæc capitalis veritas in tuto ſit, Deum nihil velle, voluntate propriè ac formaliter dictâ, quod non impleatur.

Fatendum eſt tamen eam minùs eleganter aptari ſcopo Apoſtoli, quàm ſupra memoratas B. Auguſtini & Chryſoſtomi expoſitiones. Nam non optimè cohæret iſta exhortatio: Orate pro omnibus hominibus, ac maximè pro regibus & in ſublimitate poſitis, ut ſalvi fiant; nullus enim hominum eſt cui Deus non det aliqua antecedentia ad ſalutem, & naturam ſalutis capacem.

Hanc forſitan ob cauſam S. Thomas præfatam diſtinctionem alio ſenſu accepit, qui nobis jam explicandus eſt.

Angelicus Doctor, in Summa, part. 1. q. 19. art. 6. ad 1, approbatis & adoptatis B. Auguſtini explicationibus, addit Apoſtoli verba poſſe etiam exponi, ſecundùm Damaſcenum, de voluntate antecedente, non de conſequente: „ quæ quidem diſtinctio, inquit, non accipitur ex „ parte ipſius voluntatis divinæ, in qua nihil eſt prius vel poſterius, „ ſed ex parte volitorum.“ Deinde mentem ſuam his verbis explicat: „ Ad cujus intellectum conſiderandum eſt quòd unumquodque, ſe- „ cundùm quòd bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo. Aliquid autem „ poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundùm quòd abſolutè con- „ ſideratur, bonum vel malum, quod tamen, prout cum aliquo ad- „ juncto conſideratur, quæ eſt conſequens conſideratio ejus, è contrario „ ſe habet: ſicut hominem vivere eſt bonum, & hominem occidi eſt „ malum, ſecundùm abſolutam conſiderationem; ſed, ſi addatur circa „ aliquem hominem quòd ſit homicida, vel vivens in periculum multi- „ tudinis, ſic bonum eſt eum occidi & malum eſt vivere. Unde poteſt „ dici quòd judex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere, ſed „ conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult

„ vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari, ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ. Neque tamen, id quod antecedenter volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid; quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quòd in ſeipſis ſunt; in ſeipſis autem ſunt in particulari. Unde volumus aliquid ſimpliciter ſecundùm quòd volumus illud, conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus, quod eſt conſequenter velle. Unde poteſt dici quòd judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi, ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantùm eſt homo. Unde magis poteſt dici velleitas quàm abſoluta voluntas. Et ſic patet quòd, quidquid Deus ſimpliciter vult, fit, licet illud, quod antecedenter vult, non fiat.“ Idem dicit in 1 Sentent. diſt. 46. q. 1. art. 1, & Lect. 1 in cap. 2 Epiſtolæ 1 ad Timotheum, ubi affert exemplum mercatoris, qui merces ſuas, abſolutè & primâ conſideratione ſpectatas, conſervare vult, ſed, ſpectatâ circumſtantiâ tempeſtatis & imminentis naufragii, vult eas in mare projicere. „ Sic, ait, in Deo ſalus omnium hominum, in ſe „ conſiderata, habet rationem ut ſit volibilis,..... ſed ſi conſideretur „ bonum juſtitiæ, & quòd peccata puniantur, ſic non vult.“

Angelici Doctoris doctrinam nullatenus intelligunt Molinæ diſcipuli, qui dicunt voluntatem antecedentem eam eſſe, quæ abſtrahit à præſcientia operum bonorum vel malorum; conſequentem verò, quæ ſpectat perſonales hominis circumſtantias, quòd nempe velit aut nolit ſe ad gratiam præparare, quòd conſentiat vel non conſentiat divinæ gratiæ, quòd agat vel non agat. Supponunt namque Deum, ex voluntate antecedente, dare omnibus hominibus gratias planè ſufficientes, quarum uſus voluntatis arbitrio relinquatur; præviſo autem bono vel malo uſu gratiæ, Deum conſequenter velle illos ſalvare, quos gratiæ conſenſuros, illos verò damnare, quos eidem gratiæ reniſuros præviderit: atque inde concludunt prædeſtinationem & reprobationem non fieri, juxta S. Thomam, niſi poſt præviſa merita & demerita. Tournely, tom. 2 de Attributis, pag. 159.

Satis exprimi non poteſt quantùm iſta interpretatio repugnet doctrinæ Doctoris Angelici, apud quem nihil certius eſt, quàm prædeſtinationem eſſe omnino gratuitam, & præcedere omnem præviſionem quorumlibet meritorum, ut oſtendimus agendo de prædeſtinatione. Et verò S. Thomas, in locis modò relatis, dicit quidem voluntatem damnandi poſteriorem eſſe præſcientiâ peccati, ſed nequaquam dicit voluntatem abſolutam ſalvandi electos ſubſequi præſcientiam meritorum: neque explicandum habebat quæ cauſa ſit ſalutis electorum, ſed quare tot homines damnentur, cùm Deus, teſte Apoſtolo, omnes homines velit ſalvos fieri.

Ad intelligendam mentem S. Doctoris, paululùm quidem abſtractam & captu difficilem, at certè veriſſimam, immenſâque bonitate Dei digniſſimam, advertendum eſt Deum, cujus natura bonitas, longè aliter

ſe habere ad puniendum, quàm ad benefaciendum. Benefaciendi cauſam ſumit ex ſeipſo, puniendi materiam ex nobis, quia, ut ait præclarè Tertullianus, *de ſuo bonus eſt, & de noſtro juſtus.* Ergo, ut homo perveniat ad ſalutem, prima cauſa in Deo eſt, non in homine. Ut autem homo à ſalute excidat aut damnetur, in ipſo cauſa eſt, non in Deo, quia excidere à ſalute mera defectio eſt, in creaturam ſeipſâ defectibilem refundenda, non in cauſam efficaciſſimam & indefectibilem: ac proinde, niſi homo ſponte ſuâ deſereret bonum & adhæreret malo, ſeque ipſum ſalute privaret, nemo damnaretur, ſed omnes ſalvi fierent: quia verò homines, deſerto ſummo bono, ad malum ſeſe convertunt, ideò pereunt.

Hinc ſequitur Deum, conſideratis hominibus abſolutè ut hominibus, neminem excludere à ſalute, quia nemini cauſa eſt perditionis, eoque ſenſu S Thomas dicit Deum voluntate antecedente velle omnes homines ſalvos fieri. Conſideratis autem hominibus ut peccatoribus (quæ eſt ſecunda hominum conſideratio), Deus conſequenter vult aliquos damnari.

Quoniam verò inter primam & ſecundam conſiderationem intercedit voluntas permittendi peccatum; ſine qua non poſſent homines conſiderari ut peccatores, idcirco quatuor vel quinque inſtantia rationis diſtinguenda ſunt in Deo. In primo Deus conſiderat omnes homines (idem puta de angelis) ut creaturas rationales, beatitudinis capaces & ad vitam æternam conſequendam creatas, ſicque conſideratos vult ſalvos fieri, quia hominem ſpectatum ut hominem, & abſtrahendo à peccato, ſervare bonum eſt, damnari malum. Hæc voluntas Dei vocatur antecedens à S. Thoma, quia antecedit in ſigno rationis poſteriorem conſiderationem hominis ut peccatoris.

In ſecundo inſtanti Deus videt omnes angelos & homines, è nihilo creatos, propriæ voluntatis ſuæ vitio ac defectu in peccatum certò caſuros, ſi non ipſe efficaci & gratuito beneficio id impediat, vel jam lapſos miſericorditer erigat.

In tertio Deus decernit permittere ut aliqui angelorum ipſum deſerant & in peccatum labantur: decernit etiam permittere peccatum Adami, & illius peccati in omnes Adami poſteros tranſitum.

In quarto Deus videt angelos, quos labi permiſit, eſſe malos & punitione dignos: videt pariter totam Adami progeniem in primo parente inquinatam atque iræ addictam.

In quinto vult damnare angelos malos, &, aliquibus hominibus à communi damnationis concretione gratuitâ miſericordiâ liberatis, alios in damnatione juſto judicio relinquere, & in malo perſeverantes damnare. Et hæc voluntas dicitur conſequens, quia ſequitur conſiderationem peccati, citra quam nemo prorſus à ſalute excluderetur.

Ex hac explicatione voluntatis antecedentis & voluntatis conſequentis ad mentem S. Thomæ, quam plerique poſt ipſum Theologi ſecuti ſunt,

Digitized by Google

ſunt, patet voluntatem antecedentem non conſiderare homines ut reverâ ſunt ac phyſicè exiſtunt, ſed generali quadam ac metaphyſicâ ratione, in quantùm præciſè ſunt homines.

Patet 2° hujusmodi voluntatem non aliud eſſe realiter in Deo, quàm immenſam ejus bonitatem naturamque beneficam, quâ nullam creaturam vult perire, niſi propriâ voluntate deficiat à ſummo bono, eique renuntiet, omnesque reipſâ ſalvaret, ſi ſalvari vellent, ſuæque ſaluti impedimentum non apponerent.

Patet 3° voluntatem antecedentem, hoc modo acceptam, non eſſe liberam, ſed neceſſariam, & in ipſa Dei natura fundatam. Sicut enim Deus naturâ bonus eſt, imò ipſa bonitas, ita ex naturæ ſuæ neceſſitate amat quidquid bonum eſt, in quantùm bonum eſt. Cùm igitur hominem abſolutè conſideratum, abſtrahendo à peccato, ſalvari bonum ſit, & damnari malum, Deus non poteſt hominem hoc modo conſideratum excludere à ſalute & damnationi addicere, quàmvis poſſit permittere ut homo cadat in peccatum, juſtiſſimè damnandus.

Patet 4° voluntatem antecedentem debere referri ad voluntatem ordinis, de qua ſupra dictum eſt. Etenim æternus ordo poſtulat ut nemo à beatitudine, ad quam creatus eſt, poſitivè excludatur, niſi propriæ deſertionis merito. Præterea duplex eſt circa creaturam rationalem ordo divinæ juſtitiæ. Primus, ad quem antecedens pertinet, exigit ut creatura rationalis, faciendo bonum & declinando à malo, ſalutem ſuam operetur: ſecundus ut creatura, quæ juſtitiam contempſit, puniatur, ne ſit peccati dedecus ſine decore vindictæ aut veræ pœnitentiæ.

Nihil ergo eſt in hac diſtinctione probè intellecta non verum, non ſolidum, non pietati conſentaneum. Hoc ipſum aliis verbis admiſit Eccleſia Lugdunenſis, ſæculo IX, cùm ait dici poſſe, juxta multorum veterum Patrum ſenſum, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, *bonitate* ſcilicet *creatoris*. Reverâ negari non poteſt hanc mentem fuiſſe omnium ferè græcorum Patrum, quos erroris in hac materia accuſare, etſi minùs accuratè interdum locuti ſint, nimis profectò temerarium foret. Ita etiam ſenſiſſe videtur auctor Hypognoſticon, cùm dicit lib. 6. cap. 8: „ Ne quisquam autem putaret divino vitio fieri non omnes „ homines ſalvari, dicit Apoſtolus: *qui vult omnes homines ſalvos fieri.*" Idem quippe eſt ac ſi diceret eo ſenſu Deum velle omnes ſalvos fieri, quòd non Dei, ſed proprio quisque vitio à ſalute excidit. S. Anſelmus Cantuarienſis voluntatem antecedentem admittit ſub nomine voluntatis approbantis. Nam in brevi libello de Voluntate triplicem diſtinguit in Deo voluntatem, aliam efficientem, aliam approbantem, aliam permittentem. „ Secundùm efficientem, inquit (quam nos decretum vel voluntatem decreti appellamus), dictum eſt: *Omnia quæcunque voluit Do-* „ *minus fecit.* Secundùm approbantem verò dicitur quia *Deus vult om-* „ *nem hominem ſalvum fieri.* Approbat enim Deus, & placet illi de P. 116. col. 1.

omni-

„ omnibus juſtis, quia juſti ſunt, ut ſalvi fiant; & nihilominùs placeret „ ei de injuſtis, ſi juſti eſſent, ut ſalvi fierent. Tale eſt enim quod dictum eſt, ac ſi dicatur: Deus nullum facit injuſtum, ſed unusquisque à ſe habet injuſtitiam, ut damnetur: & ideò non poteſt dici „ diſplicere Deo, ſi juſtus ſit & ſalvetur; nec poteſt dici Deum repugnare ſaluti alicujus, ſed approbare ſi ſit qui ſalvetur.“ Et in alio

Pag. 152.

libro *de Voluntate Dei* (quem librum Anſelmo Laudunenſi, qui ſæculo XII floruit, nonnulli adjudicant), adoptatâ tertiâ explicatione S. Auguſtini, ait textum Apoſtoli poſſe adhuc exponi de voluntate approbante; „ quoniam nullum Deus prohibet, quantùm ad ſe, ſalvum fieri, imò, „ ſi quis ad hoc laborat, approbat.“

An verò hic ſenſus de voluntate antecedente rectè applicetur textui Apoſtolico, meritò ambigitur. Nam voluntas antecedens, fatente S. Thoma, *magis poteſt dici velleitas quàm abſoluta voluntas.* Atqui Apoſtolus videtur loqui de abſoluta voluntate. Nam, ut ait Gregorius Ariminenſis, in 1. diſt. 46, „ aliquâ velleitate præciſè poſitâ in voluntate, „ non verè dicitur quòd vult, quàmvis dici poſſet quòd vellet. Nec „ ſequitur: vellem, ergo volo.“ Porro Apoſtolus non ait: Deus vellet, ſed abſolutè: Deus vult omnes homines ſalvos fieri.

Verùm multò gravior quæſtio movetur inter Theologos, utrùm voluntas antecedens, ut expoſita fuit à S. Thoma, in Deo ſit formaliter, an tantùm eminenter: deinde an eadem voluntas ſit actuoſa, & producat aliquid ad ſalutem omnium hominum.

Ad primam quæſtionem reſpondeo diſtinguendum eſſe inter ſummam Dei bonitatem, quæ fundamentum præbet attribuendi Deo voluntatem antecedentem ſalutis omnium hominum, & ipſam voluntatem quæ vocatur antecedens. Eſt in Deo propriè & formaliter bonitatis plenitudo, quæ omnes homines ſalvaret, ſi non interveniret impedimentum peccati: at ipſa voluntas antecedens non eſt formaliter in Deo, ſed eminenter tantùm.

Nam 1° illa voluntas non attribuitur Deo niſi abſtractione metaphyſicâ & hypotheticè. Haberet quidem Deus voluntatem formalem & efficacem ſalvandi omnes homines, ſi ipſi homines impedimentum ſuæ ſaluti non ponerent. Sed quia non in eo ſtatu ſunt homines, impedimentumque ſuæ ſaluti, niſi Deus altiùs miſereatur, afferunt, Deus ſimpliciter loquendo non vult omnes ſalvos fieri.

2°. Voluntas antecedens, ex S. Thoma, *magis eſt dicenda velleitas quàm abſoluta voluntas.* Velleitas autem nihil aliud eſſe videtur, quàm imperfecta quædam & ſuſpenſa voluntas, quæ in ente perfectiſſimo non poteſt eſſe formaliter. Unde cùm dicitur, Deus vellet omnes homines ſalvare, ſi boni eſſent, exprimitur quidem veritas conditionalis, ſed non ſignificatur in Deo voluntas conditionalis. Senſus enim eſt quòd, in illa hypotheſi, Deus vellet propriè, abſolutè & efficaciter omnes homines.

Digitized by Google

nes ſalvare; non verò quòd in contraria hypotheſi Deus habeat reipſâ voluntatem conditionatam.

3°. S. Thomas eodem loco dicit diſtinctionem voluntatis in antecedentem & conſequentem „ non accipi ex parte voluntatis divinæ, in „ qua nihil eſt prius vel poſterius, ſed ex parte volitorum.“ Ergo voluntas antecedens non eſt formaliter in Deo, ſicut foret homine, ſed virtualiter tantùm; quia videlicet, ſi non eſſet impedimentum ex parte hominis, Deus vellet ſalvare & reipſâ ſalvaret omnes homines, cùm ſit de ſuo bonus, de noſtro juſtus.

4°. Voluntas formalis fertur in res prout ſunt in ſeipſis, ut dicit S. Thomas, 1 part. q. 19. art. 6. ad 1. Atqui voluntas antecedens non conſiderat homines cum ſuis adjunctis, ſed tantùm præciſè ut homines. Ergo non eſt formalis & propriè dicta voluntas.

Confirmatur lucidiſſimo Angelici Doctoris teſtimonio, ibid. ad 2um argumentum, quod his verbis propoſitum erat: „ Sicut ſe habet ſcien- „ tia ad verum, ita voluntas ad bonum. Sed Deus fecit omne verum. „ Ergo vult omne bonum. Sed non omne bonum fit; multa enim bo- „ na poſſunt fieri, quæ non fiunt. Non ergo voluntas Dei ſemper im- „ pletur.“ Sic autem reſpondet: „ Dicendum quòd actus cognoſciti- „ væ virtutis eſt ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, actus „ autem virtutis appetivæ eſt ordinatus ad res ſecundùm quòd in ſeipſis „ ſunt. Quidquid autem poteſt habere rationem entis & veri, totum „ eſt virtualiter in Deo, ſed non totum exiſtit in rebus creatis. Et „ ideò Deus cognoſcit omne verum, non tamen vult omne bonum, „ niſi in quantùm vult ſe, in quo virtualiter omne bonum exiſtit.“ Hinc ſic argumentor: Ideò S. Thomas voluntatem antecedentem admittit in Deo reſpectu ſalutis omnium hominum, quia, ſi ſalus omnium hominum abſolutè & præciſis circumſtantiis conſideratur, aliquod bonum eſt, & omne bonum, in quantùm bonum eſt, volitum eſt à Deo. Atqui, juxta eumdem, Deus non vult formaliter bonum quod in rebus creatis non exiſtit, ſed illud vult tantùm virtualiter & eminenter, in quantùm vult & amat ſe, in quo virtualiter omne bonum exiſtit. Ergo, ex S. Thoma, voluntas antecedens ſalutis omnium hominum non eſt in Deo formaliter, ſed tantùm virtualiter ſeu eminenter.

5°. Deſiderium inefficax non poteſt eſſe in Deo, tum quia omnipotens facit quidquid vult; tum quia S. Thomas, 1 part. q. 20. art 1. ad 2, expreſſè dicit deſiderium, quia imperfectionem importat, etiam formaliter Deo convenire non poſſe, niſi metaphoricè propter ſimilitudinem effectûs. Atqui voluntas antecedens, ſi formaliter in Deo eſſet, deſiderium eſſet inefficax. Ergo.

6°. Si voluntas antecedens eſſet formaliter in Deo, eſſet in ipſo etiam reſpectu dæmonum & damnatorum, & in æternum duratura eſſet. Nam, quàmvis malos damnari bonum ſit, tamen conſideratos ut homines, ut

conſiderari per voluntatem antecedentem dicuntur, ſervari bonum eſt & ſemper bonum erit. Atqui abſurdum eſt talem voluntatem æternam in Deo admittere: tum quia Deum faceret miſerum voluntas inexpleta; tum quia ſancti homines & angeli non habent ejuſmodi voluntatem, propter ſtatûs ſui perfectionem, quâ fit ut nullâ ſuper damnatis commiſeratione moveantur, ſed purè & perfectè in eorum punitione laudent Dei juſtitiam.

Ill. Languet Epiſc. Sueſſion. 5 Epiſt. Paſtor. part. 2. §. 107.

Reſpondent illud deſiderium non eſſe æternum in Deo, quia eventus temporaneos non in æternum Deus vult. Sed falſò. Nam, quidquid eſt in Deo, æternum eſt, & quàmvis eventus ab ipſo decreti tranſeant, ipſa tamen decreta non tranſeunt. Adde voluntatem antecedentem fundari in ipſa bonitate divina, atque adeò eſſe quid abſolutè neceſſarium; proinde, ſi ſit formaliter in Deo, ſemper futuram eſſe.

Denique non poteſt admitti in Deo reſpectu eventuum particularium, qualis eſt ſalus hominum, voluntas formalis & propriè dicta, quæ non poſſit in illo non eſſe. Nam omne quod Deus extra ſe vult, liberè vult & cum potentia non volendi. Atqui illud, quod antecedentis voluntatis nomine exprimitur à S. Thoma, non poteſt non eſſe in Deo, ſiquidem eſt ipſamet bonitas divina amans & approbans omne quod bonum eſt, in quantùm bonum eſt. „ Unumquodque, ait Angelicus Doctor ibidem, „ ſecundùm quòd bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo." Salus autem hominum, antecedenter & primâ conſideratione ſpectatorum, ex ſeſe neceſſariò bona eſt, nec poteſt eſſe mala. Ergo Deus non habet reſpectu ſalutis ſingulorum hominum antecedentem voluntatem, quæ ſit in ipſo formaliter.

Et verò ita ſentiunt doctiſſimi è ſchola S. Thomæ Theologi.

Soto Major, concilii Tridentini Theologus, in 1 ad Timoth. cap. II, allatâ Auguſtini explicatione de generibus ſingulorum, addit: „ Hæc „ interpretatio vera & ſolida eſt. Nihilominus tamen...... poſſumus „ etiam, ſalvâ fidei regulâ, hæc ipſa Apoſtoli verba interpretari de vo„ luntate quadam antecedente, id eſt, imaginaria & ſecundùm quid, im„ propriè vel metaphoricè dicta...... Non quòd in Deo vel in volun„ tate Dei ſit aliquid prius vel poſterius, vel etiam aliquid imperfectum, „ inchoatum & diverſum, ut in nobis, cùm voluntas Dei ſecundùm ſe „ ſit maximè una, & ſimpliciſſima, & perfectiſſima; ſed ſecundùm morem „ & modum intelligendi hominum communem, & juxta naturam vo„ luntatis noſtræ & rerum creatarum quas velle dicimur &c.

Bannez, in 1 part. D. Thomæ, q. 19. art. 6, quærit „ an voluntas „ antecedens ſit aliquis actus formaliter exiſtens in Deo, ſicut volun„ tas conſequens eſt actus formaliter & propriè exiſtens in Deo; hoc „ eſt, an Deus habeat hunc actum propriè & ſine metaphora: vellem „ omnes homines ſalvos fieri; ſicut mercator tempeſtate compulſus ha„ bet hunc actum: vellem ſervare merces meas, ſed, ne peream, volo „ ab-

„ abſolutè eas projicere in mare.“ Deinde reſpondet „ multò probabi-
„ lius videri quòd in Deo non ſit formaliter voluntas, quæ ſignificatur
„ hoc nomine, *velleitas;* ſed ſufficit quòd talis voluntas antecedens po-
„ natur in Deo eminenter.“ Quòd verò ſit in Deo eminenter, pro-
bat, quia „ bonæ affectiones, quæ reperiuntur in hominibus, quarum
„ Deus eſt cauſa, ſunt etiam in Deo formaliter vel eminenter: v. g.
„ affectus hominis Chriſtiani, quo vult omnes homines ſalvos fieri,
„ cujus Deus eſt cauſa, neceſſe eſt quòd ſit in Deo vel formaliter,
„ vel eminenter.“

Cumel, ibidem: „ Probabilius eſt, inquit, quòd in Deo non eſt
„ formaliter voluntas antecedens, ſed ſolùm propriè reperitur in Deo
„ eminenter...... Sanè in Deo eſt unica & ſimpliciſſima voluntas &
„ efficaciſſima, cui nemo reſiſtit. Sed iſta voluntas antecedens non eſt
„ efficaciſſima. Ergo non eſt actus poſitivè verus in Deo.“

Baſilius Legionenſis, à Goneto citatus, idem ſentit, 1 parte q. 6 Scho-
laſticâ, cap. 12.

Eſtius in 1. diſt. 46. §. 3: „ Longè probabiliùs ſentiunt, inquit,
„ qui negant in Deo formaliter & propriè eſſe voluntatem anteceden-
„ tem, cui voluntas beneplaciti non reſpondeat, id eſt, voluntatem
„ *velleitatis* nomine ſignificatam; atque ſufficere dicunt hujuſmodi vo-
„ luntatem eminenter, ſive per tropum, in Deo conſtitui, quomodò
„ ſunt in Deo ira, pœnitentia & miſericordia, & quæcunque bonæ
„ affectiones, quæ ita in hominibus ſunt, ut imperfectionem aliquam
„ includant, velut mutationem, paſſionem, defectum; propter quas
„ imperfectiones neceſſe eſt vel per eminentiam cauſalitatis, vel quo-
„ cunque alio tropo ſermonis, Deo tribuantur. Conſtat autem Deum
„ in cordibus piorum operari hunc affectum, ut omnes velint ſalvos.
„ Eſt igitur hujuſmodi affectus in Deo eminenter.“

Navarreta, in 1 partem D. Thomæ, quæſt. 19. art. 6. controv. 8:
„ Communior, inquit, atque verior reſolutio eſt, illam voluntatem
„ non eſſe formaliter in Deo, ſed ſolùm eminenter.“

Sylvius, in eumdem locum, id probat variis momentis, quorum
unum eſt „ quòd, ſi ponatur hæc voluntas in Deo, quæ non implea-
„ tur, & altera quæ impleatur, duo admittendæ ſunt in Deo voluntates
„ ſibi invicem oppoſitæ: quod ipſum non decet.“

Trigoſus, è familia Capucinorum, in Commentario in Summam S.
Bonaventuræ Clementi VIII dedicato, hanc quæſtionem eximiè tractat
his verbis: „ Nota quòd tota difficultas hujus quæſtionis ſtat in hoc,
„ an iſta voluntas antecedens includat formaliter aliquam imperfectio-
„ nem; quia, ſi dicit imperfectionem, certum eſt quòd non poteſt poni
„ in Deo formaliter, ſed eminenter.“ Cùmque iſta voluntas, ex S.
Thoma & S. Bonaventura, ſit mera *velleitas*, obſervat „ velleitatem
„ formaliter loquendo, videri includere multas imperfectiones, quarum
„ pri-

Digitized by Google

„ prima eſt, quia dicit actum incompletum & non plenum," ut dicit ibidem S. Bonaventura. 2°. „ Connotat, vel ſaltem inſinuat quamdam „ impotentiam non potentis producere & efficere illud quod vellet. „ 3°. Importat deſiderium habendi vel faciendi aliquid, quod non ha„ betur nec fit. 4°. Importat carentiam & defectum alicujus boni de„ ſiderati. Tandem velleitas, jam quòd ſit actus, eſt actus non inte„ ger, non totalis, nec perfectus, nec plenus; quæ quidem omnia nul„ lomodò poſſunt Deo convenire."

His præmiſſis, docet 1° de fide eſſe admittendam eſſe in Deo voluntatem conſequentem ſalutis electorum. Deinde docet probabilius eſſe „ quòd voluntas antecedens, quæ dicitur *velleitas*, non ſit formaliter „ & propriè in Deo, ſed tantùm eminenter." Atque inter alia argumenta hoc affert: „ Si Deus haberet actum iſtum elicitum: vellem „ omnes ſalvos fieri, iſta volitio eſſet otioſa, quia Deus voluntate effi„ caci non vult omnes ſalvare, quia non vult reprobis dare auxilia effi„ cacia quibus de facto ſalvarentur. Ergo vanum eſſet quòd Deus ha„ beret actum iſtum elicitum: vellem ut reprobi ſalvarentur."

Affert etiam iſtud: „ Voluntas antecedens in hominibus eſſet efficax, „ ſi poſſet deduci ad exercitium citra incommodum & periculum ali„ quod; ſicut voluntas mercatoris, quâ nollet projicere merces in ma„ re, eſſet ſatis efficax, ſi poſſet ſervare merces citra incommodum & „ periculum vitæ. Cùm ergo Deus, citra periculum & citra injuſtitiam, „ poſſet, ſi vellet, totum infernum liberare, ergo, ſi habet voluntatem „ abſolutam non liberandi, fruſtra & vanè dicetur habere voluntatem „ inefficacem, quâ vellet liberare & ſalvare omnes; & per conſequens „ hæc velleitas non eſt actus poſitivus in Deo, ſed tantùm dicitur ha„ bere eminenter voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines." Hucusque Trigoſus.

Nec dicas voluntatem antecedentem non arguere in Deo ullam imperfectionem, quia eſt abſoluta ex parte Dei, & conditionata tantùm ex parte effectûs, conſiſtens nimirum in hoc actu: volo abſolutè ſalvare Judam vel alium reprobum, ſi ipſe non obſtiterit; quòd verò ſit inefficax, id non contingere ex impotentia, ſed ad ſervandam libertatem creatam, vel quia non habet adjunctam voluntatem conſequentem. Nam talis actus abſolutus non poteſt eſſe ſerius in Deo, ſtatim atque ſupponitur Deum decreviſſe permittere reprobos in peccato mori. Non ergo abſolutè vult Deus reprobos ſalvari, ſi mali non fuerint, quorum malitiam non impedire nec corrigere decrevit, ſed tantùm abſolutè vellet eos ſalvari, ſi ſeſe ſalute indignos non præſtarent: quibus verbis, ut dixi, non exprimitur voluntas conditionata & ſuſpenſa, quæ ſit formaliter in Deo, ſed veritas conditionata. Quod autem dicunt, inefficaciam voluntatis antecedentis non provenire ex aliqua impotentia ſalvandi, quæ ſit in Deo, ſed ex libertate creata, quam lædere Deus non vult,

vel

vel quia non habet adjunctam voluntatem conſequentem, manifeſtam involvit contradictionem. Nam ſi voluntas Dei poſitiva remanet inefficax, ne lædatur liberum hominis arbitrium, ergo Deus non poteſt implere quod vult, quin lædat hominis libertatem. Si verò voluntas antecedens ideò eſt inefficax, quia non habet adjunctam voluntatem conſequentem, idem eſt ac ſi diceretur ideò non impleri quod Deus vult, quia Deus non vult; quod abſurdum eſt.

Tandem præcipua ratio, quæ plurimos Theologos impuliſſe videtur ad ponendam formaliter in Deo voluntatem antecedentem, eſt quòd ea opinio magis convenire videatur ſummæ bonitati divinæ. Atqui, illam voluntatem ponendo eminenter in Deo, pariter agnoſcitur ſumma bonitas divina, & quidquid pietatis eſt in oppoſita opinione, demptis tantùm, quæ velleitatem formaliter conſideratam neceſſariò conſequuntur, imperfectionibus. Ergo nulla ratio cogit agnoſcere in Deo formaliter id genus voluntatem, ſed ſufficit quòd eminenter in ipſo agnoſcatur.

Objiciunt multa Scripturæ loca paternum in Deo erga omnes homines amorem affectumque ſignificantia, quæ, inquiunt, ſimulatoriæ viderentur, ſi voluntas ſalvandi omnes homines non ſit propriè & formaliter in Deo. Addunt Deum, ex SS. Patribus, *optare*, *cupere*, *ardenter ac vehementer deſiderare* noſtram ſalutem, laudantque S. Cyprianum, Epiſt. 26 *ad Antonianum*; S. Ephrem *de Vita religioſa*, pag. 544, & Serm. 1 *de Compunctione cordis*, pag. 134; S. Cæſarium Arelatenſem, Serm. 102, in Appendice S. Auguſtini, n. 3, ſed præſertim S. Chryſoſtomum, qui non ſolùm ponit in Deo voluntatem antecedentem, ſed etiam fortem & affectuoſam eſſe affirmat. „ Hæc, ait hom. 2 in cap. 1 Epiſt. ad Epheſios, „ Dei, ut ita dicam, cupiditas eſt. Utique enim „ beneplacitum eſt voluntas præcedens; eſt enim & alia voluntas. Pri- „ ma voluntas eſt ut non pereant qui peccaverunt; voluntas ſecunda, „ ut, qui malos ſe faciunt, pereant...... Beneplacitum igitur vocat „ (Apoſtolus) primam voluntatem, fortem voluntatem, voluntatem „ cum affectu, quæ pro nobis eſt...... Valde appetit ſalutem noſtram. „ Cur ſic diligit? Propter ſolam bonitatem. Gratia enim bonitas eſt.“

Ill. Languet Epiſc. Sueſſion. Epiſt. 5 Paſt. part. 2. §. 92 & ſeq.

Reſpondeo Scripturam in præfatis locis ſignificare tantùm infinitam Dei bonitatem, quâ neminem, niſi ſponte nolentem & averſum, à ſalute repellit, idque unum exigere, ut voluntatem antecedentem in Deo ponamus eminenter. Neque propterea ejus locutiones ſunt ſimulatoriæ, ſed tantùm impropriæ & anthropologicæ, ut innumeræ aliæ quibus Scriptura plena eſt, quæ pœnitentiam, iram, furorem, aliaſque humanas affectiones, ipſaque humani corporis membra, humano loquendi more, Deo attribuit. Et certè illa loca ad litteram accepta probarent eſſe in Deo, reſpectu hominum, non tantùm formalem voluntatem, ſed etiam ardentem affectum ac vehemens deſiderium; quæ ſanè Deo attribui ſana Theologia non patitur. „ In deſiderio, quod eſt boni non habiti, ait S. Thomas,

Digitized by Google

„ mas, 1 part. q. 20. art. 1. ad 2, „ deſignatur (etiam formaliter) „ aliqua imperfectio:“ atque idcirco „ Deo convenire non poteſt niſi „ metaphoricè, propter ſimilitudinem effectûs.“

Atque hinc explicantur etiam dicta SS. Patrum, quæ, quantò vehementiorem affectum Deo attribuere videntur, tantò minùs poſſunt ad litteram accipi. Quid enim niſi Deum miſerum & infelicem facimus, ſi, quod optat & vehementer optat, eum non conſequi dicimus? Igitur, ut ad verum ſenſum reducantur id genus phraſes, quæ in SS. Patribus interdum occurrunt, maximè ubi Chriſtianos ad bonum adhortantur, credendum eſt nihil aliud eis ſignificari, niſi perditionem hominum, non Deo, cujus infinita bonitas neminem à bono repellit, ſed ipſiſmet hominibus, unicè imputandam.

Objiciunt 2°. S. Thomas docet voluntatem antecedentem in Deo eſſe formaliter. Nam 1° illam refert ad voluntatem beneplaciti, & propriè dici de Deo affirmat, quæſt. 33 de Veritate, art. 3 in corp. „ Invenitur in Deo propriè, inquit, ratio voluntatis, & ſic voluntas „ propriè de Deo dicitur; & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per ante„ cedentem & conſequentem diſtinguitur.“ 2°. Illam comparat voluntati quâ judex vellet omnem hominem vivere, & nullum morte damnari. Atqui talis voluntas eſt formaliter in judice. Ergo & in Deo.

Reſpondeo ad 1um aliud eſſe voluntatem aliquam dici de Deo propriè & non per puram metaphoram, aliud eam eſſe voluntatem propriè dictam & beneplacitum propriè dictum. Voluntas antecedens, quàmvis non formaliter inſit Deo, non tamen per puram metaphoram de illo dicitur, ſicut voluntas ſigni, quæ nullum habet in Deo fundamentum reale, ſed ei propriè quodammodò attribuitur, in quantùm habet in ipſo reale ac poſitivum fundamentum, ipſam ſcilicet bonitatem divinam, in qua eminenter continetur, eoque modo revocari poteſt ad beneplacitum divinum latiori ſenſu acceptum.

Ad 2um nego conſequentiam. Quàmvis enim antecedens voluntas Deo & judici attribuatur, non uno tamen modo ineſt Deo & judici; ſed judici quidem ad modum hominis, in quo motum imperfectum formaliter admittere nihil vetat, Deo autem, in quo nulla imperfectio eſſe poteſt, ad modum Dei, hoc eſt, eminenter tantùm.

Jam facile eſt alteri quoque quæſtioni ſatisfacere, quâ quæſitum eſt an voluntas antecedens ſit actuoſa, & producat aliquid ad ſalutem hominum. Nam quod non eſt propriè & formaliter in Deo non eſt cauſa illius effectûs. Deus quippe nihil operatur niſi per voluntatem propriè dictam. Atqui voluntas antecedens non eſt propriè ac formaliter in Deo, ut modò probatum eſt. Ergo nihil producit.

Præterea, cùm quidquid producitur ſit ſingulare, omnibusque ſuis circumſtantiis veſtitum, ea ſolùm voluntas operatur aliquid, quæ fertur in objectum conſideratum cum circumſtantiis ſuis particularibus.

„ Eſt

Digitized by Google

„ Eſt è contrario de voluntate & cognitione ſpeculativa, inquit S. Thomas, in 1. diſt. 47. q. 1. art. 1. „ Cognitio enim ſpeculativa perficitur „ in abſtractione à ſingularibus, ſed voluntas, & quidquid eſt aliud or- „ dinatum ad opus, perficitur in particulari circa quod eſt operatio.“ Atqui voluntas antecedens fertur in ſalutem primo intuitu & abſtrahendo conſideratam. Ergo per ſeſe nihil operatur, cùm non ſit perfecta voluntas. Unde S. Thomas, in Epiſtola ad Annibaldum, expreſſè docet „ voluntatem antecedentem non habere effectum, niſi voluntas conſe- „ quens ei adjungatur.“ Et in 1. diſt. 47. q. 1 art. 2: „ Operatio, inquit, „ non correſpondet voluntati antecedenti.“ Reverâ Deus id ſolum operatur quod vult abſolutè. Unde, omnium conſenſu, legitima eſt iſta conſecutio: Deus illud facit; ergo Deus illud abſolutè vult. Sed voluntas antecedens non eſt abſoluta. Ergo nec actuoſa.

Dices. S. Thomas, in 1. diſt. 46. q. 1. art. 1, aliquem effectum attribuit voluntati antecedenti. „ Hujus voluntatis, ait, effectus eſt ipſe or- „ do naturæ in finem ſalutis, & omnia præmoventia in finem, omni- „ bus propoſita, tam naturalia quàm gratuita, ſicut potentiæ naturales „ & præcepta legis, & hujusmodi.“

Reſpondeo S. Thomam ibi loqui metaphoricè, eoque ferè modo, quo diceremus effectum divinæ iræ eſſe omnes pœnas quas Deus peccatoribus infligit. Nam idem ſentire debemus de voluntate antecedente ad mentem Theologorum ſæculi XIII, quam eo loci ſequi videtur Angelicus Doctor, ac de affectibus humanis, iræ, pœnitentiæ, & ſimilibus, qui propter ſimilitudinem effectuum Deo interdum attribuuntur. Cùm enim hi affectus non ſint propriè in Deo, nec operentur, non quia Deum pœnituit feciſſe hominem, ideò genus humanum diluvio perdidit, ſed, quia genus humanum diluvio perdidit, ideò Scriptura figuratâ locutione dicit Deum pœnituiſſe. Pariter non quia Deus vult voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri, ideò quædam beneficia reprobis indulget, ſed, quia omnibus hominibus beneficia quædam indulget, in quibus ipſius bonitas apparet, & quibus homines benè utendo ſalvarentur, ideò dicitur velle voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri, eâque voluntate beneficia plurima impertiri, phraſi nempè tropicâ, quâ id, quod eſt effectus voluntatis abſolutæ & conſequentis mediorum, transfertur ad voluntatem ipſius ſalutis, quæ videtur per mediorum collationem ſignificari. Nam certum eſt multa & magna bona omnibus hominibus donari à Deo, per ſe ordinata ad ſalutem, veluti ipſum naturæ rationalis Deique capacis bonum, quibus ſi benè uterentur (quod tamen ſine ſpeciali gratiæ auxilio nunquam accidit), ad ſalutem certiſſimè pervenirent. Sed per quam voluntatem ea donantur? Per antecedentem & inefficacem? Nequaquam; ſed per abſolutam, conſequentem, efficacem, quæ non eſt formaliter voluntas ipſius ſalutis, ſed quæ fundamentum præbet eam in Deo, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, imaginandi.

Malè ergo argumentantur, qui, ex eo quòd Deus, teſte Apoſtolo, velit omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, concludunt Deum eâ voluntate largiri omnibus hominibus gratias ſufficientes. Vel enim textus Apoſtoli intelligi debet de ſolis electis, juxta duas primas S. Auguſtini explicationes, à SS. Patribus & Theologis qui poſt ipſum vixerunt approbatas, aut ſenſu à S. Chryſoſtomo & aliis Patribus ſuperiùs expoſito, eoque caſu nihil probat: vel de voluntate ſigni Deo metaphoricè attributa, eoquòd ſanctis ſuis inſpiret deſiderium ſalutis omnium hominum, aut omnibus hominibus præcipiat ac conſulat ut ſalvi fiant; & tunc etiam nihil probatur, ut patet: vel de voluntate antecedente, prout à Scholaſticis ſæculo XIII accepta fuit; & hic ſenſus ſupponit quidem dari omnibus hominibus quædam, ſaltem naturalia, antecedentia ad ſalutem, quæ nobis occaſio ſunt voluntatem ſalutis Deo tropicè attribuendi, ſed nullatenus probat aut gratiam interiorem omnibus dari, aut ea quæ reipſâ dantur, ordinantia hominem ad ſalutem, dari per voluntatem ſalutis, cùm è contrario voluntas antecedens, juxta præfatos Theologos, non connotet ipſam ſalutem, ſed tantùm ordinabilitatem ad ſalutem: vel denique intelligitur de voluntate antecedente, prout ab Angelico Doctore explicata fuit; neque iſta explicatio favet gratiæ ſufficienti omnibus hominibus impenſæ, propter rationes mox allatas. Hinc Eccleſia Lugdunenſis, tametſi non refugerit admittere, juxta pium quorumdam veterum Patrum ſenſum, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, *bonitate creatoris*, ſatis innuit eam voluntatem nihil operatam eſſe in infidelibus, ad quos Evangelii prædicatio non pervenit. „ Si quis, ait, lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 12, „ de talibus interroget quid in eis egerit voluntas Dei, qui vult om- „ nes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, quid reſ- „ pondebitur? Nonne homo cautus & pius magis eliget tacere, aut certè „ eum Propheta aut Apoſtolo exclamare: *Judicia tua abyſſus multa:* &: „ *O profundum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt ju-* „ *dicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus!*"

Eſto, inquiunt, gratia non detur actualiter per voluntatem antecedentem: at ſaltem omnibus præparatur, ex S. Thoma, Lect. 3 in cap. 12 Epiſt. ad Hebræos. „ Deus, inquit, vult omnes homines ſalvos fieri, „ & ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe com- „ municat." Et lib. 3 *contra Gentes*, cap. 159: „ Deus, quantùm in „ ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines „ ſalvos fieri."

Ultro id admitto, ſi ad ſenſum Angelici Doctoris intelligatur, hoc eſt, eo ſenſu quòd, quemadmodùm Deus omnes homines ſalvos faceret, ſi ſalutem ipſi non repellerent, ita gratiam, tum habitualem, tum actualem adjuvantem, omnibus tribueret, ſi impedimentum ipſi non ponerent. Quàmvis enim, ut gratia homini detur, nulla in homine cauſa

cauſa quærenda ſit, tamen quod non detur, non defectus bonitatis in Deo, ſed hominis vitium in cauſa eſt. Quibus addendum eſt cum Angelico Doctore, hoc ipſum, quòd aliquis non ponat gratiæ obſtaculum, ipſiusmet gratiæ merita quæcunque prævenientis donum eſſe.

Articulus Tertius.

An ſit admittenda in Deo voluntas conditionata ſalutis omnium hominum, cujus conditio ab humanæ voluntatis arbitrio, tanquam à cauſa determinante, pendeat.

Molinæ diſcipuli, ut ſortis ſuæ arbitros ſeſe conſtituant, ſalutemque ſuam in manu proprii conſilii collocent, ſpretis S. Auguſtini & aliis, quas modò retulimus, expoſitionibus, realem & poſitivam voluntatem ſalvandi omnes homines in Deo admittunt, ſed hâc conditione ſuſpenſam, modò ipſi velint; eâque voluntate dari aiunt omnibus hominibus gratias plenè ſufficientes, quibus utendo vel non utendo efficiunt ut divina intentio in ipſis impleatur vel fruſtretur. Ad id adſtruendum abutuntur diſtinctione ſcholaſticâ voluntatis Dei in antecedentem & conſequentem, quam eo modo interpretantur, ut dicant Deum, antequàm cujusque bona vel mala merita prævideat, velle omnes homines ſalvos fieri, eoque fine omnibus dare media ſufficientia ad ſalutem, ſi voluerint, conſequendam; deinde, exploratis futuris ſingulorum operibus, eos ſolos conſequente & abſolutâ voluntate velle ſalvos fieri, quos gratiæ conſenſuros præviderit: quo poſito, gratuitæ prædeſtinationis myſterium penitus everti nemo non videt.

Ut autem hujus controverſiæ ſtatus meliùs intelligatur, obſervandum eſt quæſtionem non eſſe an omnes homines ſalvi eſſent, ſi vellent, ideòque plurimi non ſalventur, quia nolunt. Certum quippe eſt idcirco reprobos perire, quia ſalvari nolunt, omnesque ſalutis fore participes, ſi id omnes ſincerè ac plenè vellent.

Sed quæſtio eſt unde ſit in hominibus bona voluntas, quâ ſalutem toto corde apprehendunt (nam malæ voluntatis, quâ ſalus repellitur, quemque ſibi auctorem eſſe nullum dubium eſt): utrùm ſcilicet, qui ſalvantur, idcirco velint ſalvos fieri ſuæque ſaluti allaborent, quia Deus abſolutè vult eos ſalvare; an contra ideò Deus abſolutè velit eos ſalvos fieri, quia præſcit eos gratiæ conſentiendo ſalutem amplexuros: uno verbo, an Deus voluntate conditionatâ, cujus conditio ab homine implenda ſit, velit omnes homines ſalvos fieri.

PROPOSITIO.

Admitti non debet in Deo voluntas ſalutis omnium hominum, quæ ſit conditionata, & cujus conditio ab humana voluntate expectetur.

PROBATUR 1° ex dictis ſupra, tum circa efficaciam gratiæ, tum circa gratuitam prædeſtinationem, tum denique circa divinæ voluntatis nunquam non impletæ omnipotentiam; quas funditus everti neceſſe eſt, ſi opinio, quam hîc refellere aggredimur, obtineat.

2°. Hunc errorem manifeſtè refellit ille ipſe textus Apoſtolicus, quo præcipuè fulciri ſe gloriatur. Nam S. Paulus, 1 Tim. II, hortatur & obſecrat primùm omnium ut fiant orationes pro ſalute omnium hominum, ac maximè pro ſalute regum & omnium qui in ſublimitate ſunt. *Hoc enim*, inquit, *bonum & acceptum eſt coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Si Deus vult, quantùm in ſe eſt, omnes homines ſalvari, modò ipſi velint, ſolaque expectatur hominum voluntas ut fiat, quid opus eſt orationibus, obſecrationibus, poſtulationibus ipſum interpellare, cùm jam quod ſuum erat præſtiterit? Convertantur potiùs ad homines noſtræ preces: rogemus eos, hortemur, inſtemus ut velint, quorum ſola voluntas expectatur. Verùm non ita S. Paulus, non ita Eccleſiæ conſuetudo nos inſtituunt. Orare nos Deum omnipotentem jubent pro ſalute hominum. Quare? niſi quia ab ipſius voluntate pendet ſalus hominum. „ Et ideò rogandus eſt ut velit, quia neceſſe eſt eſſe, ſi voluerit," ait S. Auguſtinus.

3°. Ab illa opinione abhorrere debemus, quæ Pelagianam impietatem apertè inſtaurat. Porro talis eſt Molinæ opinio de voluntate Dei conditionata & conſenſum creatæ voluntatis expectante. Nam in hoc ipſo ſitus fuit Pelagianorum & Semipelagianorum error à SS. Patribus tantoperè exagitatus, quòd circa ſalutem hominum indifferentem admitterent in Deo voluntatem, quæ hominum ſtudio vel ſocordiâ effectum habeat aut eo fruſtretur.

Reſpondent Pelagianos non in eo præciſè erraſſe, quòd generalem & conditionatam voluntatem in Deo admitterent, ſed in eis quæ huic doctrinæ admiſcebant. 1°. Quòd ita Deum omnes homines ſalvos fieri velle aſſererent, ſi ipſi vellent, ut hanc eorum voluntatem ſolis tribuerent liberi arbitrii viribus, ſine ulla gratiæ interioris neceſſitate. 2°. Quòd ſtatuerent ita Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint, ut hujuſmodi conditionem etiam in parvulis præmaturâ morte extinctis locum habere arbitrarentur, &, cùm in illis præſentem aſſignare

non

non poſſent voluntatem, ad futuram confugerent, quam Deus illos habituros prævidebat, ſi ad pleniorem ætatem perveniſſent.

Sed nullius roboris hæc ſunt. Nam alibi oſtendimus Pelagianos & Semipelagianos nunquam abhorruiſſe à gratia interiori, modò voluntatem ſuâpte virtute non determinet, ſed adjuvet ſolam poſſibilitatem, qualis eſt gratia ſufficiens Moliniana. Oſtendimus etiam non omnes Pelagianos aut Semipelagianos confugiſſe ad futura parvulorum, ſi diutiùs vixiſſent, peccata, multosque ex eis ſenſiſſe ideò quosdam infantes non eſſe baptiſmi ſalutisque participes, quia id cauſarum ſecundarum ordo non permittit; quæ eſt etiam Molinæ reſponſio.

Verùm eſto, quoniam adverſariis ſic placet: hoc omnibus Pelagianis fuerit commune, ut ſuæ de voluntate conditionata opinioni alios errores admiſcerent. Attendamus quid in ipſorum doctrina SS. Patres & Concilia reprehenderint. Nam ſi in hoc tantùm peccabant illi hæretici, quòd catholicam aſſertionem adjunctis erroribus corrumperent, debuerunt SS. Patres, confutatis erroribus, quod ſanum verumque ab illis dicebatur venerari & illibatum ſervare. Atqui SS. Patres non ſolùm adjectitios errores in Pelagianis eorumque reliquiis perſecuti ſunt, ſed etiam ipſum voluntatis conditionatæ, effectumque ſuum à conſenſu voluntatis humanæ expectantis, dogma, quod habent Moliniani cum Pelagianis commune, velut erroneum rejecerunt. Ergo iſtud dogma reverâ Pelagianiſmum ſapit.

4°. Ut autem SS. Patrum ac Conciliorum hac de re ſententia extra omnem dubitationem ponatur, ipſorum teſtimonia in medium proferenda ſunt.

S. Auguſtinus, Epiſt. 217, olim 107, *ad Vitalem*, cap. 5. n. 19: „ Quomodò dicitur, inquit, omnes homines gratiam fuiſſe accepturos, „ ſi non illi, quibus non donatur, eam ſuâ voluntate reſpuerent, quo- „ niam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, cùm multis non detur „ parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam „ voluntatem, & aliquando, cupientibus feſtinantibusque parentibus, „ miniſtris quoque volentibus & paratis, Deo nolente, non detur, „ cùm repentè, antequàm detur, expiret, pro quo, ut acciperet, cur- „ rebatur? Unde manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ „ veritati, non intelligere omnino quâ locutione ſit dictum quòd omnes „ homines vult Deus ſalvos fieri, cùm tam multi ſalvi non fiant, non „ quia ipſi, ſed quia Deus non vult; quod ſine ulla caligine manifeſ- „ tatur in parvulis." Contendit S. Doctor idem judicium de majoribus ac de parvulis ferri debere in præſenti negotio: & reverâ S. Paulus, cùm dicit Deum velle omnes homines ſalvos fieri, non excipit parvulos, qui inter omnes homines & ipſi numerantur. Atqui manifeſtiſſimum eſt Deum non habere erga parvulos, qui ſine baptiſmo demigrant, conditionatam voluntatem eos ſalvandi, ſi vel ipſi vel alii homines id ve-

Digitized by Google

velint, ut experientia demonſtrat. Ergo etiam quoad adultos admittenda non eſt in Deo talis voluntas.

Eamdem probationem validius adhuc urget lib. 4 *contra Julianum*, cap. 8. n. 42. „ Ponis, ait, Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis „ pulſantibus aperiri, qui *omnes homines vult ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire:* ut videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideò „ non omnes ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare; nolunt quærere, cùm Deus velit „ oſtendere; nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire. Sed hunc ſenſum „ veſtrum infantes illi ipſâ ſuâ taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulſant, immo, etiam cùm baptizantur, „ reclamant, reſpuunt, reluctantur, & accipiunt tamen, & inveniunt, „ & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, ubi ſit eis & æternitatis „ ſalus & agnitio veritatis, longè pluribus infantibus in iſtam gratiam „ non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire; quibus dicere non poteſt: volui & noluiſtis; „ quia, ſi voluiſſet, quis eorum, qui nondum habent voluntatis ſuæ „ arbitrium, voluntati ejus omnipotentiſſimæ reſtitiſſet?..... Si Deus „ vult omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, ſed „ ideò non veniunt, quia ipſi nolunt, cur tot millia parvulorum, qui, „ non percepto baptiſmate, moriuntur, non veniunt in regnum Dei, „ ubi certa eſt agnitio veritatis? Numquid aut homines non ſunt, ut „ non pertineant ad id quod ſcriptum eſt, *omnes homines?* Aut aliquis „ poterit dicere: Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt, qui nondum velle „ ſeu nolle iſta noverunt, quando nec ii, qui parvuli baptizantur atque „ moriuntur, & per illam gratiam ad agnitionem veritatis, quæ in „ regno Dei eſt certiſſima, veniunt, ideò veniunt quia ipſi renovari „ Chriſti baptiſmate voluerunt? Cùm ergo nec illi propterea non baptizentur, quia nolunt, nec iſti propterea baptizentur, quia volunt, „ cur Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, tam multos in regnum ſuum, ubi eſt certa veritatis „ agnitio, qui nullo ei reſiſtunt voluntatis arbitrio, patitur non venire?" Non poterat S. Auguſtinus conditionatæ voluntatis figmentum aut expreſſioribus verbis repellere, aut validiori argumento expugnare. Quaſi dicat: Concluditis ex verbis Apoſtoli Deum velle, quantum in ſe eſt, omnes homines ſalvos fieri, ideòque in his fieri, in illis non fieri quod vult, quia hi volunt, illi nolunt. Atqui hoc falſum eſſe infantes, qui utique pertinent ad omnes homines, ipſâ ſuâ taciturnitate eloquuntur, quandoquidem nec quia volunt ad baptiſmum perveniunt, nec quia nolunt baptiſmo privantur. Ergo abutimini verbis Apoſtoli, neque is eſt ipſius ſenſus quem vos aſſeritis.

S. Proſper, in Reſponſione ad 8am objectionem Gallorum, conditionatæ voluntatis dogma hâc ratione refellit, quòd, eo admiſſo, nullum

lit

ſit judiciorum Dei profundum, nulla inſcrutabilitas; & concludit illos omnes Deum velle ſalvos fieri, qui reipſâ ſalvantur per univerſos fines terræ. „ Si, inquit, circa univerſitatem humani generis ſalvandam & „ in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferens per omnia ſæcula „ aſſerenda eſt volunras Dei, ut uſquequaque neminem hominum „ prætermiſiſſe monſtretur, impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pul- „ ſatur. Quare enim in præteritis ſæculis dimiſerit Deus omnes gen- „ tes ingredi vias ſuas, quando Jacob elegit ſibi Dominus, & non fe- „ cit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis; & cur, „ qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei ſit, & quorum „ aliquando non miſertus eſt, nunc autem miſereatur,..... & quare, „ quod quærebat Iſraël, non eſt conſecutus, electio autem conſecuta „ eſt, cæteri verò excæcati ſunt, impoſſibile eſt comprehendere, & peri- „ culoſæ curioſitatis eſt quærere...... Cauſas verò operum & judicio- „ rum Dei qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert, quas „ tamen in parvulorum adoptione aut abdicatione non invenit, & diſ- „ penſationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari, profitetur „ ſibi ſcrutabilia judicia Dei & veſtigabiles vias ejus; & quod Doctor „ gentium Paulus non audebat adtingere, hic ſe exiſtimat reſeratum poſſe „ vulgare." Deinde, commemoratis textu Apoſtolico ſimulque pluri- mis veteris Teſtamenti promiſſionibus, de futura omnium gentium ad fi- dem Chriſti converſione: „ Quæ promiſſiones, inquit, quoniam veriſſi- „ mæ ſunt, nec poſſunt ulla ex parte nutare, in his implentur qui ſalvi „ fiunt per univerſos fines terræ, quoniam, quæ promiſit, potens eſt „ facere."

In carmine verò *adverſùs Ingratos*, cùm ſententiam Semipelagianorum expoſuiſſet his verbis, cap. 6:

> *Cùm ſine delectu ſeu lex, ſeu gratia Chriſti,*
> *Omnem hominem ſalvare velit, donumque vocantis*
> *Sic ſit propoſitum, ut nullus non poſſit ad illud*
> *Libertate ſuâ proprioque vigore venire,*
> *Sitque ſalus dignis ſalvari ex fonte volendi:*

Eam cap. 11 ſic inſectatur:

> *Dic unde probes quòd gratia Chriſti*
> *Nullum omnino hominem, de cunctis qui generantur,*
> *Prætereat, cui non regnum vitamque beatam*
> *Impertire velit? Nec enim vel tempore noſtro*
> *Omnibus in terris jam certum eſt inſinuatum*
> *Chriſti Evangelium.*

 Et

S. Fulgentius, lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 14: „ Verum eſt quidem, ait, quia, de illis qui ratione utuntur, qui volunt ſalvantur, & qui nolunt non ſalvantur; ſed illi, qui ſalvi fiunt, „ tunc ſalvari volunt, quando divinâ gratiâ præveniuntur ut velint, „ imò tunc ſalvari volunt, quando ipſum velle dono divinæ largitatis „ accipiunt...... In illis ergo, qui voluntariò ſalvantur, gratia divina „ operatur ut velint; in illis autem qui nolunt, humana duritia perſeverat ut nolint: quàm tamen duritiam homo non habebit, cùm Deus „ eam auferre voluerit. Sine difficultate quippe Deus poteſt implere „ quod voluerit, qui ait de quibusdam: *Auferam ab eis cor lapideum*, „ *& dabo eis carneum*.“ Admittit S. Doctor, & meritò, veritatem harum conditionalium: homines ſalvantur, ſi volunt: non ſalvantur, ſi nolunt. Sed non admittit in Deo voluntatem conditionatam, imò illam rejicit, eoquòd ipſa voluntas hominis præparetur à Domino. Enimverò voluntas conditionalis reſolvitur in abſolutam, quando conditio pendet à volente. At iſta conditio, ſi homines velint, pendet à Deo, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona ſua voluntate. Quamobrem vel Deus vult operari in homine bonam voluntatem, quâ ſalvatur, vel non vult. Si vult operari bonam voluntatem, hoc ipſo vult, non conditionatè, ſed abſolutè, hominem ſalvum fieri. Si non vult primum, utique nec ſecundum. Ezech. XXXVI. 26.

Synodus Præſulum Africanorum in Sardinia exulantium, cùm dixiſſent, cap. 14 Epiſtolæ ſuæ *de Gratia & libero arbitrio*, „ omnes prædeſtinatos ipſos eſſe quos Deus vult ſalvos fieri,“ ad excludendam voluntatem conditionatam addunt: „ Verum namque eſt quod de ſe „ teſtatus eſt Filius, quia *quos vult vivificat*, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat, ſed ipſam voluntatem bonam faciendo vivificat.“

Eccleſia Lugdunenſis, lib. 3 *de Tribus Epiſtolis*, cap. 12, refellit eos qui dicerent Deum velle, quantùm in ſe eſt, omnes homines ſalvos fieri, „ ſed, quia liberi arbitrii eos condidit, expectare ut hoc etiam ipſi „ velint; ut, ſi voluerint, juſtè ſalventur, ſi noluerint, juſtè puniantur:“ eos, inquam, refellit eoquòd ipſum velle à Deo donetur. „ Quomodò, inquit, omnipotens Deus eorum, quos vult ſalvos fieri, „ expectet voluntatem, ut ipſi ſcilicet propriâ arbitrii voluntate ſalvi „ eſſe velint, cùm velle fideliter ſalvum fieri ſit per redemptionem „ Domini Jeſu Chriſti?..... Quòd ſi falſum eſt, ſicut omnino falſum „ eſſe convincitur, quid cauſæ eſt ut Deus, qui vult omnes homines „ ſalvos fieri, non omnes ſalvet? Voluntatem eorum non expectat, „ quia voluntatem veræ ſalutis ſuæ nemo habere poteſt niſi per illum. „ An quod vult non poteſt omnipotens, ut, quod abſit, velit ſalvare „ omnes homines, nec poſſit? Quid ergo reſtat, niſi ut ille, qui omnia quæcunque voluit fecit, ideò hoc non faciat quia non nolit, non

„ quia non poſſit ?" Nimis diſertum eſt hoc teſtimonium quàm ut commentario egeat.

5°. Poſitâ in Deo circa ſalutem hominum voluntate conditionatâ, ab humano conſenſu ſuſpenſâ, ſequitur Deum propriè loquendo neminem velle ſalvum fieri. Vult quidem ut omnes poſſint ſalvari; optat ut mediis ſufficientibus ſibi munificè conceſſis ad ſalutem ſuam utantur; gaudet cùm bono gratiæ uſu ad ſalutem perveniunt. Sed in eo ſyſtemate non vult, ſimpliciter loquendo, quemquam ſalvare; ſiquidem reipſâ neminem ſalvat, ſed tantum omnes excitat atque adjuvat ut ſalvari poſſint, ſi velint, ipſum autem velle, in quo præcipuè ſalus conſiſtit, non operatur.

D. Languet. Epiſc. Sueſſion. Epiſt. 5 Paſtor. part. 2. §. 119, & Tournely, tract. de Attributis, tom. 2. pag. 367.

Objiciunt nonnullos è ſanctis Patribus, qui docent Deum velle omnium hominum ſalutem, ſed modò ipſi homines velint, ac præſertim Clementem Alexandrinum, lib. 7 Stromatum, pag. 702 (al. 505), dicentem Deum *perſuadere iis qui volunt:* S. Ambroſium, Serm. 8 in Pſalm. 118. n. 59. „ Docet Deus, inquit, & illuminat mentem ſingulorum,..... ſi tu „ aperias oſtia cordis tui, & cœleſtis gratiæ recipias claritatem:" S. Joannem Chryſoſtomum, Hom. 5 in Ep. 2 ad Theſſalon. „ Fidelis eſt „ Deus, inquit Apoſtolus, & promittens ſalutem dare, omnino dabit, „ ſed ut promiſit. Quomodò autem promiſit? Si velimus & eum audia- „ mus; non abſolutè, neque tanquam lignis & lapidibus otioſis:" S. Hieronymum, in Cap. LXIII Iſaïæ. „ Quare multi non ſunt ſalvati, ſi „ ipſe ſalvavit eos & dilexit? ..... Infertur cauſa perſpicua: *Ipſi autem* „ *non crediderunt, & exacerbaverunt Spiritum ſanctum ejus......* Voluit „ itaque Deus ſalvare cupientes,..... ſed illi credere noluerunt. Nec „ ſtatim in culpa eſt ſi plures credere noluerunt, ſed voluntas venientis „ hæc fuit, ut omnes crederent & ſalvarentur:" Joannem Damaſcenum, in *Dialogo contra Manichæos*, circa finem. „ Deus omnibus tum ut „ ſint, tum ut præclarè ſint præbet, ſolis nimirum inſtar bonitatis ſuæ „ radios ad omnia opera ſua diffundens...... Quocirca, ſi velimus & „ cupiamus, ipſius bonitatis participes erimus, atque in ſempiterna luce „ verſabimur:" Œcumenium, in cap. 2 Epiſt. 1 ad Timotheum. „ Si „ ergo Deus vult, quare non fit quod vult? Non fit, quia illi noluerunt:" Theophylactum in eumdem locum. „ Quare igitur, ait, non „ ſervati ſunt omnes? Quia nolunt."

Laudant etiam ex Latinis S. Auguſtinum, lib. *de Catechizandis rudibus*, cap. 26. „ A quo interitu," ait, hoc eſt, pœnis ſempiternis, „ Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, „ & non reſiſtant miſericordiæ creatoris ſui, miſit unigenitum Filium „ ſuum:" S. Fulgentium, lib. 1. *de Remiſſione peccatorum*, cap. 11. „ In hoc, inquit, præcepto conditionali Deus & præcepto utitur & „ promiſſo. Dicens quippe: ſi converſus fueris & ingemueris, ſalvus „ eris, oſtendit ex converſionis conditione promiſſionem ſalutis omni-

„ no-

„ no pendere. Hæc eſt igitur inter Deum & hominem conditio &c.“ Anſelmum Laudunenſem, in cap. 6 Matthæi, ad hæc verba, *fiat voluntas tua*, ſic loquentem: „ Cùm vellet pravos etiam ſalvare, ſi vellent, „ tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati:“ Bedam, in libro *Variarum Quæſtionum*, q. 13, in fine. „ Ita Deus nobis dona ſua pro- „ mittit, ut tamen labore noſtro acquirantur. Quòd ſi voluerimus, ad „ ſalutem in omnibus quæ agemus nobis cooperabitur:“ Remigium Lugdunenſem, qui fatetur, in libro *de Tribus Epiſtolis*, cap. 12, hunc ſenſum à multis antiquis Patribus fuiſſe traditum: denique S. Thomam, in 1 diſt. 46. q. 1. art. 1. „ Voluntas antecedens, ait, poteſt dici condi- „ tionata, non tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ, ſed „ ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis, quæ „ exiguntur ad rectum ordinem in ſalutem.“ Ergo, concludunt, ex SS. Patribus, admittenda eſt in Deo voluntas conditionata, propter humani arbitriii reſiſtentiam inefficax.

Reſpondeo nihil facilius eſſe quàm abuti hujuſcemodi teſtimoniis, quæ frequenter occurrunt, ſive apud græcos Patres, ſive etiam apud latinos; eis tamen, ſi rectè & juxta mentem SS. Patrum intelligantur, nihil exprimi quod non veriſſimum ſit, & cum ſtabilita à nobis doctrina non apprimè cohæreat. Nam, quæcunque hîc allegantur veterum dicta, ad tria capita revocari poſſunt, quibus cum omnibus Catholicis Theologis libentiſſimè ſubſcribimus. Primum eſt, eos qui non ſalvantur, ideò non ſalvari, quia nolunt. Nihil aliud dicunt S. Hieronymus, Œcumenius, Theophylactus. Hoc autem quis negat? Eſt quidem Deus, iis qui ſalvantur, ſalutis cauſa: at qui pereunt ſibimetipſis cauſa perditionis exiſtunt; non enim, quia Deus non vult, idcirco non ſalvantur, ſed quia nolunt. Secundum eſt, omnes qui ſeriò volunt ſalvari, ſuæque ſaluti impigram dare operam, indubitanter ſalvari: quod non modò veriſſimum eſt, ſed etiam fidelibus aſſiduè inculcandum, exemplo Apoſtoli ſic loquentis, 1 Cor. XV: *Stabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Non enim ſegnes & otioſi, ſed pervigiles & divinis mandatis inhærentes vitam æternam conſequemur. Quid aliud dicunt Clemens Alexandrinus, Joannes Chryſoſtomus, Joannes Damaſcenus, Auguſtinus, Beda, Anſelmus Laudunenſis? Verùm, quoniam præparatur voluntas à Domino, qui operatur in nobis & velle, ſedulò admonendi ſunt fideles ut bonam voluntatem à Deo continuis precibus petant, &, quando volunt & agunt bonum, ei, cujus Spiritu aguntur, gratias agant. Exprimitur ergo à SS. Patribns veritas conditionata, ſed non inſinuatur in Deo voluntas conditionata, cujus effectus à libero hominis arbitrio pendeat. Tertium eſt, eâ tantùm lege & conditione nobis promiſſam eſſe à Deo vitam æternam, ſi ad ipſum convertamur & mandata ejus faciamus. Ita S. Chryſoſtomus, Fulgentius,

 Beda

Beda. Porro nemo neſcit duplex promiſſionum genus in Scripturis contineri: alias conditionatas, quæ ad legem pertinent, ut: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: ſi converſus fueris & ingemueris, ſalvus eris:* alias abſolutas, quæ novum teſtamentum ſignificant, & quibus ipſa conditio, cui ſalus alligatur, hominibus à Deo promittitur: v. g. *Dabo vobis cor novum, & faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & mandata mea cuſtodiatis & operemini.* Primum genus, de quo hîc agitur, exprimit veritatem conditionatam, non verò voluntatem conditionatam, quæ ſit formaliter in Deo, ſalvandi omnes homines, modò ipſi velint. Nam vel Deus decrevit dare alicui bonam voluntatem efficacem, quâ mandata impleantur, vel decrevit non dare. Si decrevit dare, jam non conditionatè, ſed abſolutè vult illum hominem ſalvum fieri: ſi verò non decrevit dare, nullomodò vult, voluntate formali & propriè dictâ, eum ſalvari, cui conditionem, ſine qua ſalus non acquiritur, impertiri non vult. Nec dicas promiſſionem Dei illuſoriam eſſe, ſi, quod Deus ſub conditione promittit, non ſub eadem conditione velit: nam ut promiſſio conditionata non ſit illuſoria, ſatis eſt quod Deus abſoluto decreto propoſuerit vitam æternam iis omnibus concedere, qui bonum perſeveranter tenuerint. Quartum denique eſt, Deum paratum eſſe gratiam & ſalutem omnibus dare, ac reipſâ daturum, ſi ipſi homines obicem non ponerent, quod ultro fatemur. Hoc unum docent S. Ambroſius Damaſcenus, Anſelmus Laudunenſis & S. Thomas. Cùm autem dicit Anſelmus malos contradicere divinæ voluntati, intellige voluntatem ſigni, vel antecedentem, quam tantùm eminenter Deo ineſſe oſtendimus ſupra. Hanc voluntatem appellat S. Thomas conditionatam, quia bonitas divina, in quantùm omnes homines, ſi non indignos ſeſe præberent, ſalvos faceret, reverâ æquivalet voluntati conditionatæ, quæ in ipſa eminenter, ut dixi, continetur. Cæterùm quàm alienus fuerit Angelicus Doctor ab admittenda in Deo voluntate conditionata propriè dicta, quæ effectum ſuum à creatæ libertatis conſenſu expectet, monſtrare ſuperfluum eſt.

Quod ſpectat S. Remigium Lugdunenſem, fatetur quidem multos è SS. Patribus dixiſſe Deum velle omnes homines ſalvos fieri, modò ipſi velint, ſed addit hoc dictum recipi non poſſe eo ſenſu (à mente SS. Patrum remotiſſimo), quòd Deus expectet eorum, quos vult ſalvos fieri, voluntatem. „ Quomodò enim, inquit, in tali ſenſu Pelagianus error „ non habet victoriam?“

Articulus Quartus.

An de fide ſit, aut veritati conſentaneum, Deum velle omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri.

De fide hoc eſſe affirmarunt non tantùm aliqui è ſchola Molinæ privati Theologi, ſed etiam nonnulli Præſules Jeſuitis addictiſſimi: Illuſtr. D'Aubigré, dum Novioduni eſſet Epiſcopus, in Mandato adverſus Inſtitutiones Theologicas P. Juenin, 22 Marr. 1708: Illuſtr. Deſmarets Carnotenſis, in Documento ejuſdem anni contra dictum auctorem: Illuſtr. Claromontenſis & Sanflorenſis, in Mandato communi contra eumdem Theologum, anni 1711: Illuſtr. Vapincenſis, in Documento ejuſdem anni, & Illuſtr. Lucionenſis & Rupellenſis in Mandato communi, dato 15 Julii 1710, & ab Eminentiſſimo Noallio Archiepiſcopo Pariſienſi, unà cum Vapincenſi Mandato, in ſua diœceſi prohibito.

Sed aliter ſentiunt vulgò plerique Theologi, etiam Societatis, docentque cum Eminent. Biſſio Epiſcopo Meldenſi, in Mandatis 16 Aprilis 1710 & 30 Martii 1712, non eſſe de fide Deum velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri; quàmvis alioqui iſtam doctrinam tradant tanquam veriſſimam ac fidei proximam. Hos inter Honoratus Tournely, in ſuo tractatu de Attributis, contendit „ verum eſſe, piam, catholi- Tom. 2. p. 323.
„ cam & fidei proximam ſententiam, Deum, ſuppoſito etiam peccato
„ originali, verè ac ſincerè velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri:“ Pag. 360.
quod intelligit de vera, reali, formali & beneplaciti voluntate.

Majoris perſpicuitatis gratiâ, obſervandum eſt duplicem eſſe poſſe præſentis controverſiæ ſenſum. Vel enim ſenſus quæſtionis eſt an ſit in Deo formalis & propriè dicta voluntas ſalutis omnium hominum, quæ ſuo effectu fruſtretur: vel quæritur præciſè an de fide ſit Deum velle omnes & ſingulos homines, nullo excepto, ſalvos fieri, abſtrahendo ab altera quæſtione, quomodò nempe id velit, voluntate propriè dictâ, an impropriè dictâ. Controverſiam utroque modo conſiderabimus duplici Propoſitione.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

Accipiendo hanc vocem, velle, *pro voluntate formali & propriè dicta*, *& iſtam*, omnes homines, *pro omnibus & ſingulis*, *non modò non eſt de fide*, *ſed etiam à veritate alienum eſt Deum hoc ſenſu velle omnes homines ſalvos fieri.*

NAM ea ſententia non eſt veritati conſentanea, nedum ſit de fide, quam expreſſè rejecerunt omnes Eccleſiæ Doctores, qui de gratia divinisque decretis ex inſtituto tractaverunt. Atqui talem eſſe ſententiam modò expoſitam demonſtrant aperta SS. Patrum teſtimonia.

*S. Auguſtini mentem declarant quæ ex ipſius ſcriptis paſſim retulimus, atque illud imprimis quod ait in Enchiridio, cap. 103. n. 27, textum Apoſtoli, *qui vult omnes* &c, quocunque alio, quàm ipſe expoſuerat, modo intelligi poſſe, ſed eâ tantum lege, ut non admittatur in Deo voluntas propriè dicta, quæ ſuo fruſtretur effectu. „ Dum tamen, inquit, „ credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluiſſe „ fieri, factumque non eſſe; qui ſine ullis ambiguitatibus, ſi *in cœlo & „ in terra*, ſicut eum veritas cantat, *omnia quæcunque voluit fecit*, „ profectò facere noluit quodcunque non fecit.“ Igitur, ex S. Doctore, velut erronea rejicienda eſt quævis interpretatio textûs Apoſtolici, ex qua ſequeretur Deum aliquid velle quod non fiat. Atqui hoc incommodum habet ſententia quam refellimus: admittit quippe in Deo formalem & propriè dictam voluntatem, quæ non impletur.

Hinc Petavius, quàmvis doceat Deum velle omnes generaliter ſalvos fieri, ingenuè tamen fatetur S. Auguſtinum in contraria opinione fuiſſe. „ Auguſtinus, inquit lib. IX Dogmatum Theologicorum, cap. 15. n. 2, „ expreſſè ac diſertè negat Deum omnes omnino ſalvos eſſe velle, „ ſed eos ſolos aſſerit velle, quos ex æterno prædeſtinavit.“ Et num. 3: „ Quocirca, ex mente illius, aſſeverandum eſt reprobis in maſſa damnabili derelictis Deum auxilia quædam gratiæ velle concedere, ſine „ dandæ gloriæ voluntate.“

Idem dicendum eſſe de S. Proſpero & S. Fulgentio fidiſſimis B. Auguſtini diſcipulis, probant evidentiſſima ipſorum teſtimonia, partim jam relata, partim mox referenda.

Nono ſæculo S. Prudentius, motâ circa hoc caput gravi controverſiâ, non aliter conſentire voluit ordinationi Æneæ in Epiſcopum Pariſienſem, niſi „ ille crederet atque confiteretur Deum omnipotentem quos„ cunque vult ſalvare, & neminem poſſe ſalvari ullatenus, niſi quem „ ip-

Digitized by Google

„ ipſe ſalvaverit; omnes autem ſalvari, quoscunque ipſe ſalvare vo-
„ luerit: ac per hoc, quicunque non ſalvantur, penitus non eſſe vo-
„ luntatis illius ut ſalventur, dicente Propheta: *Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Sic loquebatur in *Tractoria ad Concilium Senonenſe*, quam à concilio approbatam & ab Ænea ſubſcriptam hinc veriſimile eſt, quòd Prudentius inter eos recenſeatur, qui Æneæ conſecrationi conſenſerunt.

Inter recentiores P. Macedo, ex Jeſuita Franciſcanus, ut alios ſileam, in *Cortina D. Auguſtini*, quam ſcripſit anno 1641, theſi 14, aſſerit „ Deum non habuiſſe voluntatem generalem inefficacem erga
„ omnes homines.“ Et in fine theſis 15: „ Cui nullum Deus, ait, auxi-
„ lium gratiæ dedit, erga eum nullum omnino actum voluntatis, vel
„ inefficacis, habuit.“ Idem affirmat in alio libro cui titulus: *Mens divinitùs inſpirata S. P. D. N. Innocentio Papæ X ſuper quinque Propoſitiones Cornelii Janſenii*, concl. 14, ubi pro ſua ſententia laudat Gregorium Ariminenſem, quem appellat fidiſſimum Auguſtini interpretem & aſſeclam, Eſtium, Alvarem, aliosque Theologos.

Momenta verò, quibus hanc doctrinam adſtruunt SS. Patres, hæc potiſſimùm ſunt:

1um. Quòd omnis voluntas Dei propriè dicta ſemper impletur & nunquam eſt inefficax: unde concludunt Deum nullatenus velle formali & propriè dictâ voluntate quodcunque non facit. Ita argumentatur S. Auguſtinus in Enchiridio, cap. 97 & 98, atque alibi paſſim.

S. Proſper in carmine adverſùs Ingratos, cap. 23:

Jam pande quid hoc ſit,
Quòd bonus omnipotensque Deus non omnia ſubdit
Corda ſibi, pariterque omnes jubet eſſe fideles?
Nam ſi nemo usquam eſt quem non velit eſſe redemptum,
Haud dubiè impletur quidquid vult ſumma poteſtas.
Non omnes autem ſalvantur, magnaque pars eſt
Quæ ſedet in tenebris mortis, nec vivificatur.

S. Fulgentius, lib. 2 *de Remiſſione peccatorum*, cap. 2: „ Hi (prædeſtinati), inquit, „ procul dubio ſunt omnes, quos, ſecundùm B.
„ Pauli præconium, Deus vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis
„ venire. Quia enim ille hoc vult, qui omnia quæ voluit fecit, quod
„ vult ſemper inſuperabiliter facit. Hoc utique in eis impletur, quod
„ omnipotentis Dei voluntas incommutabilis & inſuperabilis habet:
„ cujus ſicut mutari voluntas non poteſt in diſpoſitione, ita nec pro-
„ hibetur, nec impeditur poteſtas in opere.“

S. Prudentius, cap. 4 Epiſt. *ad Hincmarum & Pardulum*: „ Si igi-
„ tur, ait, omnes homines vult ſalvos fieri, cur non omnes vivificat

Digitized by Google

„ qui quos vult vivificat?..... Si igitur omnia quæcunque voluit fe-
„ cit, & omnes homines vult ſalvos fieri, ergo quod non fecit noluit,
„ & quos non ſalvat, ſalvare non vult, occultiſſimo quidem, altiſſi-
„ mo, incomprehenſibili, inviтuperabilique judicio, ſed prorſus juſtiſ-
„ ſimo."

Mitto alios benè multos Patres, quorum planè unanimi conſenſu probatum eſt ſupra omnem Dei voluntatem propriè dictam ſemper impleri. Quid namque inde ſequitur, niſi Deum non velle propriè dictâ voluntate omnes homines ſalvari, quandoquidem non omnes ſalvantur?

Secundum momentum eſt, quòd pleriſque hominibus Deus ea media non ſuppeditat, ſine quibus ſalvi fieri non poſſunt. Sanè ſi Deus habet formalem & propriè dictam voluntatem ſalvandi omnes homines, nullus hominum eſſe debet, cui non dentur media ad ſalutem aſſequendam ſufficientiſſima; neque id inficiabuntur Theologi contra quos hîc agitur, ſiquidem ex voluntate omnes ſalvandi, quam admittunt in Deo, concludunt gratias ſufficientes omnibus hominibus largâ manu diſtribui. Atqui auctoritas & evidentia miro concentu demonſtrant non dari omnibus hominibus media planè neceſſaria ad ſalutem.

Nam 1°. quid magis neceſſarium ad ſalutem, maximè infantibus, quàm ſacramentum baptiſmi, quo ſolo renovari poſſunt? Quid verò manifeſtius quàm Deum non velle ut omnes infantes baptizentur, illi præſertim qui, parentibus ad Eccleſiam feſtinantibus ac paratis miniſtris, ſubitò expirant? „ Quod multò eſt mirabilius, inquit S. Auguſtinus, lib 6 *contra Julianum*, cap. 14. num. 43, „ aliquando adoptat (Deus)
„ in filium quem format in utero immundiſſimæ feminæ, & aliquan-
„ do NON VULT eſſe ſuum filium quem format in utero ſuæ filiæ.
„ Ille enim ad baptiſmum neſcio quâ proviſione pervenit; ille repen-
„ tinâ morte non pervenit. Atque ita Deus, IN CUJUS POTESTATE
„ SUNT OMNIA, facit eſſe in Chriſti conſortio quem formavit in dia-
„ boli domicilio, & NON VULT eſſe in regno ſuo quem formavit in
„ templo ſuo. Aut ſi vult, cur non facit quod vult? Non enim,
„ quod ſoletis de majoribus dicere, Deus vult & parvulus non vult.
„ Certè hîc, ubi fati nulla eſt immobilitas, nulla fortunæ temeritas,
„ nulla perſonæ dignitas, quid reſtat, niſi miſericordiæ veritatiſque
„ profunditas?" Num recurrent ad naturæ leges, quæ parvulos, antequàm baptizentur, repentè mori cogunt? Quaſi verò aliud ſint naturæ leges, quàm voluntas creatoris omnia ſigillatim diſponentis, ut nihil velut fortuitò contingat, *nullaque* ſit *fortunæ temeritas*.

Quamobrem Vasquez voluntatis generalis fervidiſſimus alioqui aſſertor, diſertè negat, in 1 part. S Thomæ, diſp. 15. cap. 6, & diſp. 96. cap. 1, Deum velle infantes, qui baptiſmi expertes ex hac vita decedunt, ſalvos fieri, aut eis ſufficientia ad ſalutem auxilia concedere; obſervatque nullum fuiſſe ad ſuam usque ætatem Theologum, qui pro-

pugnaſ-

pugnaſſet illis parvulis, qui in utero materno moriuntur, ſufficientia proviſa fuiſſe remedia. Huic adde Cardinalem Sfondratum, qui in *Nodo prædeſtinationis diſſoluto*, part. 1. ſect. 1. n. 4, ſic loquitur: „ Fatendum eſt, quia nunquam parvulis ante baptiſmum ſublatis Deus „ æternam vitam voluit, iſtos ad alium finem claſſemque providentiæ „ pertinere.“

Porro ſi infantes, qui ante baptiſmum rapiuntur, non vult Deus ſalvos fieri, nec de fide eſt, nec verum, Deum velle propriè dictâ voluntate omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri.

2°. Nemo ſine fide Chriſti ad ſalutem pervenire poteſt, ut fides docet & Lib. III probatum fuit. Atqui neque fides datur omnibus hominibus, neque medium abſolutè neceſſarium ad fidem, ſcilicet Evangelii prædicatio. Quomodò autem eos Deus ſalvos fieri vult formali voluntate, quibus fidem, quâ ſolâ pervenitur ad ſalutem, impertiri non vult? „ Ubi ergo eſt, ait S. Proſper, Epiſtolæ ad Rufinum cap. 13, „ illud quod nobis quaſi contrarium à non intelligentibus ſemper opponitur, quòd Deus *vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire?* Numquid non ſunt de omnibus hominibus, qui, à „ præteritis generationibus uſque ad hoc tempus, ſine Dei cognitione perierunt?“ Eodem argumento utitur in carmine adverſus Ingratos, cap. 11.

Idipſum B. Fulgentius urget eo robore eâque evidentiâ veritatis, ut addi nihil poſſit, lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 10. „ Cùm, inquit, Salvator noſter dixerit: *Nemo novit Filium niſi Pater*, Matth. XI. 27.
„ *neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare* „ (quod utique dicens oſtendit ſe quibuſdam revelare velle, quibuſdam „ nolle), dicatur quomodò ſalvos fieri velit, quibus Patrem ſuum & „ ſeipſum revelare noluerit? Oſtenditur quippe in Evangelio quibuſdam „ in parabolis ſic locutus, ut verba ſua vellet audiri, nec vellet intelligi...... *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, illis autem non* Matth. XIII. 1.
„ *eſt datum......* Si ergo generaliter omnes homines vult Deus ſalvos Marc. IV. 11.
„ fieri & ad agnitionem veritatis venire, quid eſt quòd ipſa veritas qui Luc. VIII. 10.
„ buſdam myſterium ſuæ agnitionis occultat? Et utique, quibus ſuam „ denegat agnitionem, denegat & ſalutem: in hoc enim homines ſalvi „ fiunt, in quo ad agnitionem veritatis perveniunt.“

Capite ſequenti, propoſitâ reſponſione dicentium propter duritiam cordis Judæorum noluiſſe Chriſtum ſeſe illis revelare, ſubdit eos fateri ſaltem debere Chriſtum illos non velle ſalvos fieri, quibus, propter duritiam cordis ipſorum, ſui cognitionem impertiri non vult. Deinde ſic pergit: „ Quomodò quibuſdam dare noluit noſſe myſterium regni cælorum, qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire? Quandoquidem ſi omnes omnino vult, neminem utique „ non vult; & ſi omnes vult ad agnitionem ſuam venire, omnibus

 „ de-

„ debet myſterium ſuæ agnitionis oſtendere. Sed quibudſam ipſum „ myſterium noſſe non dedit. Quale fuit ergo & velle ſalvare, & nolle myſterium ſalutis oſtendere? Quale fuit, quæſo, ſi veritas voluit „ ut ad agnitionem ejus omnes homines venirent, & eis noluit oſtendere quà venirent? ..... Sed Apoſtolus mentiri non potuit, qui dixit „ quia *vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* „ Sed nec Evangeliſtæ mentiti ſunt, qui dixerunt ipſum Dominum „ diſcipulis dediſſe, aliis non dediſſe noſſe myſterium regni cœlorum; „ & utique illis, quia dare voluit, dedit, illis autem, quia dare „ noluit, non dedit: & quia iſtis propterea dedit ut ſalvi fierent, „ agnoſcitur aliis ideò non dediſſe, ne fierent. Iſtos ergo ſalvos fieri „ voluit, quibus noſſe myſterium ſalutis dedit; illos autem noluit, „ quibus ſalutaris myſterii notitiam denegavit. Nam ſi utroſque ſalvos fieri voluiſſet, utriſque agnitionem ſalutaris myſterii contuliſſet.“ Quâ arte, quibus machinis tam ſolidæ, tam acutæ argumentationis acies obtundi, aut ictus eludi poſſit, prorſus latet.

3°. Non ſolùm non datur omnibus hominibus audire Evangelium Chriſti, ſed eiam illis interdum negatur, qui, eo audito conſpectiſque miraculis, crederent & digna pœnitentiæ opera ederent. Conſtat id imprimis exemplo Tyriorum & Sidoniorum, quos Chriſtus ipſe affirmat, Matth. XI. 21. patratis apud eos, quæ Corozaïn & Bethſaïdæ facta ſunt, miraculis, credituros & in cilicio & cinere pœnitentiam acturos. Cur ergo Deus, ſi formalem habet voluntatem ſalvandi omnes homines, noluit ea ſigna tot hominibus oſtendere, quæ ſi vidiſſent, credidiſſent & ſalvi fuiſſent?

Hoc exemplo multoties uſi ſunt SS. Patres, ut illud ipſum quod tuemur aſſererent.

S. Proſper, in Reſponſipne ad 8um Excerptum Genuenſium: „ De Tyriis, inquit, & Sidoniis quid aliud poſſumus dicere, quàm non eſſe „ eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuiſſe ipſa veritas dicit, „ ſi talia, qualia apud non credentes facta ſunt, virtutum ſigna vidiſſent? Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant, ſi poſſunt, qui „ calumniantur, & oſtendant cur apud eos Dominus mirabilia, quibus „ non erant profutura, fecerit, & apud eos, quibus erant profutura, non „ fecerit.“ Nonne, ſi formalem habebat Deus Tyrios ſalvandi voluntatem, id eis procurare debuit, ſine quo ſalvi eſſe non poterant, & quod ſi eis datum eſſet, profeciſſent ad ſalutem?

Petrus Diaconus ejuſque focii idem argumentum proponunt his verbis, in Epiſtola ad Præſules Africanos, cap. 7: „ Dicant, ſi poſſunt, qui hoc divinæ juſtitiæ & bonitati contrarium æſtimant, „ cur is, *qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, tam multas virtutes fecit in Corozaïn & Bethzaïda, & „ nullam harum in Tyro & Sidone facere voluit, ubi *ſi facta fuiſſent*, „ ſicut ipſe teſtatur, *forſitan in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent:*

„ aut

„ aut cur in Aſia & Bithynia Apoſtolum vetuit verbum ſalutis annun- Art. XVI. §.
„ tiare. Quod ſi iſta nequeunt comprehendi, redeant ad ſe, & inve-
„ nientes ſe homines, deſinant quærere cur alios ſalvet gratuito do-
„ no, alios derelinquat juſto & occulto judicio, hoc eſt, cur alios ſalvari
„ velit, alios nolit."

S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 10. n. 24, laudato, ad probandam gratuitam prædeſtinationem, eodem Evangelii loco, refert quemdam diſputatorem Catholicum non ignobilem ſic expoſuiſſe eum locum, ut diceret præſciſſe Deum Tyrios & Sidonios à fide fuiſſe poſteà receſſuros, cùm factis apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordiâ potiùs non illic eum iſta feciſſe, quoniam graviori pœnæ obnoxii fierent, ſi fidem quam tenuerant reliquiſſent, quàm ſi eam nullo tempore tenuiſſent. Verùm, ut non dicam illam conjecturam nullo fundamento inniti, neque eſſe probabile tot homines, acceptâ fide & condignâ factâ pœnitentiâ, à Chriſto receſſuros fuiſſe, ſaltem ſi Deus eos volebat ſalvos fieri, debebat & virtutes, quibus viſis credidiſſent, apud eos facere, & eosdem, antequàm fidem desererent, hujus vitæ periculis ſubtrahere. Nam „ ſi dicatur, inquit ibidem S. Doctor: Cur non factum eſt
„ ut crederent potiùs, & hoc eis præſtaretur, ut, antequàm fidem re-
„ linquerent, ex hac vita migrarent? quid reſponderi poſſit ignoro."

4°. Conſtat multos peccatores, in pœnam præteritorum criminum, excæcari & obdurari à Deo, hoc eſt, privari auxiliis gratiæ ad reſipiſcendum neceſſariis. Atqui nullo pacto conciliari poteſt cum voluntate aliquem excæcandi & indurandi formalis & propriè dicta voluntas eumdem ſalvandi, ut præclarè oſtendit auctor *Hypognoſticon*, lib. 6. cap. 8.
„ Quæro à vobis, inquit, ut dicatis quare Deus, qui *vult omnes ho-*
„ *mines ſalvos fieri*, quorumdam, ut dicit Iſaias Propheta, excæcat
„ oculos, ne videant, & obdurat cor, ne intelligant, ne convertantur
„ & ſanentur? Quod verum eſſe Evangeliſta Joannes confirmat, dicens
„ de Judæis: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias:*
„ *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant ocu-*
„ *lis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Dicite
„ igitur quare Deus, qui acceptor perſonarum non eſt, & omnes ho-
„ mines vult ſalvos fieri, aliorum corda reſerat ad credendum, oculos
„ illuminat ad videndum & ad ſciendum myſterium regni cœlorum,
„ quo ſcilicet ſalvi fieri poſſint; aliorum verò, ut lectionis textu præ-
„ dixi, involvens in parabolis veritatem, obtundit cor, excæcat ocu-
„ los, claudit aures, ne Evangelium ſalutis agnoſcant, ne remiſſionem
„ accipiant peccatorum? Dicite, quæſo, qualiter hæc verba Evangelica
„ accipitis. Dicite quid hic de Deo, qui vult omnes homines ſalvos
„ fieri, ſentitis."

Quid pluribus opus eſt? Fatentur plerique adverſariorum præſentem controverſiam in aliam incidere, quâ diſputatur an omnibus homi-

 ni-

nibus dentur ſufficientia gratiæ auxilia, admittique non poſſe in Deo voluntatem propriè dictam ſalvandi omnes homines, ſi gratia, ſine qua nemo ſalvatur, non omnibus detur. Atqui latè probavimus Libro ſuperiore gratiam non omnibus hominibus dari. Ergo admitti non debet in Deo formalis & propriè dicta voluntas ſalvandi omnes homines.

Duo tantùm addam. Hoc primum fide certum eſt, Deum poſſe omnes homines ſalvos facere, ſi velit, & media ei non deeſſe, quibus ſingulos homines, ſalvâ earum libertate, ad juſtitiam vitamque beatam poſſit perducere; aliàs non eſſet omnipotens. Quod ergo facere, ſi voluerit, facillimè poteſt, quare non facit, niſi quia non vult? Si autem ideò non omnes ſalvat, quia non vult, quomodò verè, propriè ac formaliter, velle dicitur quod reipſâ nolle convincitur? „ Poſſet etiam „ ipſorum (malorum) voluntatem in bonum convertere, quia omni- „ potens eſt: poſſet planè, ait S. Auguſtinus, lib. XI *de Geneſi ad litt.* cap. 10. n. 13. „ Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluit? „ Penes ipſum eſt; debemus enim non plus ſapere quàm oportet ſa- „ pere."

2um. Etiamſi concederemus omnibus hominibus dari gratiam Moliniano ſenſu ſufficientem, non continuò admittenda foret in Deo voluntas propriè dicta ſalvandi omnes homines. Vel enim penitus neganda eſt cum Pelagianis & Semipelagianis diſcretio electorum à reprobis, quem errorem apertiſſimis Scripturarum oraculis, SS. Patrum ſententiis & Conciliorum definitionibus toto hoc Libro proſcripſimus: vel confugiendum ad Congruiſtarum ſyſtema, dicendumque cum Suare Deum electis quidem gratiæ ſuæ auxilia eo tempore & loco ex gratuita & ſpeciali bonitate conferre, quibus eos conſenſurros & ſalutem ſuam operaturos præſcivit; reprobis verò, quos à regno cœleſti excludere decrevit, gratiæ beneficia tunc & ibi tribuere, quando & ubi eos reſtituros prænovit. Atqui hoc ſyſtemate defendi nullo pacto poteſt Deum velle realiter & propriè omnes homines ſalvos fieri. Vult quidem ut poſſint ſalvari, ſi voluerint, ſed minimè vult ut reipſâ ſalventur. Nam qui, exploratis omnibus poſſibilibus rerum ordinibus, pleroſque homines in eo circumſtantiarum ordine collocat, in quo eos peccaturos & à ſalute defecturos prænoſcit, ideòque collocat quia abſoluto decreto vult illos reprobare, ille profectò non vult poſitivâ ac reali voluntate omnes homines ſalvos fieri. Quid enim fingi poteſt magis repugnans, quàm ſincerè velle quidpiam evenire, & ſimul fixo & deliberato conſilio ſic omnia diſponere, ut non eveniat?

Denique ſi qua eſſet in Deo formalis & poſitiva voluntas ſalvandi omnes homiues, certè voluntas antecedens; nam voluntatem ſigni metaphoricam eſſe omnes conſentiunt. Atqui oſtenſum eſt ſupra voluntatem, quæ dicitur antecedens, in Deo non eſſe formaliter, ſed eminenter tantùm, nec quidpiam operari, niſi voluntas conſequens ſeu abſo-

Digitized by Google

ſoluta ei adjungatur. Ergo non eſt in Deo formalis & poſitiva voluntas ſalvandi omnes homines.

OBJICIES 1° nonnulla Scripturæ teſtimonia, quibus ſingularis Dei in omnes homines benignitas & effuſa pro eorum ſalute voluntas commendatur. Ezech. XXXVI. 11: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur à via ſua & vivat.* 2 Petri, III. 9: *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Matth. XXIII. 37: *Quoties*, ait Chriſtus ad Jeruſalem, *volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Solvuntur objectiones.

Respondeo ad textum Ezechielis Deum reipſâ nolle mortem impii, tum quia non amat peccatum, *non enim Deus volens iniquitatem tu es*, ait Propheta Regius pſalm. 5; tum quia non, ſicut ad benefaciendum, ſic etiam ad puniendum ac damnandum ex ſeipſo determinatur, ſed peccatorum iniquitate, quam ipſe non fecit, ſed permiſit tantùm, quodammodo cogitur: unde punitio malorum appellatur in Scripturis *peregrinum opus* ejus, alienum opus ejus ab eo, & apud Oſeam dicitur: *perditio tua, Israël.* 2°. Eisdem verbis declaratur tantam eſſe bonitatem Dei ut paratus ſit etiam perditiſſimos peccatores paterno ſinu recipere, ſi ad ipſum corde contrito & humiliato, ſicut filius ille prodigus, convertantur & redeant. Declaratur etiam non per Deum ſtare, ſed per ſolam hominis duritiam, quòd, Deo interiùs vel exteriùs invitante & exhortante ut vivat, converti & vivere nolit. Non verò ſignificatur Deum poſitivâ & formali voluntate velle omnes peccatores converti; ſi enim id reipſâ vellet omnipotens, omnes utique converteret.

Eodem ſenſu exponi poteſt quod ait S. Petrus, *Deum nolle aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, quanquam poſſint etiam iſta verba de omnibus electis intelligi. Exponit quippe ibi Apoſtolus cur Deus judicii diem, in quo ſancti remunerandi ſunt, differre videatur; dicitque non adventuram illam diem, donec omnes electi ad pœnitentiam adducti ſint. *Non tardat Deus*, inquit, *promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos*, quos ab æterno prædeſtinavit, *nolens aliquos perire &c.* Iſta explicatio eſt S. Fulgentii, lib. 2 *de Remiſſione peccatorum*, cap. 2. „ Cùm, inquit, Petrus Apoſtolus dicit quia Deus *patienter fert, nolens aliquem perire, ſed omnes in pœnitentiam reverti*, non ſic accipiamus *omnes* dictos, tanquam nullus ſit qui congruè pœnitentiam non ſit acturus; ſed illos omnes accipere debemus, quibus ſic Deus pœnitentiam hîc donat, ut etiam perſeverantiam donet.“

Chriſti verba, Matth. XXIII: *Quoties volui* &c, frequenter in ore habebant Pelagiani, eaque ſic exponebant: volui ex mea parte vos congregare, ſed noluiſtis ex veſtra. Unde concludebat Julianus, lib. 1 *Op. imperf.* cap. 93, *intentionem divinam voluntate humanâ impeditam fuiſſe.* Verùm illam explicationem, velut divinæ omnipotentiæ injurio-

rioſam, procul rejicit S. Auguſtinus, ac dicit Jeruſalem ſic, Deo permittente, noluiſſe filios ſuos à Chriſto colligi, ut Chriſtus, ipſâ nolente, quoſcunque voluit collegerit. „ Ignoſcendum eſt, ait ibidem, „ quia in re multùm abdita ut homo falleris. Abſit ut impediatur ab „ homine omnipotentis & cuncta præſcientis intentio. Parum de re tan„ ta cogitant, vel ei excogitandæ non ſufficiunt, qui putant Deum om„ nipotentem aliquid velle, &, homine infirmo impediente, non poſſe. „ Sicut certum eſt Jeruſalem ab illo filios ſuos colligi noluiſſe, ita cer„ tum eſt ipſum, etiam eâ nolente, quoſcunque eorum voluit collegiſ„ ſe.“ Et in Enchiridio, cap. 97, cùm eadem Chriſti verba ſibi oppoſuiſſet: „ Ubi eſt, inquit, illa omnipotentia, quâ in *cœlo & in* „ *terra omnia quæcunque voluit fecit*, ſi colligere filios Jeruſalem voluit, „ & non fecit? An potiùs illa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, „ ſed, eâ quoque nolente, filios ejus collegit ipſe quos voluit, quia „ in cœlo & in terra non quædam, quæ voluit, fecit, quædam verò vo„ luit & non fecit, ſed omnia quæcunque voluit fecit?“ Magiſtrum ſequitur B. Fulgentius loco mox laudato. „ Hoc dixit Chriſtus, inquit hunc textum explicans, „ ut illius (Jeruſalem) malam voluntatem „ oſtenderet, quia inſuperabili voluntati divinæ fruſtra reſiſtere niteba„ tur, cùm bona voluntas Dei nec ab eis poſſit vinci quos deſerit, nec „ aliquid non poſſit operari quod velit. Illa igitur Jeruſalem, quan„ tùm ad ejus attinet voluntatem, ſuos filios ad Salvatorem congregari „ noluit; ſed tamen ille omnes quos voluit congregavit: ac per hoc illa „ reſiſtere voluit omnipotenti, nec valuit, quia Deus, qui, ſicut ſcrip„ tum eſt, *omnia quæcunque voluit fecit*, quoſcunque voluit ad ſe gra„ tuitâ juſtificatione convertit.“ Eadem eſt Magiſtri Sententiarum, Petri Pictavienſis aliorumque veterum Scholaſticorum reſponſio.

Aliâ etiam ratione probat Eſtius, in 1. diſt. 46. §. 5, hæc verba non poſſe ſignificare velleitatem quamdam, quæ formaliter ſit in Deo, nempe quòd talis velleitas, ſi eſſet in Deo, continua eſſet, non interrupta: unde non eſſet dicendum: *quoties volui?* hoc eſt, ſæpè volui, ſed, ſemper volui.

Sunt qui dicta verba intelligunt de voluntate humana Chriſti, non illa quidem abſoluta, quæ divinæ ſemper conformis nunquam non impletur, ſed optativa, quæ ſolet appellari à Theologis voluntas *ut natura;* ita ut ſenſus ſit: Quoties, naturali amore & affectu miſericordiæ commotus, deſideravi filiorum tuorum congregationem? Sicut enim naturaliter dolebat & miſerebatur ſuper eorum interitu, ſic naturaliter deſiderabat eorum ſalutem. Verùm huic expoſitioni, aliàs ſatis commodæ, repugnat, ait Eſtius loco citato, quod ait Chriſtus: *quoties volui?* & quod præmiſerat: *Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt.* „ Per hoc enim, ut & Hieronymus (Comment. in hunc locum) „ obſervavit, ſignificat Prophetas omnium

„ ſa-

„ ſuperiorum temporum à ſe fuiſſe miſſos, atque ita ſe multoties vo-
„ luiſſe congregare filios Jeruſalem, non tantùm eo tempore quo in
„ carne verſabatur, ſed jam olim tempore Prophetarum. Atqui tunc
„ non potuit voluiſſe humanâ voluntate, quia naturam humanam non-
„ dum aſſumperat: unde & Patres non ſolent uti hâc Scripturâ ad
„ probandam humanam Chriſti voluntatem."

Duas alias explicationes profert Eſtius ibidem, quas maximè probabiles non immeritò exiſtimat. Una eſt Chriſtum ac Deum „ colligere „ filios Jeruſalem voluiſſe, non in ſe, ſed in iis Prophetis & ſanctis „ hominibus, quos miſerat & velle fecerat, ut ſit ſenſus: quoties iis, „ quos ad te miſi, Sacerdotibus & Prophetis, aliiſque juſtis, ſanctum „ deſiderium tuæ ſalutis inſpiravi, &, ut pro filiorum tuorum conver- „ ſione laborarent, feci! At tu pios eorum conatus & vota ſemper „ fruſtrata es." Hæc interpretatio eſt S. Hilarii, in Matthæum, cap. 24. n. 11. „ Quàmvis corporeus hæc loquatur, ... frequenter tamen „ congregare eos voluit prædicationibus Prophetarum. Sed fruſtra „ hunc impendit affectum & incaſſùm."

Altera eſt, „ ut ſignificetur voluntas ſigni, conſiſtens in præceptis, „ exhortationibus, correptionibus, miraculis, ſacris inſtitutis, aliiſ- „ que mediis & auxiliis ad ſalutem opportunis, quæ per Moyſen alioſ- „ que Prophetas illi populo fuerint a Deo ſubminiſtrata; quæ tamen „ omnia populus ingratus & in peccatis obduratus rejecerit atque con- „ tempſerit." His duobus modis exponi illud quoque debet, quod, Ezech. XXIV, Dominus ſimili cum exprobratione dicit ad eamdem civitatem: *Mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.*

Inſtabis. Apoſtolus, 1 Tim. II, jubet nos orare pro omnibus hominibus, adeòque velle ſalutem omnium hominum, quia *hoc acceptum eſt coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri.* Tenemur autem voluntatem noſtram conformare voluntati divinæ. Ergo Deus reverâ vult omnium ſalutem.

Reſpondeo nos teneri quidem conformare voluntatem noſtram voluntati ſigni, quæ per præcepta nobis innoteſcit; non autem voluntati beneplaciti, quæ ante eventum plerùmque nos latet. Debet filius velle ac petere conſervationem patris ſui, idque faciendo præceptis Dei obtemperat, etiamſi velit Deus patrem illius mori, cui voluntati, ſtatim atque cognoſcitur, non obedientia propriè, ſed ſubmiſſio debetur. Vide S. Auguſtinum in *Enchiridio*, cap. 101. Porro jubet nos Deus orare pro ſalute omnium hominum. Ergo id velle debemus, etiamſi nobis incertum ſit quos Deus ad ſalutem elegerit. „ Etſi enim non ſemper „ teneatur homo velle quod Deus vult, ait S. Thomas, 2. 2. q. 104. art. 4. ad 3, „ ſemper tamen tenetur velle quod Deus vult, hoc eſt, ju- „ bet eum velle; & hoc homini præcipuè innoteſcit per præceptum „ divinum."

Cæterùm cùm ſancti, Deo revelante, cognoſcant non omnes homines Deum prædeſtinaſſe ad gloriam, velle & orare non debent ut omnes homines conjunctim, nullo excepto, ſalvi fiant, quod divinis decretis adverſaretur; ſed hoc ſenſu optant ſalutem omnium hominum, quòd neminem à ſua oratione excluſum velint, quia de nullius reprobatione certi ſunt in hac vita.

Objicies 2°. S. Auguſtinus agnovit in Deo voluntatem generalem circa ſalutem omnium hominum. In libro quippe *de Spiritu & littera*, cap. 33. n. 58, ſic loquitur: „ Vult autem Deus omnes homines ſalvos „ fieri & ad agnitionem veritatis venire, non ſic tamen ut eis adimat „ liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes juſtiſſimè judicen„ tur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, „ cùm ejus evangelio non credunt: non ideò tamen eam vincunt, „ verum ſeipſos privant magno & ſummo bono, malisque pœnalibus „ implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis „ miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt: „ vinceretur autem, ſi non inveniret quid de contemptoribus faceret, „ aut ullo modo poſſent evadere quod de talibus ille conſtituit. Qui „ enim dicit, verbi gratiâ: volo ut hi omnes ſervi mei operentur in „ vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita ut, quisquis eo„ rum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat: videtur quidem, quicun„ que contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere, ſed tunc eam „ vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit, quod nullomodò fieri „ poteſt ſub Dei poteſtate.“ His verbis, inquiunt, docet S. Auguſtinus Deum velle omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri, hancque voluntatem, tametſi non vincatur, inefficacem eſſe reſpectu ſalutis, quia non talis eſt ut liberum arbitrium hominibus adimat, quo malè uti poſſunt.

Reſpondeo nihil eſſe hoc in teſtimonio, quo plurimùm gloriantur adverſarii, quod ipſis vel tantillùm faveat. Agitat eo loci S. Doctor iſtam quæſtionem, „ utrùm voluntas illa, quâ credimus, etiam ipſa „ Dei donum ſit, an ex illo naturaliter inſito libero adhibeatur arbi„ trio:“ expoſitisque hinc & inde difficultatibus, iſtâ imprimis: „ Si „ dono Dei (voluntas illa nobis eſt), quare non omnibus, cùm „ omnes homines velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?“ unam ſolutionem proponit his verbis: „ Videamus utrùm huic ſatisfa„ ciat quæſtioni, quòd liberum arbitrium, naturaliter attributum à crea„ tore animæ rationali, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, „ vel inclinari ad infidelitatem poteſt; & ideò nec iſtam voluntatem, „ quâ credit Deo, dici poteſt homo habere, quam non acceperit, quan„ doquidem, vocante Deo, ſurgit de libero arbitrio quod naturaliter, „ cum crearetur, accepit.“ Deinde immediatè ſequuntur quæ mox in objectione relata ſunt, nempe Deum, volendo omnes homines ſalvos

fieri,

fieri, non eis adimere liberum arbitrium, quo fidem ſuſcipere vel reſpuere poſſunt, remunerandi, ſi ſuſceperint, juſtiſſimè puniendi, ſi reſpuerint. Demum, capite ſequenti, n. 60, diſputationem illam ſic terminat: „ Hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat."

Ex his patet 1° S. Auguſtinum non propoſuiſſe illam ſolutionem ut ſufficientem. Et certè fides non erit ſufficienter donum Dei, ſi ideò præciſè attribuatur Deo, quia, Deo vocante, ſive exteriùs, ſive interiùs, ſurgit ex libero arbitrio quod homini à Deo attributum eſt. Quid verò colligi poteſt ex eo loco, quem ſolvendæ quæſtioni inſufficientem eſſe auctor ipſe inſinuat?

Patet 2° textum Apoſtoli incidenter ibi laudari, & nullatenus explicari. Ait tantùm S. Auguſtinus Deum ſic velle omnes homines ſalvos fieri, ut eis non adimat liberum arbitrium. Hoc autem quis neget? Sed quomodò, ſi Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & cordium quò voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam habet facilitatem, non omnes homines ſalvantur? Hoc S. Doctor non explicat, imò non attingit eo loci. Quid verò abſurdius quàm alicujus auctoris mentem inde explicari velle, ubi non eam explicat, potiùs quàm ex locis plurimis, ubi eam ex profeſſo exponit, & contra hæreticorum argumenta validiſſimè & apertiſſimè tuetur?

Patet 3° voluntatem generalem, quam ibi admittere videtur S. Auguſtinus, non eſſe voluntatem propriè dictam ſeu beneplaciti, ſed voluntatem ſigni vel ordinis, quâ ſub interminatione gehennæ præcipitur hominibus ut ſuam ſalutem operentur. Nam voluntas beneplaciti duos caracteres habet, qui voluntati hoc loco commemoratæ non conveniunt. Primus eſt quòd ſemper impleatur, ut S. Doctor in omnibus ſuis operibus conſtanter aſſerit, probatque pſalmo 135: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit.* Alter quòd objectum habeat unicum & determinatum; alioquin non impleretur, cùm produci vel exiſtere nihil niſi determinatum poſſit. E contrario voluntas generalis hìc inſinuata 1° quidem non impletur, cùm contra illam faciant infideles. 2°. Non habet objectum unicum & determinatum, ſed geminum & cum disjunctione apprehenſum: hoc eſt, eâ voluntate non ſimpliciter vult Deus omnes homines ſalvos fieri, ſed vult disjunctivè ut homines ſalutem ſuam operentur, vel, ſi non faciunt, ut puniantur; eaque cauſa eſt cur infideles, cùm nolunt credere, Dei voluntatem non vincant, quam tamen vel ex parte vincerent, ſi Deus determinatè vellet eos credere.

SECUNDA PROPOSITIO.

Quàmvis veræ ac ſolidæ ſint interpretationes aliquorum Patrum & antiquiorum Theologorum, qui ſentiunt Deum velle omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri, intelligendo voluntatem ſigni & metaphoricam, aut antecedentem, quæ in Deo ſit tantùm eminenter: quàmvis etiam fundamentum, cui hæ interpretationes innituntur, ad fidem pertineat, ipſæ tamen per ſe interpretationes non ſunt de fide, ſed ſcholarum libertati relinquuntur.

QUIN veræ ac ſolidæ ſint illæ interpretationes, nullus eſt, poſt illa quæ Articulo II dicta ſunt, dubitandi locus.

Quòd autem fundamentum, cui illæ innituntur, ad fidem pertineat, adeò manifeſtum eſt ut probatione non indigeat. Nam de fide eſt Deum omnibus præcipere ut ſalutem ſuam bonis operibus operentur, & ſanctis inſpirare pium illum caritatis affectum, quo pro ſalute omnium hominum deprecentur ac ſolliciti ſint. De fide eſt etiam nullum hominem eſſe, cui non dentur à Deo aliqua beneficia, aut merè naturalia, aut etiam ſupernaturalia, quibus ordinetur ad ſalutem, illiusque aſſequendæ capax ſit. Poſtremò de fide eſt ſummam eſſe in Deo bonitatem, quæ neminem ſalvari volentem à ſalute repellit, omnesque paternâ pietate ſuſciperet, ſi non ipſi propriâ ſponte ab ipſo averterentur ac recederent. Atqui hæc SS. Patribus ac Theologis fuerunt fundamenta, ut dicerent Deum velle omnes homines ſalvos fieri, aut voluntate ſigni, in quantùm facit nonnulla quæ ſolent eſſe in hominibus ſigna voluntatis, aut voluntate antecedente, ſive ad mentem Scholaſticorum XIII ſæculi, ſive ad mentem S. Thomæ. Ergo fundamenta harum opinionum certiſſima ſunt, atque ad fidem pertinent.

Verùm iſtæ opiniones, quanquam veræ, non ſunt tamen de fide, cùm & ſcholaſticis vocabulis exprimantur, & in præciſionibus metaphyſicis ferè conſiſtant, & nullo Eccleſiæ judicio definitæ ſint, & ab ipſiſmet auctoribus, tanquam liberæ & extra fidem, magna cum modeſtia ſemper propoſitæ fuerint.

S. Auguſtinus, allatis tribus expoſitionibus, quarum duæ textum Apoſtoli reſtringunt ad ſolos electos, tertia illum extendit generaliter ad omnes homines, ſed verbum *velle* explicat de voluntate metaphorica, cuicuique permittit quam ex eis voluerit eligere, imò *quocunque alio modo* dictum Apoſtoli intelligere, dummodò non credatur Deum aliquid velle propriè dictâ voluntate, quod non fiat. Num hoc modo lo-

locutus eſſet S. Doctor, ſi eos ſenſus, quibus omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri velle Deus dicitur, ad fidem pertinere exiſtimaſſet?

2°. Auctor librorum de Vocatione gentium, qui ſtudioſiſſimè præ cæteris Patribus in id incubuit, ut oſtenderet Deum aliquo ſenſu velle omnes homines ſine ulla exceptione ſalvos fieri, propter communia quædam beneficia toti hominum generi conceſſa, quibus ſi benè uterentur, ad ſalutem certò pervenirent, ſuam tamen explicationem, non ut fidei dogma, ſed tantum ut pium ac probabilem, & fidei non repugnantem ſenſum, proponit. Scopum ſuum his verbis exponit lib. 1. cap. 1: „ De „ hac compugnantia opinionum quâ menſurâ & temperantiâ ſentiendum „ ſit, quantum Dominus adjuverit, adnitar inquirere, exercens atque „ diſcutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo ſobriè, „ quantum arbitror, inhæſerunt: ut ſi in eas regulas proceſſerit ſty- „ lus, quæ nihil offenſionis, nihil habeant pravitatis, non ſolùm no- „ bis, ſed & aliis utile ſit ad aliquem nos limitem perveniſſe, quem „ non debeamus excedere.“ Non ergo id ſibi propoſuit, ut voluntatem ſalvandi generaliter omnes homines tanquam aliquod catholicum dogma defenderet, ſed ut, quod circa illam quæſtionem probabile arbitrabatur & ſobriè ſentiebat, id, ſalvo gratuitæ prædeſtinationis dogmate, elucidare conaretur. Deinde, lib. 2. cap. 23, ſententiam ſuam magno cum moderamine proponit. „ Non irreligioſè, inquit, arbi- „ tror credi, neque inconvenienter intelligi &c.“ Et cap. 25: „ Sive „ igitur noviſſima contemplemur ſæcula, ſive prima, ſive media, ratio- „ nabiliter & piè creditur omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſem- „ perque voluiſſe.“ Quare? An quòd Eccleſiæ fides hoc præſcribebat credendum? Minimè: ſed propter argumentationem humanam in generalibus providentiæ divinæ beneficiis fundatam, ut patet ex verbis immediatè ſequentibus, quæ ſunt hujuſmodi: „ Et hoc non aliunde „ monſtratur, quàm de iis beneficiis, quæ providentia Dei univerſis „ generationibus communiter atque indifferenter impendit.“

3°. Cùm Hincmarus, in conventu Cariſiaco anni 853, à quibuſdam Epiſcopis furtim approbari feciſſet hoc capitulum: *Deus omnipotens omnes ſine exceptione vult ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur*, concilium Valentinum id vehementer improbavit, & quàmvis ipſum articulum damnare noluerit ut falſum, tamen, ut ſuperfluum, noxium & pro fidei dogmate temerè aſſertum, reprehendit.

S. Remigius Lugdunenſis, etſi à generaliori ſenſu, quo Deus omnes homines dicitur velle ſalvos fieri bonitate creatoris, modò probè intelligatur, non abhorreret, non potuit tamen quin Hincmari, legem ea de re præſcribentis, agendi rationem velut tyrannicam argueret. Relatis quippe S. Auguſtini explicationibus, quas valde approbat, nec non pio, ut appellat, aliorum quorumdam Patrum ſenſu, quem non reſpuit, modo voluntati divinæ ſua ſtet omnipotentia & efficacia, addit liberum

 uni-

unicuique eſſe debere, quem ex his magis probaverit, ſenſum eligere. „ Quæ omnia, inquit, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 13, „ cum tam obſcura ſint & tam profunda atque perplexa, nollemus inter fratres & cariſſimos noſtros aliquid de his contentioſè ventilari vel temerè definiri, ſed potiùs quod in eis certum eſt ſine dubitatione defendi; quod autem etiam inter magnos, diverſo modo, ſed non diverſâ pietate ſentientes, ambiguum atque incertum manſit, etiam apud nos & reverenter honorari, quia neutrum eorum videtur eſſe falſum vel fidei contrarium; & magis in talibus inquietos & contentioſos ad tranquillitatis & ſobrietatis modeſtiam provocari, quàm pro inuſitatis & non elucentibus rebus aliquem immoderatâ auſteritate ac ſeveritate damnari.“ Hinc, cap. 24, Hincmarum graviter redarguit, quòd Gotteſchalcum, S. Auguſtini ab omni ſemper Eccleſia venerabiliter recepti, & usque in finem ſæculi recipiendi explicationibus adhærentem, atque in ejus perſona Auguſtinum ipſum, damnaſſet.

In libro quoque *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 12, multis probat quàm injuſtè idem Hincmarus omnes adigere vellet, ad amplectendam ſuam in textum Apoſtoli interpretationem. „ Ecce, ait, aliquis ſentiat & dicat, ſicut etiam antiquitùs & ſenſum & dictum eſt: non dixit Apoſtolus univerſaliter & generaliter, &, ut iſti addiderunt, ſine exceptione: *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, ſed...... quod dixit, *omnes*, omnia genera hominum intelligi voluit...... Quid habet hæc intelligentia inconſequens, aut contrarium veritati? Item alius dicat & ſentiat, ſicut etiam à quibusdam majoribus dictum & ſenſum reperitur: Apoſtolus...... generaliter de univerſo genere humano ſubjunxit: *qui vult omnes homines ſalvos fieri:* quid habet mali aut periculi etiam iſta intelligentia? Neque enim, qui ita ſentit, putat voluntati Dei, quâ vult omnes homines ſalvos fieri, aliquem reſiſtere vel contraire, ut non poſſit implere quod velit: & ambo ſibi, & iſte videlicet & ille, licet diverſa ſentientes, fideliter atque unanimiter concordant, quòd, quolibet modo dixerit Apoſtolus de Deo, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, tamen nullus hominum niſi gratuitâ ejus miſericordiâ ſalvetur, nullus niſi juſto ejus judicio perire permittatur. Certè illud in hac quæſtione manifeſtum eſt, quòd, etiamſi generaliter & indifferenter omnes homines Deus vult ſalvos fieri, in aliorum tamen cordibus benignitate miſericordiæ ſuæ ipſe operatur eamdem bonam voluntatem ſuam, ut & ipſi ſalvari velint atque ſalventur,..... in aliorum autem cordibus, ſeveritate juſti & occulti judicii ſui, non operatur hanc ſalutarem voluntatem; ſed dimittit eos ſuo arbitrio, ut, quia noluerunt credere, juſtâ ultione damnentur.“ His verbis, quibus ſapientius nihil dici poteſt aut moderatius, Eccleſia Lugdunenſis docet 1° tenenda eſſe imprimis dogmata gratuitæ prædeſtinationis, nec non efficaciæ voluntatis divinæ, cui

cui nemo reſiſtit aut contrait. 2°. Salvis his dogmatibus, piè dici poſſe Deum velle omnes homines ſalvos fieri, bonitate ſcilicet creatoris. 3°. Id tamen non pertinere ad fidem, nec quemquam, ſi aliter ſentiat & loquatur, pro hæretico habendum eſſe.

4°. Si à SS. Patribus ad Theologos tranſeamus, patebit eos ſpecialem ſalvandi electos voluntatem, tanquam fidei dogma, unanimi conſenſu imprimis aſſeruiſſe, & S. Auguſtini explicationes approbaſſe: deinde alios ſenſus generaliores, pro ſuo quemque captu & ingenio, excogitaſſe, ſed non aliter quàm ut opiniones merè ſcholaſticas & à fide alienas. Quidam ab eis penitus abſtinuerunt, ut Robertus Pullus: alii etiam eas rejecerunt, ut Gregorius Ariminenſis, qui Theologorum ſui temporis de voluntate antecedente ſententiam refeliendam cenſuit: nullus opinionem ſuam pro fidei dogmate aſſeruit, ut teſtatur poſt maturum examen P. Franciſcus Gêvres, Benedictinus & Subprior Abbatiæ S. Remigii Remenſis, in Defenſione Arnaldina, lib. 1. cap. 1. „ Ex antiquioribus „ Theologis, inquit, qui voluntatem Dei de omnium & ſingulorum „ ſalute generalem velut dogma fidei tueatur, reperi neminem.“

Articulus Quintus.

An ſaltem de fide ſit Deum velle ſalutem omnium & ſingulorum fidelium juſtificatorum?

Eminent. Biſſius, in Mandatis annorum 1710 & 1712, Illuſtr. Languet Sueſſionenſis Epiſcopus, in multis Epiſtolis & Documentis Paſtoralibus, docent catholicum eſſe dogma, omnes & ſingulos fideles ſalvos fieri Deum velle voluntate antecedente, quæ ſit formalis & propriè dicta voluntas.

Idem tuetur Honoratus Tournely in ſuo tractatu *de Deo & divinis attributis*, ubi hanc ſtatuit concluſionem: „ Certâ fide tenendum eſt „ Deum, verâ, internâ & formali voluntate, alios velle ſalvos fieri „ quàm prædeſtinatos, & Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis mortuum „ ac ſanguinis ſui pretium Deo Patri obtuliſſe, ſed etiam pro aliis, „ ſaltem fidelibus, qui per baptismum gratiam juſtificantem ſeu ſanctificantem adepti ſunt.“

Non ſolùm illi, ſed & Illuſtr. ac doctiſſimus Boſſuetus, in Juſtificatione libri *Reflexionum Moralium*, §. 16, ait, Deum velle ſalvare omnes fideles juſtificatos, rem eſſe ab Eccleſia definitam in concilio Tridentino & per Conſtitutionem Innocentii X.

Boſſueti ſententiam ac penè verba ſecuti ſunt auctores Explicationum Conſtitutionis *Unigenitus*, quas vulgò appellant *Corpus doctrinæ*, anno 1720 publicatarum. Sic enim loquuntur art. 3: „ Oportet agnoſcere „ voluntatem ſalvandi omnes homines juſtificatos, ut expreſſè definitam

„ ab

Digitized by Google

„ ab Eccleſia Catholica. Debet etiam dici Chriſtus, qui Salvator eſt „ omnium hominum, ſpeciali modo eſſe Salvator omnium fidelium. „ Unde oſtenditur quanta cum ratione quinta Janſenii Propoſitio damnata ſit, ut hæretica, impia & blaſphema, intellecta eo ſenſu quòd „ Chriſtus mortuus ſit pro ſalute ſolorum prædeſtinatorum: *entendue dans ce ſens, que J. C. eſt mort pour le ſalut des ſeuls prédeſtinés.* (Sic illi gallicè reddunt Conſtitutionis verba, quæ ſic habent: *& intellectam eo ſenſu, quòd Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, ut hæreticam &c.* Quod non ſignificat Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute aliorum quàm prædeſtinatorum, ſed Chriſtum non pro ſalute tantùm prædeſtinatorum mortuum eſſe, ſed etiam pro juſtificandis & ad fidem adducendis multis hominibus qui ad ſalutem non perveniunt). „Nullus ergo fidelium eſt, pergunt ii auctores, qui non firmâ fide credere debeat Deum velle ipſum ſalvare, & Chriſtum pro ipſius ſalute „ ſanguinem ſuum fudiſſe, & conſequenter ipſi dediſſe gratias neceſſarias „ ut poſſit ſe ſalvare."

Credendum eſt Boſſuetum, tam doctum Præſulem, nihil aliud voluiſſe, niſi Deum concedere omnibus juſtificatis gratias, quæ jus eis tribuunt ad regnum cœlorum, ſimulque poſſibilitatem ad illud perveniendi, ut facilè conjici poteſt ex eo quòd nitatur præſertim auctoritate concilii Tridentini & Conſtitutione Innocentii X, in quibus nihil omnino reperitur circa voluntatem Dei, ſed tantùm circa gratias juſtis datas, quibus obſervatio mandatorum ipſis poſſibilis eſt.

Pleroſque Epiſcopos, à quibus Corpus doctrinæ approbatum eſt, in eadem ſententia fuiſſe, nec aliud pronuntiare ut fidei dogma voluiſſe, niſi Deum velle ut omnes juſti ſalvari poſſint, ſuadent ultima textûs allati verba. „ Nullus eſt fidelium qui credere non debeat Chriſtum „ ipſi dediſſe gratias neceſſarias, ut ſalvare ſe poſſit." Nam ſi unusquisque fidelis firmâ fide credere debet Deum velle, non ſolùm ut ſalvari poſſit, ſed etiam ut reipſâ ſalvetur, credere conſequenter debet datas eſſe ſibi gratias neceſſarias, non ſolùm ut poſſit ſalvari, ſed etiam ut reipſâ ſalvetur. Cùm ergo Præſules non dicant fideles credere firmâ fide debere datas ſibi eſſe gratias neceſſarias ut reipſâ ſalventur, ſed tantùm gratias neceſſarias ut ſalvare ſe poſſint, probabiliſſimum eſt nihil aliud definire illos intendiſſe, niſi Deum velle ut fidelibus juſtificatis ſalus ſit peculiari modo poſſibilis.

Attamen, ut hæc Præſulum mens fuerit, fatendum eſt articuli verba alium ſenſum præ ſe ferre.

Ut verò ad rem ipſam veniatur, ac vera à falſis, & dogmata fidei à ſcholæ opinionibus ſecernantur:

Dico primò, ſi voluntatis nomine intelligatur voluntas formalis & propriè dicta, adeò non eſſe de fide Deum hoc ſenſu velle ſalutem omnium fidelium, ut error reputandus ſit. Nam omnis voluntas Dei propriè

priè dicta ſemper impletur: non omnes autem fideles ſalvantur. Hinc explicationes S. Auguſtini, ab omnibus deinceps Patribus ac Theologis receptæ, textum Apoſtoli de voluntate propriè dicta acceptum ad ſolos reſtringunt prædeſtinatos.

Dico 2° de fide eſſe Deum voluntate abſolutâ concedere omnibus fidelibus juſtificatis gratias, quæ & regno cœlorum dignos illos efficiunt, & veram ac ſupernaturalem potentiam eis præſtant, ad ſalutem, ſi velint, ſibi comparandam; nempe gratiam ipſam ſanctificantem, & auxilia actualia, quæ, pro modo gratiæ ſanctificantis, majora vel minora, crebriùs vel minùs crebrò ipſis dantur: proinde eſſe de fide Deum velle ſalutem omnibus juſtis eſſe poſſibilem. Verum, ſicut hæc duo inſigniter differunt, poſſe ſalvari, & reipſâ ſalvari, ita aliud eſt Deum velle ut omnes juſti ſalvari poſſint, aliud Deum velle ut reipſâ ſalventur. Primum eſt de fide, non alterum.

Dico 3° voluntatem ſigni & antecedentem majori cum fundamento attribui Deo reſpectu ſalutis omnium juſtificatorum, quàm reſpectu ſalutis aliorum hominum à fide & juſtitia alienorum. Nam ubi plures ſunt divinæ bonitatis effectus, plura beneficia, eaque majora & propinquiùs ac immediatiùs ordinata ad ſalutem, ibi, ſecundùm noſtrum cogitandi & loquendi modum, majus fundamentum eſt attribuendi Deo voluntatem ſalvandi. Atqui manifeſtum eſt plura, & majora, & ſaluti viciniora beneficia conferri à Deo omnibus juſtificatis fidelibus, quàm infidelibus: primò ipſam fidem, quæ eſt humanæ ſalutis initium; deinde ſpem & caritatem, cæteraſque virtutes quæ filios Dei conſtituunt. Ergo, humano loquendi more, rectè dici poteſt Deus velle ſpecialiori quâdam ratione ſalutem omnium juſtorum omniumque fidelium.

Dico 4° non idcirco eſſe de fide Deum velle, voluntate antecedente, omnes fideles aut omnes juſtos ſalvos fieri. Cur enim potiùs de fide eſſet Deum antecedenter velle ſalutem omnium juſtorum, quàm de fide ſit ipſum velle ſalutem omnium hominum? Ad quodlibet catholicum dogma duo requiruntur, expreſſa revelatio in Scripturis vel in perpetua Traditione contenta, & definitio Eccleſiæ. Atqui utrumque hic deſideratur. 1°. Nulla eſt expreſſa hac de re revelatio, neque in Scriptura, neque in Traditione; ſiquidem textum Apoſtoli vel de ſolis prædeſtinatis explicant SS. Patres, vel alii extendunt generaliter ad omnes homines, quos Deus bonitate creatoris velit ſalvos fieri, ut ſupra explicatum eſt. 2°. Nullum quoque produci poteſt Eccleſiæ judicium, quo definiatur Deum velle ſalutem omnium juſtorum. Tantùm adducuntur in medium rationes theologicæ aut metaphyſicæ abſtractiones, quæ, ut bonæ ac ſolidæ ſint, minimè ſufficiunt ad dogma fidei conſtituendum.

Propterea multi hac in materia decipiuntur, quòd non ſatis diſcernant inter voluntatem abſolutam & conſequentem dandi quædam media ex ſeſe relata ad ſalutem, & voluntatem antecedentem dandi ſalutem ipſam.

 Deum

Deum velle dare ac reipſâ dare omnibus juſtis gratiam ſanctificantem, quâ jus habent ad cœleſtem hæreditatem, dogma eſt certiſſimum & à concilio Tridentino definitum; eaque voluntas propriè dicta, abſoluta & efficax, Theologis fundamentum præbuit imaginandi in Deo voluntatem ipſius ſalutis antecedentem. Sed non idcirco una eſt atque eadem voluntas. Nam profectò aliter vult Deus juſtis non prædeſtinatis juſtitiam donare, quam reipſâ illis dat; aliter dicitur velle eosdem ſalvare, cùm tamen non ſalvet. Primum vult formaliter & abſolutè; non item alterum. Proinde, ex eo quòd de fide ſit Deum omnibus juſtis dare velle media ad ſalutem ordinata, non ſequitur eſſe pariter de fide Deum omnes juſtificatos ſalvare velle.

Quomodò iſta conſecutio ad fidem pertineat, cùm eam, intellectam ſaltem de voluntate quæ ſit formaliter in Deo, expreſſè negaverit S. Auguſtinus, teſte ipſomet Petavio, cujus hæc verba ſunt, tom. 1 *Dogmatum Theolog.* lib. 9. cap. 15. n. 3: „ Ex mente illius (Auguſtini) „ aſſeverandum eſt reprobis in maſſa damnabili derelictis Deum auxilia „ quædam gratiæ velle concedere, ſine dandæ gloriæ voluntate?"

Objiciunt 1°. S. Paulus, 1 Tim. IV. 10, ait: *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Ergo de fide eſt Deum velle peculiari modo ſalutem omnium fidelium.

Reſpondeo cum Eſtio, in hunc locum, germanum ſenſum eſſe quem reddiderunt Chryſoſtomus, Œcumenius, Ambroſianus, Anſelmus, Primaſius, Beda, S. Thomas & alii plerique interpretes, ut Deus omnium hominum Salvator dicatur, quia dat omnibus aliquam ſalutem, vitam ſcilicet temporalem & multa ejus vitæ bona omnibus communia, quæ non aliunde quàm à Deo auctore proficiſcuntur, *maximè* verò & propriè *fidelium*, quia dat eis bona ſpiritualia veramque ſalutem, vel æternùm poſſidendam, ſi de numero ſint prædeſtinatorum, vel ſaltem ad tempus, ſi inde non ſint. Utramque ſalutem diſtinguit ſimiliter Propheta Regius, pſalmo 35, unam jumentis æquè ac hominibus communem, alteram juſtis ac præcipuè electis propriam. *Homines*, inquit, *& jumenta ſalvabis, Domine: filii autem hominum inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ.* Congruit hic ſenſus contextui Apoſtolico. Dixerat enim nos ſperare in Deum vivum, utique expectando ab eo & bona temporalia, & ſpiritualia ac æterna, hoc eſt, *promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*, ut verſu 8 dixerat. Ad hanc ergo fidem ſtabiliendam, declarat Deum æqualiter auctorem eſſe & vitæ corporalis, quæ datur omnibus hominibus, & ſpiritualis, quæ non datur niſi fidelibus.

Biſſi, Languet, Tournely, tom. 2 de Attributis, pag. 383.

Objiciunt 2°. Concilium Tridentinum iis qui baptizantur, & juſtificantem obtinent gratiam, proponit tanquam finem ſeu objectum juſtificationis vitam æternam, variaſque ab illis prævias diſpoſitiones exigit, ſeſſ. 6. cap. 6, inter quas hæ ſunt: „ ut credant quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt,..... fidentes Deum ſibi per Chriſtum propitium

„ fore,

„ fore, juxta illud quod ſcriptum eſt: accedentem ad Deum credere „ oportet quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.“ Et cap. 7 ait „ juſtificationis cauſam finalem eſſe gratiam Dei & Chriſti, ac vitam „ æternam.“ Et paulò poſt: „Hanc fidem ante baptiſmi ſacramentum, „ ex Apoſtolorum traditione, catechumeni ab Eccleſia petunt, cùm pe- „ tunt fidem vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe & caritate fides „ præſtare non poteſt.“ Docet hîc ſynodus Tridentina, inquiunt, eos qui ad ſacramentum baptiſmi accedunt, credere debere vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt. Revelata autem eſt ac promiſſa vita æterna omnibus qui credunt in Deum. Ergo, quicunque baptizantur, tenentur credere ſibi, tanquam fidei & bonorum operum mercedem, vitam æternàm proponi, *quæ cauſa eſt finalis juſtificationis, & quam fides ipſa præſtat.* Ergo tenentur credere & Deum velle ut ſalvi fiant, & Chriſtum pro illorum ſalute mortuum eſſe.

Reſpondeo 1° in allatis Concilii textibus nullum verbum eſſe, quo expreſſè declaretur Deum velle ut omnes baptizati ſalvi fiant, & Chriſtum pro omnium illorum ſalute mortem ſuam Deo Patri obtuliſſe, ſed tantùm id per conſecutionum quaſi machinas ab adverſariis extrahi: quæ profectò conſecutiones, etiamſi legitimæ forent, non tamen ſufficerent fundando catholico dogmati. An autem legitimæ ſint, expendamus.

Reſpondeo itaque 2° diſtinguendo minorem. Promiſſa eſt vita æterna omnibus credentibus, promiſſa eſt, inquam, conditionatè, ſi in fide & juſtitia perſeveraverint, ſicut promittitur etiam infidelibus quibus prædicatur Evangelium, modò in Chriſtum credere & in eo permanere velint; concedo. Promiſſa eſt abſolutè vita æterna omnibus credentibus in Chriſtum, quaſi omnes fideles ſalvi futuri ſint; nego.

Promiſſio vitæ æternæ dupliciter fit in ſacris Scripturis. Primò Deus promittit daturum ſe vitam æternam omnibus qui in fide per caritatem operante usque in finem perſeveraverint. 2°. Deus promittit ſe omnibus, quos gratis elegit ac prædeſtinavit ante conſtitutionem mundi, non conditionatè, ſi in bono perſeveraverint, ſed abſolutè daturum fidem, juſtitiam, bona opera, in his perſeverantiam, ac demum, tanquam præcedentium donorum mercedem, vitam æternam. Utriusque generis promiſſiones ad omnes homines indifferenter diriguntur in Scriptura, & omnibus, ſive infidelibus, ſive fidelibus, à verbi Dei miniſtris æqualiter proponuntur, aliter per fidem theologicam, aliter per ſpem apprehendendæ. Quilibet homo, ſive fidelis, ſive infidelis, ſive juſtus, ſive peccator, tenetur, auditâ Evangelicâ prædicatione, firmâ fide & indubitanter credere omnes, qui in amore Dei & Chriſti vitam hanc finierint, æternam ac beatam in cœlis vitam habituros, ſeque ipſum, ſi divinæ legi usque ad extremum obtemperaverit, æternâ vitâ remunerandum. Tenetur etiam eâdem fide credere omnes, quos Deus decrevit efficaciter perducere ad ſalutem, ad eam certò & infallibiliter perventuros. Hoc proprium eſt

Digitized by Google

fidei objectum, cum objecto ſpei minimè confundendum. Nam ſpes innixa potiſſimùm omnipotentiæ divinæ, & ſecundi generis promiſſiones, quæ in ſolis electis complentur, ſibi applicans, firma cum fiducia expectat juſtitiam, & in juſtitia perſeverantiam, & vitam æternam, ut gratuitâ liberalitate ſibi donandam.

Hanc fidei & ſpei Chriſtianæ differentiam paucis verbis dilucidè explicat S. Bernardus, Serm. 10 in pſalmum *Qui habitat*, n. 10. „ Germana fidei ſpeique cognatio eſt, inquit, ut, quod illa futurum credit, „ hæc ſibi incipiat ſperare futurum...... Dicit ergo fides: parata ſunt „ magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus ſuis," (hoc eſt, fidem uſque in finem vitæ ſervantibus, non enim aliis quàm perſeverantibus parata eſt corona juſtitiæ). „ Dicit ſpes: mihi illa ſervantur." Solius ergo ſpei eſt cœleſtia bona, ut ſibi per miſericordiam Dei præſtanda, firmiter expectare.

Inſtant. Unusquiſque fidelis tenetur credere Deum velle ipſum ſalvare. Ergo Deus reverâ vult ſalvare omnes & ſingulos fideles.

Diſtinguo antecedens. Unusquiſque fidelis tenetur credere Deum velle ipſum ſalvare, hoc eſt, Deum velle ſalutem ipſi eſſe poſſibilem, & reverâ futurum ſe ſalvum, ſi in juſtitia perſeveraverit, concedo: hoc eſt, Deum velle ipſum reipſâ ſalvare, diſtinguo iterum. Tenetur id credere, hoc eſt, tenetur humiliter confidere Deum ipſi perſeverantiam ac ſalutem daturum, concedo. Hoc eſt, fide theologicâ, certâ & indubitatâ credere debet Deum velle ipſum realiter ſalvare, nego. Fidei officium eſt aſſentiri revelatis ut revelatis: unde, cùm nullibi revelatum ſit Deum velle ſalutem omnium fidelium, imò, ſi propriè dicta voluntas intelligatur, contrarium revelatum ſit, quandoquidem multi fideles non ſalvantur, nullus fidelium abſque ſpeciali revelatione credere debet Deum velle ipſum ſalvare: alioquin renovatur error Calvini, exiſtimantis omnes fideles de ſua futura ſalute ac æterna prædeſtinatione certos & indubios eſſe debere; quod à concilio Tridentino jure merito damnatum eſt.

At, inquies, per fidem non ſolùm revelatis, verùm etiam promiſſis firmiter adhæremus, ut teſtatur eadem ſynodus his verbis: *credentes vera eſſe quæ divinitùs revelata ac promiſſa ſunt.* Fateor fidem amplecti divinas promiſſiones, ſed eas non amplectitur niſi prout revelatione continentur. Aliud eſt credere aliquam promiſſionem eſſe veram ac certam; aliud eam ſibimet applicare, ac bona repromiſſa tanquam ſibi obventura firmiter expectare. Illud ad fidem, ad ſpem iſtud pertinet. Fidelis credit vera eſſe ac certò implenda quæcunque Deus promiſit. Credit proinde omnem, qui mandata conſtanter obſervaverit, ſalvum iri. Credit inſuper omnem, quem Deus efficaciter ſalvare voluerit, ſine ulla dubitatione ſalvandum; quia utrumque eſt revelatum. Sed non eâdem fide certâ & indubitatâ credit Deum velle ipſum ſalvare, quia hoc revelatum non eſt. Non tamen animo deſpondet, ſed, quidquid electis à Deo

Digitized by Google

Deo promiſſum eſt, per virtutem ſpei ſibi applicat, confiditque ex Dei omnipotentiſſima bonitate futurum ut ſalutem, & quæ ad ipſam perducunt, reipſâ conſequatur, hóc ſciens quòd omnes qui ſperant in ipſum non confunduntur, juxta iſtud Davidis oraculum, pſalmo 16: *Salvos facis ſperantes in te.*

Inſtant. Eccleſia in ſuis ritibus, in publicis precibus, in prædicationibus promiſſiones vitæ æternæ dirigit ad omnes fideles, jubetque illos vitam æternam & omnia auxilia ad eam capeſſendam neceſſaria expectare à Deo, tanquam volente ipſos ſalvos facere. Atqui prædicatio & preces Eccleſiæ non ſunt illuſoriæ. Ergo quilibet fidelis tenetur credere vitam æternam & neceſſaria gratiæ auxilia ſibi ex parte Dei non defutura, modò ipſe non deſit gratiæ Dei.

Reſpondeo ad majorem, vitæ æternæ promiſſiones, tum conditionatas, tum abſolutas, ab Eccleſia meritò dirigi ad omnes fideles: conditionatas quidem ut objectum fidei, abſolutas ut incitamentum ſpei. Quàmvis enim abſolutæ promiſſiones in ſolis impleantur electis, omnibus tamen fidelibus indifferenter proponi poſſunt, tum quia ignoramus quinam ſint electi, tum quia nullus eſt fidelium qui eis firmiter inniti & gratiam efficacem, perſeverantiam, vitam æternam, uno verbo omnia quæ electis præparata ſunt bona, ex miſericordia Dei fidenter ſperare non debeat: quod quiſquis perſeveranter fecerit, ut faciendum eſt, certiſſimum eſt eum à ſua ſpe nunquam caſurum. Nam abſolutæ promiſſiones, etſi implentur in ſolis prædeſtinatis, implebuntur tamen certiſſimè in omnibus qui fiduciam ſpei usque in finem firmam retinuerint; quoniam hi omnes & ſoli ad electorum numerum pertinent.

Ad conſequens dico æquivocationem in eo latere. Nam ſi ſenſus ſit in homine juſtificato ſemper eſſe primam cauſam, ut gratiâ non adjutus excidat à vita æterna, conſequens verum eſt, & indubitanter tenendum: ſi verò ſit ſenſus nunquam deeſſe ulli juſto gratiæ auxilia abſolutè neceſſaria ad perſeverandum in bono, & vitam æternam comparandam, falſum eſt conſequens; cùm de fide ſit perſeverantiæ donum, ſine quo, juxta concilium Tridentinum, perſeverari non poteſt, non omnibus fidelibus ac juſtis dari. Igitur fideles non tenentur firmâ & indubitatâ fide credere neceſſaria gratiæ auxilia nunquam ſibi defutura, cùm planè ignorent an perſeverantiam ſint habituri. Sed primùm credere debent ſe nunquam à Deo niſi ſuâ culpâ deſerendos: deinde humiliter ſperare debent Deum non permiſſurum ut ipſi ab eo recedant, ſed ſuavitate & efficaciâ gratiæ ſuæ effecturum ut ejus ſemper inhæreant mandatis, & ab ejus dilectione nunquam ſeparentur.

Inſtant adhuc. Spes & fiducia conſequendæ æternæ ſalutis omnî prorſus fundamento deſtituuntur in fidelibus, ſi certi ex fide non ſint Deum velle ipſorum ſalutem. Spei quippe fundamentum eſt fides, quæ dicitur ab Apoſtolo *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non ap-*

 pa-

parentium. Ergo fideles reverâ tenentur credere Deum velle ſpecialiter ipſorum ſalutem.

Nego antecedens. Nam ſpes Chriſtiana perveniendi ad ſalutem non innititur tanquam fundamento voluntati generali & antecedenti, quæ neminem unquam ſalvavit, ſalvabit neminem, ſed voluntati abſolutæ & gratiæ per ſe efficaci, quæ ſola ſalvat quicunque ſalvantur. Sicut enim ſpes firma & immota eſſe debet, unde vocatur ab Apoſtolo *anchora animæ tuta ac firma*, ita fundamentum habere debet firmum atque invictum; alioquin plus firmitatis haberet quàm ſuum fundamentum, quod repugnat. Atqui voluntas antecedens non eſt quid firmum & invictum; ſiquidem, fatentibus adverſariis, ſuo ſemper fruſtratur effectu, ſi non ei conſequens voluntas adjungatur. Ergo evidens eſt ſpem Chriſtianorum non fundari in voluntate antecedente, ſed in conſequente & abſoluta, quâ Deus quemcunque vult efficaciter ſalvat.

Et certè fundamentum ſpei cujuslibet eſt illud à quo pendet boni quod ſperatur futuritio. In tantùm enim ſperamus aliquod bonum, in quantùm illud nobis futurum eſſe confidimus. Unde S. Bernardus ſupra: *Dicit ſpes: mihi illa* (bona) *ſervantur;* & concilium Tridentinum: *In ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi per Chriſtum propitium fore.* Atqui futuritio ſalutis noſtræ non pendet à voluntate antecedente, quæ Deo attribuitur tantùm per abſtractionem metaphyſicam, ſed à voluntate abſoluta, quæ ſola quidquid eſt aut futurum eſt operatur. Ergo ſpes ſalutis habet pro fundamento voluntatem abſolutam, non antecedentem.

Ad probationem in argumento allatam reſpondeo fidem prælucere quidem ſpei, ſed utriusque actum eſſe diverſum. Fides credit Deum præparaſſe magna & inexcogitabilia bona: ſpes eis ſe fruituram confidit. Fides credit Deum eſſe ſummè bonum & omnipotentem: ſpes totam ſe omnipotentiæ ac bonitati divinæ commendat, & confidit Deum nec ſibi defuturum, quia ſummè bonus eſt, nec inaniter adfuturum quia omnipotens eſt, dicens cum Propheta, pſalmo 22: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco paſcuæ ibi me collocavit...... Nam, etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es...... Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, & ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.*

Urgent. Atqui voluntas conſequens malè aſſignatur ut fundamentum ſpei Chriſtianæ. Nam ea voluntas ſpectat ſolos electos, quorum ſalutem Deus abſolutè decrevit; ac proinde nullus poteſt ei firmiter inniti, niſi certò ſciat ſe electum eſſe ante mundi conſtitutionem. Atqui nullus fidelium hoc certò novit. Ergo non huic fundamento innititur ſpes Chriſtianorum. Reſtat ergo ut innitatùr promiſſionibus ad omnes juſtos perſonaliter factis.

Primò retorqueo argumentum. Fatetur Illuſtr. Languet, cujus eſt iſta objectio, Epiſt. 5 Paſtorali, part. 1. §. 35, *cum qui ſperat, ſperare*

rare ſe eſſe de numero electorum. Prætermitto id parum accuratè enuntiatum eſſe; non enim ſperamus, ſed confidimus nos eſſe electos, ſiquidem ſpes non eſt niſi futurorum. Rem ipſam expendo. Dicant, quæſo, cur confidere debeam me eſſe de numero electorum, cùm hoc ipſum fide non credam. Reſpondet idem Præſul, loco citato, fundamentum hujus ſpei ſeu fiduciæ eſſe ſpeciales promiſſiones ſingulis fidelibus, cùm baptizati ſunt, à Deo factas. Abſurdè omnino: nam promiſſiones reprobis æquè ac electis communes non ſunt ſufficiens fundamentum, ut confidam de numero me eſſe electorum, potiùs quàm è numero reproborum. Aliud ergo fundamentum aſſignandum eſt: illud autem cùm aſſignaverint, tota in fumum abibit objectio.

2°. Reſpondeo perperam confundi ab adverſariis fundamentum cui ſpes innititur cum motivo ſperandi. Spero me perventurum ad beatitudinem æternam, quia confido Deum me adjuturum, non auxilio merè ſufficiente, quo uti vel non uti in meo relinquatur arbitrio (ſic enim in meipſo confiderem, non in Deo), ſed auxilio per ſe efficaci, hoc eſt, omnipotenti ſuâ voluntate. „ Nam infinitæ virtutis eſt pro„ prium ad infinitum bonum perducere," ait S. Thomas, 2. 2. q. 18. art. 2. in corp. Hoc ſpei chriſtianæ fundamentum ac fulcimentum eſt. Huic innixa fidenter ſimul ac humiliter dicit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. VIII. Unde idem Doctor Angelicus, art. 6. in corp. „ Spes, inquit, „ facit Deo adhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ „ bonitatis, in quantùm per ſpem divino auxilio innitimur ad beati„ tudinem obtinendam." Et ad 3: „ Spes facit tendere in Deum, „ ſicut in quoddam bonum finale adipiſcendum, & ſicut in quoddam „ adjutorium efficax ad ſubveniendum."

Jam verò quare confido Deum efficaciter me adjuturum & ad ſalutem perducturum, cùm tam multos non ſic adjuvet, nec omnibus, quos ad tempus adjuvat, perſeverantiam donet? An quia Deus promiſit omnibus juſtis gratiam ſufficientem, ut putat Epiſcopus Sueſſionenſis? At gratia illa ſufficiens, etiamſi omnibus juſtis ſemper eſſet ad manum, non perducit quemquam ad ſalutem. An quia ſum è numero electorum? Hoc planè ignoro: latet enim in corde Dei, & clauſum eſt iſtud ſecretum. Cur ergo fidenter ſpero mihi non defutura uſque in finem ea auxilia, eaque bona, quæ ſolis conſtat electis decreto Dei abſoluto eſſe donanda? Hic difficultatis nodus eſt, quem unà nobiſcum expedire tenentur adverſarii; quandoquidem negare nequeunt, ac reipſâ fatentur, unumquemque fidelem debere confidere de numero ſe eſſe prædeſtinatorum, quàmvis, quid de ſua ſorte in occultis Dei judiciis ab æterno definitum ſit, planè ignoret.

Ut autem in re multum abdita dicam quod mihi videtur eſſe veriſimilius, cenſeo non idcirco me fidenter expectare ex Dei bonitate juſtitiam, perſeverantiam æternamque ſalutem, quia de numero prædeſtinato-

torum me eſſe confido, ſed è contrario, quia fidenter expecto ex bonitate Dei juſtitiam, perſeverantiam, & vitam æternam, quæ ſolis conſtat prædeſtinatis fore propria, idcirco de numero prædeſtinatorum me eſſe confidere.

Quod ut intelligatur, obſervandum eſt quemlibet fidelem, quàmvis, ſola per ſe divina decreta conſiderando, planè ignoret quid circa ipſum in particulari Deus propoſuerit, adeòque, ex parte illorum decretorum, omni prorſus careat motivo ut confidat ſe ad vitam prædeſtinatum, potiùs quàm timeat ne fuerit in damnationis maſſa derelictus, habere nihilominùs legitimum fundamentum illam fiduciam concipiendi, poſito quòd ex miſericordia divina ſperare rationabiliter poſſit ac debeat omnia bona quæ ſunt electorum propria. Atqui reverà quilibet fidelis à Deo ſperare poteſt & debet, ac valde rationabiliter, omnia bona quæ ſunt electorum propria, nimirum remiſſionem peccatorum, gratiam ſanctificantem, victoriam tentationum, finalem perſeverantiam & gloriam æternam. Hanc quippe ſpem ac fiduciam firmiſſimam ſuadent & exigunt ipſa miſericordia Dei, quæ neminem ad ipſam confugientem & de ipſa ſola præſumentem aſpernari aut repellere poteſt; merita Chriſti, quibus certum eſt donatum iri quidquid in ejus nomine petierimus Patrem; invitationes & exhortationes ſingulis ferè ſacrarum Scripturarum paginis expreſſæ, quibus nos paternis viſceribus Deus admonet ut nihil, eorum imprimis quæ ad ſalutem pertinent, non ab ipſo ſperare audeamus; poſtremò, quod planè decretorium eſt, tot pollicitationes juramento obſignatæ, quibus ſeſe quodammodò Deus obſtrinxit, fore ut neminem in ipſo confidentem & ex fiducia petentem ab expectatione ſua confundat, quale eſt iſtud, Marci XI. 24: *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Certè quid rationabilius quàm benè ſperare de Deo, qui eſt ipſa bonitas? Quid contra irrationabilius ac nequius, quàm de bonitate ac promiſſis Dei diffidere, ubi tot tamque gravia momenta ad ſperandum impellunt? *Si vos, cùm ſitis mali*, ait Chriſtus, Luc. XI. 13, *noſtis bona data dare filiis veſtris; quantò magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit ſpiritum bonum* (Matth. VII. 11, *bona* quæcunque, ac præſertim regnum Dei & juſtitiam ejus) *petentibus ſe?*

Porro ſi nihil juſtius, nihil eſt rationabilius, quàm bona gratiæ & gloriæ, quæ ſunt electis propria, fidenter expectare à Deo per merita Chriſti, conſequenter nihil eſt fundatius, nihil rationabilius, quàm humiliter confidere nos à Deo dilectos & prædeſtinatos ante conſtitutionem mundi. Unde patet veriſſimum eſſe quod ſuperiùs dixi, non idcirco nos fidenter expectare à Deo promiſſa electis bona, quia nos ab æterno electos confidimus; ſed contra, quia promiſſa electis bona firmiſſimis momentis nixi fidenter à Deo expectamus, ideò nos confidere ab æterno electos ac prædeſtinatos.

Opti-

Digitized by Google

Optimè, inquies: ſed in veſtra ſententia hæc fiducia, quæ ſalutem certò & infallibiliter impetrat, quam perſeveranter petit, non in hominis, ſed in Dei ſolius eſt poteſtate, in ſolis prædeſtinatis eam perſeveranter operantis.

Quaſi verò de cauſa efficiente ſpei impræſentiarum agatur, & non de illius motivo. Non in omnibus, fateor, Deus operatur illum ſpei veræ Chriſtianæ affectum, ſicut non in omnibus fidem, caritatem aliasque virtutes gratiâ ſuâ efficaci operatur: ſed non idcirco non adſunt omnibus hominibus motiva firmiſſima & potentiſſima, quibus moverentur ad confidendum de auxilio & protectione Dei, ſi non illis ſuâ culpâ cordisque duritiâ reſiſterent; ſicut omnes homines, etiam non dante Deo caritatem, omnimodis rationibus tenentur diligere Deum ſuper omnia & proximos ſuos ſicut ſeipſos. Hinc, quàmvis ſpes donum Dei ſit, tamen planè inexcuſabilis eſt, quicunque in bonitate & promiſſis Dei non ſicut oportet ſperat, ſicut inexcuſabilis eſt quicunque non amat Dominum Deum noſtrum; nec dicere alteruter poteſt: ſperare in Deo aut amare Deum non poſſum, tot motivis adeò efficacibus & urgentibus ad ſperandum & ad amandum circumdatus. Vide Lib. IV ſupra, ubi latè probavimus peccata per abſentiam gratiæ excuſari non poſſe, contrariamque opinionem fuiſſe in Pelagianis ac Semipelagianis damnatam.

Ex iis quæ modò dicta ſunt manifeſtum eſt ſpem Chriſtianam non inniti prætenſo huic dogmati, Deum velle omnes homines, vel omnes fideles, nullo excepto, ſalvos facere, adeòque achillæum adverſariorum argumentum penitus ruere.

Objiciunt 3°. Voluntas formalis & poſitiva mediorum ſupponit voluntatem formalem & poſitivam finis. Atqui Deus habet voluntatem formalem & poſitivam dandi omnibus fidelibus media, quibus pervenire poſſint ad ſalutem. Ergo Deus vult formaliter ac poſitivè ſalutem omnium fidelium, tanquam finem ad quem juſtificatio ſeipſâ tendit.

1°. Nego conſequentiam. Sequitur ad ſummum ex hoc argumento Deum velle ut omnes fideles ſalvari poſſint; ſed minimè ſequitur Deum velle ut omnes fideles reipſâ ſalventur.

2°. Diſtinguo majorem. Voluntas formalis & poſitiva mediorum, quæ cum fine infallibiliter connexa ſunt, aut ſaltem omnia complectuntur ad finem conſequendum neceſſaria, ſupponit voluntatem formalem ac poſitivam finis, eſto: ſecus, nego. Porro media ſalutis, quæ dantur omnibus fidelibus, neque ſunt infallibiliter connexa cum ſalute, ſiquidem non omnes fideles ſalvantur & non omnibus datur finalis perſeverantia, neque complectuntur omnia ad ſalutem conſequendam neceſſaria, ita ut effectus ab hominis voluntate pendeat ſine novo adjutorio gratiæ; alioquin purus Moliniſmus foret. Ergo media ſalutis omnibus fidelibus communia non probant Deum velle formaliter ac poſi-

Digitized by Google

tivè ſalutem omnium fidelium. Quantò conſequentiùs concludi è contrario poſſet: Qui ſciens dat media inefficacia, cùm poſſit dare efficacia, ille cenſetur non velle finem. Atqui Deus multis juſtis dat media, quæ ſcit eſſe inefficacia ad ſalutem comparandam, cùm poſſit dare efficacia. Ergo Deus non omnium juſtorum ſalutem velle cenſendus eſt. Attamen illa media quæ juſtis dantur, propter ſui eminentiam, majus, quàm bona quædam communiora, fundamentum præbent attribuendi Deo, reſpectu ſalutis omnium juſtificatorum, voluntatem ſigni & voluntatem antecedentem, ſive ad ſenſum Theologorum ſæculi XIII (nam inter antecedentia ad ſalutem præcipuum eſt donum gratiæ ſanctificantis), ſive ad ſenſum D. Thomæ; quatenus juſtos primâ conſideratione, & abſtrahendo à peccatis in quæ prolabi poſſunt, ſalvos fieri bonum eſt. Verùm hi ſenſus cum eodem moderamine admitti debent, quocum à veteribus Theologis inventi ſunt, nimirum ut ſcholaſticæ opiniones, non ut fidei dogmata.

Dixi, eſto, ad 1um diſtinctionis membrum, quia, cùm ſermo ſit de voluntate divina, quæ nullam penitus cauſam agnoſcit, valde impropriè dicitur voluntas mediorum ſupponere voluntatem finis. Deus quippe non ideò vult media, quia vult finem, ſed uno eodemque actu vult finem & media, & vult media inſervire ad finem, ut ſupra dictum eſt.

ARTICULUS SEXTUS.

Expenduntur nonnullæ locutiones circa voluntatem Dei de ſalute omnium hominum.

Quæritur 1° quid ſentiendum ſit de iſto loquendi modo: Deus vult, quantùm in ipſo eſt, omnes homines ſalvos fieri?

Reſpondeo 1° illum reperiri apud nonnullos Patres, Origenem, Methodium, apud Œcumenium, in Epiſtolam ad Romanos, pag. 332, Cyrillum Hieroſolymitanum, Catecheſi 18. n. 15, Baſilium, Chryſoſtomum, hom. 5 in Epiſt. ad Romanos, Iſidorum Peluſiotam, lib. 2. Ep. 270, Paulinum, Epiſt. 24. n. 9, Epiſt. 34. n. 6, Ep. 40. n. 4, Cyrillum Alexandrinum, lib. 2 ad Imperatrices, tom. 5. part. 2. pag. 134, Theophylactum, in cap. 17 Joannis, Bonaventuram, in 1. diſt. 47. art. 1. q. 1, Thomam, lib. 3 *contra Gentes*, cap. 59, ipſum etiam Auguſtinum, Tract. 12 in Joannem, n. 12. „ Quantùm in medico „ eſt, inquit, venit ſanare ægrotum."

Reſpondeo 2° illam locutionem apud SS. Patres ſenſum habere veriſſimum, nempe non ſtare penes Deum quòd aliqui homines non ſalventur, omneſque ſalvatum iri, ſi non ipſi impedimentum ſuæ ſaluti præſtarent: quod idem eſt ac ſi diceretur in Deo non eſſe cauſam, ſed in hominibus, ut homines pereant. „ Nihil pluſ eſt dicere, Deus „ vult

„ vult iſtum ſalvum fieri, quantùm in ſe eſt, ait S. Bonaventura loco mox citato, „ quàm, Deo placuit dare illi naturam, per quam poſſet „ pervenire ad ſalutem, & quòd Deus paratus eſſet juvare, ita quòd „ ſalus non deficit propter defectum ex parte Dei.“ Sed facile eſt eâ loquendi ratione abuti in pravum ſenſum à mente SS. Patrum alieniſſimum, ac ſimplicibus illudere, quaſi Deus faceret omne quod poteſt ad ſalvandum omnes homines, aut ſaltem quaſi reipſâ daret omnibus hominibus auxilia ſufficientiſſima ad mentem Molinæ, quorum ſors in hominum arbitrio relinquatur.

Quapropter doctiſſimi Theologi ſapienter monent ab ea eſſe abſtinendum, maximè loquendo ad populum, qui errandi occaſionem inde ſumit, ac putat Deum ſemper facere ex parte ſua quidquid in ſe eſt, ac proinde ſalutis negotium totum jam ab hominis voluntate pendere: quod ſuperbiam nutrire, orandi ſtudium extinguere, malam ſecuritatem fovere natum eſt. „ Hæc locutio, ait Ludovicus Soto Major, Comment. in cap. 2 Epiſt. 1 ad Timotheum, ... „ figurata & hyperbo- „ lica eſt, potiùs quàm propria & exquiſita, niſi de electis & prædeſ- „ tinatis intelligatur, quos propriè & efficaciter, ut diximus, ſalvos „ fieri vult.“ Hinc S. Thomas, qui in prioribus ſuis ſcriptis interdum eâ phraſi uſus fuerat, in Summa, ubi exactiùs loqui ſolet, ab ea abſtinuit, nolens cuiquam occaſionem errandi præbere, ut notat Eſtius in eumdem locum.

Quæritur 2° an debeat dici Deus omnium, etiam reproborum, ſalutem velle voluntate ſincerâ, feriâ, ſtudioſâ & actuoſâ?

Reſpondeo Deum velle quidem ſeriò ac ſincerè dare omnibus hominibus media quædam generalia ac naturalia, quæ reipſâ omnibus concedit, ſed non eodem modo velle illorum ſalutem. Nam voluntas, quæ non eſt formaliter in Deo, ſed metaphoricè tantùm, ut voluntas ſigni, aut eminenter, ut voluntas antecedens, non poteſt propriè loquendo hujuſmodi epithetis appellari, quæ, juxta communem ſignificationem, nonniſi formali ac poſitivæ voluntati conveniunt, adeòque erroris occaſionem præbent. Quòd ſi dicas ea non ſumi propriè, ſed metaphoricè, hoc, velim, attendas, locutiones metaphoricas, ſi plus æquo urgeantur, obſcuritatem parere, ſenſumque, aut falſum, aut certè falſitati proximum, efficere.

„ Quæ cùm ita ſint, ait Eſtius, in 1. diſt. 46. §. 2, non debemus „ imaginari in Deo, ſicut in hominibus, voluntatem, ſtudium, cona- „ tum aliquem, quo velit, ſtudeat, nitatur, &, quantùm in ipſo eſt, „ agat ut homines omnes ſalventur; quod tamen propterea non aſſe- „ quatur, quia bonæ ejus voluntati obſiſtat mala voluntas hominum, „ quâ prævalente atque impediente, fruſtretur voluntas Dei: quæ opinio „ & potentiæ divinæ detrahit & felicitati. Nam ſi non poteſt Deus quod „ vult, impotens eſt; ſi non aſſequitur quod optat, infelix eſt & miſer.“

 Nec

Nec ſequitur, ſi voluntas illa generalis & antecedens non debet dici ſeria & ſincera, poſſe illam dici non ſinceram nec ſeriam, ſed fictam & ſimulatoriam; ſicut non ſequitur iram, quæ Deo tropicè attribuitur, quoniam vera, ſincera & ſeria dici non debet, fictam aut ſimulatoriam dici poſſe. Quæcunque nonniſi per metaphoram de Deo dicuntur, hujusmodi epithetis inſigniri non debent, ac multò minùs eis quæ fictionem aliquam aut ſimulationem in Deo arguerent.

Quæritur 3° an dici poſſit aut debeat omnes homines Deum velle ſalvos fieri voluntate inefficaci?

Respondeo hanc loquendi rationem minimè eſſe congruam; tum quia videtur Deum deprimere, quaſi voluntati ejus in cœlo aut in terra aliquid reſiſtere poſſet, ut non faciat quod vult; tum etiam quia ſolis cauſis convenit propriè eſſe efficaces vel inefficaces. Porro voluntas, quæ in Deo dicitur antecedens, non eſt cauſa rerum, nec per ſe aliquid producit; quippe quæ nonniſi per abſtractionem & ſecundùm noſtrum cogitandi modum in Deo admittatur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA.

De morte Chriſti pro omnibus hominibus.

CIRCA mortem Chriſti, & acquiſitam ipſius ſanguine humani generis redemptionem, duo loquendi modi in ſpeciem oppoſiti, non ſolum apud SS. Patres, verùm etiam in ſacris Scripturis, reperiuntur. Interdum Chriſtus dicitur mortuus pro omnibus hominibus, ſalvator omnium hominum ac redemptor; interdum verò dicitur non pro omnibus, ſed pro multis ſanguinem fudiſſe, neque omnes redemiſſe, ſed ſolos in ipſum credentes, immo nonnunquam ſolos electos.

Quæ quidem quanquam ſecum mutuò pugnare primâ fronte videntur, tamen reipſâ non pugnant, quia ſub diverſo reſpectu dicuntur; ſicut alia benè multa in litteris ſacris occurrentia, quæ in verbis diſſident, in ſenſu concordant: v. g. Geneſ. XXXII. 30: *Vidi Deum facie ad faciem*, & Joann. I. 18: *Deum nemo vidit unquam.* Item Pſalmo I: *Non reſurgent impii in judicio*, & 1 Cor. XV. 51: *Omnes reſurgemus.* Item Pſalmo 115. v. 2: *Omnis homo mendax*, & Apoc. XIV. 5: *In ore eorum non eſt inventum mendacium.* Item Proverb. XXVI. 4: *Non reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam*, & ibid. verſ. 5: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam.* Item Sapient. I. 13: *Deus mortem non fecit*, & Eccli. XI. 14: *Vita & mors à Deo ſunt.* Item Eccli. XXIV. 29: *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient*, & Joann. IV. 13: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet unquam.* Item Joannis V. 31: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*, & Joann. VIII. 4: *Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum verum eſt.* Item: *Pater major me eſt*, & alibi: *Ego & Pater unum ſumur.* Abundant Scripturæ ſacræ id genus propoſitionibus, quæ attentum atque humilem interpretem requirunt.

Idem dicendum eſt de iſtis propoſitionibus: Chriſtus mortuus eſt pro omnibus & ſingulis: Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus hominibus, ſed tantùm pro fidelibus, aut etiam pro electis. Si verba conſideres, quid repugnat magis? Si dicentis mentem attendas, nihil diſſonum offendes.

Quamobrem, ſi uſquam aliàs, hìc maximè oportet varios illarum propoſitionum ſenſus diſtinguere, & quo intellectu à ſanctis Eccleſiæ Doctoribus utrumque dictum ſit, non ad arbitrium noſtrum, ſed, prout adjuncta ſermonis exigunt, dilucidè exponere, ſecundùm iſtud ſapientiſſimum Eccleſiæ Lugdunenſis monitum, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 14: „ De hac quæſtione nihil confuſè nec inconſideratè dici vel definiri „ vellemus: habet enim & ipſa profunditatem & difficultatem ſuam, „ non noſtrâ præſumptione, ſed Scripturarum ſanctarum veritate & or„ thodoxorum Patrum auctoritate diligentiùs perſcrutandam, &, in „ quantùm Dominus aperire dignatur, fideliter intelligendam."

Triplici modo conſiderari poteſt mors ſeu redemptio Chriſti: 1° in ſeipſa abſolutè, abſtrahendo ab ejus applicatione hìc & nunc facta; 2° quoad ejus applicationem per adjutorium ſive donum gratiæ; 3° prout adjunctam habet in Chriſto voluntatem offerendi ſeipſum pro ſalute hominum, & fuſam pro illis orationem.

Igitur ut hæc controverſia, ſecluſâ omni ambiguitate, pertractetur, tria ordine exequemur: 1um. An Chriſtus, conſiderato pretio ſanguinis ipſius, pro omnibus hominibus, nullo excepto, mortuus dici debeat. 2um. An merita paſſionis Chriſti applicentur omnibus hominibus; &, poſito quòd non omnibus, quibus & quatenus applicentur. 3um. An Chriſtus mortem ſuam omnibus hominibus prodeſſe voluerit, & pro omnium hominum vel omnium fidelium, nullo excepto, ſalute Deum Patrem oraverit.

CAPUT PRIMUM.

An Chriſtus, conſiderato præciſè pretio ſanguinis in cruce effuſi, omnium hominum, nullo excepto, Salvator ac Redemptor dici poſſit.

PROPOSITIO.

Pretio ſanguinis Chriſti abſolutè ac præciſè conſiderato, multiplici ſenſu dici debet pro omnium hominum ſalute effuſus.

Primò quidem quia Chriſtus ſuſcepit naturam humanam omnibus communem, eamque vice omnium hoſtiam obtulit Deo Patri. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ,* eoque genus humanum, *apprehendit*, ut loquitur S. Paulus, Hebr. II. 16. Suſcepit à no-

à nobis quod offerret pro nobis, & tanquam totius humani generis primitiæ totam in ſeipſo maſſam quodammodò ſanctificavit. „ Nam nullus omnino eſt ex omnibus hominibus, ait S. Proſper in Reſponſ. ad objectionem 9 Gallorum, „ cujus natura in Chriſto Domino noſtro „ ſuſcepta non fuerit," & per ipſum Deo non ſatisfecerit.

2°. Pro omnibus, nullo excepto, mortuuseſt Chriſtus, quatenus pro cauſa omnibus communi carnem induit ac mortem pertulit. Quia enim in primo parente univerſi perieramus, ideò Verbum caro factnm eſt, & Adæ inobedientiam in omnes transfuſam noviſſimus Adam mirâ obedientiâ usque ad mortem crucis exſolvit. Hunc ſenſum tradit idem S. Proſper, loco citato, his verbis: „ Rectiſſimè dicitur Salvator pro „ totius mnndi redemptione crncifixus, propter veram humanæ naturæ „ ſuſceptionem, & propter commnnem in primo homine perditionem." Et in Reſponſione ad objectionem 1 Vincentii: „ Cùm itaqne, propter „ unam omninm naturam, & unam omninm cauſam à Domino noſtro „ in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti &c." Tradit eumdem ſenſum S. Leo Rom. Pontifex, Serm. 6 de Paſſione Domini, cap. 4. Exponens quippe hæc verba: *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum:* „ Id eſt, inquit, totam cauſam generis humani agam, „ & olim perditam in integrum revocabo naturam. In me omnis infir„ mitas abolebitur: in me omnis plaga ſanabitur."

3°. Eo ſenſu pro omnibus hominibns mortuus eſt Chriſtus, quòd mortis ipſins pretium omnibus redimendis ac ſalvandis abundè ſufficiat ac ſuperabundet. „ Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretii, „ & quod ad unam pertinet cauſam generis hnmani, ait S. Proſper loco mox laudato, „ ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi." Et poſteà: „ Poculnm quippe immortalitatis, quod confectum eſt ex infirmi„ tate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibns proſit; „ ſed, ſi non bibitur, non medetur."

Confirmat hanc explicationem S. Thomas mnltis in locis. In 3 Sentent. diſt. 19. q. 1. art. 1. ad 2: „ Quoad ſufficientism ſatisfactionis „ & meriti, ait, omnia peccata per Chriſti paſſionem deleta ſunt; non „ autem quoad efficaciam." Lect. 1 in 1 ad Timothæum, cap. 2: „ Ipſe „ eſt propitiatio pro peccatis noſtris, pro aliqnibus efficaciter, pro omni„ bus ſufficienter; quia pretium ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omninm, „ ſed non habet efficaciam niſi in electis, propter impedimentum." Et in Epiſt. ad Hebræos, cap. 2. lect. 3, hæc verba, *ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem*, duobus modis exponi poſſe docet: „ vel ut ſit „ diſtributio accommoda, ſcilicet pro omnibus prædeſtinatis, pro iſtis „ enim tantùm habet efficaciam: vel abſolutè pro omnibus quantùm ad „ ſufficientiam; ſufficiens enim, quantùm ad ſe, omnibus eſt." Communis eſt hic ſenſus apud Theologos S. Thomæ diſcipulos.

Eo abntuntnr, contra mentem Angelici Doctoris, qui ſunt à ſchola Mo-

Molinæ, aientes Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe ſufficienter, quia morte ſuâ acquiſivit omnibus hominibus gratiam ſufficientem, quâ utendo ſalventur, ſi volunt. Nihil fingi poteſt doctrinæ S. Thomæ magis oppoſitum. Docet quidem S. Doctor pretium mortis Chriſti omnibus redimendis ſufficere, imò vim habere ſeipſâ efficaciſſimam, ſi applicetur: at nuſquam dicit meritum paſſionis Chriſti omnibus hominibus applicari ſufficienter, ſeu per gratiam ſufficientem omnibus conceſſam. Sed hac de re agemus Capite ſequenti.

Adverſùs hunc ſenſum objici poteſt quòd eodem jure pro dæmonibus mortuus Chriſtus diceretur; ſiquidem mortis ejus pretium non ſolùm omnibus hominibus, ſed etiam dæmonibus reparandis abundantiſſimè ſufficit. Verùm hæc difficultas evaneſcit, ſi attendamus paſſionem Chriſti, quàmvis abſolutè ſufficiat angelicæ naturæ reparandæ, ſi illi applicaretur, poſito tamen divino decreto non parcendi angelis, non poſſe illis applicari ad remiſſionem peccatorum. Eſt ergo homines inter ac dæmones hoc diſcrimen certè maximum, quòd hominibus, propter communis naturæ ſocietatem, efficax in paſſione Chriſti remedium præparatum ac poſitum ſit, dæmonibus autem nullus ſervator deſtinatus ſit. Humanam quippe naturam reparare venit Chriſtus, quam miſericorditer aſſumpſit, non angelicam, quam non apprehendit. Hinc homo quilibet jus habet, quod dæmones non habent, merita Chriſti ſibi applicandi, & fidenter poſcendi in ipſius nomine remiſſionem peccatorum, gratiam & vitam æternam, tanquam bona ſibi parta & acquiſita, ſecurus obtinendi quidquid ad ſalutem pertinens petierit in nomine Salvatoris. Nam omnibus
Matth. XI. 28. hominibus dicit Chriſtus: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati*
Joann. III. 16. *eſtis.* Omnibus dicit: *Sic Deus dilexit mundum*, hoc eſt, homines qui ſunt in mundo, *ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit*
Joann. XIV. 13. *in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Oomnibus dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Si omnes homines in Chriſtum crederent ac in ejus nomine rogarent Patrem, omnes meritorum Chriſti æternæque ſalutis participes fierent: adeò ut, quòd tam multi pereunt, ſibimet, non medico, imputare debeant. „ Non ad unum quidem, ait S. Ambroſius in Pſalm. 118, „ non ad paucos, ſed ad omnes teſtamentum ſuum ſcripſit Jeſus...... „ Teſtamentum commune eſt & jus omnium, hæreditas univerſorum „ & ſoliditas ſingulorum.“ Et lib. 2 de Cain & Abel, cap. 3. n. 11: „ Omnibus opem ſanitatis detulit, ut, quicunque perierit, mortis ſuæ „ cauſas ſibi adſcribat, qui curari noluit, cùm remedium haberet quo „ poſſet evadere; Chriſti autem manifeſta in omnes prædicetur miſeri„ cordia, eoquòd, ii qui pereunt, ſuâ pereant negligentiâ, qui autem „ ſalvantur, ſecundùm Chriſti ſententiam liberentur.“

S. Auguſtinus idem docet Serm. 344, olim 31 ex editis à Sirmundo, n. 4. „ Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te: ſi nolueris, non „ eſt

„ eſt datus pro te...... Semel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis „ Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti ſupplicium.“

S. Leo, Serm. 61, qui eſt 12 in Paſſione Domini, cap. 3: „ Effuſio „ pro injuſtis ſanguinis juſti tam potens fuit ad privilegium, tam dives „ ad pretium, ut, ſi univerſitas captivorum in Redemptorem ſuum cre- „ deret, nullum tyrannica vincula retinerent.“ Et Serm. 1 in eadem Paſſione Domini, cap. 5: „ Tanta eſt bonitas noſtri Redemptoris, ut „ etiam vos (Judæi) poſſitis conſequi veniam, ſi, Chriſtum Dei Filium „ confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis...... Quod re- „ medium ne te, Juda, tranſiret, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, „ quæ te revocaret ad Chriſtum, non quæ inſtigaret ad laqueum.“ Ser-mone 3, cap. 2, idipſum confirmat.

Denique S. Thomas, 3 part. q. 49. art. 2. ad 3: „ Semper per paſſio- „ nem Chriſti eſt paratum hominibus remedium tuendi ſe contra ne- „ quitias dæmonum, etiam tempore Antichriſti. Sed ſi aliqui hoc re- „ medio uti negligant, nihil deperit efficaciæ paſſionis Chriſti.“

Veriſſima eſt hæc SS. Patrum doctrina, ac præclarè explicat quomodò paſſio & mors Chriſti ad univerſitatem hominum ſervandam ſufficiat. Verùm, ut omnis vitetur error, reminiſcendum eſt non, ſicut quisque cauſa eſt ut ſibi merita Chriſti omnibus præparata non applicentur à Deo, ita eos, quibus applicantur, hujus applicationis ſibi factæ primam cauſam eſſe: homo quippe, ut jam ſæpè diximus & nimis ſæpè dici non poteſt, ſibi ſufficit ut deſeratur à Deo, & gratiâ Chriſti deſeratur, quam nec vult nec petit ex ſeipſo; ut verò eâdem gratiâ adjuvetur, non ſibi ſufficit, quia ipſummet deſiderium gratiæ ipſius gratiæ medicinalis ac præ-venientis donum eſt; quod quidem donum, quibuscunque divinitùs datur, ex miſericordia datur, quibus autem non datur, juſto judicio non datur, juxta celebre effatum Oſeæ: *Perditio tua, Iſrael; tantummodò in me auxilium tuum.*

4°. Denique pro ſalute omnium hominum mortem oppetiiſſe Chriſtus rectè dicitur, in quantùm nullum peccatum hominum eſt, quantùmvis grande, quod non efficax in ſanguine Chriſti remedium reperiat, quo expiari atque elui poſſit. „ Usque adeò enim Chriſti ſanguis in remiſſio- „ nem peccatorum omnium fuſus eſt, ut ipſum etiam peccatum poſſet „ delere quo fuſus eſt,“ ait S. Auguſtinus, Tract. 92 in Joann. n. 1. Quemadmodùm igitur, ſi quis, tempore famis aut peſtilentiæ, frumentum vel efficax morbo fugando pharmacum haberet, paratus illud cuicunque poſcenti gratis & ſine argento tribuere, is omnium ſervator ac medicus rectiſſimè diceretur, etiamſi aliqui ex negligentia aut diffidentia nollent ipſum convenire; ita omnium hominum liberator ac redemptor meritò Chriſtus aſſeritur, qui ſatisfactionem Deo Patri obtulit delendis quibus-cunque criminibus abundantem ac ſuperabundantem, paratus etiam cujusque ad ſe accedentis conſcientiam ab operibus mortuis emundare: in

Digitized by Google

quo ſanè plurimùm præcellit ſacrificium ac ſacerdotium Chriſti victimis legalibus, ſolius Judaici populi peccatis, iiſque non omnibus, ſed aliquibus tantùm purgandis inſtitutis; ut omittam figuratam duntaxat & carnalem juſtitiam illis victimis collatam, veram autem ac ſpiritalem ſanguine Chriſti infundi.

Si dicas neminem, ut à peccatis abſolvatur, venire ad Chriſtum, niſi quem Pater traxerit, & non omnes à Patre trahi ad Filium, hoc fateor. Attamen omnes, qui cum fiducia adeunt ad thronum gratiæ, miſericordiam ac remiſſionem peccatorum inde reportant, & qui non adeunt, non niſi ſuâ culpâ & negligentiâ moriuntur in peccatis ſuis.

Attingit hanc interpretationem Angelicus Doctor, part. 3. q. 1. art. 4. in corp. „ Certum eſt, inquit, Chriſtum veniſſe in hunc mundum, „ non ſolùm ad delendum illud peccatum quod traductum eſt originaliter in poſteros, ſed etiam ad deletionem omnium peccatorum quæ „ poſtmodùm ſuperaddita ſunt: non quòd omnia deleantur (quod eſt „ propter defectum hominum, qui Chriſto non inhærent......), ſed quia „ ipſe exhibuit quod ſufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem.“ Et q. 49. art. 1. ad 4: „ Quia paſſio Chriſti præceſſit ut cauſa quædam „ univerſalis remiſſionis peccatorum, neceſſe eſt quòd ſingulis adhibea- „ tur ad deletionem propriorum peccatorum.“

Atque ex his patet mortem Chriſti, ſpectatam abſolutè & abſtrahendo ab ipſius applicatione, totius humani generis ſalutem ac redemptionem dici poſſe. Jam quibus fiat meritorum Chriſti applicatio videndum eſt.

CAPUT SECUNDUM.

An meritum mortis Chriſti applicetur omnibus hominibus, ſub eoque reſpectu Chriſtus pro omnibus hominibus ſanguinem ſuum fudiſſe dicendus ſit.

MERITUM paſſionis Chriſti applicari omnibus hominibus, idem eſt ac gratiam Chriſti omnibus hominibus dari: qua de re multis egimus Libro præcedente. Nam ſi aliquibus hominibus nulla Chriſti gratia datur, clarum eſt eis merita Chriſti nullatenus applicari, Chriſtumque pro eis hoc ſenſu mortuum non eſſe.

Duo ſunt hac de re errores oppoſiti, unus Pelagianorum & Semipelagianorum, à quo Moliniani ſolis ferè verbis recedunt; alter Calvini ejusque ſectatorum.

Cal-

Digitized by Google

Calvinus docuit merita Chriſti ſolis electis applicari: nullos quippe fideles, nullos juſtos agnovit, qui prædeſtinati non ſint. Unde Dordracena Calvinianorum ſynodus anni 1618, cap. 2. art. 8: „ Fuit, ait, „ hoc Dei Patris liberrimum conſilium & gratioſiſſima voluntas at„ que intentio, ut mortis pretioſiſſimæ Filii ſui vivifica & ſalvifica „ efficacia ſeſe exerceret in omnibus electis, ad eos ſolos fide juſtifi„ cante donandos, & per eam ad ſalutem infallibiliter perducendos."

E contrario Pelagiani ac Semipelagiani contendebant Chriſtum ſic mortuum eſſe pro omnibus, ut mortis ejus beneficium iis applicetur, qui bonum ex ſeipſis inchoaverint, aut ſaltem gratiæ opem deſideraverint.

Molina cenſet fructum paſſionis Chriſti eis omnibus certo pacto attribui, qui totum quod in ſe eſt ex naturæ viribus fecerint; cæterùm gratiam Chriſti, quoad uſum, libero hominis arbitrio ſubdi, non verò ſibi ſubdere liberum arbitrium: unde Leſſius ejuſdem opinionis patronus, Lect. 7 de Prædeſtinatione, ſic Deum alloquitur: „ Poſuiſti omnia in „ arbitrio noſtro, perinde ac ſi ſolis naturæ viribus regnum obtinendum „ eſſet."

Solo loquendi modo diſcrepat à Molina Suarez, aſſerens gratiam, quæ primus eſt meritorum Chriſti effectus, omnibus obicem ei non ponentibus dari.

Cùm autem ambæ iſtæ opiniones Pelagianiſmum, ſolis mutatis vocibus, judice Clero Gallicano, inſtaurent, illas Jeſuitæ, ſaltem ex parte, deſerere coacti, communiter docent gratiam Chriſti omnibus hominibus, nullo prævio ipſorum conatu, impendi, talèmque gratiam quæ ad cùjuſque arbitrium efficax aut inefficax reddatur.

Hæc omnia ſyſtemata id habent cum Pelagianis commune, quòd ſalutem in propria liberi arbitrii manu ac poteſtate collocent; quaſi Chriſtus Jeſus, qui unica Chriſtianorum ſpes eſſe debet, ad hoc nobis datus ſit, ut in nobis ipſis vel ex parte confidamus, meritorumque ejus aut applicationem aut efficaciam à liberi noſtri arbitrii conatibus expectemus.

Valde remota eſt ab illo incommodo, non tamen vero conſentanea, ſententia recentiorum Thomiſtarum, qui duplicem meritorum Chriſti applicationem diſtinguunt, unam quam omnibus hominibus fieri dicunt per gratiam quamdam vocetenus ſufficientem, quæ effectum nunquam conſequatur nec conſequi poſſit ſine ulteriori auxilio; alteram quæ fit per gratiam ſeipſâ efficacem, ſoliſque juſtis ac fidelibus propria eſt.

Omiſſis iſtis opinionibus, quæ ſuperiore Libro ſatis ſuperque confutavimus, hoc unum reſtat, ut ex principiis ibi demonſtratis quid de præſenti controverſia ſentiendum eruamus.

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus non eſt eo ſenſu, quòd meritum mortis ejus omnibus applicetur, nullo excepto.

NAM ſi gratia Chriſti non omnibus hominibus detur, ac nominatim non detur parvulis ſine baptiſmo pereuntibus, nec infidelibus ad quos Evangelica prædicatio non pervenit, conſequens eſt Chriſtum non eſſe omnium Salvatorem eo ſenſu, quòd fructus paſſionis ejus omnibus applicetur. Atqui probatum eſt alibi gratiam Chriſti non omnibus hominibus dari, ac nominatim non dari infidelibus, ad quos prædicatio Evangelii nondum pervenit, nec parvulis hanc vitam ſine ſacramento regenerationis finientibus. Ergo &c.

Et verò Scriptura ſacra & SS. Patres ab Eccleſia approbati mortis Chriſti beneficium plerùmque reſtringunt ad ſolos fideles, non aliam certè ob cauſam, quàm quòd eis ſolis beneficium illud à Deo applicetur.

Scriptura quidem. Nam pſalmo 110 dicitur: *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo.* Pſalmo 129: *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio; & ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus.* Et Matth. I. 21: *Vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Igitur non omnes homines, nullo excepto, ſanguine ſuo redemit ac ſalvavit Chriſtus, ſed tantùm *populum ſuum*, populum ſcilicet Chriſtianum Iſraelitaſque ſpirituales. Unde, ad Titum II. 14, dicit Apoſtolus *Chriſtum dediſſe ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Epheſ. V. 25 & 26: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret.*

Joannis III. 16, Chriſtus ipſe paſſionis ſuæ meritum ad ſolos in ipſum credituros reſtringit, ſic loquens ad Nicodemum: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Denique pluribus in locis Chriſtus mortuus dicitur, non pro omnibus, ſed *pro multis.* Hebr. IX. 28: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Item, Matth. XXVI. 28, & Marci XIV. 24: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quæ verba in Canone miſſæ inſerta explicans Catechiſmus concilii Tridentini, part. 2, de Euchariſtiæ ſacramento, n. 23: „ Pertinent illa verba, inquit, ad paſſionis fructum atque utilitatem „ de-

„ declarandam. Nam ſi ejus virtutem inſpiciamus, pro omnium ſalute „ ſanguinem à Salvatore effuſum eſſe fatendum erit: ſi verò fructum, „ quem ex eo homines perceperint, cogitemus, non ad omnes, ſed ad „ multos tantùm eam utilitatem pervenire facilè intelligemus. Cùm „ igitur *pro vobis* dixit, vel eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum „ populo, quales erant diſcipuli, excepto Juda, quibuscum loquebatur, „ ſignificavit. Cùm autem addidit, *pro multis*, reliquos electos ex Ju„ dæis aut gentibus intelligi voluit. Rectè ergo factum eſt ut pro uni„ verſis non diceretur, cùm hoc loco tantummodò de fructibus paſſio„ nis ſermo eſſet, quæ ſalutis fructum delectis ſolùm attulit. Atque „ huc ſpectant verba illa Apoſtoli: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multo„ rum exhaurienda peccata;* & quod Dominus apud Joannem inquit: „ *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi,* „ *quia tui ſunt.*" Atque in hoc commentario Catechiſmi auctores manifeſtam concilii doctrinam ſecuti ſunt, ſic loquentis ſeſſ. 6. cap. 3: *Etſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat quibus meritum paſſionis ejus communicatur.*

2°. Plurimi SS. Patres, cùm de morte Chriſti loquuntur, non ad omnes homines, ſed ad quoſdam tantùm illam pertinere aſſerunt, ut ex tribus argumentis manifeſtum eſt.

Primum eſt quòd Scripturæ loca, in quibus Chriſtus pro omnibus mortuus prædicatur, non de omnibus generaliter, ſed de generibus ſingulorum, vel per accommodam diſtributionem exponantr.

S. Auguſtinus, Tract. 52 *in Joannem*, num. 11, explicans hæc verba Chriſti, Joann. XII. 32: *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*, ſic loquitur: „ Non dixit omnes, ſed *omnia;* non enim „ omnium eſt fides. Non itaque hoc ad univerſitatem hominum retu„ lit, ſed ad creaturæ integritatem, id eſt, ſpiritum, & animam & „ corpus...... Qui enim dixit, *capillus capitis veſtri non peribit*, omnia „ trahit poſt ſe: aut ſi *omnia* ipſi homines intelligendi ſunt, omnia „ prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere, ex quibus omnibus ait ni„ hil periturum, cùm ſupra de ſuis ovibus loqueretur; aut certè omnia „ hominum genera, ſive in linguis omnibus, ſive in ætatibus omnibus, „ ſive in gradibus honorum omnibus, ſive in diverſitatibus ingeniorum „ omnibus, ſive in artium licitarum & utilium profeſſionibus omnibus, „ & quidquid aliud dici poteſt ſecundùm innumerabiles differentias, „ quibus inter ſe, præter ſola peccata, homines diſtant, ab excelſiſſi„ mis uſque ad humillimos, à rege uſque ad mendicum."

Lupus Servatus, lib. *de Tribus Quæſtionibus*, q. 3. n. 37, eumdem Scripturæ textum aliosque ſimiles exponens, dicit: „ Non incongruen„ ter, ſicut prædixit, omnia ad ſe traxit, qui ex omni genere homi„ num elegit quoſcunque ſalvare decrevit: qui *multi* dicti ſunt, quia

 plu-

Digitized by Google

„ plures utique ſalvantur; omnes autem, quia ex omni genere hominum
„ colliguntur...... Item de his omnibus in Epiſtola quæ inſcribitur ad
Hebr. II. 9. „ Hebræos: *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore co-*
„ *ronatum, ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Et aperiens
„ qui ſint illi omnes, mox intulit: *Decebat enim eum, propter quem*
„ *omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat* (græcè,
„ *adducturus erat*), *auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.*.....
„ Intuendum quòd, quos dicit omnes, eosdem paulò poſt nuncupat *multos.*
„ Hæc divinorum eloquiorum auctoritas intelligenter expenſa, pro omni-
„ bus Dei Filium guſtaſſe mortem, ſic accipi poſſe inſinuat, quemadmo-
„ dùm Deum velle omnes ſalvos fieri. Ut enim ſalvos fieri vult omnes
„ quicunque ſalvantur, ita redimit omnes quicunque redimuntur.
„ Non itaque vult ſalvari aut redimi alios omnes, niſi qui redimuntur
„ atque ſalvantur."

Secundum, quòd SS. Patres doceant Chriſtum pro ſolis credentibus, quibus ipſius paſſio per fidem applicatur, mortuum eſſe.

S. Juſtinus, Apol. 2 pro Chriſtianis: „ Ex virgine homo genitus, ait,
„ juxta Patris conſilium & voluntatem, propter ſalutem ei credentium
„ nullificari & paſſionem ſubire perſeveravit, ut moriens atque reſurgens
„ mortem vinceret." Edit. Commel. 1593, pag. 75.

S. Irenæus, lib. 2 *adverſùs Hæreſes*, cap. 39: „ Omnes Venit (Chriſtus)
„ per ſemetipſum ſalvare: omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in
„ Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores. Ideò
„ per omnem venit ætatem."

S. Ambroſius, in Pſalm. 1. n. 33: „ *Puer nobis natus eſt:* nobis qui
„ credimus, non Judæis qui non crediderunt; nobis, non hæreticis;
„ nobis, non Manichæis." Et lib. 6 in Lucam, n. 25: „ Etſi Chriſ-
„ tus pro omnibus paſſus eſt, pro nobis tamen ſpecialiter paſſus eſt,
„ quia pro Eccleſia paſſus eſt."

S. Hieronymus, Comment. in Matth. cap. XX. 28: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*: „ quando Chriſtus formam ſervi accepit, ut pro mun-
„ do ſanguinem funderet. Non dixit, animam ſuam dare redemptio-
„ nem pro omnibus, ſed *pro multis*, id eſt, pro his qui credere volue-
„ rint," fidei ſcilicet dono eis impertito.

Auctor Commentarii in Pſalmos, inter opera ejuſdem Hieronymi, iſta verba pſalmi 43, *vendidiſti populum tuum ſine pretio*, de Judæis, qui non crediderunt, interpretatur, aitque: „ ideò ſine pretio, quia non eſt
„ fuſus Agni ſanguis pro eis."

S. Chryſoſtomus, Hom. 18 in Epiſt. 1 ad Corinthios: „ Hoc quidem, inquit, „ nobis eſt commune cum Græcis (id eſt cum infidelibus) quòd
„ Dominum habemus; hoc autem, *empti eſtis pretio*, nobis (fidelibus)
„ eſt ſelectum ac proprium."

S.

S. Auguſtinus, lib. 1 de Adulterinis Conjugiis, cap. 15. n. 16: „ Omnis, ait, qui ſanguine Chriſti redemptus eſt, homo eſt: non tamen „ omnis qui homo eſt, etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt.“

Hanc doctrinam nitidè explicat S. Proſper, reſpondens ad objectionem
9 Gallorum calumniantium *quòd*, in principiis S. Auguſtini, *non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus.* Oſtendit quippe utrumque rectè dici, & Chriſtum pro omnibus crucifixum, propter communem naturam & cauſam generis humani, ac propter oblati pretii ſufficientiam; & non pro omnibus, quia non omnibus pretium illud applicatur. „ Nullus omnino eſt ex omnibus hominibus, ait, cujus natura in Chriſ- „ to Domino noſtro ſuſcepta non fuerit...... Deus ergo Dei Filius, „ mortalitatis humanæ particeps factus abſque peccato, hoc mortalibus „ & peccatoribus contulit, ut, qui nativitatis ejus conſortes fuiſſent, „ vinculum peccati & mortis evaderent. Sicut itaque non ſufficit hominum renovationi natum eſſe hominem Jeſum Chriſtum, niſi in ipſo „ eodem, de quo ipſe ortus eſt, Spiritu renaſcantur; ſic non ſufficit hominum redemptioni crucifixum eſſe Dominum Chriſtum, niſi commoriantur ei & conſepeliantur in baptiſmo...... Sed cùm ſine hoc ſacramento nemo hominum conſequatur vitam æternam, non eſt ſalvatus „ morte Chriſti qui non eſt crucifixus in Chriſto: non eſt autem crucifixus in Chriſto, qui non eſt membrum corporis Chriſti, qui non „ per aquam & Spiritum ſanctum induit Chriſtum...... Cùm itaque rectiſſimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, „ propter veram naturæ humanæ ſuſceptionem, & propter communem „ in primo homine omnium perditionem, poteſt tamen dici pro his „ tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit. Dicit enim Evangeliſta, *quia Jeſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei diſperſos congregaret in unum.*“ Et poſteà, cap. 15. n. 9: „ Qui dicit quòd non pro totius mundi redemptione Salvator ſit „ crucifixus, non ad ſacramenti virtutem, cùm ſanguis Domini noſtri „ Jeſu Chriſti pretium totius mundi ſit, ſed ad infidelium reſpicit partem.“

Et in libro *adverſùs Vincentium* eidem objectioni à Vincentio primo loco poſitæ reſpondens: „ Quod ad magnitudinem & potentiam pretii, inquit, „ & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, ſanguis „ Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſæculum ſine fide „ Chriſti & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt, redemptionis „ alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam „ omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes „ dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps „ mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt „ Chriſti. Cujus mors non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemp-

„ demptionem ejus etiam qui regenerandi non erant pertinerent, ſed ita „ ut, quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingu- „ lare ſacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immorta- „ litatis, quod confectum eſt ex infirmitate noſtra & virtute divina, „ habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed, ſi non bibitur, non me- „ detur." His ambobus teſtimoniis noſtra Propoſitio non ſolùm diſertè exprimitur, verùm etiam maxima cum luce demonſtratur.

S. Leo, Serm. 13 de Paſſione Domini, n. 4: „ Illa ſubſtantiæ noſtræ „ in Deitate ſuſceptio...... quem hominem miſericordiæ ſuæ, niſi in- „ fidelem, reliquit exſortem?" Ergo miſericordiæ ac redemptionis Chriſti exſortes ſunt infideles.

Alcimus Avitus, Serm. in die Cœnæ: „ Redemptor noſter, in- quit,..... „ teſtamentum fecit, quo nos hæredes inſtituit...... Teſta- „ mentum hoc appellamus novum, in quo, exhæredatis omnibus, ſolus „ hæres inſtituitur populus Chriſtianus." Certè, qui à Chriſti teſta- mento alieni ſunt, redemptionis ejus participes non ſunt.

S. Gregorius magnus, Homiliâ 20 in Evangelia, quæ legitur Dominicâ 4 Adventûs: „ Illum, inquit, prædicare venerat (Joannes), qui „ ex Judæa quosdam & multos ex gentibus redempturus erat." Ergo non omnium generaliter, ſed multorum, credentium ſcilicet ex Judæis & gentibus, redemptor Chriſtus eſt.

Paſchaſius Ratbertus, Comment. in Matthæum, cap. 26, v. 23, ex- plicans hæc verba, *qui pro multis effundetur*, ait: „ Pro multis qui- „ dem, ſed non pro omnibus, quia non omnes credunt Evangelio, „ neque credunt in eum." Ergo, juxta Paſchaſium, pro ſolis creden- tibus Chriſti ſanguis fuſus eſt.

S. Amolo Lugdunenſis Archiepiſcopus, in Epiſt. ad Gotteſchalcum, ſect. 4, ſolos Chriſtianos in morte Chriſti baptizatos pro redemptis habet; hocque duntaxat ſenſu reprehendit iſtam Gotteſchalci propoſitio- nem, *neminem perire poſſe Chriſti ſanguine redemptum.*

Lupus Abbas Ferrarienſis, in Epiſtola ad Regem Carolum Calvum, à quo hac de controverſia, propter magnam eruditionis famam, conſul- tus fuerat, obſervat duos Evangeliſtas (Matthæum & Marcum), refe- rendo verba inſtitutionis Euchariſtiæ, poſuiſſe *pro multis*, unum (Lu- cam) *pro vobis*, nullum pro omnibus. Deinde refert SS. Hieronymi & Auguſtini teſtimonia, dicentium ſanguinem Chriſti pro ſolis credentibus fuſum. Tum addit: „ His tam claris luminibus doctrinam ſuam Evan- „ gelico ſenſu roborantibus qui audeant contradicere?" Denique, ob- jecto ſibimet textu S. Chryſoſtomi, aientis, Hom. 4 in Epiſt. ad He- bræos, non pro fidelibus tantùm, ſed pro univerſo mundo mortuum eſſe Chriſtum, &, ſi non omnes credunt, ipſum quod ſuum erat imple- viſſe, reſpondet id dixiſſe quidem B. Chryſoſtomum, ſed, „ pace & „ reverentiâ tanti viri, cur hoc dixerit, nullo divino teſtimonio com-

„ pro-

„ probaſſe." Idem docet in Collectaneo de Tribus Quæſtionibus, quæſt. 3.

S. Remigius & Eccleſia Lugdunenſis in lib. *de Tribus Epiſtolis* hanc quæſtionem tractat à capite 14 usque ad 27, & quàmvis ſenſum generaliorem à nonnullis Patribus expoſitum non rejiciat, negat tamen mortem Chriſti eis qui in ipſum non crediderunt, nec credituri ſunt, aliquid contuliſſe, eoque ſenſu Chriſtum pro illorum redemptione paſſum non eſſe pronuntiat. Inter alia, cap. 19, explicatis aliquibus S. Leonis verbis, quæ ab Hincmaro allegabantur, ſic proſequitur: „ Illud tantùm „ attentiùs videtur eſſe commendandum, quòd, ubi generale chirogra- „ phum vel generalem pactionem memorat (S. Leo), generalis dam- „ natio totius humani generis, quæ introducta eſt per Adam, intelligen- „ da ſit: &, ubi generalem redemptionem aut generalem indulgen- „ tiam ponit, propter omnium hominum vel omnium nationum genus „ dictum accipiendum ſit: &, ubi pro omnibus impiis Dominum mor- „ tem ſuſcepiſſe docet, pro omnibus ex impietate converſis & in eum „ credentibus, ſicut ipſa ejus verba in multis declarant, accipiendum „ ſit."

S. Prudentius idem credendum propoſuit Æneæ electo in Epiſcopum Pariſienſem, declarans ſe illius conſecrationi aliter conſentire non poſſe. Nam è quatuor capitulis, quæ miſit ad concilium Senonenſe in Epiſtola ſeu *Tractoria*, tertium hoc eſt: „ Ut credat & confiteatur, cum omni- „ bus Catholicis, ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti pro omnibus „ hominibus ex toto mundo in eum credentibus fuſum, non autem „ pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodieque credunt, „ nunquamque credituri ſunt, dicente ipſo Domino: *Venit Filius ho-* „ *minis non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemp-* Matth. XX. 28. „ *tionem pro multis.*"

Concilium Valentinum III & Lingonenſe anni 655, can. 4, Chriſti ſanguinem pro ſolis in eum credentibus fuſum eſſe decernit his verbis: „ Illud nobis ſimpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, jux- „ ta Evangelicam & Apoſtolicam veritatem, quòd pro illis hoc datum „ pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit: *Sicut Moy-* „ *ſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis,* „ *ut omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam......* „ Et Apoſtolus: *Chriſtus*, inquit, *ſemel oblatus eſt ad multorum exhau-* „ *rienda peccata.*"

Denique Eccleſia in ſuis precibus non rarò beneficium redemptionis ad fideles reſtringit, v. g. in hymno Aſcenſionis Chriſti, qui antiquiſſimus eſt: *Æterne Rex altiſſime, Redemptor & fidelium*, & in alio hymno quem S. Papa Gregorius magnus compoſuit: *Rex, Chriſte, factor omnium, Redemptor & credentium.*

Tertium momentum eſt quòd mundum, pro quo paſſus ac mortuus Chris-

Chriſtus dicitur, non pro omnium hominum univerſalitate, ſed pro credentium, aut etiam interdum pro ſalvandorum univerſalitate accipiant. Duplicem quippe diſtinguunt mundum, unum infidelium, alterum fidelium, unum damnatum ac damnandorum, alterum ſalvatum ac ſalvandorum: pro iſto mortuum Chriſtum affirmant, pro illo negant.

Iſtud videre eſt apud S. Auguſtinum, Tract. 87 *in Joannem*, n. 2. „ Eccleſiam ipſam, inquit, mundi nomine appellat; ſicut eſt illud: *Deus* „ *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi:* itemque illud: *Non venit Fi-* „ *lius hominis ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum:* & „ in Epiſtola ſua Joannes ait: *Advocatum habemus apud Patrem Je-* „ *ſum Chriſtum juſtum, & ipſe propitiator eſt peccatorum noſtrorum, non* „ *tantùm noſtrorum, ſed etiam totius mundi.* Totus ergo mundus Eccleſia „ eſt, & totus mundus odit Eccleſiam. Mundus igitur odit mundum, „ inimicus reconciliatum, damnatus ſalvatum, inquinatus mundatum.“ Et in Epiſt. 93, olim 48, ad Vincentium Rogatiſtam, cap. 9. n. 32: „ Totus mundus, inquit, in maligno poſitus eſt, propter zizania quæ „ ſunt per totum mundum: & Chriſtus propitiator eſt peccatorum noſ„ trorum, non tantùm noſtrorum, ſed & totius mundi, propter tritic„ cum quod eſt per totum mundum.“

Neque ſolius Auguſtini iſta doctrina eſt, ſed & aliorum trecentorum Epiſcoporum Africæ in celeberrima Collatione cum Donatiſtis. Cùm enim ſchiſmatici contenderent in hoc Evangelii textu, *ager autem eſt mundus*, nomine mundi Eccleſiam ſignificari minimè potuiſſe, ut refert S. Auguſtinus in Breviculo illius Collationis, Collatione diei 3, cap. 9. n. 15, „ contra Catholici alia teſtimonia protulerunt, quibus „ in bono mundi nomen poſitum oſtenderetur, ſicuti eſt: *Deus erat in* „ *Chriſto, mundum reconcilians ſibi*, & cætera hujuſmodi, ubi oſtende„ retur Eccleſia, quoniam ipſa utique per Chriſtum reconciliatur Deo.“ Hoc factum rurſus teſtatur S. Doctor in libro quem ſcripſit ad Donatiſtas poſt Collationem, cap. 8. n. 11, additque ad argumenti confirmationem: „ Neque enim reconciliari Deo & ſalvari per Chriſtum mundus po„ teſt, niſi mundi nomine intelligatur Eccleſia, quæ ſola per eum Deo „ reconciliata ſalvatur.“ Ergo ſupponebant ſanctiſſimi ac doctiſſimi Præſules non omnes homines, ſed ſolos fideles, ad Eccleſiam in toto mundo diſperſam pertinentes, Chriſti morte ſalvatos, redemptos Deoque reconciliatos eſſe.

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, quàmvis multùm approbet ſenſus illos generaliores, in quibus Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum dici poſſe diximus, huic tamen veritati, quâ mundus à Chriſto redemptus in ſolis fidelibus ac juſtis agnoſcitur, manifeſtiſſimè ac ſolidiſſimè atteſtatur lib. 1. cap. 9. Cùm enim dixiſſet „ omnes, ſi-
Iſai XLV. 23. „ ne cujuſquam exceptione, promiſiſſe, qui dixit: *Per memetipſum ju-* „ *ro...... quia mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur* „ *Deo,*“

„ *Deo*,“ ſtatim quærens qui ſint illi *omnes*, è quibus nullus excipitur, ſubinfert: „ Hic ſi dicamus non fieri quod Deus juravit eſſe faciendum, „ falſitatem Deo (quod abſit) & mendacium adſcribimus veritati. Si „ autem, ut pietas fidesque perſuadent, Dei verba non excidunt, & „ fit omnino quod ſtatuit, quomodò nobis veracis promiſſionis firmitas „ apparebit, cùm multa adhuc hominum millia dæmoniis ferviant & „ idolis genuflectant, niſi hujusmodi denuntiationes Dei ſecundùm il- „ lam incommutabilem ſcientiam editas noverimus, in qua apud illum „ jam univerſitas humana diſcreta eſt, & ſive de bonis, ſive de malis „ loquatur, ita unius partis meminit, quaſi neminem hominum præ- „ termittat?“ Deinde, ut oſtendat *omnes homines* ſæpè ſumi in Scripturis pro ſolorum bonorum univerſitate, hos textus commemorat: 2 Cor. V. 27: *Vetera tranſierunt; ecce facta ſunt omnia nova.* Coloſſ. II. 19: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum.* Joann. XI. 32: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Iſai. XLIV: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa & aſpera in vias planas.* Iſai. LXVI. 18: *Et veniet omnis caro in conſpectu meo, ut adoret in Jeruſalem, dicit Dominus.* Joëlis II. 28: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Et Pſalm. 144. v. 14: *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.* Ex quibus omnibus ſic concludit: „ Habet ergo populus Dei plenitudinem ſuam, & quàmvis magna pars „ hominum ſalvantis gratiam repellat aut negligat, in electis tamen & „ præſcitis, atque ab omnium generalitate diſcretis, ſpecialis quædam „ cenſetur univerſitas, ut de toto mundo totus mundus liberatus, & „ de omnibus hominibus omnes homines videantur aſſumi. Sicut etiam, „ cùm de impiis ſermo eſt, ita locutionem ſuam divinus ſtylus ordi- „ nat, ut ea, quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines per- „ tinere videantur.“ Talia ſunt, exempli causâ, hæc loca Joann. III. 32: *Teſtimonium ejus nemo accipit.* Philipp. II. 13: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* Pſalm. 15 & 32: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.* Non exiſtimo dici quidquam poſſe ſapientius, vel, ad explicandas Scripturarum locutiones, earumque loca, quæ ſibi invicem oppoſita videntur, concilianda, opportunius. Illam porro regulam capite ſequenti confirmat aliis exemplis, ac præſertim ipſo textu Apoſtoli, Rom. XI. 2: *Dico ergo: numquid repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit.* „ Plebs ergo præſcita, inquit idem auctor, plebs non „ repulſa, hi ſunt qui in Chriſto juſtificati ſunt. Et quod de omni Iſ- „ raële dici videtur, in his tantùm, quos ſibi electio gratiæ reliquos „ fecit, oſtenditur.“

Ex his omnibus adeò manifeſtis teſtimoniis liquidò conſtat ſanctorum Pa-

Digitized by Google

Patrum quovis tempore doctrinam hanc fuiſſe, Chriſtum, quàmvis pro omnibus hominibus mortuus rectè dicatur, ſpectatâ nimirum naturâ & cauſâ communi ab eo ſuſceptâ, necnon pretii ab illo oblati ſufficien tiâ, (quod nemo unquam revocavit in dubium), ſi illius ſacrificii applicatio, ſeu gratiæ diſtributio conſideretur, non pro omnibus generaliter, ſed pro ſolis credentibus ſanguinem ſuum fudiſſe.

Nec mirandum eſt mortem Chriſti hoc ſecundo modo à SS. Patribus, ac maximè illis qui poſt Pelagii hæreſim ſcripſerunt, plerùmque conſideratam fuiſſe. Nam controverſia cum Pelagianis, ſicut hodie cum Molinæ diſcipulis, non erat de morte Chriſti abſolutè ſpectatâ, ſed tantùm de illius applicatione; an ſcilicet omnibus ex parte Dei applicetur per gratiam generalem, vel in poteſtate cujusque ſit efficere ut ſibi applicetur. Unde conſequens fuit ut SS. Patres, ad excludendum Pelagii errorem, mortis Chriſti beneficium ad eos ſolos reſtringerent, quibus illius meritum per fidem & ſacramenta communicatur.

Porro reſponderi allatis teſtimoniis non poteſt SS. Patres & Concilia negare voluiſſe tantummodò Chriſtum mortuum eſſe efficaciter pro omnibus, eo ſenſu quòd mors ipſius omnibus proſit; at negare noluiſſe omnibus hominibus virtute meritorum Chriſti dari media ſalutis ſufficientia, modò iis uti velint.

Illud, inquam, reſponderi nequit. Nam quid opus fuit ut tanto conatu id adſtruerent, quod nemo unquam negare auſus eſt? Quis adeò inſanus fuit, ut contenderet merita Chriſti omnibus prodeſſe, cùm luce clarius ſit ea nullatenus prodeſſe, ſive infidelibus, ſive parvulis, qui baptiſmi ſacramento pereunt? Certè hoc unum docebant Pelagiani & Semipelagiani, Chriſtum illud omne præſtitiſſe, quod neceſſarium eſt ex parte ipſius ad ſalutem omnium hominum; proinde pendere jam ab unoquoque ut illo beneficio utatur vel non utatur. Ergo eo ſenſu negarunt SS. Patres Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus, quòd mortis ipſius meritum per gratiam quamdam generalem & ſufficientem omnibus applicetur, ut expreſſis verbis agnoſcit Pereyretus hac in cauſa minimè ſuſpectus, in Tract. de Gratia, cap. 2. art. 2. Siquidem ait S. Auguſtinum, S. Proſperum, S. Fulgentium rejeciſſe iſtam opinionem, „ Deum Pa„ trem omnium & Chriſtum Mediatorem, qui dedit redemptionem ſe„ metipſum pro omnibus, dare omnibus gratiam, quâ, ſi velint & „ quantùm ex parte Dei eſt, poſſint ſalvari, ſi vocanti Deo conſentire „ voluerint."

Probatur ultimò ex ipſa redemptionis voce. Nam, ut quis redemptus & à ſervitute liberatus dicatur, non ſatis eſt quòd exiſtat pretium ad eum redimendum ſufficiens, ſed requiritur inſuper ut illud pretium ipſi applicetur, ac captivi vincula reapſè ſolvantur. Non enim propriè redemptus eſt qui ſervus remanet, nec ſalvatus qui adhuc perditioni addictus eſt. Unde S. Proſper in *Reſponſione ad primam objectionem Vincen-*

centii: „ Redemptionis, ait, proprietas haud dubiè penes illos eſt, de „ quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed „ membra ſunt Chriſti.“ Igitur, cùm evidens ſit non omnes homines erui à ſervitute peccati, evidens eſt etiam non omnes homines morte Chriſti redemptos ac ſervatos eſſe.

Atque hic obſervandum eſt aliquod diſcrimen eſſe inter hanc propoſitionem: Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus, & iſtam: Chriſtus omnes homines morte ſuâ ſalvavit ac redemit. Iſta, ſi propriè accipiatur, ſignificat aliquem effectum mortis Chriſti in omnes homines derivari, quo ſalvari poſſunt, ſi voluerint; quod illa non ſignificat. Unde, quàmvis Chriſtus rectè dicatur mortuus pro omnibus hominibus, quorum naturam ſuſcepit, & quibus verum jus acquiſivit ad remiſſionem peccatorum impetrandam, tamen minùs propriè dicitur omnes redemiſſe ac ſalvaſſe, cum redempti propriè loquendo non ſint, qui non ſunt eruti de poteſtate tenebrarum.

Nec dicas non omnes quidem de facto redimi, quia multi nolunt, ſed tamen ex parte Chriſti omnes redemptos eſſe, idque unum reſtare ut redemptionem ſibi oblatam acceptare velint. Nam 1° hæc olim fuit Fauſti Semipelagianorum ducis aſſertio, lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 16, ubi S. Auguſtini aliorumque catholicæ fidei defenſorum doctrinam exponens: „ Sed dicis, ait, quomodò totum mundum redemit? „ Ecce videmus homines in peccatis ſuis vivere: quomodò putabimus re„ demptos, quos videmus remanere captivos?“ Dein reſpondet hâc propoſitâ ſimilitudine, quam multi recentiores eisdem ferè verbis proponere conſueverunt. „ Si legatus aliquis vel ſacerdos, interceſſurus pro civi„ tate captiva, largius pretium deferat, & univerſum captivitatis popu„ lum de manu ejus recipiat, qui belli jure retinebat, & omnis omni„ no relaxetur lex ac neceſſitas ſervitutis; & inter hæc, ſi fortè illic „ aliquos de captivis vel oblectatio conſuetudinis, vel malè blandus præ„ do ſollicitet, gratuitum beneficium unusquisque voluntatis ſuæ ſervus „ recuſet, numquid aliquam benevolentiæ redemptoris intulit diminu„ tionem, qui reſpuit libertatem? Non ita eſt Quin imò, ſicut re„ demptori gratus poteſt eſſe qui rediit, ita contemptu reus eſt qui „ remanſit. Volentes enim redemit voluntatum remunerator. Juſtus „ enim arbiter Deus voluntarium cupit redire, quem non invitum me„ minit corruiſſe. Quæ cùm ita ſint, dic mihi quem à gratia redemp„ tionis exceperit, qui damnationis antiquæ chirographum generale de„ levit?“ Ita Fauſtus. Ergo Semipelagianiſmum renovant, qui generalem omnium hominum redemptionem ſic admittunt, ut in arbitrio cujusque relinqui velint illam acceptare ſibique applicare, quaſi Deus totum, quod ex parte illius ad ſalutem hominum requiritur, ipſis etiam infidelibus præſtiterit.

2°. Si Chriſtus omnes & ſingulos homines ita redemit, ut ab unoquo-

que jam pendeat per gratiam generalem ſibi præſentem ſalvari, ſi voluerit, ergo Chriſtus neminis propriè loquendo Salvator eſt, qui ſolam ſalutis capeſſendæ poſſibilitatem nobis acquiſivit; ſed ſui quisque ſalvator ac redemptor eſt, cùm, illâ omnibus communi poſſibilitate benè utendo, peccati jugum à cervicibus excutit, ſeque ipſum in libertatem filiorum Dei vindicat. Hoc verò quis Chriſtianus non exhorreat?

3°. Redimi à ſervitute peccati nihil aliud eſt quàm velle. Sicut enim, qui amat & facit peccatum, ſervus eſt peccati; ita, qui peccandi voluntatem abjicit, in libertatem hoc ipſo reſtituitur. Igitur abſurdum dictu eſt Chriſtum omnes homines redemiſſe, modò ipſi velint. Quid namque eſt hominem peccato addictum redimere ac liberare, niſi vincula ejus ac catenas rumpere, quibus peccato alligatur? Quænam autem ſunt ea vincula, niſi voluntatis, juxta illud celebre S. Auguſtini dictum, lib. 8 *Confeſſionum:* „ Ligatus eram, non ferro alieno, ſed ferreâ „ meâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam „ fecerat, & conſtrinxerat me." Tunc ergo Chriſtus propriè nos redimit, quando voluntatem noſtram ex mala facit bonam; ac proinde nos non redimit, ſi velimus, ſed redimendo facit ut velimus.

Solvuntur objectiones. Objiciunt 1° Scripturæ loca, quibus Chriſtus pro omnibus mortuus prædicatur. Rom. VIII. 32: *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* 2 Tim. II. 5 & 6: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* 1 Joannis II. 1 & 2: *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Denique 2 Cor. V. 14 & 15: *Caritas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Igitur, Apoſtolo pronuntiante, pro illis omnibus mortuus eſt Chriſtus, qui mortui ſunt in Adamo. Atqui omnes & ſinguli homines mortui ſunt in Adamo, in quo omnes peccaverunt. Ergo pro omnibus & ſingulis hominibus mortuus eſt Chriſtus.

Tournely, tract. de Attributis, tom. 2. p. 331 & ſeq.

Ibid. pag. 341. Confirmant hoc argumentum B. Auguſtini ſuffragio, ex illo textu probantis peccatum originale in omnes, nullo excepto, diffundi, quoniam pro omnibus, nullo excepto, mortuus eſt Chriſtus. Sic loquitur S. Doctor lib. 20 *de Civitate Dei*, cap. 6: „ Omnes itaque mortui „ ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive in originalibus, ſive „ etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo nec faciendo „ quod juſtum eſt: & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus, „ id eſt, nullum habens omnino peccatum." Et lib. 6 contra Julianum, cap. 4: „ Ex hoc probavit (Apoſtolus) omnes mortuos eſſe, quia „ pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, inſercio recuſanti. „ Accipe, ſalubre eſt, nolo moriaris. *Unus pro omnibus mortuus eſt:* „ *ergo*

„ *ergo omnes mortui ſunt.* Vide quia conſequens eſſe voluit ut intel-
„ ligantur omnes mortui, ſi unus pro omnibus mortuus eſt...... Tu
„ autem jam in primo tuo libro contra nos clamans dixiſti Chriſtum
„ etiam pro parvulis mortuum. Nullomodò igitur negare permitteris
„ eos trahere originale peccatum.“ Cùm autem Julianus, ad eludendam vim verborum Apoſtoli, dixiſſet vocem iſtam *omnes* pro *multi* ſumi, reſpondet S. Doctor lib. 2 Operis imperf. cap. 175: „ Hinc te
„ exue, ſi potes, quòd *unus pro omnibus mortuus eſt*, & aude dicere
„ non omnes mortuos pro quibus mortuus eſt Chriſtus, cùm tibi ſta-
„ tim Apoſtolus fauces premat, & opprimat audaciſſimam vocem, quid
„ ſequeretur oſtendens & dicens: *Ergo omnes mortui ſunt......* In hos
„ omnes cum peccato mors pertranſiit per illum in quo omnes moriun-
„ tur: ibi ſunt & parvuli, quia pro ipſis Chriſtus mortuus eſt, qui
„ propterea pro omnibus mortuus eſt, quia omnes mortui ſunt.“ Ex his verbis & ratiocinatione S. Auguſtini manifeſtum eſt, inquiunt, neminem prorſus hominum eſſe, pro cujus ſalute Chriſtus mortuus non fuerit.

Reſpondeo 1° hoc unum colligi ex illis textibus generaliter acceptis poſſe, Chriſtum mortuum eſſe in natura & pro cauſa omnibus communi, ſufficiens omnium hominum redemptioni pretium Deo ac Patri obtuliſſe, remedium ad delenda peccata quælibet, modò eis applicetur, efficaciſſimum præparaſſe; quod Capite præcedenti agnovimus eſſe veriſſimum: nequaquam verò inde probari gratiam, quæ paſſionis effectus eſt, omnibus & ſingulis applicari. Verùm, quoniam iidem textus ſtrictiori ſenſu accepti ſunt à SS. Patribus:

Reſpondeo 2° facilè illos de omnibus in Chriſtum credentibus & ad Eccleſiam pertinentibus intelligi. In primo textu, Rom. VIII, S. Paulus manifeſtè loquitur in Juſtorum, imò electorum perſona, ut patet ex antecedentibus & conſequentibus. Nam in verſibus immediatè præcedentibus dixerat: *Quos præſcivit & prædeſtinavit,..... illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* In ſequenti verò verſu: *Quis*, ait, *accuſabit adverſùs electos Dei? Deus qui juſtificat: quis eſt qui condemnet?* Utrobique de electis ſermo eſt: ergo & in verſu intermedio.

Alter locus, 1 Tim. II. 6, de hominibus omnium gentium, quos Chriſtus efficaciter redemit, explicari poteſt, juxta illud quod redempti Chriſto canunt, Apocal. V: *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

Tertius locus ſignificat Chriſtum remittere peccata non Judæorum tantùm, ad quos ſcribebat ſuam Epiſtolam S. Joannes ipſe Judæus, ſed omnium ex toto mundo in ipſum credentium: eodem planè ſenſu quo in Evangelio ſuo dixerat idem Apoſtolus, cap. XI, Chriſtum moriturum

rum eſſe *pro gente* Judæorum, *& non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.*

Quarti loci ſcopus non eſt probare peccati originalis in omnes homines tranſitum, quàmvis hoc dogma per legitimam conſequentiam inde inferatur; neque evincit Chriſtum mortuum eſſe pro ſingulis hominibus, ſed tantum pro omnibus hominum generibus. Tres ejus expoſitiones leguntur apud interpretes, ac præſertim apud S. Thomam, in Commentario, lect. 3. Prima eſt: ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt per peccatum. Secunda: ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt peccato, veteri vitæ ac ſibimetipſis; quo etiam ſenſu dicitur, Rom. VI: *Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato;* & Coloſſ. III: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Tertia: ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo mortui ſunt omnes. „ Id eſt, inquit S. Thomas, ita ſe quisque debet reputa„ re, ac ſi eſſet mortuus ſibi ipſi." Unde ſubdit Apoſtolus *pro omnibus mortuum eſſe Chriſtum, ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit,* hoc eſt, totam vitam ſuam ordinent ad ſervitium & honorem Chriſti.

Prima expoſitio non cogit mortis Chriſti beneficium ad omnes & ſingulos homines extendere. Quàmvis enim nemo hominum ſit qui in morte peccati non extiterit, non tamen in ea generalitate ad ſcopum ſuum non pertinente vim facit Apoſtolus, ſed tantùm oſtendit illos omnes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, mortuos fuiſſe per peccatum, ſiquidem Chriſtus ad hoc mortuus eſt, ut homines à morte peccati redimeret. Nihilominùs rectè inde infertur exiſtentia peccati originalis. Nam inter illos omnes, quos à morte peccati Criſtus redemit, numerantur & parvuli baptizati: ergo etiam parvuli per peccatum mortui ſunt. At mortui non ſunt per peccata actualia: ergo trahunt originale peccatum.

In ſecunda & tertia expoſitione, quæ magis litterales ſunt ac propiùs attingunt Apoſtoli propoſitum, vox *omnes* manifeſtè reſtringitur ad juſtificatos, qui ſoli mortui ſunt peccato, & in quorum perſona S. Paulus dicit, Rom. VI: *Qui mortui ſumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo?* Tamen hinc etiam adſtruitur originis peccatum. Cùm enim inter juſtificatos, pro quibus Chriſtus efficaciter mortuus eſt, recenſeantur & parvuli baptiſmatis participes, liquet eos, dum baptizantur, mori peccato: cui verò, niſi originali?

„ Ex his ſatis apparet, inquit Eſtius in hunc locum, id quod dicit „ Apoſtolus, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, de prædeſtinatis „ ſive electis convenienter intelligi, tanquam ratiocinetur hoc modo: „ Si Chriſtus pro omnibus, quos ad vitam elegit, mortuus eſt, igitur „ omnes redemptionis ejus facti participes...... mori debent in dies ve-

„ teri

„ teri vitæ, & vivere vitam novam; aut mortui eſſe debent ſibi ipſis, „ ut jam non ſuis commodis ſtudeant, ſed gloriæ Domini Redemptoris „ ſui."

Primam interpretationem tradit S. Auguſtinus, probatque invictè ex hoc textu Apoſtoli infantes obligari peccato originali. Sed ejus argumentatio minimè probat vocem *omnes* in priori membro, *unus pro omnibus mortuus eſt*, ab ipſo generaliter eſſe intellectam. Enimverò ſenſus communis demonſtrat, nec inficiabantur Pelagiani, ſi parvuli baptizati contraxerint ab origine peccatum, cæteros quoque infantes illud contrahere. Quamobrem hoc unum habebat probandum S. Auguſtinus, infantes ipſos, cùm baptizantur, percipere remiſſionem peccatorum: hoc enim ſemel probato, manifeſtum eſt omnes homines naſci cum peccato. Legantur capita 3, 4 & 5 libri ſexti contra Julianum, cerneturque totam S. Doctoris ratiocinationem ad hunc reduci ſyllogismum: Ex Apoſtolo, omnes, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, per peccatum mortui ſunt. Atqui, vobis, Pelagiani, fatentibus, Chriſtus pro parvulis mortuus eſt; conceditis enim eos in morte Chriſti baptizari debere. Ergo parvuli per peccatum mortui ſunt. Non ergò agebatur de univerſalitate hujus propoſitionis, *unus pro omnibus mortuus eſt*, ſed de univerſalitate conſequentiæ, *ergo omnes mortui ſunt:* id eſt, non hoc controvertebatur, an mors Chriſti extendatur ad omnes homines ſine exceptione, ſed an omnes, ſine exceptione, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, per peccatum mortui ſint. Id verò S. Auguſtinus evidentiſſimè & invictiſſimè demonſtrat ex verbis Apoſtoli.

Adeò verum eſt S. Auguſtinum intellexiſſe hanc vocem, *omnes*, de omnibus & ſolis in Chriſto juſtificatis, ut ibidem, cap. 15. n. 48, relato textu integro Apoſtoli, ſic pergat: „ Illi ergo vivunt, pro quibus, „ ut vivant, mortuus eſt qui vivebat. Quod apertiùs ita dicitur: illi „ ſunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus eſt inter mortuos „ liber. Vel ſic multò apertiùs: illi ſunt liberati à peccato, pro qui- „ bus mortuus eſt qui nunquam fuerat in peccato. Et, cùm ſemel ſit „ mortuus, tamen pro unoquoque tunc moritur, quando in ejus mor- „ te, quantælibet ætatis fuerit, baptizatur: id eſt, tunc ei proderit „ mors ejus qui fuit ſine peccato, quando in ejus morte baptizatus mor- „ tuus fuerit etiam ipſe peccato, qui mortuus fuerat in peccato." Audis illos omnes vivere liberatos à peccato, pro quibus Chriſtus mortuus eſt; ac proinde non pro omnibus hominibus, nullo excepto, ſed pro omnibus juſtificatis à peccato mortuum eſſe Chriſtum.

Objiciunt 2° ſanctos Patres, qui Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum aſſerunt:

Hieronymum in Epiſtola ad Oceanum. „ Mentitur, ait, Joannes „ Baptiſta & digito Chriſtum & voce demonſtrans: *Ecce Agnus Dei*,

„ *ecce qui tollit peccata mundi*, ſi ſunt adhuc in ſæculo quorum Chriſtus „ peccata non tulerit."

S. Ambroſium in Pſalm. 72: „ Venit (Chriſtus), inquit, ut peccatum mundi tolleret, vulnera noſtra curaret. Sed quia non omnes „ medicinam expetunt, ſed plerique refugiunt,..... ideò volentes curat, non adſtringit invitos. Accipiunt igitur ſanitatem qui medicinam expetunt; illi autem qui refutant medicum, nec requirunt, „ bonitatem medici, quam non experiuntur, ſentire non poſſunt."

Chryſoſtomum, Hom. 7 in Ep. 1 ad Timoth. ubi explicans hæc verba: *Qui ſemetipſum dedit redemptionem pro omnibus:* „ Quid ergo, inquit, „ & pro Gentilibus? Ita Chriſtus pro omnibus & propter omnes „ mortuus eſt, ut, uno pro omnibus mortuo, omnes in ipſo vivamus."

S. Leonem, Serm. 1 in Nativitatem Domini, cap. 1: „ Dominus „ noſter, inquit, peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu „ liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit."

Reſpondeo hæc teſtimonia, & alia his ſimilia quæ afferri poſſent, ſi de ſingulis generum intelligantur, probare tantùm, quod ultro conceſſimus, mortem Chriſti eſſe remedium omnibus peccatis delendis ſufficientiſſimum, omnibuſque hominibus proponi juſſum; minimè verò illam omnibus hominibus applicari. Sed, ut pauca dicam de ſingulis:

S. Hieronymus, loco citato, probare vult nullum peccatum eſſe irremiſſibile, hoc eſt, quod ſanguine Chriſti expiari delerique non poſſit: proinde loquitur duntaxat de ſufficientia mortis Chriſti, non autem de illius applicatione. Et ſanè quis dicat neminem eſſe, cujus peccata per Chriſtum ſublata remiſſaque non fuerint?

S. Ambroſius docet tantummodò paratum eſſe à Chriſto remedium efficax ad ſananda omnia peccatorum vulnera; ſed non dicit, imò negat omnibus conferri iſtud remedium. Ait quidem Chriſtum eos curare qui medicinam expetunt, eos verò derelinquere qui recuſant; quod eſt veriſſimum. Sed non, ſicut ad reſpuendam ſanitatem, ita ad eam deſiderandam homo ſibi ſufficit. Eſt enim gratiæ medicinalis donum deſiderium ipſum ſanitatis, ut definitum eſt adverſùs Semipelagianos; & hoc donum non conferri omnibus experientia ipſa demonſtrat. Eadem videtur eſſe mens Chryſoſtomi.

S. Leonis verba poſſunt exponi de omnibus hominum generibus, quorum ſicut nullum à reatu liberum eſt, ita nullum eſt liberationis expers. Addit namque: „ Exultet ſanctus, quia propinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam: animetur gentilis, quia vocatur ad vitam."

Objiciunt 3°. S. Auguſtinus aſſerit Chriſtum ideò judicaturum orbem, quia non partem, ſed totum emit. Enarrat. in pſalm. 95. n. 15: „Ju- „ di-

„ dicabit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem „ emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.“

Reſpondeo S. Doctorem hoc loco perſtringere Donatiſtas, qui contendebant Eccleſiam de toto terrarum orbe periiſſe, & in ſola parte Donati in Africa remanſiſſe. Unde continuò addit: „ Audiſtis Evangelium, quia, cùm venerit, inquit, congregabit electos ſuos à „ quatuor ventis. Congregat electos omnes à quatuor ventis: ergo de „ toto orbe terrarum.“ Quaſi dicat: non ſolam Africam emit, ſed totum orbem, hoc eſt, electos de toto orbe terrarum. Idem argumentum proponit in pſalm. 65. n. 2. „ Jubilate Deo, omnis terra: „ nemo jubilet in parte...... Omnis terra jubilet. Catholica jubilet. „ Catholica totum tenet. Quicunque partem tenet, & à toto præciſus „ eſt, ululare vult, non jubilare.“ Et Tract. 13 in Joann. n. 13 & 14: „ Sponſus tuus totum orbem tenet: quare in parte corrumperis? Ipſe „ ſponſus totum tenet, quia totum emit. Vide quanti emerit, ut intelligas quid emerit. Quod pretium dedit? Sanguinem ſuum...... Pro „ quanto dedit? Si pro Africa dedit, ſimus Donatiſtæ.“ Ubi manifeſtum eſt orbis terrarum nomine intelligi à S. Auguſtino Eccleſiam toto terrarum orbe diffuſam, ejusque ratiocinationem eſſe iſtiusmodi: Chriſtus non partem orbis, ſed totum orbem ſanguine ſuo emit. Ergo Eccleſia Chriſti non Africam tantùm, ſed totum orbem obtinet.

Certè ſi nomine totius orbis ipſos etiam infideles intellexiſſet S. Doctor, ejus probatio nullius foret roboris. Cùm enim infideles ab Eccleſia alieni ſint, ex Chriſti pro illis morte nihil quidquam concludi poteſt ad Eccleſiæ univerſalitatem demonſtrandam. Quamobrem, ad præcludendum ora Donatiſtarum, ſupponit S. Auguſtinus Chriſtum non emiſſe niſi Eccleſiam ſuam, juxta illud S. Pauli: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea;* quod Donatiſtæ quoque admittebant, contendendo ſe ſolos eſſe Eccleſiam, pro qua redimenda Chriſtus mortuus eſt: & concludit Eccleſiam non includi in Africa, ſed per omnes gentes diſpergi, eoquòd non partem orbis, ſed orbem totum Chriſtus emerit.

Inſtant. S. Auguſtinus, Tract. 12 in Joannem, n. 12, dicit: „ Quantùm in medico eſt, venit ſanare ægrotum. Ipſe ſe interimit qui „ præcepta medici obſervare non vult. Venit Salvator in mundum, „ non ut judicet mundum. Salvari non vis ab ipſo: ex te judicaberis.“ Ergo Chriſtus, ex S. Auguſtino, facit quod in ſe eſt ad ſalvandum eos qui pereunt: quod dici nequit, ſi meritum paſſionis ipſius non eis applicetur.

Reſpondeo 1° hæc verba extendi non poſſe ad parvulos, ſed tantùm ad adultos, qui ſoli, propriè loquendo, præcepta ſuperni medici obſervare detrectant.

Reſpondeo 2° mentem S. Doctoris eſſe, illos qui pereunt, non medici, ſed ſuâ ipſorum culpâ perire; quippe qui medici ſaluberrima præcep-

ta obſervare parvipendant. Eſt autem obſervandum partes medicorum eſſe ut pharmacum efficax offerant, & rectum illius uſum præſcribant; ut verò ægrotus remedio ſibi præparato rectè uti velit, non à medicis, ſed ab ipſo ægroto pendere. Præſtitit copioſiſſimè Chriſtus quidquid ad medicinæ ordinariæ leges pertinet. Pharmacum omnibus mederi efficax ſanguine ſuo procuravit: inſuper ſaluberrima præcepta appoſuit, quibus obſervatis, nullus non ſanatur languor. Jam quòd multi curari nolint, ipſis eſt imputandum, non medico: quòd autem nonnulli curandos ſe tradant, gratiæ agendæ ſunt medico, qui ſpeciali bonitate primam hanc medelam contulit, ut incipiant languorem ſuum cognoſcere, & ſupernam opem deſiderare, quâ ſurgant.

Inſtant rurſus. S. Auguſtinus, Serm. 2 de Symbolo ad Catechumenos, cap. 8. n. 17, ait Chriſtum in die judicii vulnera ſua reprobis oſtenſurum, eisque dicturum: „ Videtis vulnera quæ inflixiſtis; agnoſcitis quod pupugiſtis: quoniam per vos & propter vos apertum eſt, „ nec tamen intrare voluiſtis."

Reſpondeo iſtum Sermonem, Patrum Benedictinorum judicio, non eſſe S. Auguſtini, ſed aliûs auctoris. Verùm ille auctor, quisquis ſit, nobis non adverſatur. Non enim dicit fructum mortis Chriſti applicari omnibus reprobis, ſed tantùm reprobos ſalutem in vulneribus Salvatoris inventuros fuiſſe, ſi corde ſincero ac contrito ad ea confugiſſent; quod facere noluerunt. Unde ſtatim addit: „ Qui non eſtis redempti pretio „ ſanguinis mei, non eſtis mei." Agnoſcit ergo reprobos non redimi, hoc eſt, non eis applicari redemptionem ſanguinis Chriſti: & utique ſuâ culpâ & ſocordiâ non redimuntur, qui ſi redimerentur, laudandum eſſet gratuitum atque efficax redimentis donum.

PROPOSITIO SECUNDA.

De fide eſt Chriſtum pro aliquibus reprobis mortuum eſſe, eo ſenſu quòd temporales mortis ſuæ effectus eis applicet.

Propositio eſt contra Calvinum ejusque ſectarios, qui volunt neminem, præter electos, gratiæ & juſtificationis participem eſſe.

Probatur omnibus argumentis, quibus Libro VI oſtendemus juſtitiam poſſe amitti, multosque baptiſmo aliisque ſacramentis ſanctificari, qui in accepta gratia non perſeverant, eoque non pertinent ad numerum electorum.

Pro-

Probatur 2° duobus Scripturæ ſacræ teſtimoniis. Primum extat Rom. XIV. 15 & ſequentibus, ubi S. Paulus, arguens eos qui, cibis veteri lege interdictis licitè quidem, ſed incautè utendo, fratribus minùs peritis ſcandalo erant, ſic loquitur: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt...... Noli propter eſcam deſtruere opus Dei:* hoc eſt, fratrem tuum divinâ gratiâ fidelem & Chriſtianum factum; manifeſtè ſupponens aliquos ex eis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & qui fructum mortis ac redemptionis ejus verè perceperunt, perire poſſe, atque interdum perire, quemadmodùm disertè docet, 1 Cor. VIII. 11, ubi de idolothytorum eſu tractans: *& peribit*, inquit, *in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Porro ſi nonnulli, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & quibus fructus paſſionis ejus applicatur, poſtmodum pereunt, ergo non ſoli electi meritorum Chriſti participes ſunt.

Alterum eſt S. Petri in 2 Epiſtola, II. 2. *In vobis erunt*, inquit, *magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem.* Declarat Apoſtolus illos hæreſiarchas in æternum perituros, redemptos tamen à Chriſto fuiſſe. „ Unde ex hoc loco benè colligitur, ait Eſtius hic, „ Chriſtum redemiſſe quosdam reprobos, nempe illos qui redemptionis „ ejus ſecundùm aliquos effectus facti ſunt participes, ſed in dilectione „ aut etiam in fide non perſeverant.“

Probatur 3° expreſſâ definitione conciliorum Valentini III & Lingonenſis anni 855, canone 5, cujus hæc verba ſunt: „ Firmiſſimè tenen- „ dum credimus quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu ſanc- „ to regenerata, ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata, &, juxta „ doctrinam Apoſtolicam, in morte Chriſti baptizata, in ejus ſanguine „ ſit à peccatis ſuis abluta: quia nec in eis potuit eſſe vera regenera- „ tio, niſi fieret & vera redemptio; cùm in Eccleſiæ ſacramentis nihil „ ſit caſſum, nihil ludificatorium, ſed prorſus totum verum & ipſâ ſuî „ veritate & ſinceritate ſubnixum: ex ipſa tamen multitudine fidelium „ & redemptorum alios ſalvari æternâ ſalute, quia per gratiam Dei in „ redemptione ſua fideliter permanent,..... alios, quia noluerunt perma- „ nere in ſalute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gra- „ tiam potiùs irritam facere pravâ doctrinâ vel vitâ, quàm ſervare, ele- „ gerunt, ad plenitudinem ſalutis & ad perceptionem æternæ beatitudi- „ nis nullomodò pervenire.“ Conſentiebant tunc in hoc fidei dogmate quotquot erant Catholici, Hincmarus Gotteſchalci adverſarius ex una parte, Eccleſia Lugdunenſis aliique doctrinæ Gotteſchalci defenſores ex altera; adeò ut ipſemet Gotteſchalcus, oppoſiti erroris à malevolis inſimulatus, eum tanquam nefandam hæreſim à ſe procul rejecerit.

Renovarunt illam definitionem poſtremo ſæculo Innocentius X & Alexander VII, cùm ultimam è V famoſis Propoſitionibus, *intellectam eo ſenſu quod Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*, hæ-

hæreticam declararunt, & *uti talem* damnaverunt. Nam ſi hæreticum eſt Chriſtum pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe, ergo de fide eſt Chriſtum aliquibus reprobis temporales gratiæ effectus morte ſuâ promeruiſſe ac procuraſſe.

PROPOSITIO TERTIA.

Solis electis fructus mortis Chriſti plenè & integrè applicatur, ideòque, totum redemptionis effectum conſiderando, Chriſtus ſolorum electorum Servator ac Redemptor catholicè ac verè dici poteſt.

REVERA totum redemptionis noſtræ opus eò tendit, ut à peccati ſervitute in æternum liberati perpetuâ ſalute perfruamur. Soli ergo propriè & abſolutè dicuntur redempti, quorum princeps mortis diabolus æternùm non dominabitur: qui verò perituri ſunt, etiamſi ad tempus fideles aut etiam juſti exiſtant, eoque tempore ſecundùm præſentem juſtitiam à peccati ſervitute verè ſint liberi, non tamen ſunt ſimpliciter redempti, ſed ſecundùm quid. Unde S. Auguſtinus docet ſæpiſſimè illos non eſſe à maſſa perditionis diſcretos, juxta hæc verba Chriſti apud Joannem, X. 15: *Animam meam pono pro ovibus meis.* Oves autem intelligit electos. Et v. 27, 28, 29: *Oves meæ vocem meam audiunt, & cognoſco eas & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, nec rapiet eas quiſquam de manu mea.*

Adde omnes reprobos, ex Auguſtino, in utilitatem vivere filiorum miſericordiæ, ad quorum ſalutem, omnia quæ in mundo geruntur, divinæ prædeſtinationis decreto ordinantur. „ Cæteri mortales, ait S. Doctor, „ qui ex iſto numero (electorum) non ſunt,..... ad utilitatem „ pertinent illorum.“ Cùm ergo aliqui è reprobis ſanguine Chriſti mundantur, non tam propter ipſos fit, qui inde caſuri ſunt, quàm propter electos, quibus ſecundùm propoſitum vocatis hoc ipſum cooperatur in bonum.

His de cauſis SS. Patres interdum mortis Chriſti beneficium ad ſolos electos reſtringunt, aſſeruntque neminem ipſius ſanguine redemptum perire.

Eccleſia Smyrnenſis, in Epiſtola encyclica ad omnes Eccleſias de martyrio B. Polycarpi, n. 17, dicit: „ Nunquam derelinquere poterimus Chriſtum, qui pro ſalute omnium, qui in toto mundo ſalvi „ futuri ſunt, paſſus eſt, inculpatus pro peccatoribus.“ (Edit. Hittigii, pag. 413).

S.

S. Auguſtinus, Serm. 274: „ Quando perit qui Chriſti ſanguine re-
„ demptus eſt? Potens homo non poteſt perdere quod emit auro ſuo,
„ & Chriſtus perdit quod emit ſanguine ſuo?" Et in Epiſt. 169, olim 102, ad Evodium, cap. 1. n. 4: „ Non perit unus ex illis pro quibus
„ Chriſtus mortuus eſt."

S. Gregorius magnus, Hom. 2 in Ezechielem, n. 29: „ Pro electo-
„ rum vita usque ad mortem ſe tradidit auctor vitæ."

S. Prudentius, in Epiſtola ad Hincmarum & Pardulum, cap. 3, dicit Chriſtum non pro omnibus, ſed pro electis mortuum.

Haymo Epiſcopus Alberſtatenſis in Germania, in Epiſtolam 1 ad Timotheum, cap. 2: „ *Qui dedit redemptionem pro omnibus:* ſubaudi
„ electis. Quam redemptionem? *Semetipſum.*"

Herricus monachus Antiſſiodorenſis, Hom. in Evangelium feriæ 4 poſt Dominicam 2 Quadrageſimæ, exponens hæc verba Matth. XX: *Venit Filius hominis dare animam ſuam redemptionem pro multis*, obſervat Chriſtum non dixiſſe, pro omnibus, ſed *pro multis*, pro his videli-
„ cet...... qui ſunt de numero ſalvandorum & ad vitam æternam præ-
„ deſtinatorum."

Denique S. Bernardus, Serm. 20 de Circumciſione Domini, n. 3:
„ Propter hoc circumciſus eſt, propter quod natus, propter quod paſ-
„ ſus: nihil horum propter ſe, ſed omnia propter electos." Et n. 4:
„ Multiplicabitur ſanè ejus imperium, ut meritò dicatur Salvator etiam
„ pro multitudine ſalvandorum."

Superfluum exiſtimo oſtendere hos SS. Patres, talia dicendo, non adverſari præcedenti Propoſitioni, nec Calvino ſuffragari, atque ita redemptionis beneficium electis attribuere, ut non negent aliquos reprobos plus minùsve ipſius participes eſſe.

Ex dictis ſequitur 1° fructum paſſionis Chriſti nullomodò applicari parvulis, neque infidelibus, qui vel ſine baptiſmo, vel in infidelitate moriuntur. 2°. Quibus applicatur, non omnibus, quantùm ad omnes redemptionis effectus, applicari. Nam aliis per merita Chriſti datur fides, quibus juſtificatio non datur: aliis datur juſtitia, ſed perſeverantia non datur: aliis denique, nimirum electis, & juſtitia, & usque in finem perſeverantia, & vitæ æternæ præmium datur; hique, quia redemptionis donum integrum obtinent, quod cæteri vel nullomodò, vel tantùm ex parte percipiunt, dicuntur ſimpliciter redempti.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

An Chriſtus mortem ſuam omnibus prodeſſe voluerit, & pro omnium hominum, aut ſaltem omnium fidelium æterna ſalute Deum Patrem oraverit.

SOLUTIO hujus quæſtionis maxima ex parte pendet ab alia, quâ quæritur an omnis voluntas & oratio Chriſti fuerit exaudita. Nam ſi aliqua oratio Chriſti non fuit exaudita nec impleta à Patre, non repugnat aliquos non ſalvari, quorum ſalutem Chriſtus oraverit. Si verò omnis oratio Chriſti fuit exaudita & impleta à Patre, certum eſt Chriſtum illorum qui non ſalvantur æternam ſalutem nunquam orando poſtulaſſe.

Quamobrem, antequàm propoſitam quæſtionem enodare aggrediamur, ab iſta auſpicabimur.

ARTICULUS PRIMUS.

An omnis voluntas & oratio Chriſti fuerit impleta & exaudita à Patre.

In Chriſto, ſicut natura, ita voluntas duplex eſt, divina & humana. De divina egimus diſputatione præcedenti.

Voluntas humana, ſicut in nobis, duplex iterum diſtinguitur, una rationalis, altera ſenſitiva, quæ à S. Thoma *voluntas ſenſualitatis*, & à S. Bonaventura *voluntas carnis* appellatur. Illa pertinet ad partem ſuperiorem, & propriè dicitur voluntas; hæc ad partem inferiorem, & impropriè ac *participativè*, ut loquitur S. Thomas, 3 part. q. 18. art. 5, in corpore, *dicitur voluntas*. Enimverò Chriſtus naturam humanam aſſumendo humanas quoque affectiones, ſolo dempto peccato, aſſumpſit. Quemadmodùm igitur in nobis, præter voluntatem rationalem, exiſtit voluntas carnis, quâ dolores & mortem naturaliter refugimus, ita & in Chriſto, quandiu vitam egit mortalem.

Voluntas rationalis iterum dividitur in voluntatem conſideratam ut naturam, & voluntatem rationis. Illa prævenit rationis deliberationem, ferturque in objectum ſuum abſolutè & præciſis circumſtantiis particularibus conſideratum: dicitur voluntas *ut natura*, quia conſiſtit in motu naturali & minimè libero. Hæc ſequitur rationis deliberationem, & fertur in objectum omnibus ſuis circumſtantiis veſtitum.

Ad voluntatem naturalem revocatur ea quam Hugo victorinus & S. Bona-

Bonaventura *pietatis* appellant. Voluntas pietatis, ait S. Thomas ibidem, art. 3. ad 3, „ non videtur eſſe aliud quàm voluntas quæ conſideratur ut natura, in quantum ſcilicet refugit alienum malum abſolutè „ conſideratum.“

Eſt autem obſervandum Chriſtum ea duntaxat ſimpliciter voluiſſe, quæ voluit voluntate rationis. Voluntas enim, ut ait S. Thomas, part. 1. q. 19. art. 6. ad 1, „ comparatur ad res ſecundùm quòd in ſeipſis „ ſunt: in ſeipſis autem ſunt in particulari. Unde volumus aliquid „ ſimpliciter, ſecundùm quòd volumus illud conſideratis omnibus cir- „ cumſtantiis particularibus, quod eſt conſequenter velle.“ Unde voluntas *ut natura* poteſt etiam dici antecedens, & voluntas rationis conſequens.

Hinc patet Chriſtum, per voluntatem ſenſitivam & per voluntatem naturalem, potuiſſe velle aliqua quæ Pater nolebat; per voluntatem verò rationis neutiquam. „ Manifeſtum eſt, inquit Doctor Angelicus, part. 3. q. 18. art. 5. in corpore, „ quòd voluntas ſenſualitatis „ refugit naturaliter dolores ſenſibiles & corporis læſionem. Similiter „ etiam voluntas ut natura repudiat ea quæ ſunt naturæ contraria, & „ quæ ſunt ſecundùm ſe mala, putà mortem & alia hujusmodi...... „ Voluntas autem Dei erat ut Chriſtus dolores, & paſſiones, & mortem „ pateretur: non quòd ita eſſent à Deo volita ſecundùm ſe“ (hoc eſt, velut per ſe bona), „ ſed ex ordine ad finem humanæ ſalutis. Unde „ patet quòd Chriſtus, ſecundùm voluntatem ſenſualitatis & ſecundùm „ voluntatem rationis quæ conſideratur ut natura, aliud poterat velle „ quàm Deus; ſed ſecundùm voluntatem quæ eſt per modum rationis (& quæ eſt ſimpliciter voluntas), „ ſemper idem volebat quod Deus. „ Quod patet ex hoc ipſo quod dicit: *Non ſicut ego volo, ſed ſi- „ cut tu.* Volebat enim ſecundùm rationem voluntatem divinam im- „ pleri, quàmvis aliud dicat ſe velle ſecundùm quamdam aliam ejus „ voluntatem.“ Et in reſponſione ad 1um argumentum: „ Chriſtus per „ voluntatem rationalem voluit ut divina voluntas impleretur, non „ autem per voluntatem ſenſualitatis, cujus motus non ſe extendit „ usque ad voluntatem Dei, neque per voluntatem quæ conſideratur „ per modum naturæ, quæ fertur in aliqua objecta abſolutè conſiderata „ & non in ordine ad divinam voluntatem.“

Non tamen inde conſequitur aut voluntatem aliquam in Chriſto divinæ voluntati contrariam fuiſſe, aut voluntatum diſcordiam in eo, ſicut in nobis, extitiſſe. 1°. Voluntas ſenſualitatis & voluntas naturalis, quàmvis ea refugientes quæ Deus volebat, non repugnabant voluntati divinæ, quia non ſub eodem reſpectu, ſub quo illa Deus volebat, refugiebant: v. g. refugiebant dolores & mortem ſecundùm ſe abſolutè conſiderata, Deus autem volebat ut Chriſtus ea propter hominum ſalutem pateretur. „ Quemadmodùm igitur, ait S. Thomas, ibid. art. 6. in

corpore, „ ſi rex vult ſuſpendi latronem propter bonum publicum, & „ aliquis ejus conſanguineus nolit eum ſuſpendi propter amorem privatum, non erit contrarietas voluntatis, niſi fortè in tantum ſe extendat voluntas hominis privati, ut bonum publicum velit impedire, ut „ conſervetur bonum privatum;" ita voluntas ſenſitiva & voluntas indeliberata, quâ Chriſtus mortem metuebat, divinæ diſpoſitioni non repugnabat, cui potiùs per voluntatem rationis ſubmittebatur. Immo „ hoc ipſum, quòd aliqua voluntas humana in Chriſto aliud volebat „ quàm voluntas divina, procedebat ex ipſa voluntate divina, cujus „ beneplacito natura humana motibus propriis movebatur in Chriſto," ut dicit ibidem, poſt Damaſcenum, Angelicus Doctor.

2°. Non erat quoque in Chriſto pugna voluntatum, ut probat idem S. Doctor, „ quia neque voluntas divina, neque voluntas rationis in „ Chriſto impediebatur aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut „ per appetitum ſenſualitatis: nec è contrario voluntas divina vel voluntas rationis in Chriſto refugiebat aut retardabat motum voluntatis „ naturalis humanæ & motum ſenſualitatis in Chriſto. Placebat enim „ Chriſto, ſecundùm voluntatem divinam, & etiam ſecundùm voluntatem rationis, ut voluntas naturalis in ipſo & voluntas ſenſualitatis „ ſecundùm ordinem ſuæ naturæ moverentur."

Non ſicut voluntas humana Chriſti, ita etiam ejus oratio triplex diſtingui poteſt. Orare quippe, cùm ſit actus deliberatus, ad ſolam voluntatem rationis pertinet, ut oſtendit S. Thomas, 2. 2. q. 83. art. 1. Poterat tamen Chriſtus orando exponere motus voluntatis ſenſitivæ & voluntatis naturalis, hocque ſenſu poteſt dici oraſſe, non quidem per ſenſualitatem aut voluntatem indeliberatam, ſed ſecundùm illas: quod præclarè exponit idem S. Thomas, part. 3. q. 21. art. 2, cujus titulus eſt: *Utrùm Chriſto conveniat orare ſecundùm ſuam ſenſualitatem.* „ Orare „ ſecundùm ſuam ſenſualitatem, inquit, poteſt intelligi dupliciter: uno „ modo ſic quòd ipſa oratio ſit actus ſenſualitatis, & hoc modo Chriſtus ſecundùm ſenſualitatem non oravit; quia ejus ſenſualitas ejuſdem „ naturæ & ſpeciei fuit in Chriſto & in nobis. In nobis autem non „ poteſt ſenſualitas orare, duplici ratione: 1°. Quidem quia motus ſenſualitatis non poteſt ſenſibilia tranſcendere, & ideò non poteſt ad „ Deum aſcendere, quod requiritur ad orationem. 2°. Quia oratio importat quamdam ordinationem, prout ſcilicet aliquis deſiderat aliquid „ quaſi à Deo implendum, & hoc eſt ſolius rationis: unde oratio eſt „ actus rationis. Alio modo poteſt dici aliquis orare ſecundùm ſenſualitatem, quia ſcilicet ejus oratio orando Deo proponit quod eſt in „ appetitu ſenſualitatis ipſius, & ſecundùm hoc Chriſtus oravit ſecundùm ſenſualitatem, in quantum ſcilicet oratio ejus exprimebat affectum ſenſualitatis, tanquam ſenſualitatis advocata: & hoc quidem ut „ nos de tribus inſtrueret: 1° Quidem ut oſtenderet ſe veram naturam „ hu-

Digitized by Google

„ humanam ſuſcepiſſe cum omnibus naturalibus affectibus. 2°. Ut oſtenderet quòd homini licet ſecundùm naturalem affectum aliquid „ velle quod Deus non vult. 3°. Ut oſtendat quòd proprium affectum „ debet homo divinæ voluntati ſubjicere."

Hujusmodi orationis exemplum habemus in Evangelio, ubi Chriſtus vicinam mortem expaveſcens ſic Patrem precatus eſt: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Non pars ſenſitiva hic locuta eſt, ſed voluntas ſuperior & deliberata, tanquam illius advocata, naturalem ipſius affectum modo deprecatorio Deo Patri expoſuit, ſimulque paternæ voluntati planè ſubjecit. Vide Richardum de Mediavilla, in 3. diſt. 17. q. 3.

Diſtinguunt inſuper nonnulli duplicem voluntatem & orationem in Chriſto, unam abſolutam, alteram conditionatam. Benè, ſi voluntatis abſolutæ nomine voluntatem rationis, & voluntatis conditionatæ nomine voluntatem ſenſualitatis & voluntatem naturalem intelligant. Nam reverâ, quidquid per ſenſualitatis aut naturalem voluntatem volebat Chriſtus, non abſolutè volebat & poſcebat, ſed conditionatè, nimirum ſi ita Patri ſuo placeret. Sed tunc redundat hæc diviſio, ut pote à præallatis non diſcrepans.

Si verò voluntatis & orationis conditionatæ nomine intelligant voluntatem quæ hoc actu exprimatur: volo & precor ut omnes homines ſalvi fiant, modò ipſi velint, planè erronea & abſurda eſt illa diviſio. Quid enim, quæſo, abſurdius fingi poteſt, quàm Chriſtum oraſſe Patrem omnipotentem ut aliquid faceret, non ſi ipſi, ſed ſi hominibus placeret? Si ita eſt, non ad Deum preces convertere Chriſtus debuiſſet, ſed ad homines, in quorum poteſtate eſt quod ipſe optabat perficere.

His expoſitis, certum eſt voluntatem ſenſualitatis, & voluntatem naturalem in Chriſto, non ſemper impletas fuiſſe, & orationes, quas ſecundùm illos naturales & indeliberatos affectus Deo allegavit, non ſemper fuiſſe exauditas: nec mirum iſtud eſſe debet, cùm, ea quæ hoc modo voluit Chriſtus, non ſimpliciter voluerit, ſed ſecundùm quid, nec eo fine petierit ut exaudiretur, ſed ut veritatem humanæ ſuæ naturæ demonſtraret, & orandi normam nobis proponeret.

Huc igitur redit quæſtio, an, quidquid Chriſtus ſimpliciter ſeu voluntate rationis voluit, impletum ſit; & an omnis ejus oratio, ſecundum deliberatam voluntatem facta, à Patre fuerit exaudita.

PROPOSITIO.

Omnis voluntas rationis & deliberata Chriſti impleta fuit, & omnis ejus oratio, ſecundùm voluntatem deliberatam facta, à Patre fuit exaudita.

PROBATUR 1° auctoritate ſacræ Scripturæ. Joann. XI. 12, Martha ſoror Lazari hanc veritatem diſertis verbis profitetur: *Scio*, inquit, *quia, quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Quam quidem fidei profeſſionem non modò non reprehendit Chriſtus, ſed etiam approbavit & confirmavit, paulò poſt Patrem ſic affatus, v. 41 & 42: *Pater, gratias ago tibi quoniam audiſti me: ego autem ſciebam quia ſemper me audis; ſed propter populum qui circumſtat dixi, ut credant quia tu me miſiſti.* Quid expreſſius deſiderari poteſt? Non aliquando auditur Chriſtus à Patre, aliquando non auditur, ſed, ipſomet declarante, ſemper auditur. Hinc, Matth. XXVI. 53: *An putas*, inquit, *quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Ergo certa eſt & infallibilis connexio inter orationem Filii & exauditionem Patris.

Præterea ſine ulla exceptione Chriſto dicitur à Patre, Pſ. 2: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Ergo, quoscunque poſtulavit, eos Pater Chriſto dedit æternùm ſalvandos.

Denique, Hebr. V. 7, generaliter pronuntiatur Chriſtum, dum vitam mortalem degeret, pro ſua in Patrem reverentia, vel pro merito ac dignitate ſuæ perſonæ, exauditum fuiſſe. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Quomodò iſtud verum eſt, ſi aliquas preces obtulit Chriſtus ex voluntate deliberata, quæ exauditæ non fuerint?

Probatur 2° conſenſu SS. Patrum.

S. Hilarius, in Pſalm. 53. n. 6, explicans hæc verba, *exaudi orationem meam*, dicit ſolum Chriſtum hoc dicere confidenter potuiſſe, qui ſolus novit quid orandum ſit. „ Quia, inquit, ex perſona ejus loqui„ tur (Propheta), qui ſolus ſciret orare, idcirco conſtans poſtulatio „ exaudiendæ orationis exponitur. Paulus beatus neminem hominum, „ qualiter orare oporteat, ſcire docet, dicens: *Quòd enim, quid oremus*
Rom. VIII. 6. „ *qualiter oporteat, neſcimus.* Non eſt ergo infirmitatis humanæ exau„ diri orationem ſuam poſtulare, cùm Doctor gentium, poſt conſtitu-

„ tam

Digitized by Google

„ tam licet jam à Domino formam orandi, quid & quatenus oret, ig-
„ noret; ſed ejus iſta fiducia eſt, qui ſolus Patrem videt, qui ſolus
„ Patrem ſcit, qui ſolus poteſt orare pernoctans...... Et qui orationem
„ ſuam popoſcit audiri, ut peculiare hoc fiduciæ ſuæ doceret eſſe, ſub-
„ jecit: *inauri verba oris mei.*" .

S. Chryſoſtomus, hom. 83. in Matth. cùm retuliſſet hæc verba Chriſti: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, quærit: „ Quomodò ergo „ negavit?" Ac respondet: „ Non dixit quippe, ut non neges, ſed ut „ non deficiat fides tua, ut non prorſus pereat," manifeſte ſupponens impoſſibile fuiſſe ut, Chriſto orante ne Petrus ipſum negaret, Petrus tamen negaret.

S. Auguſtinus in lib. de Correptione & gratia, cap. 8. n. 17, explicans eumdem textum, impoſſibile eſſe pronuntiat ut orationes Chriſti per voluntatis creatæ reniſum inanes evadant. „ Quid, ait, moliturus „ es contra verba dicentis: *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua?* „ An audebis dicere, etiam rogante Chriſto ne deficeret fides Petri, „ defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam „ usque in finem perſeverare noluiſſet? Quaſi aliud Petrus ullo modo „ vellet, quàm pro illo Chriſtus oraſſet ut vellet. Nam quis ignorat „ tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea, quâ fidelis erat, voluntas „ ipſa deficeret, & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret? Sed quia „ præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo Chriſti non poſſet eſſe „ inanis oratio. Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid „ aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invic- „ tiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?"

In Tract. III in Joannem, n. 1, ad iſta Chriſti verba: *Pater, quos dediſti mihi, volo ut, ubi ſum ego, & illi ſint mecum* &c, ſic loquitur: „ Nec poterit niſi fieri quod omnipotenti Patri ſe velle dixit omnipotens „ Filius."

Et Serm. 175, olim 9 de Verbis Apoſtoli, cap. 3: „ Non verè fruſ- „ tra dixit: *Pater, Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Orat Chriſ- „ tianus, & exauditur. Orat Chriſtus, & non exauditur? Nam qui „ exaudit cum Patre, quia Deus eſt, quomodò non exauditur homo, „ quod pro nobis factus eſt? Prorſus exauditus eſt."

S. Proſper, in Epiſtola ad Paulinum, cap. 10, loquens de oratione Chriſti pro perſeverantia fidei Petri: „ Non utique fruſtra rogaverat, inquit, „ cujus una erat cum eo quem rogaverat operatio." Et in pſalmum 101. v. 2: „ Ne avertas faciem tuam à me, dicit (Chriſ- „ tus) pro humilitate membrorum. Nam quando Pater à Filio, quan- „ do Deus averteretur à Chriſto?"

Auctor Quæſtionum ex Novo Teſtamento, inter opera S. Auguſtini, quæſt. 77, in illud Marci VII: *Intrans* (Chriſtus) *in domum neminem voluit ſcire, & non potuit latere*, quærit an non infirmata voluntas

 ejus

ejus videatur, ſi voluit & non potuit; reſpondetque: „ Impoſſibile „ prorſus eſt ut voluntas Salvatoris non impleatur, nec poteſt velle „ quod ſcit fieri non debere: idcirco, quod factum eſt, id voluiſſe di- „ cendus eſt; nam voluntas ejus nunquam extra naturam ejus eſt. „ Sicut ergo natura ejus in reprehenſionem non cadit, ita nec volun- „ tas.“

Tom. IX Concilior. Labb. p. 953. Leo IX, in Epiſtola ad Michaëlem Patriarcham Conſtantinopolitanum, n. 7: „ Erit ergo quiſquam tantæ dementiæ, inquit, qui ora- „ tionem illius, cujus velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare?“

S. Bernardus, in fine homiliæ 3 ſuper *Miſſus eſt:* „ Non poſſunt, ait, „ perire, pro quibus Filius rogat ne pereant, pro quibus Pater „ tradidit in mortem Filium, ut vivant.“

Pag. 1049. S. Hildebertus Cœnomanenſis, in Tractatu Theologico, cap. 14, quæſtionem noſtram verbis diſertiſſimis definit. „ Solet quæri, inquit, „ utrùm aliquid oraret vel deſideraret (Chriſtus), quod non impetra- „ ret. Quidam volunt dicere quòd non ſit exaudita illa oratio, quâ „ ipſe orabat: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*, quia ex „ infirmitate illud orabat. Similiter volunt dicere quòd ipſe ſecundùm „ humanum affectum voluerit ſalutem omnium, unde illud: *in ſiti mea* „ *potaverunt me aceto*, id eſt, cùm deſiderarem fidem illorum. Sed, „ cùm ipſe dicat in Joanne: *Non pro his rogo qui ſunt de mundo*, non „ videtur quòd ipſe oraverit niſi pro ſalvandis. Non enim videtur „ conveniens quòd ejus oratio exaudita non fuerit, vel quòd ipſe ali- „ quid oraverit, quod Patri ſciret non placere, cùm ipſe omnia „ ſciret.“

Nullius momenti eſt quod reſpondent adverſarii, SS. Patres loqui de orationibus Chriſti abſolutis, non de conditionatis. Nam, ut jam dixi, non poſſunt admitti in Chriſto orationes conditionatæ, quarum conditio ſe teneret ex parte voluntatis hominum, ſed tantùm ex parte voluntatis divinæ, ut iſta: *Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me.* Porro fatemur hujuſmodi orationes non fuiſſe exauditas: ſed addimus illas non fuiſſe propriè dictas orationes, quia Chriſtus ea tantùm ſimpliciter voluit & oravit, quæ ſciebat Patrem velle, & ſi quando nonnulla petiit quæ Pater fieri nolebat, non eâ intentione illa petivit, ut exaudiretur, ſed ut infirmitatem noſtram conſolaretur noſque inſtrueret.

Probatur 3° conſenſu Theologorum.

S. Bonaventura, in 3. diſt. 17. art. 2. q. 2: „ Oratio Chriſti proce- „ dens à voluntate rationis, inquit, ſemper fuit exaudita; ſed iſta vo- „ luntas erat per omnia conformis voluntati divinæ. Sed oratio proce- „ dens à voluntate pietatis & carnis non fuit in Chriſto exaudita per omnia, „ tum quia hâc voluntate non conformabatur Deo in omni volito,..... „ tum quia illa petitio plus ordinatur ad noſtram inſtructionem quàm „ ad exauditionem: magis enim petebat hâc voluntate, ut nos erudire- „ mur,

„ mur, quàm ut Deum ad ſuam petitionem inclinaret.“ Laudat in exemplum has preces: *Tranſeat à me calix iſte*, &, *Pater*, *ignoſce illis*. Audis ſolam illam orationem in Chriſto exauditam non eſſe, quæ non fiebat ſecundùm voluntatem deliberatam, & quæ non fundebatur eo fine ut exaudiretur.

Idem clariùs adhuc docet S. Thomas, 3 parte, q. 21. art. 4. in corp. „ Oratio, inquit, eſt quodammodò interpretativa voluntatis humanæ. „ Tunc igitur alicujus orantis exauditur oratio, quando ejus voluntas „ adimpletur. Voluntas autem ſimpliciter hominis eſt rationis volun- „ tas; hoc enim abſolutè volumus, quod ſecundum deliberatam volun- „ tatem volumus. Illud autem quod volumus ſecundùm motum ſen- „ ſualitatis, vel etiam ſecundùm motum voluntatis ſimplicis, quæ „ conſideratur ut natura, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid, „ ſcilicet ſi aliud non obſiſtat, quod per deliberationem rationis inve- „ nitur. Unde talis voluntas magis eſt dicenda velleitas, quàm abſoluta „ voluntas, quia ſcilicet homo hoc vellet ſi aliud non obſiſteret. Se- „ cundùm autem voluntatem rationis Chriſtus nihil aliud voluit, niſi „ quod ſcivit Deum velle; & ideò omnis voluntas Chriſti, etiam hu- „ mana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, & per conſequens om- „ nis ejus oratio fuit exaudita.“ Eamdem doctrinam tradit in lib. 3 Sentent. diſt. 17. q. 1. art. 3. ad 4.

Facultas Pariſienſis contrariam doctrinam damnavit, anno 1347, in Joanne de Mercuria ordinis Ciſtercienſis, cujus hæc fuit propoſitio: *Satis erat poſſibile quòd per voluntatem aut volitionem creatam Chriſtus aliquid voluerit, quod nunquam debuit evenire*. Ergo dogma quod tuemur tunc erat certum & indubitatum apud Scholaſticos. Quamobrem Eſtius, in caput 5 Epiſt. ad Hebræos, p. 7: „ Jam quod Apoſtolus dicit, inquit, „ Chriſtum exauditum eſſe à Deo, nullam apud Theologos dubita- „ tionem habet, quarum conſtans & certa doctrina eſt omnem Chriſti „ orationem, quâ quid abſolutè à Deo petivit, exauditam fuiſſe, nec „ verò fieri potuiſſe ut non exaudiretur.“

Ad calcem Magiſtri Sententiarum.

Superfluum eſt igitur in aliis Theologis recenſendis tempus & operam perdere. Videri poſſunt Dionyſius Carthuſianus, Lucas Brugenſis, Ferus, in Joann. cap. XI, ad illud: *Sciebam quia ſemper me audis*, Janſenius Gandavenſis in Concordiam Evangelicam, pag. 282 &c.

Et certè neceſſariò concedendum eſt omnem voluntatem rationis ſeu deliberatam in Chriſto fuiſſe impletam, & conſequenter omnem ejus orationem fuiſſe exauditam, ſi repugnat Chriſtum fieri aliquid voluiſſe voluntate deliberatâ, quod futurum non eſſet. Atqui id reverâ repugnat. Nam ſi Chriſtus aliquid, quod futurum non erat, optavit voluntate deliberatâ, vel quia ignorabat quid Deus abſolutè decreviſſet, vel quia voluntatem ſuam divinæ non conformabat. Atqui utrumque eſt falſum & erroneum; certòque tenendum eſt Chriſtum cognita habuiſſe omnia Patris

tris decreta, nec quidquam cordi magis habuiſſe quàm ut voluntatem ſuam paternæ conformaret in omnibus. Ergo ea tantùm voluntate deliberatâ voluit optavitque Chriſtus, quæ à Deo diſpoſita eſſe noverat; atque adeò omnis ejus voluntas deliberata fuit impleta, & omnis ejus oratio exaudita.

Adde omnem voluntatem Chriſti deliberatam fuiſſe abſolutam, nullam conditionatam. Ideò quippe juſti hac in vita multa plerùmque optant & petunt conditionatè, quia, quid circa illa Deus decreverit, ignorant. Si enim divinum beneplacitum cognoſcerent, abſolutè vellent quod Deus vult, & quod non vult, quodque futurum non eſt, omnino nollent voluntate rationis & deliberatâ; aut, ſi nihilominùs vellent, peccarent non conformando ſe divinæ voluntati, quæ norma ac regula eſt omnis creatæ voluntatis. Atqui hæc ratio non habuit locum in Chriſto, quem nullorum decretorum Dei latebat. Ergo Chriſtus, quidquid voluit voluntate deliberatâ, voluit abſolutè & conformiter ad beneplacitum Dei. Ergo omnis voluntas ejus deliberata omniſque oratio ſemper fuit impleta. Vide Documentum Paſtorale Ill. Boſſueti Trecenſis Epiſcopi, datum anno 1734, adverſùs calumnias auctorum Diarii Trevoltiani.

ARTICULUS SECUNDUS.

Pro quibusnam hominibus Chriſtus oràverit, & quorum ſalutem voluerit.

Sequitur ex dictis Chriſtum iis tantùm mortis ſuæ fructum applicari voluiſſe, voluntate rationis & deliberatâ, quibus ille fructus reipſâ applicatur: hoc eſt, eorum duntaxat ſalutem à Patre poſtulaſſe, qui reipſâ ſalvantur; eis juſtitiam temporalem aut fidei donum poſtulaſſe, quibus reipſâ juſtificatio aut fides donatur: pro infidelibus verò aut parvulis, quibus beneficium ſalutiferæ paſſionis minimè applicatur, nullomodò oraſſe ſecundùm voluntatem rationis & deliberatam, ſed tantùm (ſi tamen pro eis oravit) ſecundùm voluntatem ſenſualitatis, aut ſecundùm voluntatem naturalem & indeliberatam.

Sed, quoniam hæc capita à quibusdam in dubium revocantur aut etiam hæreſis notâ affricantur, neceſſe eſt in eis demonſtrandis paulò diutiùs immorari: quod ſequentibus Propoſitionibus exequemur.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

Multiplici ſenſu piè & catholicè dici poteſt Chriſtus voluiſſe omnium hominum ſalutem: non tamen eſt de fide.

Cùm triplex diſtinguatur in Chriſto voluntas, voluntas ſenſualitatis, voluntas indeliberata, & voluntas rationis, piè admodùm creditur Chriſtum voluiſſe & optaſſe primis duobus modis ſalutem omnium hominum. Sicut enim naturali voluntate refugimus non ſolùm proprium, ſed etiam alienum malum, ac maximè damnationem æternam, quæ ſummum eſt malum, ita Chriſtum nobis per omnia ſimilem effectum, dempto peccato, eosdem affectus aſſumpſiſſe plusquàm probabile eſt.

An verò Chriſtus naturalem illum pietatis affectum orando expreſſerit, ac poſtulaverit ut, ſi fieri poſſet, ſalvis decretis, omnes homines ſervarentur, quemadmodùm petiit ut, ſi fieri poſſet, tranſiret ab ipſo calix, addendo: *veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat*, Scriptura & Traditio non edocent, ſed in incerto relinquunt. At nihil vetat, imò plum eſt talem orationem in Chriſto admittere, modò non ut fidei dogma proponatur. „ Si objicias, inquit Thomaſſinus, Dogmatum Theologicarum de Incarnat lib. 9. cap. 5. n. 14, „ ita & pro reproborum ſalute potuiſſe Chriſtum orare, ſicut & pro declinanda oravit morte, „ etſi & hic & illic ſuam tum orationem, tum voluntatem, divinis æterniſque ultro ſubjiceret conſiliis, non invitus & ipſe huic ſententiæ „ accedam. Non enim hæc vel oratio, vel voluntas, ſive pro reproborum ſalute, ſive pro declinanda morte, adverſatur æternæ & incommutabili Dei prædeſtinantis voluntati.“

SECUNDA PROPOSITIO.

Non eſt de fide, nec veritati conſentaneum, Chriſtum voluiſſe voluntate rationis & deliberatâ ſalutem omnium hominum, & illam à Patre poſtulaſſe.

Nam 1° ſi Chriſtus deliberatè voluit omnes homines morte ſuâ vivificare, vel hoc ſenſu quòd voluit ſufficiens ad omnium ſalutem pretium offer-

offerre, vel quòd illud pretium omnibus de facto applicari voluerit. Neutrum dici poteſt. Non primum. Equidem Chriſtus pro cauſa communi mortem occumbere, ſuâque morte pretium omnibus captivis redimendis, & remedium omnibus peccatorum vulneribus ſanandis ſufficientiſſimum præparare voluit: verum, hoc velle, non eſt propriè velle ſalutem ipſam omnium hominum, quandoquidem, ad redemptionem & ſalutem hominum, non ſufficit tale pretium & remedium præparari, niſi actu applicetur. Unde S. Thomas, in Quæſtionibus diſputatis, quæſt. 29. art. 7. ad 8, ait: „ Meritum Chriſti ſufficienter operatur ut cauſa quædam univerſalis ſalutis humanæ; ſed oportet hanc cauſam applicari „ ſingulis per ſacramenta & per fidem formatam, quæ per dilectionem „ operatur: & ideò requiritur aliquid aliud ad ſalutem noſtram præter „ meritum Chriſti, cujus tamen meritum Chriſti eſt cauſa.“ Ergo, ut Chriſtus cenſeatur velle propriè ſalutem omnium hominum, non ſufficit quòd ſufficiens pretium offerre voluerit.

Non ſecundum. Nam Chriſtus non voluit voluntate deliberatâ & propriè dictâ quod nunquam erit. Porro nunquam meritum paſſionis ipſius applicatur omnibus hominibus.

2°. Si Chriſtus, in cruce moriendo, præſtitit id omne quod requiritur ex parte ipſius ad hominum ſalutem, ita ut jam à ſolo homine pendeat ut velit uti illo beneficio ſibi ſufficienter impenſo, quemadmodùm Molinæ placet, fatendum eſt Chriſtum voluiſſe propriè omnium hominum ſalutem. Si verò, præter id quod Chriſtus erga omnes præſtitit, requiritur ad ſalutem operandam aliud beneficium non omnibus commune, ſcilicet meritorum ipſius applicatio, ut docet cum S. Auguſtino Eccleſia, clarum eſt Chriſtum non habuiſſe expreſſam omnes homines ſervandi voluntatem. Quis verò ſanæ mentis Molinæ novitatem, omni argumentorum genere ſupra profligatam, Auguſtini doctrinæ anteponat?

3°. Si Chriſtus deliberatè voluit ſalutem omnium hominum, vel voluntate abſolutâ, vel conditionatâ. Primum rejiciunt ipſimet Pelagiani. Alterum quoque ſuſtineri nequit. Vel enim conditionem, ex qua ſalus pendet, nempe ut homines velint, expectaret Chriſtus ab hominibus, vel eis daret? Atqui non expectat Chriſtus ab hominibus ut ſalvari velint, ſed hanc voluntatem ipſe in eis operatur, juxta definitionem concilii Arauſicani ſecundi. Si autem conditio, per quam ſalus contingit, à Chriſto pendet, jam Chriſtus voluntatem non habet conditionatam niſi vocetenus; ſed eos ſolos ſalvari vult voluntate deliberatâ, quibus illam conditionem, nimirum bonam voluntatem, juſtitiam ac perſeverantiam impertire ſtatuit: ſicque non omnes homines ſalvari vult, ſed eos tantùm qui reipſâ ſalvantur.

4°. S. Thomas, in 3. diſt. 17. q. 1. art. 3, ad 4^{am} quæſtiunculam, agnoſcit quidem in Chriſto voluntatem indeliberatam ſalutis omnium ho-

Digitized by Google

hominum; ſed voluntatem deliberatam, quæ ſimpliciter voluntas dicitur, penitus excludit. „ Dicendum, inquit, quòd voluntas rationis ut „ natura eſt de eo quod habet in ſe bonitatem, non conſiderato ordine „ ejus ad aliud. Unde voluntas talis in Chriſto fuit de ſalute omnium „ hominum, ſicut voluntas antecedens fuit in Deo" (niſi quòd voluntas antecedens, cùm imperfectionis aliquid involvat, eminenter tantùm ſit in Deo, affectus autem naturalis extiterit formaliter in Chriſto mortalem adhuc vitam agente); „ ſed ſecundùm hanc ſimpliciter & ab- „ ſolutè non dicitur aliquis velle...... Sed voluntas ut ratio eſt de eo „ quod habet bonitatem etiam in ordine ad aliud: & ſecundùm hanc „ voluntatem Chriſtus non voluit omnes ſalvari, ſicut nec Deus vo- „ luntate conſequente; & ſecundùm hanc dicitur aliquis ſimpliciter & „ abſolutè velle."

At verò, ſi Chriſtus non voluit voluntate rationis ac deliberatâ ſalutem omnium hominum, conſequenter non oravit, propriè ac ſimpliciter loquendo, ut omnes homines ſalvarentur. Quàmvis enim Chriſtus inter orandum naturales ſuos affectus exprimere potuerit, atque interdum expreſſerit, tamen illud ſolum petivit propriè ac ſimpliciter, quod voluntate deliberatâ deſiderabat. Cum ergo voluntate deliberatâ, paternis decretis ſemper conformi, ſolos electos ſalvari voluerit, pro illorum duntaxat æterna ſalute Patrem precatus eſt.

5°. Divina voluntas, ſicut humanæ Chriſti voluntatis, ita omnium ipſius orationum norma ſemper extitit, hoc eſt, ea tantùm Chriſtus ſimpliciter & abſolutè popoſcit, quæ Patrem ſuum velle noverat, juxta iſtud: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Atqui Chriſtus probè ſciebat Deum decreviſſe non ſalvare omnes homines, nec fidei gratiam omnibus largiri. Ergo Chriſtus non oravit pro omnibus & ſingulis hominibus. „ Utquid enim divinas aures obtunderet, ait Thomaſſinus, de Incarnat. lib. 9. cap. 5. n. 4, ut ea impetraret, quæ impetrari æterna Dei „ voluntas & incommutabilis prædeſtinatio vetabat?...... Quàm alienum „ enim foret, non à Chriſti tantùm ſapientia, ſed vel ab hominis non „ usquequaque dementis peritia, gnarum conſciumque voluntatis divinæ „ indemutabiliſque placiti contra niti ſuis precibus, & inſano molimine „ obluctari!..... Oravit ergo Chriſtus illa omnia illis omnibus, quibus „ & quæcunque Deus prædeſtinaverat largiturum. Quæcunque autem & „ quibus ſtatutum Deo fixumque immobili voluntate erat non elargiri, „ ea illis orare abſtinuit. Stultum eſt enim orare quod certò ſcias non „ poſſe impetrare."

Admiſſâ etiam ſcientiâ mediâ, neceſſariò fatendum eſt Chriſtum illis duntaxat gratiam congruam & ejus perſeverantiam, ac proinde etiam ſalutem æternam, propriè ac ſimpliciter poſtulaſſe, quibus ſciebat ejusmodi gratiam miſericorditer præparatam à Deo fuiſſe ante conſtitutionem mundi; non verò illis quibus ſciebat Deum, æterno & abſoluto conſilio, de-

Digitized by Google

decreviſſe talem gratiam, & infallibiliter cum ea connexam ſalutem æternam, non tribuere.

6°. Et certè, quanquam nullus homo eſt, cujus ſalutem velle & petere non debeamus, quia tamen novimus non omnes ad vitam æternam prædeſtinatos, nec velle debemus, nec petere, ut omnes homines collectivè ſumpti ſalventur, nullusque damnetur. Nam talis voluntas & oratio repugnaret abſolutæ Dei voluntati nobis cognitæ, cui nos in omnibus conformare tenemur.

Oramus quidem pro ſingulorum omnium ſalute, quia ignoramus num ſint de numero electorum, & per noſtras preces ſalvandi prædeſtinati ſint. At ſi ſciremus quinam ſint reprobi, quod Chriſtus certiſſimè ſciebat, pro illorum ſalute Deum precari nullomodò deberemus. „ Quantùm ad nos pertinet, inquit S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 16. n. 49, „ qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non „ valemus, ob hoc omnes ſalvos fieri velle debemus." Idem dixerat cap. 15. n. 46. Et lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 24. n. 1: „ Si, ait, de aliqui- „ bus ita certa eſſet (Eccleſia), ut qui ſint illi etiam noſſet, qui, licet „ adhuc in vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum „ ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret quàm nec pro ipſo: „ ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus „ inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis, nec tamen pro omnibus exau- „ ditur. Pro his enim ſolis exauditur, qui, etſi adverſantur Eccleſiæ, „ ita tamen ſunt prædeſtinati, ut pro eis exaudiatur Eccleſia & filii effi- „ ciantur Eccleſiæ."

Reverâ neque Eccleſia, neque Beati in cœlo Deum precantur pro ſalute hominum in infidelitate mortuorum, ut obſervat S. Auguſtinus ibidem; non aliam ſanè ob cauſam, quàm quòd jam certiſſimè cognoſcant eos non fuiſſe ad regnum prædeſtinatos, nec poſſe immutari decretum quo ſempiternis ſunt cruciatibus deputati.

Igitur, cùm humanitas Chriſti clarè cognoverit quinam eſſent in damnationis maſſa æterno Dei conſilio derelicti, voluntatemque habuerit divinæ ſubditam & conformem in omnibus, nullomodò credendum eſt eum pro ipſorum ſalute preces propriè dictas & ex voluntate rationis procedentes Deo Patri allegaſſe.

7°. Certum eſt ex dictis omnem orationem Chriſti, ex voluntate deliberata procedentem, fuiſſe exauditam, ac conſequenter eum, quidquid non impetravit, non poſtulaſſe. Atqui certo certiùs eſt non omnes homines ſalvari, nec omnes juſtificari, nec omnes fidei participes eſſe. Ergo Chriſtus non oravit voluntate deliberatâ ut omnes homines ſalvarentur, neque ut omnes juſtitiæ aut fidei participes fierent.

8°. Quid pluribus opus eſt, cùm ipſemet Chriſtus expreſſis verbis declaraverit ſe non pro omnibus hominibus, ſed pro eis tantùm qui ſibi à Patre dati & in ſe credituri erant, oraſſe? *Ego pro eis rogo*, inquit, Joann.

Joann. XVII. 9. *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Et v. 20: *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Tam diſerto teſtimonio quid opponi poteſt?

9°. Accedunt etiam ſanctorum Patrum non minùs expreſſa teſtimonia.

S. Auguſtinus exponens illa verba, Tract. 110 in Joann. n. 2: „ Eſt „ mundus, ait, de quo ſcriptum eſt, *ne cum hoc mundo damnemur.* „ Pro iſto mundo non rogat (Chriſtus): neque enim quò ſit prædeſti- „ natus ignorat." 1 Cor. XI. 32.

S. Cyrillus Alexandrinus, lib. XI *Commentariorum* in Joann. cap. 8, expendit quomodò eadem verba non opponantur alii teſtimonio Joannis, ubi aſſerit *Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi*, ac reſpondet hanc B. Joannis mentem eſſe, „ non pro ſolis tantùm Iſraëlitis propitiationem fore Domi- „ num, ſed pro univerſo mundo, hoc eſt, pro iis qui ex omni gente ac „ genere vocandi erant per fidem ad juſtitiam & ſanctificationem. Do- „ minus autem noſter Jeſus Chriſtus, addit, legitimos à ſpuriis ſecer- „ nens,..... pro iis ſolis rogare ſe convenientiùs dixit. Quorum enim „ Mediator eſt atque Pontifex, iis tantùm bona mediationis largienda „ putabat. Quos etiam datos ſibi ait eſſe tamen Patris, cùm alia nulla „ ad Patrem accedendi via ſit, niſi per Filium." Tom. 4. p. 967.

Beda in eumdem locum: „ Mundum vult modò intelligi, inquit, „ qui vivunt ſecundùm concupiſcentiam mundi, & non ſunt in ea ſorte „ gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, ſed „ pro eis quos ei Pater dedit, rogare ſe dicit. Per hoc enim, quòd eos „ illi Pater jam dedit, factum eſt ut non pertineant ad eum mundum „ pro quo non rogat." Tom. 5 p. 481.

Theophylactus ſic commentatur eadem verba: „ Non oro te pro pro- „ miſcuo populo, qui mundana ſapit, ſed pro iis quos dediſti mihi."

Euthymius ibidem: „ Non pro mundo univerſo precor, ſed pro his „ qui credunt in me." Et in Lucam, cap. 80: „ Non pro omnibus „ precatio facta eſt, ſed. pro his duntaxat qui nihil mali deinceps per- „ petraturi erant."

Hinc orationem illam, quam Chriſtus in cruce pendens pro ſuis crucifixoribus obtulit, non de omnibus promiſcuè intelligunt multi è SS. Patribus, ſed de illis tantùm qui in ipſum erant poſteà credituri, aut etiam de prædeſtinatis.

S. Auguſtinus, Tract. 31 in Joannem, num. 9: „ Non, ait, debebant „ deſperare, pro quibus in cruce pendens Dominus eſt dignatus orare. „ Dixerat enim: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Videbat quoſdam ſuos inter multos alienos: illis jam petebat veniam, à „ quibus accipiebat injuriam." Et Tract. 38. n. 7: „ In illo populo, „ à-

„ à quo crucifixus eſt, erant membra Chriſti, pro quibus dixit: *Pater*, „ *ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*“

S. Leo, Serm. 1 *de Paſſione Domini*, cap. 3: „ Redemptoris circa interfectores ſuos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce ſupplicans Patri, „ non ſe vindicari, ſed illis poſtularet ignoſci, dicens: *Pater, dimitte* „ *illis, quia neſciunt quid faciunt.* De cujus utique orationis potentia „ fuit, ut prædicatio Apoſtoli Petri, ex iis qui dixerunt, *ſanguis illius* „ *ſuper nos & ſuper filios noſtros*, multorum ad pœnitentiam corda converteret.“ Ergo, ex S. Leone, virtus illius orationis ad eos tantùm ſe extendit, qui pœnitentiâ moti in Chriſtum, quem crucifixerant, crediderunt.

S. Thomas, in cap. 5 Epiſt. ad Hebræos, lect. 2, in fine: „ Nolebat „ (Chriſtus), inquit, ut ignoſceretur omnibus, ſed illis tantùm qui „ crediderunt. Et multi poſteà converſi ſunt.“ Et in Summa, part. 3. q. 21. art. 4. ad 2: „ Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, „ neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum“ (ut omnes in eo unum eſſent, & ut pervenirent ad ipſius gloriæ conſortium), „ ſed pro „ his ſolùm qui erant prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſequerentur „ æternam.“

S. Laurentius Juſtinianus, in libro *de Triumphali Chriſti agone*, cap. 17: „ Invocavit, non pro ſe, ſed pro membris ſuis, pro crucifixoribus „ ſuis, quos prædeſtinaverat ad vitam, & quos in ſe noverat credituros, „ & impetrare promeruit. Pro ipſis utique Patrem deprecatus eſt, inquiens: *Pater, ignoſce illis* &c.“ Et cap. 19 hæc verba in ore Chriſti ponit: „ Hæc pro electorum ſalute patior. Iſta pro tuo honore „ ſuſtineo. Ignoſce igitur illis: placabilem te illis exhibe.“ Pag. 485.

Multùm ergo falluntur, qui contendunt eſſe de fide Chriſtum voluiſſe & oraſſe, ex voluntate rationis ac deliberata, ut omnes homines, nullo excepto, ſalvarentur. Eis quippe & tantùm prodeſſe voluit mortis ſuæ beneficium, quibus & quantùm illud prodeſt. Oravit pro electis ut ſalvi fiant, & impetravit. Oravit pro juſtis ut juſtificarentur, & juſtificantur. Oravit pro fidelibus ut credant, & credunt. At infidelibus, qui ſine hujus myſterii cognitione, & infantibus, qui ſine baptiſmo moriuntur, paſſionem Chriſti, quàmvis in ſeipſa ad eos ſalvandos abundè ſufficientem, penitùs nihil prodeſſe manifeſtum eſt. Ergo non oravit Chriſtus ut ſalutem, vel juſtitiam, vel fidem inde reportarent.

Et verò dictu abſurdum eſt Chriſtum oraſſe pro ſalute omnium reproborum, qui, ante ipſius adventum in carne, juſto Dei judicio, æternis erant deputati ſuppliciis. Si autem pro illis non oravit, quæ ratio afferri poteſt cur pro eis, qui poſt ipſius mortem in impietate & infidelitate extremum diem acturi erant, Deum Patrem interpellaverit? Sic argumentatur Eccleſia Lugdunenſis, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 18: „ Unum „ eſt, inquit, quod nos & fideliſſimè credimus & veriſſimè novimus,

„ quia

Digitized by Google

„ quia pro illa omni innumerabili & infinita multitudine impiorum, „ qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem Domini per quatuor fermè „ annorum millia in ſua impietate ſunt mortui, & apud inferos æternâ „ perditione damnati, nunquam Dominus paſſus, nunquam mortuus „ eſt, nec ad eos ſalvandos ullatenus venit, nec pro eis pretioſum ſanguinem fudit: quoniam ſolos illos, ex his qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem ejus extiterunt, eâdem paſſione ſuâ redemiſſe atque „ ſalvaſſe, atque ab inferni clauſtris eduxiſſe credendus eſt, qui & fideliter eum ſperaverunt venturum, & fideliter per eum redemptionem „ & liberationem ad ſalutem ſe accepturos eſſe crediderunt, ſanctos „ videlicet Patriarchas, & Prophetas, & cæteros juſtos...... Et ideò nunquam aliquis Catholicorum Doctorum ita ſenſiſſe aut docuiſſe credendus eſt, quaſi Dominus ac Salvator noſter, etiam ad illorum impiorum multitudinem, quæ ante paſſionem ejus periit, ſalvandam atque „ redimendam, paſſionem & mortem ſuſceperit.

„ Cùm ergo, pergit doctiſſima Eccleſia, pro illa inæſtimabiliter majore humani generis parte, quæ per tot annorum millia præceſſerat, „ nullatenus credendus ſit paſſus, nec pro ejus ſalute crucifixus, quid „ de iſta utique minori parte infidelium & impiorum credendum eſt, „ qui poſt paſſionem ejus usque ad mundi terminum aut extiterunt, „ aut exiſtunt, aut futuri ſunt, in quibus utique & homo ille nondum „ natus Antichriſtus erit? Nam ſi ad illos tales Dominus ſalvandos „ venit, id eſt, impios & in ſua impietate perituros, ergo præſtitit illis „ quod antiquiſſimis impiis non præſtitit; quia videlicet pro iſtis eſt crucifixus & mortuus, quod pro illis nullatenus credendus eſt paſſus. „ Si autem nec pro iſtis eſt crucifixus & mortuus, ſicut nec pro illis, „ ergo pares ſunt impietate, pares perditione, & pariter omnino extranei à Chriſti redemptione; quia, etſi pro iſtis paſſus fuiſſe dicatur, „ quid eis profecit ejus paſſio impiis & in ſua impietate perituris, niſi „ ut, qui non fiunt participes redemptionis, majorem & graviorem incurrant damnationis cumulum?"

Cùm autem Hincmarus in quatuor Capitulis, quæ in conventu Cariſiaco anni 853 furtim propoſuit, inter cætera definiviſſet „ quòd Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit, ita ut nullus ſit, fuerit, vel „ futurus ſit homo, pro quo paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur," concilium Valentinum tertium illa Capitula damnavit ut noxia, & Eccleſia Lugdunenſis, in lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 14, hoc Capitulum, tanquam temerè aſſertum, refutavit, moleſtè ferens tanquam firmè tenendum id proponi, quod ſanctorum Patrum doctrinæ contrarium ſit. „ De cæteris verò, inquit, „ qui in ipſa infidelitate atque impietate ſua perſeverantes ſunt perituri, „ ſi de Scripturæ ſanctæ auctoritate, quòd etiam pro talibus Dominus „ paſſus ſit, certiſſimis & clariſſimis teſtimoniis nobis demonſtrare valueris

„ boni

„ boni viri, qui talia definierunt, dignum eſt omnino ut credamus & „ nos. Si verò non potuerunt, ceſſent contendere pro eo quod non le- „ gunt: pudeat eos definire quod neſciunt: timeant ſtatuere quod nul- „ lum ſanctorum Patrum, nullum Concilium, nullum Apoſtolicæ Sedis „ Pontificum, nullum Eccleſiaſticorum dogmatum decretum inveniant „ ſtatuiſſe. Quod & ſi quid à ſanctis & venerabilibus Eccleſiæ Docto- „ ribus vel ſcriptum, vel dictum, unde hujusmodi ſenſûs occaſio ſumi „ poſſe videatur, inveniunt, ſalvâ eorum debitâ reverentiâ, cohibeant „ ſe potiùs & ſubmittant humiliter divinæ auctoritati, & rem tam ob- „ ſcuram tamque inuſitatam divinæ reſervent humiliter Majeſtati.“

Illuſt. Languet, in Epiſt. 1 ad Epiſcopum Bolonienſem, §. 46.

Objiciunt. SS. Patres frequenter docent Chriſtum pro omnibus & ſingulis mortuum eſſe, ac pro illis etiam qui pereunt.

Pag. 708.

S. Clemens Alexandrinus, lib. 7 *Stromatum:* „ Verbum æternum, „ tum ſingulis privatim, tum communiter omnibus, unus eſt Salvator.“

Pag. 225.

S. Cyprianus, in libro *de Bono patientiæ:* „ In Judæis verò toleran- „ dis æquanimitas quanta, & quanta patientia incredulos ad fidem ſua- „ dendo flectere,..... Prophetarum interfectores & adverſùs Deum „ ſemper rebelles usque ad crucis & paſſionis horam velle colligere!“

Pag. 339.

Auctor Sermonis *de Paſſione Chriſti*, apud eumdem: „ Mediator inter „ nos & Patrem, oras pro his qui ad dolorem vulnerum tuorum oppro- „ bria addiderunt, & pro inimicis impetras veniam: ſupplicas & obſe- „ cras ut hæc eis iniquitas dimittatur, & à morte tua habeantur innoxii „ ipſi, qui ſanguinem tuum ſuper ſe & ſuper filios ſuos manere pre- „ cantur, usque adeò excæcati, ut ſcelus ſuum non intelligant, nec „ odium Chriſti ipſa mors crucifixi extinguat. Sed caritas tua interim „ ſuſpendit judicium, & reis ingratisque patientia tua pœnitentiæ provi- „ det locum tempusque reſervat, & differt punire dignos exitio, hæc „ orans ut aperiantur oculi eorum & agnoſcant quæ ſit virtus crucis.“

S. Athanaſius, Oratione 2 contra Arianos: „ Deus, qui bonus eſt, „ miſericordiâ motus, volensque notus omnibus fieri, fecit ut ſuus Fi- „ lius corpus humanum indueret,..... ut in eo corpore pro omnibus „ ſe offerens omnes idololatriâ & corruptione liberaret, & omnium „ Dominus ac Rex fieret.“

S. Ambroſius, lib. *de Paradiſo*, cap. 8: „ Venerat Dominus Jeſus „ omnes ſalvos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere ſuam „ debuit voluntatem; & ideo nec proditorem debuit prætermittere, ut „ adverterent omnes quòd in electione etiam proditoris ſui ſervando- „ rum omnium inſigne prætendit.“ Et lib. 10 in Lucam, cap. 22. n. 62: „ Nec illud diſtat à vero, ſi triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos „ ſciebat immanis ſacrilegii pœnas daturos; & ideò dixit: *Pater*, „ *transfer calicem hunc à me:* non quia Dei Filius mortem timebat, ſed „ quia vel malos perire nolebat. Denique ait: *Domine, ne ſtatuas illis hoc* „ *peccatum*, ne exitialis eſſet populo paſſio ſua futura omnibus ſalutaris.“

S. Au-

S. Auguſtinus, Tract. 4 in Joannem: „ Crucifixerunt Salvatorem „ ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum.“

S. Leo, Serm. 2 *de Paſſione Domini*: „ Tanta eſt bonitas noſtri Re„ demptoris, ut etiam vos (Judæi) poſſitis conſequi veniam, ſi, Chriſ„ tum Dei Filium confitendo, illam parricidalem ſententiam relinqua„ tis. Non enim Dominus in cruce fruſtra oravit dicens: *Pater, di„ mitte illis.* Quod remedium nec te, Juda, tranſiret, ſi ad eam pœni„ tentiam confugiſſes, quæ te vocaret ad Chriſtum, non quæ inſtigaret „ ad laqueum.“

Salvianus, lib. 2 *ad Eccleſiam Catholicam*: „ Chriſtus, ſicut pro om„ nibus paſſus eſt, ſic pro ſingulis; & cunctis pariter ſe impendit & „ ſingulis. Ac per hoc, quidquid paſſione ſuâ Salvator præſtitit, ſicut „ totum ei debent univerſi, ſic totum ſinguli; niſi quòd propè hoc plus „ ſinguli quàm univerſi, quòd tantùm acceperunt ſinguli, quantùm „ univerſi.“

S. Bonaventura, Serm. 2 *de S. Matthia*: „ Quòd ſi quæras quare voca„ vit Judam, ex quo ſciebat eum periturum & traditurum, dicendum „ eſt quòd in hoc oſtendere voluit quòd, quantùm in ſe eſt, omnibus „ dare gratiam paratus ſit; quòd nemo perit, niſi qui ſalutem ſuam „ negligit.“

S. Thomas, Comment. in 1 ad Timoth. cap. 2. lect. 4: „ Mediator „ Dei & hominum, non quorumdam, ſed inter Deum & omnes homi„ nes: & hoc non fuiſſet, niſi vellet omnes ſalvare.“ Et in cap. 14 Epiſt. ad Rom. „ *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus „ eſt*: pro quo, id eſt, pro cujus ſalute Chriſtus mortuus eſt.“

Porro, inquiunt, hæc teſtimonia omni prorſus fundamento deſtituuntur, ſi Chriſtus non oravit ex voluntate deliberata pro ſalute omnium hominum, nùllo excepto.

Confirmatur etiam iſtud, inquiunt, aliis SS. Patrum dictis, docentium Chriſtum vehementer deſideraſſe ſalutem omnium hominum, illiusque ſitim ardentiſſimam habuiſſe. Quod etiam teſtantur lacrymæ quas Salvator ſuper perfidam Jeruſalem effudit, cùm *videns civitatem flevit ſuper illam*, ac dixit: *quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Luc. XIX. 41 & 42. Idem Epiſc. Sueſſ. Epiſt. 5 Paſtorali, part. 2. §. 94.

Reſpondeo nullum ex his teſtimoniis juvare adverſarios, aut nobis adverſari; ſiquidem in nullo Chriſtus dicitur pro eorum qui pereunt æterna ſalute Patrem ex voluntate rationis deprecatus; de quo nunc controvertimus.

Clemens Alexandrinus docet tantummodò Verbum æternum Salvatorem eſſe omnium & ſingulorum, hoc eſt, ejus providentiam extendi ad omnes & ſingulos, quia nemo eſt cui non provideat de bonis ſaltem naturalibus. Nam gratiæ beneficia non omnibus diſtribui, ſed iis ſolùm qui ex græcis & barbaris prædeſtinati ſunt, ſuoque tempore vocati Pag. 70.

cati ſunt fideles & juſti, expreſſè agnoſcit S. Doctor in eodem libro. Unde dicit etiam Verbum eſſe quidem Servatorem eorum qui crediderunt, eorum autem qui non crediderunt eſſe Dominum. Et certè eorum Servator eſt Chriſtus, quos reipſâ ſalvat. Non omnes autem ſalvari manifeſtum eſt.

Ibid.

S. Cyprianus non dicit Chriſtum voluiſſe colligere omnes Judæos à quibus crucifigebatur, ſed tantam eum demonſtraſſe patientiam, ut in ipſa cruce pro ipſismet interfectoribus ſuis oraverit. Quis verò hoc neget? Eis utique veniam precatus eſt, quos ſibi à Patre datos eſſe noverat, ut SS. Patres ſupra allati exponunt.

Ambigi non poteſt quin ea mens fuerit auctoris Sermonis *de Paſſione Chriſti*, inter opera S. Cypriani, tum quia non ſolùm dicit Chriſtum pro inimicis ſupplicaſſe, ſed etiam eis *impetraſſe veniam*, quod ſupponit illam ſupplicationem pro illis duntaxat effuſam, qui poſteà erant credituri: tum quia paulò poſt hæc addit: „ Dimiſſum eſt ergo, Chriſto „ orante, peccatum, & ex parte maxima cæcitas illuminata eſt, & ma„ lignantium perfidia demum credidit & intellexit...... Ecce plus po„ tuit donum quàm delictum, & gratia quàm peccatum; quoniam ex „ debito damnationis obnoxios gratia, ſine ullo merito gratiæ, benefi„ cio pietatis abſolvit, & judicium, imperante Chriſto, miſericordiæ „ dedit locum, & diſtrictionis ſuæ temperamentum juſtitia, Domino „ diſponente, modeſtè ſuſtinuit." Audis orationem Chriſti pro inimicis fuiſſe efficacem. Ergo non pro omnibus promiſcuè, ſed pro eis allegata eſt, quos ad fidem adducendos divina miſericordia decreverat.

S. Athanaſius neceſſariò explicandus eſt hoc ſenſu, quòd Chriſtus pro cauſa omnibus communi, vel pro generibus ſingulorum, ſeſe hoſtiam obtulerit, non verò quòd expreſſè voluerit atque petierit ut omnes & ſinguli ab idololatria & corruptione liberarentur. Si enim hoc conſilio & Pater Filium ſuum miſit in mundum, & Filius ſeipſum in mortem tradidit, cur etiamnum tot idololatræ, tot peccatores remanent? Num Deus, quod propoſuerat, implere non potuit? Num Chriſti vota irrita fuere?

Quod ex S. Ambroſio primo loco objicitur, ſignificat pretium ſanguinis Chriſti omnibus redimendis atque ſalvandis ſufficere, neminemque, quantùmvis peccatorem, ab ejus participatione, niſi propriâ culpâ ac negligentiâ, repelli: ſed non ſignificat beneficium illud omnibus, etiam infidelibus & parvulis in utero materno decedentibus, applicari, aut expreſſam Chriſti voluntatem fuiſſe, ut omnibus, nullo dempto, applicaretur. Eadem eſt ad S. Bonaventuram reſponſio.

Alter S. Ambroſii textus manifeſtè intelligitur de voluntate naturali & indeliberata, quâ Chriſtum deſideraſſe ſalutem omnium non abnuimus. Nam calicem, cujus aſpectu Salvator triſtatus eſt, & quem à ſe transferri optavit, interpretatur S. Doctor perfidiam & ſacrilegium Judæorum æter-

Digitized by Google

æterno ſupplicio puniendum. Porro non voluntate rationis, ſed naturali quodam horrore & compaſſionis ſenſu, optavit oravitque Chriſtus ut iſte calix ab eo tranſiret, quemadmodùm, juxta pleroſque interpretes, mortem & dolores deprecatus eſt; ita ut affectum illum humanum ac naturalem impleri nollet voluntate rationis, ſed paternæ diſpoſitioni planè ſubmitteret, adderetque: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

S. Auguſtini mentem declarant quæ ex ejus ſcriptis hactenus relata ſunt: neque ſibi ipſi contradicit, cùm ait Judæos occidiſſe Salvatorem ſuum, & feciſſe damnatorem ſuum. Quid enim verius, quàm Chriſtum, qui, propter ſuſceptam communem humani generis naturam & cauſam, & propter pretii à ſe oblati ſufficientiam, omnium Salvator rectiſſimè dicitur, peculiari quâdam ratione dici Salvatorem Judæorum, quorum frater erat ſecundùm carnem, ad quos miſſus eſt, quibus Evangelium ſuum prædicavit, apud quos omnia miracula ſua patravit, quibus denique innumera benevolentiæ ſigna demonſtravit?

Loquitur manifeſtè S. Leo de ſufficientia mortis Chriſti ad ſanandum omnes qui ad eam confugerint, ne Judæis quidem aut ipſo proditore Juda exceptis. De fide eſt illos, ſi veniam criminis ſui corde compuncto poſtulaſſent, per virtutem effuſi à ſe ſanguinis eam certiſſimè impetraturos fuiſſe; quod unum docet ibi ſanctiſſimus Pontifex. Sed non eſt eis datum ut crimen ſuum agnoſcerent & confiterentur cum ſpe veniæ; adeòque Chriſtus non oravit ut hoc eis daretur. Si enim oraſſet, procul dubio impetraſſet, qui ſemper eſt exauditus à Patre.

Veriſſima quoque eſt Salviani ſententia de ſingulis electis intellecta. Tantùm quippe Chriſto debent ſinguli electi, quantùm ſi pro ipſis ſolis Chriſtus veniſſet ac mortem pertuliſſet. Sed verum non eſt, nec Salviani ſenſus eſſe potuit, ſingulos homines, v. g. infideles à Deo derelictos, aut infantes in matrum utero defunctos, tantùm boni ex morte Chriſti accepiſſe, quantùm univerſum genus humanum, niſi fortè conſideratâ ſolâ illius ſalutiferæ mortis ſufficientiâ.

S. Thomas, in locis ſupra allatis, expreſſè docet Chriſtum, reſpectu ſalutis reproborum, non habuiſſe niſi voluntatem naturalem & indeliberatam, nec oraſſe ſecundùm voluntatem rationis, niſi pro prædeſtinatis & pro fidelibus. Cùm ergo dicit Chriſtum futurum non fuiſſe Mediatorem Deum inter & omnes homines, *niſi vellet omnes ſalvare*, ſignificat Chriſtum voluiſſe pretium omnibus hominibus applicabile, univerſorumque peccatis delendis ſufficiens, offerre. Mentem ſuam explicat ibidem, addendo Chriſtum eſſe propitiationem „ pro aliquibus efficaciter, ſed „ pro omnibus ſufficienter, quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad „ ſalutem omnium; ſed non habere efficaciam niſi in electis, propter „ impedimentum.“ Eodem modo exponi debet quod ait in cap. 14

 Epiſ-

Epiſtolæ ad Romanos, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute fidelium qui pereunt, ſubaudi ſufficienter.

Ad confirmationem, dico ſitim ardentiſſimam ſalutis hominum, quam nonnulli SS. Patres Chriſto attribuunt, vel ſpectare ſolos electos, vel, ſi ad omnes homines extendatur, nihil aliud fuiſſe quàm appetitum quemdam naturalem beatitudinis omnium hominum, quorum naturam ſuſceperat. Ex hoc fonte pietatis fluxerunt illæ lacrymæ, quas morti proximus ſuper Jeruſalem effudit, eoquòd non cognoviſſet diem viſitationis ſuæ, ideòque propediem ſolo æquanda foret. Reverà Chriſtus eo loci non orat Patrem ut tot ac tanta mala à Judæis averteret, ſed tantùm ſuper eos plangit, calamitatemque brevi ſuperventuram eis denuntiat.

TERTIA PROPOSITIO.

De fide eſt Chriſtum pro omnibus fidelibus ac juſtis oraſſe ut fides & juſtitia eis donarentur, eoque ſenſu mortuum eſſe pro aliquibus reprobis.

NAM de fide eſt in aliquibus non prædeſtinatis hominibus eſſe veram fidem veramque juſtitiam, quàmvis non usque in finem perſeverantem. Atqui eſt pariter de fide veram fidem veramque juſtitiam haberi non poſſe, niſi interventu meritorum & mediationis Chriſti. Ergo de fide eſt Chriſtum oraſſe pro omnibus fidelibus, ut credant, & pro omnibus juſtis, ut juſtificentur, tametſi illos poſteà à fide & juſtitia defecturos cognoverit.

QUAR-

Digitized by Google

QUARTA PROPOSITIO.

Verè & catholicè dici poteſt Chriſtus voluiſſe, voluntate naturali, necnon voluntate antecedente, ſalutem omnium fidelium & juſtificatorum, etiam non perſeverantium: hæc tamen opinio, ſeu loquendi ratio, non pertinet ad fidem.

CHRISTUM voluntate naturali & indeliberata, quam S. Bonaventura voluntatem pietatis appellat, deſideraſſe juſtorum omnium ſalutem, negari vix poteſt. Si enim, juxta nonnullos SS. Patres ac pleroſque Scholaſticos, optavit hoc modo ſalutem impiorùm & infidelium, quantò magis credendum eſt eum hujuſmodi affectu deſideraſſe ſalutem illorum omnium, quos per fidem & ſacramenta viva ſui membra ac Spiritûs ſancti templa effecit?

Eſt etiam valde probabile Chriſtum ex illo affectu Patrem rogaſſe pro illorum omnium ſalute, quemadmodùm pro declinanda morte precatus eſt. Verùm, quoniam iſtiuſmodi preces non eâ intentione allegabat, ut exaudiretur, ſed ut naturæ humanæ veritatem naturaleſque affectus in ſeipſo demonſtraret, mirum non eſt quòd nullus eas effectus ſecutus fuerit.

Alio quoque ſenſu voluit Chriſtus ſalutem omnium juſtificatorum, nimirum voluntate antecedente, quæ terminetur, non ad ipſam ſalutem, ſed ad antecedentia ſalutis. Quemadmodùm enim, juxta Theologos ſæculi decimi tertii, Deus ſalutem omnium hominum velle dici poteſt, in quantùm vult dare omnibus hominibus aliqua præꝛequiſita ad ſalutem, quibus ſi benè uterentur, ad ſalutem pervenirent; ita, atque à fortiori, Chriſtus ſalutem omnium juſtificatorum antecedenter velle dicendus eſt, in quantùm vult abſolutè illis omnibus impetrare ac reipſâ impetrat donum juſtificationis, in quo continetur verum jus ad vitam æternam realiſque poteſtas illam conſequendi. Enimverò certum eſt hominem ſemel juſtificatum non priùs deſeri à Deo, quàm ipſe prior Deum deſerat, ac certiſſimè perventurum ad regnum, ſi in accepta gratia perſeveraret; quod facere poſſet, ſi vellet, quàmvis ſine ſpeciali perſeverantiæ dono nunquam faciat. Eſt ergo ex ſeipſa, & ex parte Dei ac Chriſti, gratiæ ſanctificantis infuſio munus æternum, quia ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei: continetur in ea, tanquam in germine, ſempiterna ſalus, ad quam ſine dubio perduceret, ſi ipſam homo ſuâpte ſponte non desereret. Nam, ut ait S. Thomas, Quæſt. 6 *Veritate*, art. 4. ad 3, „ non eſt neque ex defectu gratiæ, neque ex defectu dantis gratiam, „ quòd

„ quòd habens gratiam gloriâ privetur, ſed ex defectu recipientis, in „ quo impedimentum intervenit.“ Proinde meritò dicitur hoc ſenſu Chriſtus velle ſalutem omnium juſtificatorum, in quantum gratiam eis impetrat, in qua ſalus æterna virtute continetur.

Dixi hanc Propoſitionem, tametſi ſanam, non pertinere ad fidem, quia nullâ revelatione in Scripturis vel in Traditione expreſſâ fulcitur, tantùmque fundatur in ſpeculationibus Theologicis, veris quidem, ſed humano ingenio excogitatis.

QUINTA PROPOSITIO.

Non eſt de fide, nec ſanæ doctrinæ conſentaneum, Chriſtum voluntate rationis voluiſſe & poſtulaſſe à Patre ſalutem omnium fidelium, vel omnium juſtificatorum.

Probatur ex eoquòd voluntas rationis in Chriſto paternis decretis conformis ſemper extiterit, adeòque nunquam non impleta fuerit, & omnis ejus oratio ex tali voluntate procedens nunquam non exaudita; omnibusque aliis momentis & auctoritatibus, quibus probatum eſt in 2 Propoſitione Chriſtum noluiſſe nec poſtulaſſe, per voluntatem rationis ſimpliciter dictam, ut omnes homines ſalvi fierent.

Probatur etiam ex dicendis in ſequenti Propoſitione, ubi oſtendemus, conſiderato integro ſalutis effectu, Chriſtum pro ſolis electis oraſſe.

Probatur 3° ex conſtanti doctrina S. Auguſtini, cujus teſtem non ſuſpectum habemus eruditum Petavium, tom. 1 Dogmatum Theolog. lib. 10. cap. 5. n. 3. „ Si quis, ait, Auguſtini ſententiam illam am„ plecti voluerit, quæ prædeſtinationem ſine ullo ad merita reſpectu, „ tanquam ad cauſam, fieri cenſet, reprobationem autem ex ſolo ori„ ginali delicto, conſequens videtur ut neque reproborum ſalvandorum „ voluntatem ullam habuiſſe Deum afferat, neque pro eorum ſalute vel „ eſſe paſſum Chriſtum, vel oraſſe. Qui enim poterat, cùm abſoluto „ decreto damnare illos ſtatuiſſet?“ Addit pro illis reprobis, qui gratiam temporalem per merita Chriſti conſecuti ſunt, mortuum eſſe Chriſtum, „ non ut ſalvi fierent, ſed ut gratia illis ea tribueretur.“

Probatur 4° expreſſo S. Bernardi teſtimonio, in fine Homiliæ 3 ſuper *Miſſus eſt*, ubi ait: „ Non poſſunt perire, pro quibus Filius rogat, ne „ pereant; pro quibus Pater tradidit in mortem Filium, ut vivant.“ Ergo, juxta S. Doctorem, quicunque pereunt, non oravit pro eorum ſalute Chriſtus.

De-

Denique omnes fatentur Chriſtum non oraſſe abſolutè pro ſalute ullorum reproborum. Reſtat ergo, ſi oravit, ut conditionatè oraverit. At rurſus duobus modis intelligi poteſt orationem illam fuiſſe conditionatam. Vel enim Chriſtus oravit Patrem ut, ſi ita ei placeret, omnes juſti ſalvarentur, vel petiit ut omnes juſti ſalvarentur, ſi ipſi vellent. Secundus precandi modus eſt abſurdus ac Deo injurioſus. Abſurdus: quid enim ſtultius quàm id poſtulare à Deo, quod non in Dei, ſed in hominum poteſtate eſſe creditur? Deo injurioſus: quaſi verò abbreviata ſit manus ejus, ut ſalvare hominem nequeat, niſi homo prior voluerit. Hinc Eccleſia, quæ à Capite ſuo Chriſto, ut vivendi, ſic etiam orandi normam ſumit, nunquam ſic oravit, ſed potiùs in hunc modum, qui legitur in veteri Liturgia S. Baſilio adſcripta: „ Malos, quæſumus, fa„ cito bonos; bonos in bonitate conſerva: omnia enim potes, nec eſt „ qui reſiſtat Majeſtati tuæ." Primus autem modus ſupponit Chriſtum non habuiſſe, reſpectu ſalutis reproborum, voluntatem rationis, ſed tantùm naturalem & indeliberatum affectum. Nam, ut jam ſæpè dictum eſt, Chriſtus hoc ſolum deliberatè voluit, quod abſolutâ Dei voluntate, cui ſeſe in omnibus conformabat, decretum fuerat. Ergo, ſpectatâ voluntate rationis, Chriſtus noluit nec oravit ut nemo juſtificatorum periret.

SEX-

Digitized by Google

SEXTA PROPOSITIO.

Phraſi in Scripturis & SS. Patribus uſitatiſſimâ, oratio & mors Chriſti ad electos reſtringitur.

HANC phraſim in Scripturis uſitatam eſſe hi præcipuè textus demonſtrant:

Joannis X. 15, Chriſtus dicit: *Animam meam pono pro ovibus meis.* Et mox explicans quæ ſint illæ oves, electos intelligit, quorum nullus peribit. *Oves meæ*, inquit, v. 27 & ſequent. *vocem meam audiunt; & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Clarè hìc docet Salvator mori ſe pro electis.

In oratione quam Chriſtus paulò ante mortem habuit, & quæ refertur Joannis XVII, omnes homines duas in partes diſtribuit; unam quam mundum appellat, alteram eorum quos ait ſibi datos à Patre & ſegregatos de mundo. Pro his orare ſe profitetur, non pro illis. *Non pro mundo rogo*, ait, *ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Atqui per eos, quos ait à Patre ſibi datos, electos intelligit. Nam 1°, verſu 2, ſic loquitur: *Dediſti ei* (Filio tuo) *poteſtatem omnis carnis, ut, omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Porro vita æterna datur ſolis electis. 2°. Verſu 12 addit: *Quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Quorum verborum „ non ſenſus eſt, ait Facultas Duacena in ſua Cenſura adverſùs Leſſium & Hamelium, art. 26, „ ex his qui dati ſunt unum periiſſe; „ ſed potiùs hoc ſermone ſignificatum eſt, eum qui periit, datum non „ eſſe.“ Hoc ſenſu in Scripturis ſæpè accipitur particula *niſi*, ut oſtendimus agendo de prædeſtinatione. 3°. Verſu 24 eiſdem abſolutè poſtulat gloriam æternam. *Pater*, inquit, *quos dediſti mihi, volo ut, ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam quam dediſti mihi.* Non ait, vellem, ſed *volo;* quæ vox abſolutam ſignificat voluntatem, quam pro ſolis electis eum habuiſſe conſtat. 4°. Joannis VI. 38, rurſum ait Chriſtus: *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut, omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Porro ſi voluntas Patris hæc eſt, ut Chriſtus neminem ex ſibi datis perdat, & Chriſtus ſemper facit voluntatem Patris ſui, ergo reverà neminem ſibi datùm perdit Chriſtus, &, qui pe-

rit,

Digitized by Google

rit, non eſt ei datus. 5°. S. Evangeliſta, XVIII. 9, refert Chriſtum dixiſſe abſolutè, loquendo ad Patrem: *Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Ex his omnibus ſic arguitur: Chriſtus aſſerit ſe non pro mundo orare, ſed pro his qui ſibi dati erant de mundo. Atqui ſoli electi Chriſto dati ſunt, ut ipſemet teſtatur, & S. Auguſtinus exponit, tract. 111 in Joannem, n. 1, ad hæc verba: *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut, omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* „ Proinde, ait, non ei „ dati ſunt, quibus vitam non dabit æternam." Ergo oratio Chriſti ad electos in Scriptura reſtringitur.

2°. Eadem phraſis frequens eſt etiam apud ſanctos Patres, ut patet ex teſtimoniis hactenus laudatis Eccleſiæ Smyrnenſis, S. Auguſtini, Gregorii magni, Prudentii, Haimonis, Herrici, S. Bernardi, S. Hildeberti, S. Thomæ, B. Laurentii Juſtiniani &c.

Hâc loquendi ratione non intendunt SS. Patres negare Chriſtum mortuum eſſe & oraſſe etiam pro aliquibus reprobis temporaliter juſtis, ſed duplicem ob cauſam ſolorum prædeſtinatorum mentionem faciunt. 1°. Quia ſolis prædeſtinatis totalem redemptionis effectum oratione ſuâ acquiſivit Chriſtus, eis autem qui non perſeverant partialem tantùm. 2°. Quia, quas preces pro juſtis non perſeveraturis obtulit, eas ipſas ad utilitatem retulit prædeſtinatorum, ut illorum caſu ſaluberrimè territi diſcant non alta ſapere, ſed humilibus conſentire, ut obſervat Eſtius in 1. diſt. 40. §. 20. ad 3. „ Chriſtus, inquit, non orat pro mundo, id „ eſt, pro mundi ſalute, ſed pro his ſolis quos dat ei Pater de mundo, „ id eſt, pro ſolis electis. Verumtamen etiam gratiam & juſtitiam ad „ tempus duraturam quibuſdam, qui de mundo ſunt, Chriſtus impe- „ trat à Patre, non propter ipſos, ſed propter electos, ad quos tandem „ omnia bona reprobis collata redeunt: atque etiam illa Chriſti oratio, „ quaſi pro reprobis facta, magis prodeſt electis."

Solvuntur objectiones adverſùs duas ultimas Propoſitiones.

Objiciunt 1°. Unuſquiſque fidelis debet firmâ fide credere Chriſtum pro ipſius ſalute mortuum eſſe, juxta hæc verba Symboli Nicæni, quod fideles omnes recitant: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Ergo de fide eſt Chriſtum oraſſe & mortuum eſſe pro ſalute omnium fidelium.

Nego antecedens. Ad probationem dico Symbolum exprimere non ſolùm fidem, ſed etiam ſpem Chriſtianorum, unde appellatur à S. Hieronymo, in Epiſtola ad Pammachium adverſùs errores Joannis Hieroſolymitani, *Symbolum fidei & ſpei noſtræ.* Quamobrem non dicimus tantùm nos credere Deum & Jeſum Chriſtum, ſed addimus nos credere *in Deum* & *in Jeſum Chriſtum*, hoc eſt, ſperare & confidere ex miſericordia Dei

Digitized by Google

imprimis ipſamet Conſtitutionis Innocentii X verba: „ & intellectam „ eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus „ ſit &c." Cùm enim, juxta linguæ latinæ genium, particula *duntaxat* vocem præcedentem potiùs quàm ſubſequentem afficere ſolita ſit, ut probat auctor *Defenſionis Arnaldinæ*, concludendum eſt S. Pontificem hoc unum definire voluiſſe, Chriſtum non tantùm pro æterna prædeſtinatorum ſalute, verùm etiam pro aliquorum reproborum juſtificatione, mortuum eſſe & oraſſe; reliquiſſe verò indeciſum an pro eorumdem reproborum æterna ſalute Chriſtus mortuus ſit & oraverit. P. 15.

Sed, ut non hæreamus in apicibus, ſupponamus verba Conſtitutionis eſſe ambigua, eorumque intelligentiam aliunde mutuemur. Hallerius, qui V Propoſitionum cenſuram Romæ perſecutus eſt, eo nomine quintam denuntiavit, quòd inſinuaret Chriſtum pro nullis reprobis mortuum eſſe ac ſanguinem fudiſſe. E Conſultoribus verò quatuor illam dimittendam cenſuere; quinque autem propterea damnaverunt, quòd, aiebant, Janſenius docuiſſet Chriſtum pro nullis reprobis mortuum eſſe. At quis ſibi perſuadeat Innocentium X, omiſſo errore à delatoribus denuntiato & à Conſultoribus damnato, alium ſenſum omnino diverſum condemnaſſe, quem nemo denuntiaverat, nulluſque Conſultorum animadverterat?

Præterea quoties Conventus Cleri Gallicani Conſtitutionem Innocentii X in linguam gallicam tranſlatam ediderunt, toties verba, de quibus nunc agitur, ſic verterunt: *& etant entendue en ce ſens, que Jeſus Chriſt ſoit mort ſeulement pour le ſalut des prédeſtinés* &c. Hoc modo edita eſt anno 1653, cùm primùm prodiit, & anno 1656, cùm denuò promulgata eſt cum Bulla Alexandri VII, cui inſerta eſt, & anno 1705, cùm tertiò publicata fuit in Bulla quæ incipit: *Vineam Domini ſabaoth* &c. Porro hæc verſio omnem latinæ dictionis ambiguitatem, ſi qua eſt, penitus tollit.

Eumdem ſenſum damnatum apertiſſimè indicavit Conventus Epiſcoporum anni 1656, in Epiſtola ad Reginam data 1 Septembris, in qua, quid circa V Propoſitiones credi oporteat, edocens, de quinta, quam expendimus, ſic loquitur: „ Veſtra Majeſtas credat...... blaſphemiam, „ impietatem & hæreſim eſſe, dicere Chriſtum ſanguinem non fudiſſe „ NISI PRO SALUTE PRÆDESTINATORUM, cùm certum ſit illum „ ſanguinem fudiſſe pro reprobis qui gratiæ reſiſtunt." E contrario, cùm ſex Commiſſarii Conventûs anni 1654 in ſua Relatione cenſuiſſent „ pro hæreticis habendos, ſi qui negent Chriſtum pro juſtorum non per-„ ſeverantium æterna ſalute mortuum fuiſſe aut ſanguinem fudiſſe," hunc commentarium cæteri Epiſcopi repudiarunt.

Poſtremò certiſſimum eſt SS. Auguſtini ac Thomæ doctrinam à Sede Apoſtolica damnatam non fuiſſe. Atqui SS. Auguſtinus & Thomas docent Chriſtum pro ſalute illorum qui pereunt mortuum non eſſe. De S. Auguſtino teſtatur Petavius ſupra laudatus, tom. 1 Dogmatum Theolog.

INDEX CAPITUM AC TITULORUM LIBRI QUINTI.

LIBER QUINTUS. *De divinis circa ſalutem hominum decretis, ac de morte Chriſti pro redimendis hominibus.* Pag. 583.
DISSERTATIO PRIMA. *De Prædeſtinatione.* 585.
CAPUT PRIMUM. *Quid ſit prædeſtinatio: an admittenda ſit.* ibid.
Definitio prædeſtinationis. 587.
Exiſtentia prædeſtinationis. Catharini opinio refellitur. 590.
CAPUT SECUNDUM. *An decretum prædeſtinationis ſit omnino gratuitum, & independens à qualibet præviſione meritorum: & quid hac de re ad fidem pertineat.* 592.
ARTICULUS PRIMUS. *An decretum abſolutum prædeſtinationis ſupponat in Deo præviſionem aliquorum meritorum, vel tanquam cauſam quâ movetur ad prædeſtinandum, vel tanquam conditionem prærequiſitam.* 593.
PRIMA PROPOSITIO. *Hominum prædeſtinatio pendet à mero Dei beneplacito, nec ſupponit in Deo ullam præviſionem meritorum, etiam conditionatè futurorum.* 596.
Probatio 1ª ex Scripturis. ibid.
Probatio 2ª ex SS. Patribus. 607.
Probatio 3ª ex prædeſtinatione Chriſti noſtræ prædeſtinationis exemplari. 624.
Probatio 4ª ex prædeſtinatione parvulorum. 628.
Probatio 5ª ex finali perſeverantia. 630.
Probatio 6ª ex incomprehenſibilitate hujus myſterii. 632.
Probatio 7ª ex varia hominum temporali ſorte. 633.
Solvuntur objectiones: 1° ex Scripturis. 635.
2°. *Ex antiquis Patribus qui ante S. Auguſtinum vixerunt.* 637.
3°. *Ex SS. Auguſtino & Proſpero.* 641.
4°. *Ex Ratione.* 643.
SECUNDA PROPOSITIO. *Doctrina gratuitæ prædeſtinationis modò aſſerta rectè dicitur ad fidem pertinere.* 658.
Solvuntur objectiones. 663.
ARTICULUS SECUNDUS. *Utrùm prædeſtinatio ad merita & prædeſtinatio ad gloriam ſint duo decreta, an unicum: &, poſito quòd diſtinguantur, an alterum ſit altero prius vel poſterius.* 668.
CAPUT TERTIUM. *De Effectibus prædeſtinationis.* 671.
CAPUT QUARTUM. *De Proprietatibus prædeſtinationis.* 673.

Digitized by Google

lis & remota, reprobationis omnium qui pereunt, etiam illorum quibus illud peccatum per baptiſmum dimiſſum eſt. Pag. 734.
Propositio. *Omnium hominum qui pereunt, etiam fidelium baptizatorum, reprobatio rectè petitur ab originali noxa, tanquam à cauſa radicali & remota.* ibid.
Articulus Sextus. *De reprobatione comparatè ſpectata.* 740.
Propositio. *Reprobationis comparatè ſpectatæ nulla ratio afferri poteſt, præter beneplacitum divinæ voluntatis.* ibid.
Caput Tertium. *De effectibus reprobationis.* 742.
Dissertatio Tertia. *De voluntate Dei circa ſalutem hominum.* 746.
Caput Primum. *An voluntas Dei ſemper impleatur.* 747.
Prima Propositio. *Omnis voluntas Dei propriè dicta ſemper impletur* &c. 752.
Secunda Propositio. *Voluntas quoque ordinis ſuo modo ſemper impletur (non tamen ſine voluntate decreti), in quantùm, quod recedere videtur ab uno ordine, in alium ordinem per potentiam & juſtitiam divinam reducitur.* 758.
Solvuntur objectiones contra primam Propoſitionem. 760.
Caput Secundum. *An formali & propriè dictâ voluntate velit Deus omnes & ſingulos homines ſalvos fieri.* 762.
Artic. I. Propositio. *Deus, ante præſcientiam meritorum, habet abſolutam voluntatem ſalvandi ſolos electos, & reliquos omnes in maſſa perditionis relinquere.* 763.
Articulus Secundus. *Textûs Apoſtolici,* qui vult omnes homines ſalvos fieri, *variæ expoſitiones à SS. Patribus ac Theologis propoſitæ.* 764.
Articulus Tertius. *An ſit admittenda in Deo voluntas conditionata ſalutis omnium hominum, cujus conditio ab humanæ voluntatis arbitrio, tanquam à cauſa determinante, pendeat.* 797.
Propositio. *Admitti non debet in Deo voluntas ſalutis omnium hominum, quæ ſit conditionata, & cujus conditio ab humana voluntate expectetur.* 798.
Articulus Quartus. *An de fide ſit, aut veritati conſentaneum, Deum velle omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri.* 807.
Prima Propositio. *Accipiendo hanc vocem,* velle, *pro voluntate formali & propriè dicta, & iſtam,* omnes homines, *pro omnibus & ſingulis, non modò non eſt de fide, ſed etiam à veritate alienum eſt, Deum hoc ſenſu velle omnes homines ſalvos fieri.* 808.
Secunda Propositio. *Quàmvis veræ ac ſolidæ ſint interpretationes aliquorum Patrum & antiquiorum Theologorum, qui ſentiunt Deum velle omnes homines, nullo excepto, ſalvos fieri, intelligendo voluntatem ſigni & metaphoricam, aut antecedentem quæ in Deo ſit tantùm eminenter; quàmvis etiam fundamentum, cui hæ interpretationes innituntur, ad fidem pertineat, ipſæ tamen per ſe interpretationes non ſunt de fide, ſed ſcholarum libertati relinquuntur.* 820.
Articulus Quintus. *An ſaltem de fide ſit Deum velle ſalutem omnium & ſingulorum fidelium juſtificatorum.* 823.
Articulus Sextus. *Expenduntur nonnullæ locutiones circa voluntatem Dei de ſalute omnium hominum.* 834.

Dis-

Digitized by Google

Diſſertatio Quarta. *De morte Chriſti pro omnibus hominibus.* Pag. 837.
Caput Primum. *An Chriſtus, conſiderato præciſè pretio ſanguinis in cruce effuſi, omnium hominum, nullo excepto, Salvator ac Redemptor dici poſſit.* 838.
Propoſitio. *Pretio ſanguinis Chriſti abſolutè ac præciſè conſiderato, multiplici ſenſu dici debet pro omnium hominum ſalute effuſus.* ibid.
Caput Secundum. *An meritum mortis Chriſti applicetur omnibus hominibus, ſub eoque reſpectu Chriſtus pro omnibus hominibus ſanguinem ſuum fudiſſe dicendus ſit.* 842.
Prima Propoſitio. *Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus non eſt eo ſenſu, quòd meritum mortis ejus omnibus applicetur, nullo excepto.* 844.
Solvuntur objectiones. 854.
Propoſitio Secunda. *De fide eſt Chriſtum pro aliquibus reprobis mortuum eſſe, eo ſenſu quòd temporales mortis ſuæ effectus eis applicet.* 860.
Propoſitio Tertia. *Solis electis fructus mortis Chriſti plenè & integrè applicatur, ideòque, totum redemptionis effectum conſiderando, Chriſtus ſolorum electorum Servator ac Redemptor catholicè & verè dici poteſt.* 862.
Caput Tertium. *An Chriſtus mortem ſuam omnibus prodeſſe voluerit, & pro omnium hominum, aut ſaltem omnium fidelium, æterna ſalute Deum Patrem oraverit.* 864.
Articulus Primus. *An omnis voluntas & oratio Chriſti fuerit impleta & exaudita à Patre.* ibid.
Propoſitio. *Omnis voluntas rationis & deliberata Chriſti impleta fuit, & omnis ejus oratio, ſecundùm voluntatem deliberatam facta, à Patre fuit exaudita.* 868.
Articulus Secundus. *Pro quibusnam hominibus Chriſtus oraverit, & quorum ſalutem voluerit.* 872.
Prima Propoſitio. *Multiplici ſenſu piè & catholicè dici poteſt Chriſtus voluiſſe omnium hominum ſalutem: non tamen eſt de fide.* 873.
Secunda Propoſitio. *Non eſt de fide, nec veritati conſentaneum, Chriſtum voluiſſe voluntate rationis & deliberatâ ſalutem omnium hominum, & illam à Patre poſtulaſſe.* ibid.
Tertia Propoſitio. *De fide eſt Chriſtum pro omnibus fidelibus ac juſtis oraſſe ut fides & juſtitia eis donarentur, eoque ſenſu mortuum eſſe pro aliquibus reprobis.* 884.
Quarta Propoſitio. *Verè & catholicè dici poteſt Chriſtus voluiſſe voluntate naturali, nec non voluntate antecedente, ſalutem omnium fidelium & juſtificatorum, etiam non perſeverantium. Hæc tamen opinio ſeu loquendi ratio non pertinet ad fidem.* 885.
Quinta Propoſitio. *Non eſt de fide, nec ſanæ doctrinæ conſentaneum, Chriſtum voluntate rationis voluiſſe & poſtulaſſe à Patre ſalutem omnium fidelium, vel omnium juſtificatorum.* 886.
Sexta Propoſitio. *Phraſi in Scripturis & SS. Patribus uſitatiſſimâ, oratio & mors Chriſti ad electos reſtringitur.* 888.
Solvuntur objectiones adverſus duas ultimas Propoſitiones. 889.

FINIS Indicis Libri Quinti.

LIBER

LIBER SEXTUS

DE JUSTIFICATIONE ET MERITO.

Expositis Libro præcedente cauſis gratiæ, tam efficiente quàm meritoriâ, reſtat ut de ejusdem effectibus aliquid dicamus.

Tot ſunt in nobis gratiæ effectus, quot ſunt virtutes & bona opera, quæ Deus miſericordiſſimâ ſuâ voluntate in nobis operatur in ordine ad ſalutem, ab initio fidei usque ad finalem perſeverantiam. Verùm illi omnes effectus, cùm ſint in ſe innumeri, ad duos revocantur, nimirum ad juſtitiam & meritum. Ea quippe eſt gratiæ utilitas, ut per eam juſti coram Deo efficiamur, & benè operando vitam æternam, quæ gratiæ conſummatio futura eſt, promereamur. De utroque dicemus ſigillatim.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

De Juſtitia, ſeu de Juſtificatione.

JUSTITIÆ vocabulum varias habet ſignificationes in Scriptura.

1°. Idem ſignificat ac jus. Iſaiæ V. 23: *Væ! ..... qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti auferris ab eo:* hoc eſt, juſtum jure ſuo privatis.

2°. Significat leges Dei, quæ ideò juſtitiæ dicuntur, quòd nonniſi juſta præcipiant. Pſalm. 18. v. 9: *Juſtitiæ Domini rectæ;* & Rom. II. 26: *Si præputium juſtitias legis cuſtodiat* &c.

3°. Significat exteriora opera legis litteræ conformia, ut Matth. VI. 1: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.*

4°. Significat peculiarem virtutem, quâ redditur proximo quod ſuum eſt. Communiſſima eſt hæc acceptio, ſive apud ſcriptores ſacros, ſive apud prophanos.

5°. Significat collectionem omnium virtutum, quæ concurrunt ad faciendum hominem probum ac benè morigeratum; ſicque intellecta dividitur in juſtitiam legalem, quam homo cum ſolo legis adjutorio ſibi comparat, & quæ purè externa eſt, & juſtitiam chriſtianam, quæ ex Deo eſt & ad Deum tanquam finem ultimum refertur. Utramque commemorat S. Paulus, Phil. III. 9: *Non habens*, inquit, *meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu, quæ ex Deo eſt, juſtitia in fide.* Iſtam, quæ ſola vera ac ſincera eſt, ſæpè appellat idem Apoſtolus *juſtitiam Dei*; non quâ Deus juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit. Hoc ultimo ſenſu juſtitiæ vocabulum hic accipimus.

Pariter juſtificationis nomen vario ſenſu in Scriptura ſumitur.

1°. Paſſim ſumitur in Pſalmo 118 pro mandatis Dei, quia illorum obſervatio obſervatores ſuos juſtos facit.

2°. Juſtificare interdum ſignificat juſtum declarare, ut Iſaiæ V. 23: *Juſtificatis impium pro muneribus:* & Luc. X. 29: *Ille volens juſtificare ſeipſum:* & XVI. 15: *Vos eſtis qui juſtificatis vos coram hominibus.* Eodem ſenſu dicitur Matth. XII. 37: *Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Celebris eſt ea vox in uſu forenſi, & quoties

Digitized by Google

ties homines juſtificari dicuntur, hoc ſenſu intelligitur. Non poteſt enim homo, quicunque ſit, alium hominem juſtum interiùs efficere, ſed ſolùm exteriùs declarare.

3°. Juſtificare ſignificat ex impio juſtum efficere. Rom. VIII. 3: *Quos vocavit, hos juſtificavit;* & ad Tit. III. 7: *Ut juſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Hoc modo non juſtificat niſi ſolus Deus, nec unquam aliter juſtificat, cujus dicere & facere unum & idem eſt, & qui vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt. „ Quis eſt qui juſtificat impium, ait S. Auguſtinus, Concion. 1 in Pſalm. 30? „Qui facit ex impio juſtum.“ Lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 33: „Gratiâ Dei juſtificamur, id eſt, juſti efficimur.“ Et lib. *de Spiritu & littera*, cap. 26: „ Quid eſt aliud, juſtificati, quàm „ juſti facti?“

4°. Juſtificatio accipitur pro incremento juſtitiæ. Eccli. XVIII. 22: *Non verearis usque ad mortem juſtificari.* Et Apocal. XXII. 11: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.*

De juſtificatione his duobus poſtremis ſenſibus accepta hic diſputamus. Differt juſtificatio à juſtitia, quòd juſtitia ſit effectus juſtificationis, & juſtificatio ſit cauſa juſtitiæ.

Juſtitia & gratia tam intimo nexu inter ſe conjunguntur, ut nec gratia ulla ſit quæ aliquem juſtitiæ gradum non operetur, neque ullus juſtitiæ gradus, quàmvis tenuiſſimus, qui gratiæ non debeatur. Gratia actualis, actualis juſtitia: gratia habitualis, habitualis juſtitia: gratia parva, parva juſtitia: gratia magna, magna juſtitia. Utraque rurſus eadem eſt ac caritas; ita ut gratia, juſtitia, caritas de ſe invicem prædicari poſſint.

Incipit ergo juſtificari peccator, cùm per primum gratiæ actualis motum incipit eſſe bonæ voluntatis, & ex malo in bonum mutari. Sed juſtificari abſolutè non dicitur, niſi quando, deleto peccati reatu, reconciliatur Deo, ejusque filius efficitur: quod ſit, ut modò oſtendetur, per gratiæ habitualis & ſanctificantis infuſionem. Nam gratia actualis immutat quidem actualem hominis affectum; ſed ſola gratia habitualis ſtatum ejus immutat, transferendo illum è ſtatu ac reatu peccati ad ſtatum gratiæ & amicitiæ cum Deo. Hoc ſenſu juſtificationis vocem hìc accipimus cum concilio Tridentino & omnibus Theologis.

Jam verò circa juſtificationem ſic intellectam quatuor potiſſimùm controvertuntur. 1um. Quid ea ſit, & in quo præciſè conſiſtat. 2um. An requirat in adultis aliquas diſpoſitiones, & quænam illæ ſint. 3um. An facilè & brevi temporis intervallo ad eam perveniri ſoleat. 4um. Quænam ſint illius proprietates. Hæc quatuor totidem Capitibus abſolvemus.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit juſtificatio, & in quo formaliter conſiſtat.

Circa eſſentiam juſtificationis duplex ſeſe offert dimicatio: una gravior adverſùs hæreticos; altera minoris momenti adverſus nonnullos è ſchola Theologos.

Præcipuum Lutheranæ Reformationis dogma fuit, hominem non juſtificari formaliter per juſtitiam ſibi intrinſecam & inhærentem, ſed per meram imputationem juſtitiæ Chriſti, quâ veluti veſtimento nuditas noſtra contegitur. Quàmvis enim fateretur Lutherus nos, cùm juſtificamur, caritatem ac virtutes recipere, nolebat tamen juſtificationis donum in eis conſiſtere, eoquòd per concupiſcentiæ admixtionem, ut ipſi videbatur, adeò inquinentur, ut nullum opus pietatis, niſi immundum ac peccato contaminatum, producere queant. Igitur homo, inquiebat, quando juſtificatur, peccato infectus remanet, nec illius peccata deleantur, ut ampliùs non ſint, ſed teguntur tantummodò & cooperiuntur, ut eorum jam non imputatorum loco ſola imputetur juſtitia Chriſti.

Magiſtrum ſecutus eſt Calvinus, excepto quòd juſtificationem in mera non imputatione peccatorum formaliter poſitam eſſe contendit. Etſi enim cum Luthero doceat juſtitiam Chriſti per fidem apprehenſam nobis, tanquam verè noſtra eſſet, imputari, tamen exiſtimat non hoc præciſè ac formaliter juſtos nos cenſeri coram Deo, quòd Chriſti juſtitiâ veſtiamur, ſed quòd peccata noſtra latenter in corde viventia nobis non imputentur.

Rectè obſervat Bellarminus quæſtionem illos inter & Catholicos non eſſe, an juſtitia Chriſti nobis imputetur. Nam Catholici ultro fatentur merita Chriſti eo ſenſu nobis imputari, quòd, quidquid juſtitiæ habemus, totum id eo ab in nos derivetur, quòdque ſolus ipſe pro peccatis noſtris Deo condignè ſatisfecerit. Unde „ſi ſolùm vellent hæretici, inquit, lib. 2 *de Juſtificatione*, cap. 7, „ nobis imputari Chriſti merita, quia „ nobis donata ſunt, & poſſumus ea Deo Patri offerre pro peccatis noſ- „ tris, quoniam Chriſtus ſuſcepit ſuper ſe onus ſatisfaciendi pro nobis, „ noſque Deo Patri reconciliandi, recta eſſet eorum ſententia.“ Sed in hoc ſunt hæretici, quòd velint ſolâ Chriſti juſtitiâ nobis imputatâ juſtos nos conſtitui, neque dari nobis per ipſius merita veram, internam ac peccati mortalis expertem juſtitiam, quâ formaliter juſtificemur.

Oſiander, è grege Lutheranorum, abutens eâ ſententiâ Scripturæ, quâ dicitur Dominus *juſtitia noſtra*, docere non erubuit hominem, non per juſti-

Digitized by Google

juſtitiam creatam ſibique inditam, ſed per ipſam eſſentialem juſtitiam, quâ Deus juſtus eſt, ſibi unitam formaliter juſtificari. Vide Boſſuetum, lib. 8 *Variationum*, art. 11.

Hactenus Hæreticorum errores. Jam Scholaſticorum opiniones referendæ.

Magiſter Sententiarum ſentire multis viſus eſt, lib. 1 Sentent. diſt. 17, caritatem quâ juſtificamur non eſſe aliquid creatum, nec habitum aliquem, ſed ipſummet Spiritum ſanctum. Quamobrem, inter articulos ad calcem ipſius operis rejectos & à cæteris Theologis improbatos, iſte primus recenſetur: *Quòd caritas non ſit aliquid creatum, ſed ipſe Spiritus ſanctus.* Verùm alii Theologi Magiſtrum benignè interpretantur, aſſerendo Spiritum ſanctum non eſſe in ipſius mente cauſam formalem juſtificationis, ſed cauſam efficientem & inhabitantem. Reverâ ipſe Magiſter expreſſè docet, lib. 2. diſt. 27. litt. C, virtutem eſſe qualitatem quæ in anima eſt tanquam forma, & gratiam eſſe virtutem nobis à Deo infuſam. Ut ut ſit, omnes Theologi ſententiam iſtam veluti erroneam rejiciunt, ac conſentiunt gratiam, quâ formaliter juſtificamur, eſſe aliquid creatum, inhærens, diſtinctum ab actu fluente & tranſitorio, quod, deſinente ſæculo 12, habitualis qualitas cœpit denominari (quanquam an vera ſit qualitas Philoſophorum ſenſu, definitum ab Eccleſia non fuit): ſed, quid ſit ea forma creata & inhærens, num ipſa caritas habitualis, an aliquid à caritate diſtinctum, diſputant inter ſe Theologi.

Thomiſtæ, poſt S. Thomam, 1. 2. q. 110. art. 3 & 4, & q. 27 de Veritate, art. 2, opinantur gratiam ſanctificantem realiter diſtingui à caritate aliiſque virtutibus, ac earum ſubjectum eſſe, quemadmodùm mens ſubjectum eſt potentiarum & habituum naturalium, ab eiſque diſtinguitur. „ Sicut in rebus naturalibus, ait Angelicus Doctor, loco ultimò citato, „ aliud eſt natura ipſa quàm inclinatio naturæ & ejus mo„ tus vel operatio; ita & in gratuitis eſt aliud gratia à caritate & à „ cæteris virtutibus.“ Fatentur tamen hi Theologi gratiam habitualem à caritate & virtutibus inſeparabilem eſſe.

Scotus, cum ſuis, cenſet caritatem diſtingui formaliter à gratia ſanctificante; Durandus ſolo nomine; alii virtualiter & ratione, ut aiunt, ratiocinatâ.

His expoſitis erroribus atque opinionibus, primùm quidem catholicum dogma adverſùs Hæreticos defendendum eſt: deinde inter varias Theologorum ſententias verior eligenda.

Refellitur error Novatorum.

Quid circa eſſentiam juſtificationis firmâ fide credendum ſit, declarat ſynodus Tridentina, ſeſſ. 6 de Juſtificatione, cap. 7, his verbis: „ Juſ„ tificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & reno-

„ vatio hominis interioris per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & dono-„ rum; unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit „ hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.“ Et poſteà: „ Unica formalis „ cauſa (hujus juſtificationis) eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus „ eſt, ſed quâ nos juſtos facit; quâ videlicet ab eo donati renovamur „ ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nomi-„ namur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes, unusquisque ſecundùm „ ſuam menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, „ & ſecundùm propriam cujusque diſpoſitionem & cooperationem. „ Quanquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Do-„ mini noſtri Jeſu Chriſti communicantur, id tamen in hac impii juſti-„ ficatione fit, dum ejusdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum „ ſanctum diffunditur caritas Dei in cordibus eorum qui juſtificantur, „ atque ipſis inhæret. Unde, in ipſa juſtificatione, cum peccatorum „ remiſſione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum „ cui inſeritur, fidem, ſpem & caritatem.“

Et canone 11: „ Si quis dixerit homines juſtificari vel ſolâ imputa-„ tione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ & „ caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur „ atque illis inhæreat; aut etiam gratiam quâ juſtificamur eſſe tantùm „ favorem Dei; anathema ſit.“

Definit illis verbis ſacroſanctum Concilium 1° hominem non juſtificari formaliter per juſtitiam eſſentialem, quâ Deus juſtus eſt: quibus verbis Oſiandri abſurdiſſimam impietatem condemnat. 2°. In juſtificatione peccatoris peccata verè dimitti ac deleri, nec tegi tantummodò aut non imputari, quod diſertiùs adhuc decernitur canone 5. „ Si quis, ait, „ per Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam, quæ in baptiſmo con-„ fertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit non „ tolli id omne quod habet veram & propriam peccati rationem, ſed „ illud dicit tantùm radi & non imputari, anathema ſit.“ 3°. Juſtificationem non conſiſtere formaliter in ſola peccatorum remiſſione, ſed eſſentialiter includere interioris hominis renovationem. 4°. Eamdem formaliter conſiſtere in juſtitia intrinſeca & inhærente, non verò in mera imputatione juſtitiæ Chriſti; quo fit ut non modò reputemur, ſed & verè juſti nominemur ac ſimus. Singula illa dogmata ſeorſim adſtruemus.

PRI-

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Non minùs abſurda eſt, quàm impia, Oſiandi opinio, hominem formaliter juſtificari per eſſentialem juſtitiam Dei.

NAM 1° qui juſtificati ſunt, eos Scriptura juſtos paſſim appellat. Porro abſurdum eſt aliquem denominari ex forma extrinſeca ſibique non inhærente; v. g. dici bonum vel doctum bonitate vel doctrinâ quæ non ipſi inſit.

2°. Eodem jure homo dici poſſet omnipotens, æternus, immenſus, per omnipotentiam, æternitatem, immenſitatem Dei.

3°. Si homo formaliter juſtus conſtituitur per juſtitiam increatam & eſſentialem, ergo omnes juſtificati æqualiter juſti ſunt, imò infinitam juſtitiam habent.

4°. S. Auguſtinus explicans quod ait S. Paulus in Epiſtola ad Romanos, *juſtitiam Dei* diffundi *in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum*, centies obſervat non eam intelligi oportere juſtitiam quâ Deus juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit, hoc eſt, creatam, non increatam, intrinſecam, non extrinſecam. Vide lib. *de Spiritu & littera*, cap. 9; lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7; Epiſt. 120, aliàs 140, ad Honoratum, cap. 30.

Dices cum Oſiandro Deum acceptare non poſſe aliam juſtitiam, tanquam ſe dignam, præter ſuam.

Nego propoſitionem: alioqui non potuiſſet Deus acceptare juſtitiam humanitati Chriſti inditam, nec ejus ſacrificium gratum habere. Quàm diſſimiliter ſentiebat S. Paulus, cùm ſcribebat, 2 ad Timothæum, IV. 7 & 8: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Sed illo commento hæc ſufficiant.

SECUN-

Digitized by Google

SECUNDA PROPOSITIO.

In juſtificatione impii peccata non teguntur tantummodò, ſed verè delentur ac tolluntur.

PROBATUR 1° ex Scriptura multipliciter.

Primùm quidem Deus expreſſè teſtatur ſe peccata juſtorum delere atque auferre. Pſalm. 50. v. 3: *Dele iniquitatem meam.* Et v. 11: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Iſai. XLIII. 25: *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et cap. ſequenti, v. 22: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Danielis IX. 24: *Ut deleatur iniquitas & adducatur juſtitia ſempiterna.* Michææ VII. 18 & 19: *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem?..... Deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Act. III. 19: *Convertimini, ut deleantur peccata veſtra.*

2°. Illorum peccata verè tolluntur, qui dicuntur ablui, emundari, lavari à peccatis ſuis multò perfectiùs, quàm corporum ſordes aquâ naturali abluuntur. Atqui his verbis juſtificatio exprimitur in Scriptura. Pſalmo 5: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me...... Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor...... Cor mundum crea in me, Deus.* An peteret Propheta quod ſciret non contingere hac in vita? Ezechielis XXXVI. 25, ait Dominus: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos.* Joannis XIII. 10, Chriſtus dicit: *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: & vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Act. XXII. 16, Saulo dicitur: *Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius.* 1 Cor. VI. 11, S. Paulus, multis criminibus enumeratis, ſic fideles alloquitur: *Et hæc quidem fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*, juſtificationem, ſanctificationem & ablutionem pro uno atque eodem accipiens. 1 Joannis, I. 7: *Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.*

3°. Chriſtus non gratis mortuus eſt, & intentione ſuâ fruſtrari non potuit. Atqui ideò Chriſtus mortuus eſt, ut eos qui ſibi dati erant à Patre ſanctificaret, liberaret, mundaretque à peccatis. Hebr. XIII. 12: *Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Epheſ. V. 25 & 26: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Ad

Digitized by Google

Ad Titum II. 14: *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Chriſtus ipſe, Joannis XVII. 19: *Pro eis*, inquit, *ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Denique, Epheſ. I. 4: *Elegit nos* (Deus) *in Chriſto, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate.* Quomodò peccatores verè ſanctificantur ac mundantur, ſi peccata in eis vivunt, tantùmque non imputantur? Quomodò ſancti ſunt & immaculati *in conſpectu Dei*, qui ſcrutatur renes & corda, & cujus oculis omnia ſunt nuda & aperta, ſi intus ſordidi ac peccato contaminati remanent? Quomodò ſanctificati ſunt *in veritate*, ſi ſolâ non imputatione à peccatis abſolvuntur?

4°. Scriptura teſtatur peccatorem, cùm baptizatur, mori peccato, quemadmodùm Chriſtus in cruce mortuus eſt. Rom. VI. 2 & ſeq. *An ignoratis quia, quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut, quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus: hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.* Illi ergo dicant in juſtificatione impii non verè aboleri peccata, ſed tegi, qui negare audebunt Chriſtum pro nobis non verè mortuum eſſe. At ſi verè Chriſtus mortuus eſt, ergo & nos, quando juſtificamur, verè morimur peccato, piè ac ſanctè deinceps victuri." Intelligamus, ait S. Auguſtinus in *Enchiridio*, cap. 52, n. 14, „ nihil aliud eſſe in Chriſto „ baptiſmum, niſi mortis Chriſti ſimilitudinem,..... ut, quemadmo- „ dùm in illo vera mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorum; „ & quemadmodùm in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtifi- „ catio."

5°. Si peccata in juſtificatione non verè abolerentur, aliquid damnatione dignum in juſtis remaneret. Atqui Apoſtolus teſtatur, Rom. VIII. 1, *nihil nunc damnationis eſſe iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Reverà concupiſcentia, quæ in regeneratis manet ad agonem, non habet in eis propriè dictam peccati rationem, quia ſic ineſt ut non regnet. Vide quæ hac de re dicta ſunt Lib. III.

6°. Juxta novatores, regenerati ſunt ſimul peccatores & juſti: peccatores, quia peccatum in eis non deletur; juſti, quia tales reputantur apud Deum. At contra, ex Apoſtolo, 2 Cor. VI. 14, impoſſibile eſt illa duo ſimul conjungi ac regnare. *Quæ enim participatio*, inquit, *juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?..... Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus.* An poterant hæretici

Scripturæ ſacræ apertiùs contradicere, quam tamen veluti unicam fidei regulam amplecti ſe profitentur?

Probatur 2° ex perpetua Eccleſiæ traditione, quæ adeò manifeſta eſt, ut ipſe Calvinus coactus fuerit fateri illam ſibi opponi. Obſervo tantùm doctrinam quam tuemur adeò certam fuiſſe in Eccleſia quinto ſæculo, ut Pelagiani occaſionem inde ſumpſerint calumniandi Catholicos, qui aſſerebant concupiſcentiam, ſublato ejus reatu ac dominio, quoad actum remanere in baptizatis. Arguebant enim illi hæretici hinc ſequi maximum abſurdum hæreſimque manifeſtam, ſcilicet per baptismum non tolli, ſed radi tantùm peccata. „ Dicunt etiam, inquiebat Julianus, de Catholicis loquens, „ baptisma non dare omnium indulgentiam „ peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, ut omnium peccatorum „ radices in mala carne teneantur.“ Verùm illud conſequens damnat, & calumnioſè imponi Catholicis teſtatur S. Auguſtinus, lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 13. n. 26. „ Quis, ait, hoc adverſùs „ Pelagianos, niſi infidelis, affirmet?“ (Ergo, judice S. Doctore, novatorum opinio vera infidelitas eſt). „ Dicimus ergo baptisma dare „ omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, „ nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi „ raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda pecca„ ta.“ Et lib. 3. cap. 3. n. 4, Pelagianis iterum calumniantibus ac dicentibus: „ Baptisma non verè homines novos facere aſſerunt, id eſt, „ non plenam dare remiſſionem peccatorum, ſed ex parte fillos Dei fieri, „ ex parte autem filios ſæculi, id eſt, diaboli, remanere contendunt,“ ſic reſpondet: „ Mentiuntur, inſidiantur, tergiverſantur: non hoc di„ cimus.“ Et n. 5: „ Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, „ prorſùs omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, ſive originalia, „ ſive addita, ſive quæ ignoranter, ſive quæ ſcienter admiſſa ſunt: ſed „ non aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum ago„ nem luctatur.“

Probatur 3° evidentiſſimis rationibus.

1ª. Deus diligit juſtos, ſibique in eis complacet. Atqui Deus non poteſt amare hominem, in quo peccatum interiùs remanet ac dominatur, ſecundùm illud Pſalm. 5: *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Si Luthero & Calvino credatur, omnia juſtificatorum opera ſunt polluta, immunda ac damnatione digna. Quomodò ergo diliguntur ab illo qui odit omnes operantes iniquitatem?

2ª. Maxima eſt meritorum & gratiæ Chriſti virtus atque efficacia. At quid fiet de illa tanta efficacia, ſi ſanguine Agni immaculati ſordes animæ non terguntur, ſed teguntur, nec curantur vulnera, ſed palliantur? Certè *ſi ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inqui-*

Digitized by Google

quinatos ſanctificat ad emundationem carnis, conferendo illis exteriorem ac legalem munditiem, *quantò magis*, ait S. Paulus, Hebr. IX. 14, *ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?*

3°. Quando quis fit ex impio juſtus, incipit eſſe quod non erat; hocque ſine aliqua mutatione fieri nequit. Aut ergo Deus mutatur, acceptando pro juſto quem ante ut impium deteſtabatur; vel ipſe homo mutatur per realem atque internam renovationem. Atqui Deus non mutatur. Ergo homo per gratiam juſtificationis interiùs mutatur. Non autem mutaretur, ſi per illam gratiam peccatum non verè aboleretur, ſed tantùm imputari deſineret. Ergo in juſtificatione non fit ſimplex non imputatio peccatorum, ſed vera & realis abolitio.

4°. Hoc diſcrimen eſt Deum inter & homines, quòd hi, condonando culpas proximorum, nihil in ipſis operentur; Deus verò, cujus amor nunquam eſt inefficax, producat bonitatem in eo quem in gratiam recipit. Hanc probationem præclarè exprimit Angelicus Doctor, part. 3. q. 86. art. 2. in corp. „ Offenſa, inquit, directè opponitur gratiæ. Ex „ hoc enim dicitur aliquis alteri eſſe offenſus, quod repellit eum à gra- „ tia ſua...... Hoc autem intereſt inter gratiam Dei & hominis, quòd „ gratia hominis non cauſat, ſed præſupponit bonitatem veram vel ap- „ parentem in homine grato; ſed gratia Dei cauſat bonitatem in homi- „ ne grato, eoquòd bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelli- „ gitur, eſt cauſa omnis boni creati. Unde poteſt contingere quòd ho- „ mo remittat offenſam, quâ offenſus eſt alicui, absque aliqua immu- „ tatione voluntatis ejus; non autem contingere poteſt quòd Deus re- „ mittat offenſam alicui absque immutatione voluntatis ejus.“

Objicit Calvinus hæc verba Pſalmi 31: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum;* ubi remitti peccata idem eſt ac tegi & non imputari: & 2 Cor. V. 18: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.* Hoc igitur, ait, homines reconciliantur Deo, quòd peccata eis non imputantur.

Reſpondeo hos textus nullatenus contradicere illis quos ſupra retulimus, ac per eos debere exponi. Teguntur peccata noſtra, cum remittuntur, non ut ſub tegumento latenter vivant, ſed ut ſanentur, quemadmodum vulnus medicamento tegitur ac ſanatur. „Non ſic intel- „ ligatis, ait S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalm. 31. n. 9, quod dixit „ (Propheta), peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant.“ Et poſteà: „Deus ergo tegat vulnera, non tu. Nam ſi tu tegere volueris „ erubeſcens, medicus non curabit. Medicus tegat & curet. Emplaſtro „ enim tegit: ſub tegmine medici ſanatur vulnus; ſub tegmine vulne- „ rati celatur vulnus.“ Vide S. Juſtinum in *Dialogo cum Tryphone*,

 verſus

Digitized by Google

verſùs finem; Origenem, lib. 4 in Epiſtolam ad Rom. cap. 4, ad hæc verba: *Sicut & David dicit beatitudinem hominis* &c; Gregorium Nazianzenum, Orat. in ſanctum lavacrum; Gregorium magnum in 2um *Pſalmum pœnitentialem.* Et certè Deo, cui univerſa ſunt nuda & aperta, hoc ſolum tegitur quod non eſt.

Pariter dicuntur peccata non imputari, quia ſic deleta ſunt ut non ſint. Adde tria diſtingui in peccato, actum tranſitorium, affectum & maculam habitualem. Affectum delet ſincera cordis converſio: maculam abſtergit ac tollit juſtificatio: actus autem, cùm fieri non poſſit ut non fuerit, propriè non tollitur, ſed tantùm, propter ſubſequentem mutationem, non imputatur.

TERTIA PROPOSITIO.

Juſtificatio non conſiſtit formaliter in ſola remiſſione peccatorum, ſed includit eſſentialiter internam hominis renovationem, eâque conſtituitur.

PROBATUR 1° ex Scripturis duplici argumento.

Primum eſt quòd Scriptura, ad explicandam juſtificationem, utrumque conjungere ſoleat, nempe abolitionem peccati & interiorem renovationem. Ezech. XXVI. 25: *Auferam à vobis*, aït Dominus, *cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Epheſ. IV. 22: *Deponere vos...... veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Ergo in his duobus eſſentialiter conſiſtit juſtificatio peccatoris.

Alterum eſt quòd Scriptura juſtificationem plerùmque collocet in ipſa mentis renovatione. Rom. IV, verſu ultimo: *Traditus eſt propter delicta noſtra*, hoc eſt, propter abolitionem peccatorum noſtrorum, *& reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Quibus verbis juſtificatio diſtinguitur à remiſſione peccatorum, quemadmodum reſurrectio Chriſti ab ipſius morte, poniturque formaliter in renovatione hominis interioris, quæ peculiaris effectus eſt reſurrectionis Chriſti; quemadmodùm, cap. VI. 4, docet idem Apoſtolus. ut, *quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Alia eſt mortificatio peccati, quæ morti Chriſti, alia vivificatio juſtitiæ, quæ reſurrectioni ipſius attribuitur. Illâ renuntiamus affectibus terrenis; hâc induimus affectus cœleſtes. Illa eſt pars prior, hæc poſterior juſtificationis noſtræ completæ.

Ibi-

Digitized by Google

Ibidem, VIII. 10: *Spiritus vivit propter juſtificationem.* Juſtificatio ergo eſt principium & cauſa vitæ ſpiritualis, quæ in renovatione conſiſtit.

Et ad Titum, cap. III. 5, 6 & 7: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Audis nos juſtificari per gratiam renovationis, & per Spiritûs ſancti factam in nos effuſionem.

Probatur 2° unanimi conſenſu ſanctorum Patrum, cujus teſtis eſt ipſemet Calvinus, lib. 3 *Inſtitutionum*, cap. 11. § 15, ubi illos nobis derelinquit, non excepto ipſo S. Auguſtino. „ Ac ne Auguſtini quidem, ait, ſententia recipienda eſt, qui gratiam ad ſanctificationem „ refert, quâ in vitæ novitatem per ſpiritum renovamur."

Probatur 3° multiplici ratione.

1°. Juſtificatio eſt tranſitus à ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ. Atqui in omni tranſitu potiſſimùm attendi debet terminus ad quem fit tranſitus: v. g. in illuminatione & calefactione præſertim conſideratur luminis & caloris introductio. Ergo juſtificatio potiſſimùm conſiſtit in ſanctificatione ac renovatione mentis.

Et verò, conſideratâ ſolâ remiſſione peccatorum, homo nondum concipitur poſitivè juſtus, ſed tantùm non injuſtus. Ergo ad juſtificationem non ſufficit ſola remiſſio peccatorum, ſed eſſentialiter requiritur aliquid poſitivum, quo verè juſti nominemur ac ſimus.

2°. Non eò præciſè tendit juſtificatio, ut damnationem evadamus, ſed ut hæredes efficiamur vitæ æternæ. Unde S. Paulus, Rom. VIII: *Quos juſtificavit, hos*, inquit, *& glorificavit.* Atqui remiſſio peccatorum ſola non ſufficit ut vitam æternam conſequamur, quæ ſanctitatis præcipuè fructus eſt, juxta eumdem Apoſtolum, ibid. VI. 22: *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Ergo in juſtificatione eſſentialiter includitur ſanctificatio.

3°. Per juſtificationem formaliter efficimur filii, amici, domeſtici Dei. Atqui Deus nonniſi ſanctos ac diligentes ſe diligit, ac pro filiis & domeſticis habet. Ergo.

4°. Juſtitia paſſim deſcribitur in Scripturis ut principium bonæ ac juſtæ operationis. Atqui nuda remiſſio peccatorum, ſine interiore renovatione & ſanctificatione, nihil omnino operatur. Ergo in conceptu juſtitiæ includitur interna ſanctificatio.

5°. Denique renovatio interior adeò eſſentialis eſt juſtificationi, ut ipſa remiſſio peccatorum ſine illa concipi nequeat. Sicut enim tenebræ non fugantur niſi per lucem, nec frigus niſi per calorem, ſic peccata non pelluntur niſi per formam contrariam, quæ non alia eſt quàm ſanctitas. Reverâ peccatum non eſt tantùm offenſa Dei aut reatus mortis æternæ, ſed etiam ægritudo quædam ac languor animæ, odium juſtitiæ, amor dominans ſui ipſius & creaturarum, pronitas & incli-

 natio

natio vehemens ac voluntaria in malum. Atqui ægritudo non expellitur niſi per ſanitatem, nec odium juſtitiæ niſi per juſtitiæ amorem, nec amor creaturarum niſi per creatoris caritatem prædominantem, nec pronitas voluntaria in malum niſi per vehementiorem inclinationem voluntatis in bonum. Ergo in tantùm peccati noxa remittitur, in quantùm ſanctitas infunditur.

QUARTA PROPOSITIO.

Juſtificatio non conſiſtit formaliter in imputatione juſtitiæ Chriſti, ſed in juſtitia intrinſeca & inhærente.

PROBATUR hæc veritas 1° ex Scripturis, quæ juſtitiam ubique deſcribunt tanquam formam intrinſecam & inhærentem ad modum habituum. Tunc juſtificamur, cùm accipimus Spiritum ſanctum. Porro, ex Apoſtolo, Rom. V. 5, *caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et cap. VIII. 15: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Eſt ergo in juſtis aliquid permanens & inhærens, quo juſti conſtituuntur.

Hinc Deus juſtitiam repromittens ait ſe daturum *cor novum & ſpiritum novum*, ablaturum *cor lapideum*, & daturum *cor carneum:* quibus verbis aliquid permanens atque inhærens ſignificatur.

1 Joannis III. 9, gratia juſtificans vocatur ſemen Dei, quod manet in juſtis. *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Et cap. II. 27, vocatur unctio, quæ pariter permanet in juſtis: *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, in vobis maneat:* græcè, *μένει*, *manet.*

S. Petrus, 2 Epiſt. I. 4, teſtatur Deum *maxima & pretioſa nobis promiſſa donaſſe, ut per hæc* (nobis indita) *efficiamur divinæ conſortes naturæ*, inſinuans gratiam eſſe aliquid internum nobis à Deo donatum & in nobis receptum, quo ad quoddam naturæ divinæ conſortium evehimur. Illud autem donum ſeu eſſe divinum non poteſt eſſe actus tranſiens. Reſtat ut inſtar habituum nobis inhæreat.

Demum non minùs verè juſti efficimur per Chriſtum, quàm facti ſumus per Adamum peccatores. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, ait S. Paulus, Rom. V. 19, *ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Atqui per Adamum facti ſumus peccatores peccato intrinſeco ac nobis inhærente. Ergo, à pari, immo à fortiori, per Chriſtum juſtificamur juſtitiâ intrinſecâ & inhærente.

Dixi

Digitized by Google

Dixi *à fortiori*, quia multò plus valet Chriſtus ad juſtitiam, quàm Adamus valuit ad peccatum, ut teſtatur Apoſtolus ibidem, v. 17. *Si enim*, inquit, *unius delicto mors regnavit per unum, multò magis, abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.*

Rom. VIII. 3: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus, Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Quænam eſt iſta juſtitia, quâ lex in nobis impletur, quam lex ob carnis infirmitatem operari non potuit, quam Chriſtus nobis commeruit, quâ non jam ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum, niſi juſtitia inhærens & intrinſeca, quâ verè juſti & Deo accepti efficimur?

Probatur 2° ex SS. Patribus, quorum eſt unanimis hoc in dogma confenſio. Paucos è multis referam.

S. Baſilius, lib. *de Spiritu ſancto*, cap. 26, gratiam juſtificantem comparat arti, cujus habitus in artifice ſemper remanet, & per quam operatur. „ Quemadmodùm, inquit, ars eſt in eo qui nactus eſt illam, „ ita gratia ſpiritûs in eo qui recipit ſemper quidem præſens, at non „ perpetuò operans.“ Tom. 2. p. 206.

S. Chryſoſtomus, hom. 1 in Epiſt. ad Epheſios, exponens hæc verba, *gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, aliâ ſimilitudine doctrinam iſtam illuſtrat. „ Non ſolùm, inquit, liberavit nos à peccatis, ſed etiam „ fecit amabiles. Quomodò enim ſi quis acceptum aliquem ſcabioſum, & peſte ac morbo ſenioque confectum, & paupertate ac fame „ perditum, ſtatim formoſum fecerit juvenem omnes homines pulchritudine vincentem,..... deinde eum conſtituerit in primo flore „ ætatis, & poſteà purpurâ induerit & omni ornatu ornaverit; ita „ noſtram inſtruxit & ornavit animam, pulchramque fecit, deſiderabilem, amabilem; cupiunt enim Angeli talem aſpicere animam. Ita „ etiam nos fecit gratiſſimos & ſibi deſiderabiles. *Concupiſcet enim Rex*, „ ait, *pulchritudinem tuam.*“

S. Auguſtinus, lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 9: „ Sicut ille (Chriſtus), ait, in quo omnes vivificantur, præter quod „ ſeſe exemplum ad juſtitiam imitantibus præbet, dat etiam ſui Spiritûs occultiſſimam gratiam, quam etiam latenter infundit & parvulis; „ ſic & ille (Adam), in quo omnes moriuntur, præter quòd eis, qui „ præceptum Domini voluntate tranſgrediuntur, imitationis exemplum „ eſt, occultâ etiam tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificavit in ſe „ omnes de ſua ſtirpe venientes.“ Non poterat S. Doctor apertioribus verbis docere gratiam juſtificantem eſſe aliquid intrinſecum & inhærens, quàm docendo eam *latenter infundi* etiam parvulis, & tam propriè in eis exiſtere, quàm ipſammet ab Adamo acceptam concupiſcentiam.

S. Cy-

Digitized by Google

Tom. 2. p. 591. S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4 *in Iſaiam*, orat. 2, explicans hæc verba cap. 44: *Memento horum, Jacob & Iſraël*, ſic loquitur: „ Formatur in nobis Chriſtus, Spiritu ſancto nobis divinam quamdam „ formam per ſanctificationem & juſtitiam indente: ſic enim in animis „ noſtris elucet caracter ſubſtantiæ Dei & Patris, reformans nos, ut „ dixi, Spiritu ſancto per ſanctificationem in ipſum.“ Quid, quæſo, eſt divinæ quædam juſtitiæ forma nobis indita, niſi juſtitia nobis intrinſeca ac verè inhærens?

Probatur ultimò rationibus Theologicis.

1°. Per merita Chriſti recuperamus eam juſtitiam, quam perdideramus in Adamo; venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat. Atqui veram internamque juſtitiam in Adamo amiſimus. Ergo ejuſdem generis juſtitiam in noſtra juſtificatione recuperamus.

2°. Non poteſt eadem eſſe cauſa efficiens & formalis noſtræ juſtificationis: cauſa enim efficiens eſt quæ producit; cauſa verò formalis eſt id quod producitur. Atqui juſtitia Chriſti eſt cauſa efficiens, meritoria & inſtrumentalis noſtræ juſtificationis. Non poteſt ergo eſſe ejuſdem formalis cauſa: ac proinde non per juſtitiam Chriſti tantummodò nobis imputatam, ſed per juſtitiam in nobis phyſicè productam juſtificamur.

3°. Chriſtus non tantùm auctor eſt juſtificationis noſtræ, verùm etiam præclariſſimum illius exemplar, hoc uno excepto, quòd eumdem ſpiritum ad menſuram accipimus, quem ipſe ſine menſura accepit, ut de ipſius plenitudine nos omnes reciperemus. Atqui non per juſtitiam imputatam, ſed per internam ſibique inhærentem, Chriſtus juſtus eſt. Ergo nos etiam verâ internâque juſtitiâ formaliter juſtificamur.

4°. Qui juſtificati ſunt, non omnes æqualiter juſti ſunt, ſed alii magis, alii minus; eſtque illorum juſtitia profectûs ac diminutionis capax. At imputatio juſtitiæ Chriſti in ſe conſiderata non ſuſcipit magis aut minùs: unde, ſi juſtificatio in ipſa formaliter conſiſteret, omnes regeniti forent æqualiter juſti, & in juſtitia nec proficere, nec deficere poſſent; immo tantum juſti eſſent, quantùm Chriſtus juſtus eſt, ut pote formaliter juſtificati illâ ipſâ juſtitiâ quâ ille juſtus eſt.

5°. Cùm regnum cœlorum juſtis promittatur, neceſſe eſt illud, quod ad obtinendum regnum cœlorum prærequiritur, ad juſtificationem neceſſariò pertinere & in ea includi. Atqui ſanctitas, ſeu juſtitia inhærens, neceſſariò requiritur ad obtinendum regnum cœlorum, ut Scripturæ paſſim docent, & ipſi Proteſtantes non abnuunt. Ergo ſanctitas & juſtitia inhærens neceſſariò includitur in juſtificatione peccatoris.

Objiciunt 1° Chriſtum in Scripturis dici noſtram juſtitiam. Jeremiæ XXIII. 6: *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter:* ubi habetur in fonte: *Dominus juſtitia noſtra.* 1 ad Corinth. I. 30: *Factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.*

tio. Et 2 ad Corinthios V. 21: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* At Chriſtus veraciter dici non poteſt juſtitia noſtra, quin ejus juſtitiâ formaliter juſtificemur. Ergo.

Nego minorem. Chriſtus appellatur juſtitia noſtra, 1° quia eſt, ut Deus, cauſa efficiens, atque, ut homo, cauſa meritoria & inſtrumentalis noſtræ juſtificationis. 2°. Quoniam Chriſtus ſatisfecit Deo Patri pro nobis, & eam juſtitiam ita nobis donat & communicat, cùm nos juſtificat, ut noſtra ſatisfactio dici poſſit. Nam, etiamſi per juſtitiam inhærentem verè juſti nominemur & ſimus, tamen non per eam ſatisfacimus Deo pro peccatis noſtris & pœna æterna; ſed eſt illa juſtitia inhærens, cum remiſſione culpæ, effectus ſatisfactionis Chriſti, ut ait Bellarminus *de Juſtificatione*, lib. 2. cap. 10. 3°. Quoniam, quidquid habemus juſtitiæ, id totum ex ipſius plenitudine in nos tanquam in membra dirivatur. Quemadmodum enim caput rectè dicitur vita membrorum, eoquòd in ſingula membra vitam motumque diffundat; ita Chriſtus veriſſimè dicitur juſtitia fidelium ſibi intime connexorum, eoquòd in ſingulos eum, quo ſpiritaliter vivunt, juſtitiæ gradum diffundat. Et certè eo ſenſu Chriſtus dicitur factus eſſe nobis juſtitia, quo & ſanctificatio, ſiquidem utrumque conjungit Apoſtolus. Atqui, quàmvis Chriſtus ſit nobis ſanctificatio, tamen, Calvinianis ſatentibus, ſanctificamur per donum intrinſecum & inhærens. Ergo, à pari, quàmvis Chriſtus ſit nobis juſtitia, tamen juſtificamur per juſtitiam unicuique intrinſecam & inhærentem, cujus ille nobis auctor eſt.

Objiciunt 2°. S. Paulus juſtitiam vocat veſtimentum quo induti ſumus. *Induite*, inquit, Epheſ. IV. 24, *novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* At veſtimentum eſt quid externum nec inhærens.

Reſpondeo juſtitiam non ideò indumentum appellari, quòd extrinſeca ſit, ſed quòd non ſit nobis congenita, & tanquam indumentum haberi à nobis ac deſeri poſſit; vel quòd tota noſtra actio exterior ad juſtitiæ normam componi debet, ita ut in omni verbo & opere noſtro nihil non juſtum ac Chriſto dignum videatur, quemadmodùm hominis à capite ad pedes amicti non videtur niſi veſtimentum. At quomodò in exteriore homine relucere juſtitiæ decor poterit, niſi in homine interiore habitet indita forma juſtitiæ, per quam exteriores actus imperentur? Et verò fatentur novatores veterem hominem nobis eſſe intrinſecum & inhærentem, & tamen jubet Apoſtolus illum veluti veſtimentum deponi & exſpoliari. *Deponere vos*, ait ibid. v. 22, *ſecundùm priſtinam converſationem, veterem hominem.* Et Coloſſ. III. 9: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum*

Expenduntur variæ opiniones Theologorum ſupra expoſitæ.

PRIMA PROPOSITIO.

Sententia Magiſtro attributa, nimirum gratiam ſanctificantem eſſe formaliter Spiritum ſanctum, rejicienda eſt tanquam error: attamen rectè dicitur homo juſtificari efficienter per Spiritum ſanctum in corde inhabitantem, illudque præſentiâ ſuâ & intimâ ac jugi operatione vivificantem.

PROBATUR prima pars omnibus momentis, quibus modò oſtenſum eſt juſtificationem eſſentialiter conſiſtere in juſtitia indita & inhærente. Nam Spiritus ſanctus in juſtis habitans non eis inhæret.

2°. Illa ſententia dudum damnata eſt à Magiſtris Pariſienſibus, uti ſupra retulimus.

3°. Cùm Spiritus ſanctus repleat, tanquam Deus, orbem terrarum, & per eſſentiam ſuam ubique ſit æqualiter præſens, non cenſetur peculiariter inhabitare in juſtis, niſi per peculiarem operationem producat in eis quamdam formam juſtitiæ, quam in peccatoribus non ſimiliter producat. Ergo ineſt juſtis forma quædam juſtitiæ à Spiritu ſancto diſtincta, & ipſius inhabitationis effectus.

Dices. Gratia ſanctificans eſt vita animæ. Atqui ſoli Deo competit eſſe vitam animæ. Ergo gratia ſanctificans eſt formaliter Deus.

Reſpondeo ſolum Deum eſſe quidem vitam animæ, tanquam cauſam efficientem ac productricem; gratiam verò eſſe vitam animæ, ut cauſam formalem in qua vita ſpiritualis conſiſtit.

Quæres an juſtitia inhærens, quâ formaliter juſtificamur, ſit in anima per modum habitûs & qualitatis infuſæ?

Reſpondeo Theologos, à quingentis annis & ampliùs, his vocibus non malè uſos eſſe ad explicandam naturam gratiæ ſanctificantis: quam ſententiam explicat adſtruitque Angelicus Doctor, 1. 2. q. 110. art. 2, hoc ratiocinio: „ Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuva- „ tur: Uno modo in quantùm anima hominis movetur à Deo ad ali- „ quid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum; & hoc modo ipſe „ gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam „ animæ; actus enim moventis in moto eſt motus. Alio modo adju- „ vatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundùm quòd aliquod ha- „ bituale donum à Deo animæ infunditur: & hoc ideò quia non eſt „ conveniens quòd Deus minùs provideat his quos diligit, ad ſuper- „ naturale bonum habendum, quàm creaturis quas diligit ad naturale „ bo-

„ bonum habendum. Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non „ ſolùm moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas „ & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundùm ſeipſas inclinentur ad hujuſmodi actus. Et ſic motus, quibus à Deo „ moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles, ſecundùm illud „ Sap. VIII: *Diſponit omnia ſuaviter.* Multò igitur magis illis, quos „ movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas ſeu qualitates ſupernaturales, ſecundùm quas ſuaviter „ & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum. „ Et ſic donum gratiæ qualitas quædam eſt.“ Vide etiam 2. 2. q. 23. art. 2.

Favet huic opinioni decretum concilii Viennenſis ſub Clemente V, quod refertur in *Clementinis*, lib. 1. tit. 1, de ſumma Trinitate & fide catholica. Ibi ſummus Pontiſex, relatis contrariis opinionibus Theologorum, ex quibus nonnulli dicebant *per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri*, alii è contrario aſſerebant *& culpam eiſdem in baptiſmo remitti, & virtutes ac informantem gratiam infundi quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum*, ſic, Concilio approbante, decernit: „ Nos, attendentes generalem efficaciam „ mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quæ dicit tam parvulis quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ „ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus „ eligendam.“

Obſervandum eſt Scholaſticos, quorum opinionem, tanquam minùs probabilem & SS. Patrum doctrinæ minùs conſonam, rejecit hæc ſynodus, conſenſiſſe gratiam, quæ adultis per baptiſmum datur, eſſe habitum virtutum infuſarum, ſed exiſtimaſſe parvulis, cùm baptizantur, gratiam non dari quoad illum effectum, ſed tantùm quoad effectum remiſſionis peccatorum. Verùm hæc opinio dudum exolevit, ac manifeſtè repugnat S. Auguſtino aſſerenti, lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, Chriſtum „ dare etiam ſui Spiritûs occultiſſimam gratiam, quam „ etiam latenter infundit & parvulis.“

Secunda pars Propoſitionis probatur expreſſis Scripturæ teſtimoniis, quæ docet ſanctiſſimam Trinitatem in juſtis inhabitare. *Si quis diligit me*, inquit Chriſtus, Joann. XIV. 23, *ſermonem meum ſervabit, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Quàmvis hæc inhabitatio ſit communis tribus perſonis, quarum operationes ſunt inſeparabiles, tamen Spiritui ſancto ſpecialiter attribuitur, eoquòd ex Patris & Filii mutua caritate procedat. *Neſcitis*, ait S. Paulus, 1 Cor. III. 10, *quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Rogabo Patrem*, ait Chriſtus, Joann. XIV. 16, *& alium Para-*

cletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Pleni ſunt libri ſacri hujuſmodi teſtificationibus, ex quibus concludimus cum S. Thoma, 1 part. q. 43. art. 3. in corpore, „ in ipſo dono gratiæ gra- „ tum facientis Spiritum ſanctum haberi & inhabitare."

Quomodò verò in juſtis habitat qui ubique præſens eſt? Plus eſt habitare quàm præſentem adeſſe. Nam, ut obſervat S. Prudentius, lib. *de Prædeſtinatione contra Scotum*, cap. 17: „ In his locis & cum his „ perſonis adſumus per præſentiam, in quibus & cum quibus nullate- „ nus habitamus: habitare quippe non dicitur quis niſi in domo, eſſe „ verò etiam non in domo. Ita & Deus ubique eſſe dicitur per omni- „ potentiam majeſtatis, qui tamen nonniſi in templo & domo ſua di- „ citur eſſe per gratiam habitationis."

Ut Spiritus ſanctus aliquem dicatur inhabitare, duo potiſſimùm requiruntur: 1°. Ut aliquid peculiare & excellens in eo operetur; nam divina inhabitatio non poteſt non eſſe actuoſa, nec concipitur abſque peculiari operatione. Vide B. Fulgentium, lib. 2 *ad Monimum*, cap. 7 & 8. 2°. Ut id quod operatur non ſit fluxum ac tranſitorium, ſed juge ac permanens: aliud eſt quippe movere tranſeundo, aliud inhabitare, quod ſignificat ſtabilem permanentiam in loco. Operatur ergo in juſtis Spiritus ſanctus, quid? niſi ipſammet juſtitiam, quæ ſpiritalis vita eſt animæ: hoc eſt, actuoſiſſimâ ac valde intimâ præſentiâ ſuâ juſtos vivificat, eſtque illis tanquam anima animæ. „ Sicut (enim juſtitia divina) „ cùm ſit in ſeipſa vita, etiam nobis fit vita, cùm ejus efficimur „ utcunque participes, ait S. Auguſtinus, Epiſt. 120, olim 222, ad Conſentium, cap. 4. n. 19, „ ita, cùm in ſeipſa ſit juſtitia etiam no- „ bis fit juſtitia, cùm ei cohærendo juſtè vivimus; & tantò magis „ minùsve juſti ſumus, quantò magis illi minùsve cohæremus..... „ Eſt planè ille ſummus Deus vera juſtitia; eſt ille verus Deus ſum- „ ma juſtitia, quam profectò eſurire & ſitire ea noſtra eſt in hac „ peregrinatione juſtitia, & quâ poſteà ſaturari, ea noſtra eſt in æter- „ nitate plena juſtitia." Hinc, cùm Spiritus ſanctus, quos juſtificat, non omnes æqualiter juſtificet (dividit enim unicuique prout vult), pariter, quos inhabitat, non omnes æqualiter inhabitat, ut docet S. Doctor, Epiſt. 187, olim 56, ad Dardanum, cap. 5. n. 17. „ Unde „ enim in omnibus ſanctis ſunt alii aliis ſanctiores, niſi ampliùs haben- „ do habitatorem Deum?"

Quoniam verò Spiritus ſanctus permanenter inhabitat, nec deſerit niſi deſeratur, neceſſe eſt ut, præter actus pietatis, ad quos movet, permanentem caritatis habitum continuato influxu in nobis producat, tanquam proprium ſuæ inhabitationis effectum.

Digitized by Google

Ex his facilè intelliguntur multa, quæ alioqui viderentur exaggerata aut explicatu difficillima.

1°. SS. Patres ſæpè aſſerunt Eccleſiam eſſe unicum corpus, unamque in Chriſto perſonam uno ac eodem ſpiritu animatam. „ Chriſtus itaque, ait S. Gregorius magnus, *in pſalm. 5 pœnitentialem*, v. 1, „ cum tota ſua Eccleſia, ſive quæ adhuc verſatur in terris, ſive quæ „ cum eo jam regnat in cœlis, una perſona eſt.“ Porro ſi juſti efficeremur per juſtitiam creatam à Spiritu ſancto ſejunctam, unitas illa valde imperfecta & impropria foret. At ſi Spiritus ſanctus, quo anima Chriſti vivificatur, verè habitat in juſtis eosque præſentiâ ſuâ vivificat, quemadmodùm anima vivificat corpus, imò longè intimiore ac perfectiore modo, jam nemo non intelligit omnes juſtos unum corpus eſſe, unamque in Chriſto & cum Chriſto perſonam. Quamobrem S. Gregorius addit: „ Et ſicut una eſt anima, quæ diverſa corporis membra „ vivificat, ita totam ſimul Eccleſiam unus Spiritus ſanctus vegetat & „ illuſtrat. Sicut namque Chriſtus, qui eſt caput Eccleſiæ, de Spiritu „ ſancto conceptus eſt, ſic ſancta Eccleſia, quæ corpus ejus eſt, eodem „ Spiritu repletur, ut vivat, ejus virtute firmatur, ut in unius fidei „ & caritatis compage ſubſiſtat. Unde dicit Apoſtolus: *Ex quo totum* „ *corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit* „ *in augmentum Dei.*“

2°. Inde etiam intelligitur quàm verè ac propriè detur nobis per ſacramenta ſpiritus, ut in nobis maneat, & cur Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum realiter ſumendum in Euchariſtia nobis præbeat, ut ſcilicet, mediante reali corporis præſentiâ, conferatur nobis ac magis magisque augeatur Spiritûs Chriſti præſentia realis, quâ ſolâ vivificamur, juxta illud Joannis VI: *Caro non prodeſt quidquam: ſpiritus eſt qui vivificat.*

3°. Optimè quoque exponitur quomodò peccatum mortale animam reverâ occidat, quia ſcilicet eam ſeparat à Spiritu ſancto, à quo priùs intimè unita vivificabatur. „ Mors igitur animæ fit, ait S. Auguſtinus, lib. 13 *de Civitate Dei*, cap. 2, „ cùm eam deſerit Deus, ſicut „ corporis, cùm id deſerit anima.“

SECUNDA PROPOSITIO.

Gratia ſanctificans, quâ formaliter juſtificamur, non diſtinguitur realiter à caritate habituali & infuſa, neque tantùm voce tenus, ſed virtualiter.

PROBATUR prima pars 1° ex concilio Tridentino. Quàmvis enim ei propoſitum non fuerit hanc ſcholaſticam controverſiam definire, tamen, ex iis quæ circa juſtificationem docet, optimè colligi poteſt illud non eam habuiſſe ut à caritate realiter diſtinctam. Seſſ. 6, cap. 7, ait „ nos juſtificari, dum paſſionis Chriſti merito per Spiritum ſanctum diffunditur caritas Dei in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipſis „ inhæret.“ Et canone 11 decernit juſtificationis gratiàm non „ eſſe „ tantum Dei favorem, neque ſolam remiſſionem peccatorum, excluſâ „ gratiâ & caritate, quæ in cordibus hominum juſtificatorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat.“

2°. Gratia, quâ juſtificamur, non diſtinguitur à caritate habituali, ſi, quidquid illi attribuitur, huic quoque attribuatur. Quorum enim proprietates eædem ſunt, horum eamdem eſſentiam eſſe neceſſe eſt. Atqui quidquid gratiæ ſanctificanti attribuitur, etiam caritati attribuitur. 1°. Gratia mundat à peccato. At quid efficaciùs expellit peccatum quàm caritas? 2°. Gratia hominem Deo gratum & amabilem efficit. Idem præſtat & caritas. Proverb. VIII. 17: *Ego diligentes me diligo.* Et Joann. XIV. 21: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* 3°. Gratia ſanctificans inclinat ad amandum Deum. At hic proprius eſt caritatis habitualis effectus. 4°. Gratia ſanctificans eſt omnium donorum excellentiſſimum. Pariter caritas, teſte Apoſtolo, 1 Cor. XIII, eſt optimum chariſma & ſupereminens via. 5°. Gratia ſanctificans eſt fons & origo omnium virtutum. Nulla quoque virtus eſt quæ non oriatur ex radice caritatis. 6°. Gratia ſanctificans Deo intimè conjungit. At *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in eo:* 1 Joann. IV. 16. 7°. Gratia ſanctificans proprius eſt Spiritûs ſancti in corde inhabitantis effectus. Sed Spiritus ſanctus amor eſt inſpiratorque caritatis. 8°. Gratia ſanctificans juſtos diſcernit à peccatoribus. Atqui dilectio ſola, teſte Auguſtino, *diſcernit inter filios Dei & filios diaboli.* 9°. Gratia ſanctificans filios Dei adoptivos conſtituit. Idem facit etiam caritas. 1 Joann. III. 1: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Ergo gratia, quâ formaliter juſti efficimur, & caritas ſunt realiter quid unum & idem. Quamobrem S. Auguſtinus nunquam diſtinguit juſtitiam à caritate, imo non eſſe

eſſe diſtinctam paſſim affirmat: v. g. lib. *de Natura & gratia*, cap. 42. n. 49. „ Caritas, inquit, eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaque „ juſtitia."

3°. Gratia ſanctificans recipitur in voluntate, ad eamque pertinet. Atqui in voluntate, quæ tota amor eſt, nulla affectio, nulla qualitas, nullus habitus inhærere concipitur, qui realiter diſtinguatur ab amore. Ergo gratia & caritas non diſtinguuntur realiter.

4°. Ideò nonnulli Theologi diſtinguunt gratiam à caritate, quòd exiſtiment caritatem habitualem non poſſe infundi in animam, quin præexiſtat ſubjectum ſupernaturale, ac veluti quoddam eſſe divinum in quo recipiatur. Atqui hæc ratio ex principiis Peripateticorum hauſta planè nulla eſt. Non magis enim interponi debet ſubjectum ſupernaturale ad recipiendam caritatem, quàm ad recipiendam gratiam ſanctificantem, quam in anima immediatè recipi fatentur illi Theologi.

Probatur altera pars. Ea diſtinguuntur virtualiter, quæ, licet ſint una & eadem entitas, diverſa tamen præſtant officia, & per varios reſpectus æquipollent multis. Nam gratia ſanctificans eſt ſimul principium eſſendi ſupernaturaliter & ſupernaturaliter operandi, noſque ſimul & à Deo dilectos & Dei dilectores facit. Ergo gratia & caritas virtualiter diſtinguuntur.

Quæres an caritas habitualis infundatur in nobis ſine nobis?

Reſpondet S. Thomas, 1. 2. q. 55. art. 4. ad 6, „ virtutem infuſam „ cauſari in nobis à Deo ſine nobis agentibus," hoc eſt, ſine noſtra actuali & reflexa cooperatione, „ non tamen ſine nobis conſentienti„ bus," hoc eſt, ſine habituali voluntate & approbatione, quam concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 7, appellat „ voluntariam ſuſceptio„ nem gratiæ & donorum. Et ſic intelligendum, pergit Angelicus Doctor, „ quod dicitur, quòd eam Deus in nobis ſine nobis operatur. „ Quæ verò per nos aguntur" (nempe actuales motus voluntatis), „ Deus in nobis cauſat non ſine nobis agentibus; ipſe enim operatur „ in omni voluntate & natura."

Quæres 2° quo differat caritas habitualis à dilectione Dei, quæ peccatoribus interdum ineſt per modum diſpoſitionis permanentis, antequàm juſtificentur.

Reſpondeo hæc inter utramque diſcrimina eſſe: 1°. Caritas habitualis eſt ſemper in corde prædominans: dilectio verò, quæ juſtificationem præcedit, non ſemper in corde dominatur. 2°. Illa infunditur nobis per modum habitûs inhærentis & permanentis: hæc verò non eſt habitus infuſus, ſed tantùm, virtute actuum præcedentium non revocatorum, in voluntate perſeverat, quandiu Deus vult eam conſervare. 3°. Prima eſt effectus Spiritûs ſancti inhabitantis: altera eſt effectus Spiritûs ſancti nondum inhabitantis, ſed tantum moventis. 4°. Prima tollit reatum peccati, hominemque Dei amicum ac filium efficit: altera non item.

Digitized by Google

item. 5°. Denique Deus, infundendo habitum caritatis, ſeipſum obligat ad illum perpetuò conſervandum, niſi homo per aliquod peccatum mortale ipſum prior deſerat. At verò motus divinæ dilectionis, quos Deus in corde peccatoris producit, ſunt gratiæ tranſitoriæ, nullum ad ſui conſervationem titulum habentes; & quàmvis Deus eos motus pro ſua miſericordia interdum aliquandiu conſervet, ſe tamen ad eos jugiter conſervandos non obligat, quandiu homo peccati nondum remiſſi reus eſt.

CAPUT SECUNDUM.

An & quæ diſpoſitiones in adultis requirantur ad gratiam juſtificationis recipiendam.

Hoc infantes inter & adultos intereſt, quòd in infantibus gratia juſtificans nullum exigat diſpoſitionis apparatum, quia, cùm nullo actuali motu ſuæ voluntatis peccaverint, nullo quoque indigent ad gratiam in baptiſmo recuperandam. At verò adulti propriis actibus à bono incommutabili ad commutabilia convertuntur. Unde, ut in gratiam cum Deo redeant, ad eum debent proprio contriti & humiliati cordis motu converti, qui ab ipſo fuerant proprio luxuriantis & elati cordis motu averſi.

Lutherus & Calvinus non negant adultos, ut cum Deo reconcilientur, ad ipſum converti debere: ſed contendunt 1° nihil, eorum quæ juſtificationem præcedunt, diſponere ad eam recipiendam, imò omnes illos motus eſſe coram Deo veri nominis peccata. 2°. Hominem ſolâ fide juſtitiam apprehendere, non tanquam præviâ diſpoſitione, quâ Deus moveatur ad juſtitiam impertiendam, ſed tanquam vaſe & inſtrumento; quemadmodùm manus pauperis non eſt cauſa ut ei detur eleemoſyna, ſed tantùm organum quo illa recipitur. 3°. Fidem, quâ ſolâ juſtificamur, non eſſe fidem hiſtoricam, quâ credimus revelatis, neque ſimplicem fiduciam in Chriſtum, ſed ſpecialem quamdam fidem, quâ certò & indubitanter credimus peccata nobis eſſe dimiſſa.

Nimirum illi fidem diſtinguunt triplicem: primam, quam hiſtoricam appellant, quâ creditur vera eſſe quæcunque divinitùs revelata ſunt; alteram, quam vocant fidem miraculorum, quâ fidenter creditur Deo nihil eſſe impoſſibile; tertiam, quam promiſſionum nuncupant, quæ habet pro objecto divinas promiſſiones. Hanc rurſus dividunt in generalem & ſpecialem. Fides generalis, inquiunt, ea eſt quâ creditur omnes promiſſiones divinas impletum iri: ſpecialis verò eſt, quâ quiſque pro-

Digitized by Google

promiſſiones divinas ſibi applicat, & in ſe impleri pro certo atque indubitato habet. Differt tamen à Luthero Calvinus, quòd, juxta Lutherum, fides ſpecialis credat tantùm peccata ſibi eſſe dimiſſa, de ſua prædeſtinatione ac perſeverantia nondum ſecura; Calvinus verò ſentiat fidelem debere certò credere non tantùm peccata ſibi eſſe dimiſſa, verùm etiam de numero ſe eſſe prædeſtinatorum. Porro hâc ſolâ fide ſpeciali hominem juſtificari uterque communiter docet.

Hos errores juſtiſſimo anathemate percutit Tridentina ſynodus, ſeſſ. 6 de Juſtificatione, can. 9. 12. 13 & 14. Sic habet can. 9: „ Si quis „ dixerit ſolâ fide hominem juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud re- „ quiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & „ nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari atque „ diſponi; anathema ſit." Can. 12: „ Si quis dixerit fidem juſtifican- „ tem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remit- „ tentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe quâ juſtifica- „ mur; anathema ſit." Can. 13: „ Si quis dixerit omni homini, „ ad remiſſionem peccatorum aſſequendam, neceſſarium eſſe ut credat „ certò, & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitio- „ nis, peccata ſibi eſſe remiſſa; anathema ſit." Denique can. 14: „ Si „ quis dixerit hominem à peccatis abſolvi ac juſtificari, ex eoquòd ſe „ abſolvi ac juſtificari certò credat; aut neminem verè eſſe juſtificatum, „ niſi qui credat ſe eſſe juſtificatum, & hâc ſolâ fide abſolutionem ac „ juſtificationem perfici; anathema ſit."

Quibus verò motibus adulti diſponantur ad juſtificationem, explicat ſancta ſynodus ibidem, cap. 6, ſexque enumerat, fidem, timorem, ſpem, dilectionem Dei tanquam fontis omnis juſtitiæ, contritionem, ac propoſitum novæ vitæ & ſacramenta recipiendi. En ipſius verba: „ Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ & „ adjuti, fidemque ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, „ credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque il- „ lud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemp- „ tionem quæ eſt in Chriſto Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe intelli- „ gentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſi- „ derandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fiden- „ tes Deum ſibi per Chriſtum propitium fore, illumque, tanquam omnis „ juſtitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus „ peccata per odium aliquod ac deteſtationem, hoc eſt, per eam pœniten- „ tiam, quam ante baptiſmum agi oportet; denique dum proponunt „ ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam & ſervare divina mandata."

Jam verò circa illas diſpoſitiones duplex eſt inter Catholicos controverſia. Prima ſpectat intelligentiam locorum Scripturæ, in quibus juſtificatio attribuitur fidei. Plerique Theologi docent ea loca debere intelligi de fide theologica per dilectionem operante, & cum ſpe veniæ conjuncta, nonnullis è contrario exiſtimantibus vocem fidei in illis locis, fal-

Digitized by Google

tem plurimis, non ſignificare fidem theologicam, ſed firmam ſpem ac fiduciam in Chriſtum, quâ confidamus merita ipſius nobis applicatum iri per remiſſionem peccatorum & vitam æternam.

Horum ſententia multùm differt ab errore novatorum mox expoſito. Nam 1° novatores aſſerunt nullam juſtificationi præmitti diſpoſitionem, præter fidem; imò ipſimet fidei rationem diſpoſitionis omnino abjudicant: contra verò iſti Theologi agnoſcunt omnes motus à Concilio recenſitos requiri in adultis, tanquam veras diſpoſitiones ad gratiam juſtificationis recipiendam, tametſi impetrandi vim fiduciæ ac ſpei modo quodam peculiari attribuant. 2°. Novatores ſentiunt fidem, quam ſpecialem vocant, ſolam eſſe quâ juſtificamur, excluſâ fide generali & hiſtoricâ: contra Catholici Theologi fatentur fidem theologicam habere ſuas partes in juſtificatione peccatoris, ſed tantùm autumant in pleriſque Scripturæ textibus, in quibus homo ex fide vivere ac juſtificari dicitur, non fidem theologicam, ſed firmam ſalutis per merita Chriſti conſequendæ fiduciam, ſignificari. 3°. Novatores dicunt fidem, in quocunque gradu exiſtat, modò ſit vera fides, ſemper conjunctam eſſe cum juſtificatione: id verò ſupradicti Theologi cum Eccleſia condemnant. 4°. Novatores contendunt fidem illam, quæ, ex ipſis, ſola juſtificat, non eſſe tantummodò firmam in Deum per merita Chriſti fiduciam, ſed certam & omnis dubitationis expertem perſuaſionem, quâ credamus nos eſſe juſtificatos: at dicti Theologi illum errorem anathematizant, agnoſcuntque eam fidem ſeu fiduciam, cui potiſſimùm juſtificationem in Scripturis repromitti exiſtimant, non excludere noſtræ ſalutis incertitudinem, nec formidinem damnationis; totaque illos inter & alios Theologos diſputatio in hoc poſita eſt, utrùm in variis Scripturæ textibus, ubi homo ex fide juſtificari aſſeritur, fides theologica, an potiùs fiducia conſequendæ per Chriſtum ſalutis, intelligenda ſit.

Altera controverſia multò gravioris momenti ſpectat dilectionem Dei, an ſcilicet, ad gratiam juſtificationis recipiendam, requiratur in adultis, tanquam prævia diſpoſitio, amor actualis caritatis in corde prædominans. Opinionem negantem multi Scholaſtici amplexi ſunt, aſſerentes metum ſervilem gehennæ ſufficere cum ſacramento ad obtinendam remiſſionem peccatorum: ſed eam, uti noxiam & erroneam, rejicit ſanior pars Theologorum.

Has omnes quæſtiones, ſive cum Hæreticis, ſive inter Catholicos agitatas, duobus diſtinctis Articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De fide juſtificante.

Fidem in Chriſtum eſſe abſolutè neceſſariam ad juſtificationem, conſtat ex dictis Lib. III, ubi probavimus neminem unquam ſine illa fide ſalu-

tem

tem aut juſtitiam conſequi potuiſſe. Hoc igitur ſuppoſito, reſtat inquirendum quænam ſit fides juſtificans: ac primò quidem refellendus eſt novatorum error de fide ſpeciali ſe ſolâ juſtificante. Secundò expendendum utrùm Scriptura, ac maximè S. Paulus, quando juſtificationem attribuit fidei, loquatur de fide theologica, an de fiducia remiſſionis peccatorum ac ſalutis per Chriſtum percipiendæ.

§. I.

Refellitur error Lutheri & Calvini de fide ſpeciali.

Lutheri & Calvini doctrina circa gratiam juſtificantem hæc capita includit: 1um. Solâ fide nos juſtificari. 2um. Fidem non juſtificare ut cauſam impetratricem juſtitiæ, ſed relativè tantùm & illam recipiendo, ut manus pauperis recipiens eleemoſynam. 3um. Fidem quæ juſtificat non eſſe fidem hiſtoricam, quâ credimus omnibus à Deo revelatis. 4um. Hanc fidem eſſe certam & indubitatam perſuaſionem, quâ credimus peccata nobis eſſe dimiſſa, noſque eſſe juſtificatos. Atqui hæc capita ſunt errores manifeſti: quod de ſingulis probare facile eſt.

Primò quidem falſum eſt ſolâ fide nos juſtificari. Scriptura nullibi hoc dicit, imò multis in locis juſtificandi vim aliis affectibus attribuit: Contritioni ac pœnitentiæ, 2 Cor. VII. 10: *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Amori Dei, Luc. VII. 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Dilectioni proximi, 1 Joann. III. 14: *Nos ſcimus quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Eleemoſynæ, Dan. IV. 24: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Bonis operibus, Jacob. II. 20 & ſeq. *Vis autem ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt...... Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & aliâ viâ ejiciens? Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.*

Præthereà ſi ſolâ fide juſtificamur, ſolâ etiam fide ſalvamur. Quod enim ſufficit ad juſtitiam, ſufficit ad ſalutem. Atqui de fide eſt fidem ſolam non ſalvare independenter à bonis operibus ac virtutibus, ut clarè definit B. Jacobus, ibid. V. 14. *Quid proderit*, inquit, *fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?*

Denique idcirco novatores ſentiunt hominem ſolâ fide juſtificari, quia arbitrantur juſtitiam non eſſe intrinſecam, nec inhærentem, ſed imputatam.

tam. Cùm ergo ſupra probatum ſit juſtitiam non conſiſtere in mera imputatione juſtitiæ Chriſti, ſed ſingulis juſtis inhærere propriam ac realem, ſequitur non ſolâ fide hominem juſtificari, ſed omnibus piis affectibus, quibus avertitur à creaturis & convertitur ad creatorem.

Attamen obſervat Medina (apud Wallenburgenſes, tract. 7 *de Juſtificatione*, cap. 75. n. 12 & 13) „ concilium Tridentinum non abſolutè „ damnaſſe hanc aſſertionem, *ſola fides juſtificat*, ſed ſub his verbis, „ quæ habentur ſeſſ. 6. can. 9: *Si quis dixerit ſolam fidem juſtificare, ut* „ *intelligat nihil aliud requiri ad noſtram juſtificationem; anathema ſit.* „ Et verò, pergit Medina, ſciat Theologus hanc locutionem poſſe ha- „ bere verum ſenſum. Nam eâ utuntur ferè univerſi SS. Patres." Et mox: „ Senſus catholicus hujus locutionis, *ſola fides juſtificat*, varius „ eſt & multiplex. 1us eſt, quòd fides ſola ex parte intellectûs ſufficit „ ad ſalutem & juſtitiam. 2us ſenſus, ut accipiatur fides pro fide forma- „ ta. 3us ſenſus eſt, ut fides accipiatur pro lege fidei, id eſt, ſola lex „ fidei juſtificat. Lex enim fidei includit caritatem & omnia quæ in „ lege Chriſti præcipiuntur. 4us ſenſus eſt, quòd fides ſola oſtendit „ unde vera juſtitia ſit petenda & ſuſcipienda. Cùm igitur hæc locutio „ habeat ſenſum verum & catholicum, non ſtatim eſt damnandus qui „ eâ uſus fuerit, potiſſimè ſi aliunde conſtet eum de bonorum operum „ neceſſitate veram ſententiam dicere."

Objiciunt juſtificationem ſoli fidei attribui paſſim à S. Paulo. Rom. III. 28: *Arbitramur*, inquit, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Et cap. IV. 2 & ſeq. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt,*
Geneſ. XV. 6. *habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Ei autem qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundùm propoſitum gratiæ Dei.* Et Galat. II. 16: *Scientes quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Propterea ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* 2°. Idem Apoſtolus declarat hominem *gratis* juſtificari. Atqui non gratis Deus juſtificaret, inquiunt, ſi juſtificatio ſupponeret prævias hominis diſpoſitiones. Reſtat ergo ut ſolâ fide juſtificemur.

Reſpondeo S. Paulum attribuere quidem juſtificationem fidei, ſed nunquam ſoli. „ Cùm autem dicit juſtificari hominem per fidem & *gra-* „ *tis*, aiunt Patres Tridentini, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, cap. 8, ea „ verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catho- „ licæ conſenſus tenuit & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideò juſtifi- „ cari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum „ & radix omnis juſtificationis:" hoc eſt, quia non operibus fidem & gratiam præcedentibus ad fidem & gratiam pervenimus, ſed contra ad

bona

Digitized by Google

bona opera per fidem pervenimus, ex qua, tanquam ex radice, prodeunt omnes pii motus quibus diſponimur ad juſtificationem. Quamobrem non quælibet opera excludit Apoſtolus, ſed tantùm *opera legis*, id eſt, quæ ſolâ lege monente ac minante fiunt, ſine gratia & fide in Christum. Unde, Galat. V. 6, exponens quæ fides proſit, ait eam eſſe *quæ per caritatem operatur.* Duo ergo ſunt operum genera: alia quæ ſolâ lege terrente fiunt, & ideò dicuntur *opera legis*, nec ſunt verè bona, quia non prodeunt ex radice fidei & caritatis: alia quæ ſunt verè bona, & ex fide per caritatem operante procedunt, ideòque dicuntur *opera fidei* ab eodem Apoſtolo, 1 Theſſalon. I. 3: *Memores operis fidei veſtræ*, & 2 Theſſal. I. 11: *Oramus* (Deum) *pro vobis, ut...... impleat omnem voluntatem bonitatis & opus fidei in in virtute.* De illis loquitur S. Paulus, cùm ait juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis: de his verò B. Jacobus, cùm dicit Abrabam *ex operibus juſtificatum*, ſed eis operibus quibus *fides cooperabatur*, & ex quibus *fides conſummata eſt.* Hinc etiam facilè intelligitur cur dicamur juſtificari *gratis*, eo nimirum quòd nullis naturæ viribus ad gratiam præparemur, ſed pios motus, quibus ad illam diſponimur, Deo per Chriſtum in nobis operante, habeamus.

Hanc eſſe mentem Apoſtoli non tantùm alii Patres docent, ſed & imprimis S. Auguſtinus ſæpiſſimè obſervat. „ Ideò verò, inquit, lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 14. n. 34, „ ſæpè dicit (S. Paulus) non ex operi-„ bus, ſed ex fide nobis juſtitiam deputari, cùm potiùs fides per dilec-„ tionem operetur, ne quiſquam exiſtimet ad ipſam fidem meritis ope-„ rum perveniri, cùm ipſa ſit initium unde bona opera incipiunt; quo-„ niam, ut dictum eſt, quod ex ipſa non eſt, peccatum eſt." Et lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 7. n. 18, Lutheri & Calvini errorem multis ante ſæculis præfocans: „ Homines, inquit, non intelligentes „ quod ait ipſe Apoſtolus, *arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine* „ *operibus legis*, putaverunt eum dicere ſufficere homini fidem, etiamſi Galat. V. 6. „ malè vivat & bona opera non habeat. Quod abſit ut ſentiret vas elec-„ tionis, qui, cùm dixiſſet quodam loco: *in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium*, mox addidit: *ſed fides quæ per* „ *dilectionem operatur.* Ipſa eſt fides quæ fideles Dei ſeparat ab immun-„ dis dæmonibus: nam & ipſi, ſicut dicit Apoſtolus Jacobus, *credunt* Jacob. II. 19. „ *& contremiſcunt*, ſed non benè operantur. Non ergo habent iſtam „ fidem, ex qua juſtus vivit, id eſt, quæ per dilectionem operatur, „ ut reddat ei Deus vitam æternam ſecundùm opera ejus. Sed quia & „ ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, ex quo nobis & fides eſt & di-„ lectio, propterea idem ipſe Doctor gentium etiam ipſam vitam æter-„ nam gratiam nuncupavit." Vide librum ejusdem *de Fide & operibus*, & Sermonem 2. n. 9.

2°. Falſum eſt fidem relativè tantùm juſtificare, juſtitiam recipiendo & quaſi manu apprehendendo, non verò eam impetrando. Contrarium inſi-

Digitized by Google

nuat S. Paulus, quoties dicit hominem per fidem & ex fide juſtificari, v. g. Rom. III. 30: *Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide & præputium per fidem.* Nam iſtæ particulæ cauſalitatem aliquam exprimunt; unde Scripturæ illas plerùmque adhibent ad ſignificandam efficaciam ſanguinis Chriſti. Idipſum declaratur cùm fides dicitur ad juſtitiam reputari, ut Rom. IV. 5: *Credenti in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* Quomodò namque reputatur fides ad juſtitiam, niſi in quantum Deus, intuitu fidei quam in corde inſeruit, peccatorem juſtificat?

Hinc S. Auguſtinus ſæpiſſimè dicit fidem impetrare gratiam, nec poſſe nullius eſſe apud Deum meriti.

3°. Falſum eſt fidem quâ credimus revelatis non concurrere ad juſtificationem.

Id conſtat expreſſis Scripturæ teſtimoniis, quæ fidei theologicæ vim eam tribuunt. Joannis V. 24, Chriſtus ait: *Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me* (quod fit per fidem theologicam), *habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam* per gratiam juſtificationis.

Ibidem, XI. 25, Martham alloquens: *Ego ſum*, inquit, *reſurrectio & vita. Qui credit in me...... non morietur in æternum. Credis hoc?* Loquitur ſanè de fide juſtificante. Tamen fidem hiſtoricam ibi intelligi patet ex reſponſione Marthæ: *Utique, Domine, ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.*

Et cap. VIII. 24: *Si non credideritis*, ait Chriſtus Judæis, *moriemini in peccatis veſtris.* Unde S. Auguſtinus concludit, tract. 38 in Joann. „ Ergo, ſi credideritis quia ego ſum, non moriemini in peccatis veſtris:“ ubi virtus viviſicatrix fidei hiſtoricæ attribuitur.

Quamobrem S. Evangeliſta dicit, cap. II. verſ. ultimo: *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

Fides quâ Abraham pater noſter juſtificatus eſt, ſine dubio eſt juſtificans. Atqui illa fides fuit divinæ omnipotentiæ, teſte Apoſtolo, Rom. IV: *Pleniſſimè ſciens quia, quæcunque promiſit* (Deus), *potens eſt & facere.*

Rom. X, S. Paulus exponens, quæ ex fide eſt, juſtitiam, & indicans quænam ſit illa fides: *Hoc eſt*, inquit, *verbum fidei quod prædicamus; quia, ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo crediderit quòd Deus eum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ergo fides, quam revelatis habemus, juſtitiæ ac ſalutis principium eſt.

Hebr. X idem Apoſtolus docet juſtum ex fide vivere: mox, cap. XI, deſcribens iſtam fidem, nullum relinquit dubitandi locum quin eam intelligat, quâ revelatis firmiter aſſentimur. *Eſt autem fides*, ait, *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum* (græcè, convictio) *non apparentium......*

Digitized by Google

tium...... Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent...... Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Demum de hac fide dicit juſtos veteris teſtamenti per fidem viciſſe regna, operatos juſtitiam, adeptos repromiſſiones. Ergo fides quâ revelatis credimus, quam ſectarii hiſtoricam vocant, concurrit ad juſtificationem.

Eamdem fidem, ut juſtitiæ fontem, commendat B. Joannes in Epiſtola ſua Catholica, IV. 15: *Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Jeſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet & ipſe in Deo*: qui proprius eſt gratiæ juſtificantis effectus. Et cap. V. 1: *Omnis qui credit quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*, hoc eſt, per eam fidem filius Dei conſtituitur. Et v. 4: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Qualis autem fides? Quâ credimus Chriſti divinitatem. *Quis eſt*, addit, *qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt Filius Dei?*

Non aliam fidem poſtulavit B. Philippus, unus è ſeptem Diaconis, ab Eunucho quem baptizavit. Cùm enim hic baptiſmum peteret, dixit ille: *Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens Eunuchus ait: Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum; & Philippus baptizavit eum.* Actor. VIII. 36 & ſeq.

Denique fides juſtificans eſt illa quæ verbo Dei & prædicationi Evangicæ acquieſcit. Unde juſtitia ac ſalus prædicationi Evangelii ſæpè in Scripturis attribuitur. Joann. XV. 3: *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Rom. I. 16: *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Et 1 Cor. XV. 1: *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalvamini.* Atqui fides quâ credimus Apoſtolicæ prædicationi, eſt fides hiſtorica. Ergo fides hiſtorica juſtificat ſeu concurrit ad juſtificationem.

4°. Falſum eſt fidem juſtificantem eſſe certam atque immotam perſuaſionem, quâ credamus peccata nobis eſſe per Chriſtum dimiſſa. Nam demonſtratum eſt ſupra neminem de ſua prædeſtinatione, aut de remiſſione ſuorum peccatorum, certum eſſe poſſe citra ſpecialem revelationem. Et verò fides ſoli verbo Dei nititur, fatentibus Luthero & Calvino. Atqui verbum Dei non docet peccata nobis eſſe dimiſſa. Promittit quidem veniam credentibus ac pœnitentibus: ſed undenam certò ſciam habere me veram fidem legitimamque pœnitentiam, cùm plurimi ea de re malè ſibi blandiantur? Non poſſum, ex conditionata promiſſione remiſſionis peccatorum, abſolutè ac certò concludere peccata mihi eſſe remiſſa, niſi certus ſim conditionem, ex qua remiſſio pendet, in me impletam eſſe, hoc eſt, niſi de ſinceritate meæ converſionis indubitanter perſuaſus ſim. Atqui Lutherus & Calvinus fatentur neminem eſſe certum de bonitate ſuæ converſionis, immo unumquemque de illa diffidere debere. Quomodò ergo fidelis de ſua juſtitia certus effici poteſt?

Diſtin-

Digitized by Google

Diſtinguunt cum Bellarmino Wallenburgenſes, tract. 7 *de Juſtificatione*, cap. 84. §. 3. n. 19, „ certitudinem fidei à certitudine fiduciæ. „ Certitudo fidei nititur ſolâ Dei auctoritate, & excludit non tantùm „ omnem dubitationem, ſed etiam formidinem & timorem de oppoſito. „ Certitudo fiduciæ partim nititur divinâ promiſſione, partim propriâ „ diſpoſitione. Quatenus certitudo fiduciæ nititur divinâ promiſſione, „ omnem ſimiliter formidinem excludit, & eſt abſolutè atque ſimpliciter „ certitudo. Quatenus autem reſpicit propriam diſpoſitionem, non ex„ cludit omnem formidinem, nec eſt omnimoda certitudo, quàmvis „ ſufficiat ad gignendam piam ſecuritatem."

Nec obſtant iſta Scripturæ teſtimonia: Joann. XIV. 17: *Vos cognoſcetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit:* & v. 20: *In illa die vos cognoſcetis quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* 1 Joann. III. 24: *In hoc ſcimus quoniam manet in nobis, de ſpiritu quem dedit nobis.* 1 Cor. II. 12: *Accepimus ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Rom. VIII. 16: *Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei.* Nam, ut aiunt Wallenburgenſes, ibidem, §. 4. n. 35, „ juxta Medinam, Spiritus ſanctus teſti„ ficatur in cordibus filiorum Dei quòd filii Dei ſunt, & teſtimonium „ Spiritûs ſancti eſt infallibile. Ex hoc tamen non eſt conſequens ho„ minem juſtum certò & infallibiliter poſſe ſtatuere de ſua juſtitia. Nam, „ ut aliquis aſſentiatur teſtimonio alterius infallibiliter, duo ſunt ne„ ceſſaria; unum, quòd ipſum teſtimonium ſit infallibile; alterum, „ quòd de illo ſufficienter conſtet ei qui aſſentitur. Itaque dicendum „ quòd Spiritus ſanctus interdum inducit hominem juſtum ad judican„ dum quòd ſit in gratia; ſed quoniam non cognoſcit infallibiliter utrùm „ iſte impulſus ſit à Spiritu ſancto, ideò nemo poteſt infallibiliter ſta„ tuere de ſua juſtitia."

Aliam contradictionem involvit Lutheri commentum. Nam fides quæ juſtificat debet præcedere juſtificationem, ſiquidem ipſa illam obtinet. Atqui fides ſpecialis à Luthero adinventa non poteſt præcedere juſtificationem, quin hoc ipſo falſa ſit. Per eam etenim creditur, non futura, ſed actualis remiſſio peccatorum. Ergo falſa eſt, niſi juſtificatio jam donata ſit, & tamen juſtificatio non donatur niſi credenti. Quis labyrinthus?

Prætereà fides non percipit juſtitiam niſi eam deſiderando ac petendo. At fides, quâ Lutheranus credit peccata ſibi eſſe dimiſſa, non poteſt deſiderare nec petere ut peccata ſibi dimittantur. Quod enim habetur, non petitur: v. g. paralyticus, cui Salvator dixit in Evangelio, *remittuntur tibi peccata tua*, debuit quidem credere peccata ſibi eſſe remiſſa, atque inde gratias referre: ſed dictu abſurdum eſſet illum hâc fide fuiſſe juſtificatum.

§. II.

§. II.

Quid præciſè intelligendum ſit nomine fidei, ex qua homo vivere, juſtificari & cuncta impetrare in Scriptura aſſeritur.

Jam obſervavimus duas eſſe hac de re virorum doctorum interpretationes; aliis ſentientibus nomine fidei in his Scripturæ locis ſignificari fidem theologicam, quâ revelatis aſſentimur, non tamen à ſpe & caritate disjunctam; aliis verò arbitrantibus ſaltem multis in locis hoc nomen non ſumi pro fide theologica, ſed pro ſpe chriſtiana, ſeu pro fiducia ſalutis per merita Chriſti conſequendæ. De iſta quæſtione ut aperiam quod ſentio:

Dico 1° in prædictis locis nomen fidei ſignificare fidem theologicam. Videtur id conſtare 1° allatis præcedente paragrapho teſtimoniis, in quibus juſtificandi vis attribuitur ei fidei quâ dogmata revelata creduntur. Adde fidem divinæ omnipotentiæ, quæ ſine dubio fides theologica eſt, multa miracula reportaſſe: hâc fide leproſum mundationem ſuam à Chriſto obtinuiſſe, Matth. VIII: *Domine*, inquit, *ſi vis, potes me mundare. Et extendens Jeſus manum tetigit eum dicens: volo, mundare:* fidem Centurionis à Salvatore adeò laudatam, ut diceret *ſe non inveniſſe tantam fidem in Iſrael*, fuiſſe etiam hujusmodi. *Tantùm dic verbo*, aiebat ille Centurio ibidem, *& ſanabitur puer meus:* hoc eſt, omnia tibi poſſibilia ſunt; ſi vel uno verbo imperes, confeſtim ſanitas aderit. *Vade*, inquit Chriſtus, *&, ſicut credidiſti, fiat tibi*: Chriſtum eamdem fidem poſtulaſſe à duobus cæcis ad ipſum in domo accedentibus, ut viſum reciperent, Matth. IX. 28: *Creditis*, ait, *quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: ſecundùm fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum.*

2°. Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, cap. 8, declarat, juxta perpetuum Eccleſiæ Catholicæ conſenſum, ideò dici ab Apoſtolo nos per fidem juſtificari, „ quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis.“ Atqui fides, quæ eſt prima gratiæ & ſalutis initium, eſt fides theologica, ut omnes conſentiunt. Ergo, ex concilio Tridentino & perpetuo Eccleſiæ Catholicæ conſenſu, Apoſtolus nomine fidei juſtificantis fidem theologicam intelligit.

3°. Unaquæque virtus ſuum habet proprium vocabulum in Scripturis & Traditione conſecratum, quo diſtinguitur à cæteris, quodque ad aliam virtutem ſignificandam transferri non debet, niſi claris apertisque teſtimoniis conſtet illud pluribus eſſe virtutibus commune. Atqui fides theologica nullo alio, quàm fidei, nomine in Scripturis & Traditione deſignatur, hoc ſolo nomine diſtinguitur ab aliis virtutibus theologicis, ut 1 Cor. XIII: *Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc.* Aliunde nullum extat Scripturæ teſtimonium, in quo hoc vocabulum non

Digitized by Google

ſignificet fidem theologicam, ſed tantùm aliam virtutem, putà ſpem & fiduciam conſequendæ ſalutis. Quæ enim ad id probandum producuntur, ſolummodò probant fidem, quæ juſtificationem impetrat, non eſſe merè ſpeculativam atque inertem, ſed actuoſam, fiduciâ animatam & per dilectionem operantem, ut modò dicturus ſum.

Dico 2° proprium fidei juſtificantis objectum eſſe, ut firmiſſimè credatur 1° juſtitiam neque ſolis naturæ viribus, neque per ſolum legis ſcriptæ adjumentum comparari poſſe, ſed eſſe donum gratiæ per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum 2°. Omnipotenti Deo facillimum eſſe humanas voluntates, quantùmvis averſas atque adverſas, quando voluerit & ubi voluerit, in bonum efficaciſſimâ operatione convertere. 3°. Deum neminem in ipſum ſperantem, & cum fiducia impetrandæ per Chriſtum miſericordiæ ad ipſum confugientem, ſpernere ac deſerere.

Ac primò quidem fidei, cujus commoda amplificat S. Paulus, proprium munus eſt credere juſtitiam nullatenus aut propriis naturæ viribus, aut per adjutorium legis monentis ac terrentis comparari poſſe, ſed eſſe donum gratiæ Dei per Jeſum Chriſtum.

Hoc conſtat ex diſcrimine quod S. Paulus perpetuò agnoſcit fidem inter & legem, in eo poſitum quòd lex, præciſè ut lex, mandata imponat, & obſervatoribus præmia, prævaricatoribus pœnas decernat, inquiens, *qui fecerit ea, vivet in illis*, hominemque ſibimetipſi relinquens; fides verò imprimis doceat juſtitiam non niſi ex Deo eſſe, per gratiam Jeſu Chriſti, ad quem nos remittit adjuvandos. Judæus ſub lege conſtitutus multa credebat à Deo Moyſi revelata: quia tamen ignorabat juſtitiam à ſolo Deo expectandam, nitebaturque propriis illam conatibus ac laboribus adipiſci, fidem propriè non habebat, ut diſertè docet Apoſtolus, Rom. X. 3: *Ignorantes*, inquit, *juſtitiam Dei*, hoc eſt, ignorantes veram juſtitiam ex Deo eſſe, *& ſuam*, id eſt, ſuis conatibus partam, *volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Et cap. IX. 30: *Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide eſt*, hoc eſt, veram juſtitiam, quam à ſolo auctore Deo fides expectat. *Iſraël autem, ſectando legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Tanquam dicat: quia non eam à Deo per Chriſtum expectarunt, ſed propriis ſuis operibus conſecuturos ſe arbitrati ſunt. Hinc diſtinguit duplicem juſtitiam, unam *ex lege* falſam, alteram veram *ex fide*, hoc eſt, ſoli divino adjutorio innixam. Philipp. III. 9.

Præcipuum hoc objectum eſſe fidei juſtificantis expreſſè declarat ſynodus Tridentina, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, cap. 6. „ Credentes, inquit, „ vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per redemptionem quæ eſt in Chriſto „ Jeſu."

Quid

Digitized by Google

Quid pluribus opus eſt, cùm certum ſit ſolam fidem in Chriſtum habere vim juſtificandi, juxta illud Rom. III. 26: *juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu Chriſti?* Nam fides Chriſti non ea eſt tantummodò quâ credimus ipſum incarnatum, mortuum ac ſepultum, reſurrexiſſe à mortuis, ac ſedere ad dexteram Patris, ſed ea quâ credimus nos ſine ipſius præpotenti auxilio nihil poſſe, & cum eo omnia poſſe, ut docet S. Auguſtinus, tract. 53 in Joannem, n. 10, his verbis: „ Fides Chriſti eſt credere in eum qui juſtificat impium, credere in Mediatorem, ſine quo „ interpoſito non reconciliamur Deo, credere in Salvatorem, qui venit „ quod perierat quærere atque ſalvare, credere in eum qui dixit: *Sine „ me nihil poteſtis facere.* Quia ergo ignorans Dei juſtitiam, quâ juſtifi„ catur impius, ſuam vult conſtituere, quâ convincatur ſuperbus, in „ hunc non poteſt credere.“

Denique fides juſtificare hoc ſenſu dicitur, quòd juſtitiam impetret. Unde S. Paulus, Rom. X. 11, probat, omnem qui credit in Chriſtum, non confundi, ex eo quòd Deus ſit *dives in omnes qui invocant illum.* Igitur fides in tantùm juſtificat, in quantùm eſt orandi principium. Quomodò verò orandi principium eſt, niſi propriam infirmitatem & liberatricis gratiæ neceſſitatem nobis demonſtrando?

2°. Fides, ut juſtificare queat, credere etiam debet firmiter & indubitanter tantam eſſe miſericordiæ divinæ ac meritorum Chriſti copiam, ut nullis criminibus, quantumvis enormibus, delendis non ſufficiat ac ſuperabundet, tantamque omnipotentiam, ut Deo volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtat arbitrium. Nam ſi de alterutro anceps ac dubia ſit, quomodò firmiſſimæ ſpei fundamentum eſſe poterit? Quamobrem B Jacobus, cap. 1 ſuæ Epiſtolæ, v. 6 & 7: *Poſtulet*, inquit, *in fide* (quiſque veſtrûm) *nihil hæſitans* (ſubaudi de potentia vel miſericordia Dei). *Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo exiſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino.*

Et certè fides Abrahæ patris credentium & ex fide juſtificatorum hoc præſertim titulo commendatur, quòd pleniſſimam de omnipotentia divina certitudinem habuerit. *In repromiſſione Dei non hæſitavit diffidentiâ*, inquit Apoſtolus, Rom. IV. 20, *ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens quia, quæcunque promiſit, potens eſt & facere.*

Hâc fide Eccleſia Chriſti, ut alia exempla omittam, ad precandum accedit, ut patet ex publicis orationibus, quarum plurimæ his verbis incipiunt: *Omnipotens & miſericors Deus*, & ex antiqua Liturgia totius Orientis, quæ Deum ſic affatur: *Malos, quæſumus, facito bonos; bonos in bonitate conſerva: omnia enim potes, nec eſt qui reſiſtat majeſtati tuæ.*

3°. Fides ad juſtificationem requiſita certò etiam credere debet nullum in Deo ſperantem, & cum firma fiducia ſalutis per Chriſtum obtinendæ ad ipſum confugientem, ab illo deſpici ac confundi.

 Enim-

Digitized by Google

Enimverò fides dicenda non eſt, niſi quæ omnibus à Deo revelatis ac promiſſis immobiliter adhæret. Porro innumeris Scripturarum locis revelatum ac promiſſum eſt ſpem in Deo poſitam nunquam inanem eſſe poſſe, tantòque abundantiori copiâ divinæ in nos miſericordiæ munera diffundi, quantò pleniore affectu voluntatis in ipſa confidimus ipſamque deprecamur. Ergo id indubitanter credere debemus, hâcque fide, utique theologicâ & revelationi innixâ, ad orandum accedere. Hic ſenſus eſt verborum Chriſti, Matth. XX. 22: *Omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis*, ſive, ut habetur apud S. Marcum, X. 24: *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.*

Non enim præcipit Chriſtus his verbis ut credamus nos rectè orare & orationis effectum reportaturos (quis enim ſine ſpeciali & expreſſa revelatione id certò cognoſcere poteſt?); ſed ut, divinæ promiſſioni immobiliter adhærentes, perſuaſum habeamus adfuturam nobis divinæ gratiæ largitatem, ſi non deſit ſincerus orationis in ſolo Deo confidentis affectus, cùm ipſa veritas abſolutè dixerit, Matth. VII. 8: *Omnis qui petit accipit;* & Joann. XIV. 13: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Salvatoris mentem interpretatur B. Joannes, Epiſt. 1 cap. V. 14, cùm dicit *hanc eſſe fiduciam, quam habemus ad Deum, quia, quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem ejus*, hoc eſt, rectè ac legitimè, *audit nos.*

Dico 3° fidem modò explicatam, ut verè chriſtiana ſit, ac juſtitiam impetrare valeat, non debere eſſe merè ſpeculativam, nec in mente ſiſtere, ſed cor ipſum intimè afficere ac movere. *Corde enim creditur ad juſtitiam*, inquit Apoſtolus, Rom. X. Vide argumenta quibus alibi probavimus fidem verè chriſtianam non eſſe ſine aliqua caritate.

Dico 4° illam fidem in tantùm, ex Scripturis, eſſe medium impetrandæ juſtificationis, in quantùm adjunctam habet fiduciam in Deum eamque producit. Nam 1° non qualiscunque fides impetrandi vim habet, ſed tantùm ea quâ in Deum ac Chriſtum credimus. *Sic Deus dilexit mundum*, ait Chriſtus Nicodemo, Joann. III. 26, *ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et Rom. III. 22: *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* Porro credere in Chriſtum, non ſolùm eſt credere vera eſſe quæ ab eo revelata ſunt, ſed etiam ſperare in eum & eum diligere, ut Catechiſmi docent. Unde S. Hieronymus ſymbolum, quo profitemur nos credere in Deum Patrem, & in Filium ejus unicum Jeſum Chriſtum, & in Spiritum ſanctum, appellat *ſymbolum fidei ac ſpei noſtræ*, quia nimirum fidem exprimit non qualemlibet, ſed ſpe ſuffultam & caritate roboratam.

2°. In vera fide ſpem ac fiduciam includi inde manifeſtum eſt, quòd fides & timiditas ſibi invicem in Evangelio opponantur: v. g. Matth. VIII. 26: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Luc. VIII. 5, cùm Archiſynagogo

Digitized by Google

nagogo relatùm eſſet exiſſe ſpiritum à filia ipſius, ait illi Jeſus: *Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit.* Matth. XIV, cùm S. Petrus ambulans ſuper mare, viſo vento valido, timeret, Chriſtus eum increpavit dicens: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Ergo qui veram habet fidem, non hæſitat. Qui autem non hæſitat, fiduciam habet. Unde Chriſtus ibidem alloquens diſcipulos: *Habete*, ait, *fiduciam; ego ſum*, *nolite timere.* Ergo fides vera ac juſtificans fiduciam inſpirat, eamque adjunctam habet.

3°. SS. Patres, ubi virtutem fidei cuncta impetrantem extollunt, fiduciam illi, ut comitem individuam, attribuunt. Aliorum inſtar ſit S. Bernardus, Serm. 32 In Cantica, n. 8, ubi utramque inſeparabiliter adjungens: „ Magna fides, inquit, magna meretur; & quatenus in bonis „ Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus poſſidebis." Et Serm. 85. n. 5: „ Quidni omnia poſſibilia ſint innitenti ſuper eum qui omnia „ poteſt? Quantæ fiduciæ vox: *Omnia poſſum in eo qui me confortat!* „ Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti. An non omnipotens, cui omnia poſſibilia ſunt? Ita animus, „ ſi non præſumat de ſe, ſed ſi confortetur à Verbo, poterit utique dominari ſui, ut non dominetur ei omnis injuſtitia. Ita, inquam, „ verbo ſubnixum & indutum virtute ex alto nulla vis, nulla fraus, „ nulla jam illecebra poterit vel ſtantem dejicere, vel ſubjicere dominantem." Probat S. Doctor fiduciam in Deum nihil non poſſe, quia omnia poſſibilia ſunt credenti. Ergo cenſet fidem vivam & impetrantem à ſpe ac fiducia inſeparabilem eſſe.

4°. Doctiſſimi Theologi docent Apoſtolum in locis memoratis eam fidem intelligere, quæ ſit ſpe animata. Duos tantùm appellabo, Eſtium optimum Pauli interpretem, & Illuſtr. fratres Wallenburgicos, in controverſiis adverſùs hæreticos percelebres. Ille, in caput 1 Epiſt. ad Romanos, v. 17, ſic habet: „ Notandum ſie Apoſtolum loqui in hac „ Epiſtola (& in aliis pluribus), ut etiam ſpem atque fiduciam remiſſionis peccatorum ac juſtitiæ conſequendæ, cæterorumque bonorum quæ „ à Deo promiſſa ſunt, includat etiam cum bona voluntate placendi „ Deo & implendi mandata ejus. Expendantur quæ de fide inſerit infra, cap. 3 & 4, ac rurſus cap. 9, 10 & 11. His enim locis nuſquam à fiducia & bona voluntate eam ſejungit, tanquam hæc ſimul „ uno fidei nomine complectens."

Hi verò in tractatu *de Juſtificatione*, cap. 72. n. 13: „ Non ſimplex „ eſt, inquiunt, vocis fidei uſus in Scriptura. Interdum ſiquidem uſurpatur pro credulitate ſeu perſuaſione, quâ aſſentimur his quæ à Deo „ revelata ſunt ſine ulla hæſitatione, ſive promiſſiones ſint, ſive comminationes, ſive aliæ quævis narrationes. Deinde, quoniam iis quibus fidem adhibemus, vel quæ certò nobis perſuademus vera eſſe, ſi „ modò bona ſint vel utilia, veluti ſi ſint promiſſiones, affectum & cor Tom. 2. p. 458. col. 2.

 „ ac-

Digitized by Google

„ accommodare ſolemus, & eorum ſpem & fiduciam in nobis concipere,
„ tranſlatum eſt verbum fidei ad ſignificandam fiduciam in promittentes.
„ 3°. Accipitur vocabulum fidei ut hæc omnia complectatur, nempe
„ aſſenſum illum firmum mentis, quo quis certò perſuadeat ſibi veriſſi-
„ ma eſſe quæ ſacræ litteræ docent, ſive promittunt, & fiduciam in
„ Dei omnipotentis bonitate, quam Scripturæ revelant, conceptam non
„ ſine ſpe, hoc eſt, expectatione promiſſorum. Sic accepiſſe videtur
„ Paulus fidem, ad Rom. IV & Hebr. XI. Explicans enim illis locis
„ fidei naturam & vim, paſſim à fiducia ad credulitatem, rurſus à cre-
„ dulitate ad fiduciam delabitur: quo tacitè ſubindicat ſe nomine fidei
„ utrumque complecti.“ Lege caput 84 ibid.

Et certè per fidem juſtificamur, non illam mortuam quæ, ex Scriptura, nihil prodeſt, ſed vivam & ex dilectione operantem. Quomodò enim non operando juſtificaret? Atqui fides viva eſſe non poteſt, quin firmam in Deum fiduciam piumque & ardentem orationis affectum producat. Eſt enim illa quaſi fons, radix & fundamentum omnium virtutum. Unde ſicut fides, cùm viva eſt, gehennam percipiendo ſalubri metu percutitur; ſicut ſummam Dei bonitatem inſpiciendo potenter impellitur ad eum amandum; ſicut, vaniſſimam rerum creatarum inanitatem conſiderando, affectum illarum abjicit; ſicut gloriæ cœleſtis magnitudinem intuendo, in eam inardeſcit: ita, naturæ humanæ infirmitatem, ſimulque immenſam miſericordiam infinitamque potentiam Dei ante illuminatos cordis oculos habendo, ſui ipſius diffidentiam, ac ſimul obtinendæ veniæ, vincendarum graviſſimarum diaboli, mundi & carnis tentationum, atque ad æternam ſalutem inter innumeros hoſtes feliciter perveniendi ſpem ſoli gratiæ divinæ innixam inſpirat, eamque tantò vehementiorem ac firmiorem, quantò ipſa fides major ac vividior eſt. Quamobrem, quando cor ipſum occupat, non aliqua ſolitaria virtus eſt, ſed omnium mater ac radix virtutum. Ideòque Abelis ſacrificium, Henochi ſanctitatem, Noë laborem ac ſollicitudinem in ædificanda arca, Abrahami obedientiam, Moyſi receſſum ex Ægypto, abnegatis aulæ favoribus, Rahab benignitatem, aliorumque juſtorum veteris teſtamenti pietatem & fortitudinem fidei adſcribit S. Paulus, Hebr. XI. Meritò itaque, ut obſervat concilium Tridentinum, juſtificatio fidei attribuitur, quandoquidem fides non ſolùm eſt prima gratia & *humanæ ſalutis initium*, ſed etiam *fundamentum & radix omnis juſtificationis*, quatenus quidquid juſtitiam impetrat, provehit ac perficit, ab ipſa, tanquam à fonte rivus, à radice arbor, à fundamento ædificium, profluit, germinat atque conſurgit.

Verum peculiari quâdam ratione ſpes ac fiducia in Deum fidei vocabulo in Scripturis comprehenduntur.

Cum enim fides dicatur à fidendo, omnem illum affectum exprimere per ſe idonea eſt, quo in Deo confidimus. Porro ſicut per fidem ſtric-
tè

Digitized by Google

tè ſumptam Deo ut ſummè veraci, ita per ſpem ac fiduciam eidem, ut miſericordiſſimo ac omnipotentiſſimo, confidimus, per illam divinis revelationibus, per hanc promiſſionibus fidem adhibentes affectumque accommodantes.

Facilè adducor ut credam non aliam eſſe doctorum virorum mentem, qui, nomine fidei juſtificantis, in pluribus Evangeliorum & S. Pauli Epiſtolarum locis, non fidem theologicam, ſed fiduciam ſalutis per Chriſtum conſequendæ ſignificari contendunt. Forſan etenim hoc unum volunt, fidem theologicam tunc tantùm habere, ex Scripturis, juſtificandi & gratiam impetrandi virtutem, quando talem fiduciam gignit atque includit: quod eſt veriſſimum.

Articulus Secundus.

An amor caritatis in corde prædominans requiratur, tanquam diſpoſitio abſolutè neceſſaria, ad juſtificationem in ſacramento baptiſmi vel pœnitentiæ recipiendam.

Quanquam hæc quæſtio remitti ſolet ad tractatum Pœnitentiæ, tamen tam arctè connexa eſt cum tractatu de Juſtificatione, & aliunde tam gravis momenti, ut hîc ſilentio prætermitti non debeat.

Martinus Lutherus docuit timorem gehennæ, doloremque de peccatis ex eo conceptum, non modò non eſſe bonum atque utilem, ſed etiam malum eſſe, ac facere hominem hypocritam ac magis peccatorem.

Hunc errorem ut vitarent plures Scholaſtici, ſimulque ut ſacramentorum vim atque efficaciam à ſectariis impugnatam magis extollerent, in extremum oppoſitum delapſi ſunt, aſſerentes metum ſervilem gehennæ per ſe ſolum ſufficere ad veniam peccatorum in ſacramentis recipiendam, ſine ullo dilectionis in Deum motu.

Hanc opinionem non ante ſæculum 16 in ſcholis defendi cœpiſſe demonſtrant invictè D. Queras in libro gallico cui titulus: *Eclairciſſement ſur le ſentiment du concile de Trente touchant la ſuffiſance de l'attrition conçue par la ſeule crainte des peines de l'enfer;* Tom. primâ parte. Morinus, lib. 8. *de Pœnitentia;* P. Mathoud Benedictinus, ad cap. 31 quintæ partis Sententiarum Roberti Pulli; Epiſcopus Caſtorienſis in *Amore pœnitente*, & alii, qui primum ejus auctorem fuiſſe putant Melchiorem Canum, virum magni quidem, ſed audacis & ad nova propenſi ingenii, ut ipſemet fatetur initio libri 12 de Locis Theologicis.

Lutherus quidem objecit Catholicis quòd attritionem, ex ſolo metu gehennæ conceptam, ad ſacramentum ſufficere crederent (& forſan nonnulla hujus ſententiæ ſemina jam tum in aliquorum Scholaſticorum ſcriptis deprehenderat). Verùm hoc crimen, velut manifeſtam calumniam, repulerunt ſcriptores Catholici, Javellus, tom. 2 Philoſophiæ Chriſtianæ,

Digitized by Google

næ, part. 5 de ſacramento pœnitentiæ, Vignerius in ſuis de eodem ſacramento Inſtitutionibus, &c.

Novitatem iſtius opinionis, indubiam licet falſitatis notam, primi ejus defenſores ingenuè faſſi ſint." Doctrina hæc, inquit Dominicus Soto, in 4. diſt. 18. q. 3. art. 2, „ quanquam ſit vera, non eſt tamen ita „ multum vetus." Et diſt. 19. q. 2. art. 6: „ Non eſt Evangelica aſſer-„ tio, aut Eccleſiaſtica definitio, neque apud Auguſtinum aliumve is-„ tius claſſis auctorem reperitur." Andreas Vega, lib. 6 in Concilium Trid. cap. 30, agnoſcit „ apud omnes Theologicos tractatores, quos le-„ gerit, receptiſſimum eſſe, dilectionem Dei neceſſariam eſſe ad noſtram „ juſtificationem." Maldonatus, tom. 2 de Pœnitentia, part. 4. cap. 2 & 3, declarat ſuo tempore communem opinionem fuiſſe, quòd præceptum de amando Deo obliget, quando præceptum confeſſionis obligat.

Cum pudore quodam primùm prodiit ea doctrinæ novitas, profitentibus ejus patronis eam non eſſe certam nec tutam, proinde parum ei fidendum in praxi, ac maximè in articulo mortis. „ Patres antiqui, ait Dominicus Soto, in 4. diſt. 18. q. 3. art. 2, „ ſolam contritio-„ nem agnoſcebant neceſſariam ad confeſſionem. Reverâ, eum qui mi-„ hi diceret ſe non pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem." Melchior Canus, part. 5 *de Pœnitentia*, exponens cur Eugenius IV, in Decreto *pro inſtructione Armenorum*, contritionem, ut materiam ſacramenti pœnitentiæ, aſſignaverit, hanc rationem affert, quòd contritio ſit materia certa, attritio verò incerta. Tapperus, in Explicat. articuli 3 Lovanienſis, loquens de attritionis ſufficientia: „ Conſolatoria quidem „ hæc ſunt, inquit, ſed incerta, & Scripturis ac Patribus parum con-„ ſentanea." Suarez, in 3 part. S. Thomæ, q. 90. art. 4. diſput. 15. n. 17, non diſſimulat eam opinionem eſſe incertam, ac poſſe eſſe falſam. Quamobrem non eſt auctor ut ei adhæreatur in articulo mortis, imò probat ex profeſſo peccatum mortale eſſe huic attritioni in articulo mortis ſcienter fidere. Comitolus, lib. 1 *Reſponſorum moralium*, q. 32. n. 7, concedit ſuam ſententiam non eſſe certam; ideòque confeſſarios hortatur ut pœnitentes moneant veræ contritionis motum, Deo auxiliante, elicere. Sanchez, in *Summa caſuum*, lib. 1. cap. 9. n. 34, adeò parum fidit ſuæ opinioni, ut doceat cum Suare fore peccatum mortale, ſi, imminente periculo mortis, abſolutio detur aut recipiatur ſine actuali amore Dei. Idem videre eſt apud Gamachæum, tract. *de Pœnitentia*, cap. 8, & alios.

Inde meritò concludunt Theologi, qui ſtant pro neceſſitate amoris Dei, omnem hac de re diſputationem eſſe deinceps ſuperfluam. Cum enim, inquiunt, tum in morum, tum etiam in ſacramentorum materia, certa incertis ac tuta dubiis præferenda ſint, manifeſtum eſt ſolam illam ſententiam, quæ dilectionem Dei requirit, ut abſolute neceſſariam ad obtinendam remiſſionem peccatorum, ſequendam eſſe ac tenendam in praxi, quid-

quidquid de attritionis ſervilis ſufficientia ſpeculativè garriant laxamentorum amatores.

Illa timiditas ac diffidentia non diuturna fuit. Quæ enim tantùm non damnari ambiebat naſcens novitas, ea, temporis progreſſu ac defenſorum multitudine audacior facta, ſuperbum caput adeò extulit, ut non è ſcholis modò, ſed è tota Eccleſia priſcam ſanctorum doctrinam pellere niteretur, ſeque pro certiſſimo ac definito dogmate oſtentaret: adeò ut Theologi, qui veterem doctrinam, pauci profectò comparatione cæterorum, tuebantur, magno apparatu probare cogerentur eam ab Eccleſia damnatam non fuiſſe. Quaſi verò heſterna opinio, Scripturæ ac SS. Patribus, ut mox liquebit, contraria, aliquid auctoritatis acquirere, aut priſcæ veritati præjudicare eo poſſit, *quòd plures eam ſequantur, tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt, ſine judicio ſequentes*, ut rectè dicit Navarrus in *Manuali*, cap. 27. n. 289. Mirum ſanè foret novitium commentum tam immenſos progreſſus tam brevi temporis intervallo in ſcholis Catholicis facere potuiſſe, niſi experimento conſtaret homines utplurimùm, in cauſa relaxationis diſciplinæ, ita comparatos eſſe, ut, qua data porta, ſtatim effuſè ruant.

Effrænem illam audaciam auxit magis quàm repreſſit decretum Alexandri VII, datum in tribunali Inquiſitionis 5 Maii 1667, quo „ſub pœ„ nis excommunicationis latæ ſententiæ huic ſanctæ Sedi reſervatæ, „ aliiſque pœnis ejusdem S. Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis & „ ſingulis fidelibus, quocunque gradu ac dignitate, etiam Epiſcopali „ & majori, imò & Cardinalitiâ, fulgentibus, ut, ſi deinceps de mate„ ria præfatæ attritionis ſcribent, vel libros aut ſcripturas edent, vel „ docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut „ Scholares, cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ „ cenſuræ, alteriusve injuriæ aut contumeliæ notâ taxare alteram ſen„ tentiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis amoris Dei in præfata „ attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos „ communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, „ donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid hac de re definitum.“ Quid enim novellæ opinioni vix à centum annis natæ contingere optatius potuit, quàm ut inconcuſſæ SS. Patrum doctrinæ ſolemni decreto æquipararetur, atque etiam eo præponeretur, quòd *inter Scholaſticos communior videatur*, ablatâ ipſis etiam Epiſcopis poteſtate illam velut erroneam damnandi & à ſuis diœceſibus repellendi, donec à Rom. Pontifice quæſtio eſſet definita, quod hactenus factum non eſt?

Verùm Eccleſiæ ſuæ aliter providit miſericordia divina, ſuſcitatis, præſertim in Gallia, viris piis æquè ac doctis, qui eruditis lucubrationibus demonſtrarunt quàm falſa & animarum ſaluti pernicioſa ſit modernorum ſententia, hocque pacto, aſpirante illorum ſtudiis gratiâ, ad avitæ doctrinæ amorem ac zelum pleroſque revocarunt; ita ut, exceptis

 Jeſui-

Digitized by Google

Jeſuitarum paucisque Societati mancipatis ſcholis, nemo ferè jam attritionis purè ſervilis ſufficientiam propugnare audeat.

At, quaſi adverſùs caritatem hac infeliciſſimâ ætate conſpiratum eſſet, illi opinioni jam exauctoratæ alia ſuccedit. Fatentur hujus auctores amorem Dei neceſſariò requiri ad juſtificationem & reconciliationem cum Deo; ſed contendunt amorem illum eſſe *ſpei*, ſeu, ut loquuntur, *concupiſcentiæ*, non caritatis, quâ Deus, tanquam finis ultimus, propter ſeipſum diligitur.

Demum alii contendunt attritionem non ſufficere cum ſacramento ſine aliquo dilectionis initio; ſed exiſtimant tenuiſſimum caſtæ dilectionis motum ſufficere ad recipiendam abſolutionem, nec requiri ut ille amor caritatis in corde præponderet.

Has omnes opinionum laxitates diſtinctis Propoſitionibus aggrediar, poſtquàm Lutheri errorem paucis confutavero.

PRIMA PROPOSITIO.

Timor gehennæ per ſe bonus eſt, utilis ac multis nominibus commendandus.

PROBATUR 1° ex Scripturis. Chriſtus, Matth. X. 28, hunc timorem valde commendat, inquiens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant; ſed potiùs timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam: ita, dico vobis, hunc timete.* Et ſanè cui bono tam frequenter in Evangelio loquitur de gehenna, de verme nunquam morituro, de igne inextinguibili? Cui bono Apoſtoli horum memoriam ſuis in Epiſtolis revocant? Cui bono ad eorum attentam conſiderationem Prophetæ nos exhortantur; v. g. Iſaias, XXXIII. 14, his verbis: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* niſi ut ſalubrem tanti exitii formidinem concipiamus, hâcque formidine ad ſuperandas mundi, ſive blandientis illecebras, ſive terrentis minas, potenter armemur?

Probatur 2° ex S. Auguſtino, quem ex SS. Patribus unum hîc laudo, quoniam eo patrono Lutherus gloriari auſus eſt. Stultè prorſus. Nam S. Doctor ſæpè hortatur homines ad timendam pœnam gehennæ. Serm. 156, olim 13 *de Verbis Apoſtoli*, cap 13. n. 14, ſic loquitur: „ Qui adhuc ideò benè agit, quia timet pœnam, Deum non amat, non- „ dum eſt inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat.“ (Ergo ille ti-

Digitized by Google

timor non facit hominem magis peccatorem, ut vult Lutherus). „ Ti-
„ mor ſervus eſt, caritas libera eſt, &, ut ſic dicamus, timor ſervus
„ eſt caritatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in
„ corde tuo, & ſervet dominæ venturæ locum. Fac, ſac vel timore
„ pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ: veniet domina, & ſervus
„ abſcedet, quia conſummata caritas foras mittit timorem.“ Et tract. 41
in Joannem, n. 10: „ Nondum potes amare juſtitiam? Time vel pœ-
„ nam, ut pervenias ad amandam juſtitiam.“ Et Enarrat. in pſalm.
147, n. 3: „ Terror ille, inquit, ſecuritatem parturit: territi enim
„ præcavemus, præcaventes ſecuri erimus.“

3°. Timor pœnæ culpari nequit ut malus, quin lex vetus, quæ fuit lex timoris terrorem incutiens, reprehendatur ut mala & à malo principio data, ut blaſphemabant Manichæi; cùm è contrario Apoſtolus dicat legem eſſe ſanctam, & præceptum ſanctum, & juſtum, & bonum.

4°. Reverâ utilitates timoris gehennæ multæ ac magnæ ſunt. 1ª. Quòd opus malum exteriùs reprimat, ſicque peccatoris audaciam coerceat. 2ª. Quòd animus timore illo confixus malas cogitationes à ſe repellat, bonisque ſeſe exercere ſtudeat. 3ª. Quòd, cohibendo exteriores actus peccati, impediat ne mala conſuetudo, quæ erumpendo in actum creſceret, augeatur. 4ª. Quòd pravos habitus actuum ceſſatione paulatim imminuat ac languidiores efficiat. 5ª. Quòd operibus bonis, quæ prius non fiebant, ſenſim aſſuefaciat. 6ª. Quòd hominem cogat ad Deum confugere, & caritatem, quæ ſola convertit animas, aſſiduis precibus ac gemitibus expoſcere. 7ª. Quòd ſic præparet caritati locum. 8ª. Quòd caritati jam in corde regnanti tanquam famula deſerviat. Nam experientiâ compertum eſt ipſos juſtos uti interdum timoris aculeo, ad ſuperandas graves tentationes, quibus forſan ſuccumberent, niſi dilectionem juſtitiæ debilem adhuc & imperfectam tali adminiculo fulcirent.

Has timoris utilitates commendat imprimis S. Auguſtinus multis in locis. Enarrat. in pſ. 127. n. 7: „ Habent, inquit, timorem gehenna-
„ rum, & per timorem continent ſe à peccato; fit conſuetudo juſtitiæ,
„ & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus: & jam incipit
„ homo juſtè vivere, non propterea quia timet pœnas, ſed quia amat
„ æternitatem.“ Et Serm. 348, olim. 214 de Tempore, cap. 1: „ Cùm
„ timetur pœna quam minatur Deus, diſcitur amari præmium quod
„ pollicetur; ac ſic per timorem pœnæ bona vita retinetur, & per bo-
„ nam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam
„ nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult time-
„ re. Diſcat ad tempus eſſe ſollicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus.....
„ Si ergo habere non vis timorem, vide priùs utrùm jam perfectam
„ habeas caritatem, quæ foras mittat timorem. Si verò ante iſtam per-
„ fectionem timor excluditur, ſuperbia inflat, non caritas ædificat.“
Et Epiſt. 140, olim. 120, ad Honoratum, cap. 16. n. 45: „ Præmiſ-

„ ſus timor in cor noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum operum, „ & ſervat caritati locum, quâ tanquam dominâ veniente, ut illa inſi- „ dat, abſcedit.“ Quæ quidem non eo ſenſu dicta ſunt, quòd timor pœnæ per ſe ſolum producat caritatem, ſed quòd, ordinariè loquendo, Deus non diffundat caritatem, quin priùs timorem, tanquam ſervum, præmiſerit. Eſt ergo timor non tantùm utilis, ſed etiam, Deo ſic ordinante, plerumque neceſſarius; ideòque S. Doctor comparat eum ſetæ ſeu acui, per quam ad aliquid ſuendum linum introducitur, non introducendum, ſi non illa prius pungendo locum faceret. Hâc ſimilitudine utitur tract. 9 in Epiſt. 1 Joann. n. 4. „ Ergo incipiat timor, inquit, „ quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi locum præparat „ caritati. Cùm autem cœperit caritas habitare, pellitur timor qui ei „ præparavit locum. Quantùm enim illa creſcit, ille decreſcit, & quan- „ tùm illa fit interior, timor pellitur foras. Major caritas, minor ti- „ mor; minor caritas, major timor. Si autem nullus timor, non eſt „ quà intret caritas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quan- „ do aliquid ſuitur; ſeta priùs intrat, ſed, niſi exeat, non ſuccedit „ linum: ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet ti- „ mor, quia ideò intravit ut introduceret caritatem.“ Et num. 5: „ Si „ adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem ſic times: „ non bona deſideras, ſed mala caves. Sed ex eo quòd mala caves, „ corrigis te & incipis bona deſiderare.. Cùm bona deſiderare cœperis, „ erit in te timor caſtus.“

Hinc diabolus facit quod in ſe eſt, ut timorem gehennæ in corde peccatoris extinguat, ſive illam ut commentitiam, aut ſaltem ut valde remotam, vel vitatu facilem exhibendo, vel ab ejus ſeria cogitatione animum abſtrahendo, & ad ludicra convertendo: quo fit ut non minùs rarum ſit reperire homines timoris clavis confixos, quàm caritate flagrantes.

5°. Ad rectum & legitimum timorem tria requiruntur ac ſufficiunt: 1°. Ut malum quod timetur ſit verè malum ac formidandum. 2°. Ut nobis accidere poſſit. 3°. Ut per timorem ſalubriter adhibitum effugi queat. Atqui timor gehennæ hos habet caracteres. 1°. Gehenna eſt omnium malorum maximum, & imprimis odio habendum. 2°. Quiſque noſtrûm in eam malè vivendo incidere poteſt. 3°. Illam timendo cavemus ne ab ipſa abſorbeamur, divinamque opem, quâ ſolâ tantum malum vitatur, amaris quidem, ſed ſalubribus, clamoribus imploramus. Ergo timor gehennæ in ſe bonus eſt, legitimus, utilis.

Equidem, qui pœnam ſic metuit, ut juſtitiam nullatenus diligat, adhuc perverſus eſt: ſed non in eo ſtat illa perverſitas, quòd gehennam verè timendam timeat, ſed quòd Deum ſummè diligendum nondum diligat: neque oritur ex ipſo timore, qui ſecundùm ſuam ſubſtantiam bonus eſt, ſed ex timentis defectu.

Di-

Dices. Quod pellitur per caritatem, non eſt bonum; bonum quippe bono non excluditur. Atqui, ex S. Auguſtino, locis mox allatis, timor pœnæ pellitur adveniente caritate; idemque aſſerit B. Joannes in prima ſua Epiſtola, IV. 18. *Timor*, inquit, *non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non eſt perfectus in caritate.* Ergo timor pœnæ æternæ malus eſt.

Reſpondeo 1° negando majorem: quod enim bono excluditur non ſemper eſt malum, ſed quandoque bonum minùs perfectum.

Reſpondeo 2° explicando textum S. Joannis. Caritas foras mittit timorem ſervilem, ut ſervilem, concedo: foras mittit timorem pœnæ quoad ſubſtantiam conſideratum, nego. Aliter: caritas expellit penitus timorem pœnæ, nego: caritas expellit timorem quoad influxum, hoc eſt, facit ut jam non motivo timoris, ſed ſolâ dilectione juſtitiæ à malo retrahamur, ſubdiſtinguo: caritas perfecta, quæ in pauciſſimis juſtis eminet, concedo: caritas omnis, etiam qualis eſt in incipientibus & proficientibus, nego. Demum aliter etiam: perfecta caritas foras mittit timorem, hoc eſt, facit nos magis deſiderare diem judicii, quàm pertimeſcimus, concedo: hoc eſt penitus excludit metum ultimi judicii, nego.

Itaque hujus loci variæ ſunt interpretationes. Prima perfectæ caritatis nomine intelligit omnem caritatem in corde dominantem, eâque pelli dicit timorem ſervilem, ut ſervilem, quia timor ſervilis, ut ſervilis, opponitur caritati, & cum ea ſtare nequaquam poteſt. Nam „ timor „ pœnæ non dicitur eſſe ſervilis, niſi quando pœna formidatur ut prin„ cipale malum, ait S. Thomas, 2. 2: q. 19. art. 6. in corp. „ Et ideò, addit, „ timor, in quantùm ſervilis, non manet cum caritate,“ quia caritas Deum amat ut principale bonum, & ſeparationem ab eo metuit ut principale malum. „ Sed ſubſtantia timoris ſervilis cum caritate mane„ re poteſt.“ Uno verbo, caritas expellit ſervilitatem timoris, hoc eſt, pravum illum affectum, quo peccator plus metuebat ardere quàm Deum offendere: ſed timorem ipſum non pellit, imò ordinat, atque etiam interdum adſciſcit ad domandas carnis illecebras. Hoc modo Apoſtoli textum expoſuiſſe videtur S. Auguſtinus locis ſupra memoratis.

2°. Nonnulli eumdem textum intelligunt, non de caritate imperfecta, qualis poteſt eſſe in incipientibus aut parum provectis, ſed de caritate perfecta, quæ tantùm in perfectiſſimis quibuſdam eminet; ac dicunt hujuſmodi caritatem perfectam foras mittere timorem, non quidem hoc ſenſu quòd homo caritate perfectus gehennam ampliùs non metuat, ſed quòd, ad faciendum bonum & abſtinendum à malo, jam non motivo timoris, ſed ſolâ dilectione ac delectatione juſtitiæ impellatur. Hoc quippe diſtat inter caritatem imperfectam & caritatem perfectam, quòd illa opus habeat, in gravibus præſertim tentationibus, motivum timoris quaſi famulum ſibi adjungendi; quo fit ut opus bonum, partim amore juſtitiæ, partim timore pœnæ productum, aliquid laboris ac pœnæ admix-

 tum

tum habeat: hæc verò fortis ac robuſta non egeat tali adminiculo ad benè operandum, ſed ſuopte motu promptè ac delectabiliter operetur. „ Actus timoris, ait S. Thomas, ibid. art. 8. ad 2, manet quidem „ cum caritate imperfecta in eo qui non ſolùm movetur ad benè agen- „ dum ex amore juſtitiæ, ſed etiam ex timore pœnæ: ſed iſte actus „ ceſſat in eo qui habet caritatem perfectam, quæ foras mittit timorem „ habentem pœnam, ut dicitur 1 Joann. IV."

Angelici Doctoris mentem dilucidè explicat Cajetanus in Commentario ad hunc locum. „ Adverte, inquit, quòd timor ſervilis, ſecundùm „ ſuam ſubſtantiam, habet multos actus, &, quantùm ad propoſitum „ ſpectat, duos, ſcilicet timere pœnam oppoſitam proprio bono timen- „ tis abſolutè, & timere pœnam eamdem ut rationem operandi. Facit „ v. g quandoque timor nos timere pœnam gehennæ abſolutè: quando- „ que autem facit nos ſic timere pœnam gehennæ, ut ex illo timore mo- „ veamur ad benè agendum, ut illam, ſcilicet gehennam, evadamus. „ Iſte ſecundus actus eſt, qui adjungitur timori initiali & caritati im- „ perfectæ, ita quòd timor initialis imperat talem actum, & utiliter il- „ lo in ordine ad finem ſuum ſanctum, qui eſt ſubjici Deo: ſed, adve- „ niente caritate perfectâ, ceſſat iſte actus, quoniam perfecti in caritate „ non moventur ad operandum ex timore proprii mali, cùm proprium „ bonum pro nihilo habeant, ſed ex amore Dei, & timore ex parte Dei, (hoc eſt, timore filiali refugiente ſeparari à Deo.) „ Primus verò „ actus cum perfecta caritate vix tamen ſtare poteſt, quàmvis mini- „ mus, eoquòd, creſcente caritate, minuitur.

3°. Alii volunt ſenſum B. Joannis eſſe, per caritatem fieri ut dies judicii, qui priùs timebatur ut dies exitialis, jam deſideretur & ametur. Opponit quippe Apoſtolus timorem fiduciæ, de qua dixerat verſu præcedente: *In hoc perfecta eſt caritas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia, ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Qui Deum non amat, formidat adventum ejus, quia ſibi malè conſcius condemnari metuit, ideòque nollet eſſe judicium. Qui verò Deum diligit, adventum ejus exoptat, ſibique placatum fore confidit; ac tantò magis illum adventum exoptat, quantò plus venturum judicem diligit, plenè ac perfectè deſideraturus, ſi perfectè diligeret. Hoc ſenſu timor non eſt in caritate, quia ex imperfectione caritatis oritur quòd adventus Domini videatur nobis pertimeſcendus. Verùm, quia nemo hìc vivit ſine peccato, nec caritatis perfectionem attigit, idcirco nemo non debet timere pœnam plus minùsve, pro ut cor ipſius eum plus aut minùs reprehenderit. Atque hoc inſigne diſcrimen eſt inter timorem filialem, quo timetur offenſa Dei & ſeparatio ab ipſo, & timorem ſervilem quo pœna metuitur. „ Timor filialis, ait S. Thomas, ibid. art. 10. in corp. „ neceſſe eſt quòd creſcat, creſcente caritate, ſicut effectus creſcit, „ creſcente causâ. Quantò enim aliquis magis diligit aliquem, tantò

„ ma-

„ magis timet eum offendere & ab eo ſeparari: ſed timor ſervilis, „ quantùm ad ſervilitatem, totaliter tollitur, caritate adveniente: remanet tamen ſecundùm ſubſtantiam timor pœnæ; & iſte timor diminuitur, caritate creſcente, maximè quantùm ad actum; quia, quantò „ magis aliquis diligit Deum, tantò minùs timet pœnam, idque duas „ ob cauſas: primò quidem quia minùs attendit ad proprium bonum, „ cui contrariatur pœna: ſecundò quia firmiùs inhærens magis confidit „ de præmio, & per conſequens minùs timet de pœna.

SECUNDA PROPOSITIO.

Attritio ex ſolo metu gehennæ concepta non ſufficit ad juſtificationem in ſacramento pœnitentiæ recipiendam.

PROBATUR omnibus Scripturæ & SS. Patrum teſtimoniis, quæ unanimiter docent metum gehennæ, cùm ſolus & ſervilis eſt, cohibere tantùm manum, non affectum; voluntatem peccandi ſub iſto metu, latenter quidem, ſed tamen vivere; illum, qui ſolo pœnarum metu à peccato abſtinet, ſic comparatum eſſe, ut peccaret ſi impunè liceret. Ea retulimus Libro IV. Inde autem ſic argumentor: Ad conſequendam remiſſionem peccatorum in ſacramento pœnitentiæ, neceſſariò requiritur vera cordis converſio & ſincera deteſtatio peccati, ut peccati. Atqui attritio ex ſolo gehennæ metu concepta non operatur veram cordis converſionem, nec ſinceram deteſtationem peccati, ut peccati; ſiquidem integrum peccati affectum in imo corde relinquit, ut ibidem probavimus. Ergo attritio ex ſolo illo timore concepta non ſufficit ad veniam in ſacramento pœnitentiæ recipiendam.

Pluribus non opus eſt in re jam demonſtrata, & ex mox dicendis invictè confirmanda.

TER-

TERTIA PROPOSITIO.

Dilectio Dei actualis eſt diſpoſitio abſolutè neceſſaria in adultis ad juſtificationem recipiendam, ſive in uſu ſacramentorum, ſive extra.

PROBATUR 1° ex Scripturis multiplici argumento.

1°. Scripturæ utriusque Teſtamenti ſinceram cordis converſionem à peccatoribus exigunt, nec aliâ conditione veniam pollicentur. Deuteron. IV. 29: *Si quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & in tota tribulatione animæ tuæ.* 3 Reg. VIII. 48 & 50, Salomon hâc ſola conditione peccantibus veniam apprecatur: *Si*, ait, *reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, & in tota anima ſua,..... propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum.* Ezechiel, XVIII. 30 & 31: *Convertimini & agite pœnitentiam: facite vobis cor novum & ſpiritum novum.* Joël, II. 12: *Convertimini ad me in toto corde veſtro,..... & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Quantæ autem neceſſitatis ſit ea cordis converſio declarat Pſaltes, pſ. 7. verſ. 13: *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit.*

Atqui converſio cordis ad Deum concipi non poteſt ſine ſincero amore Dei. Nam quid eſt corde converti ad Deum, niſi amore converti, cùm omnis affectio cordis ſit amor, vel procedat ab amore? Quid verò eſt amore converti ad Deum, niſi Deum ex corde amare, cui non greſſibus corporis, ſed dilectionis affectibus propinquamus? Deum non amare, à Deo averti eſt: contra, Deum amare, & ad Deum converti, unum atque idem eſt; quemadmodùm unum & idem eſt creaturas diligere, & converti ad creaturas.

Et certè eodem ſenſu converti debemus ad Deum, quo Deus dicitur ad nos converti. *Convertimini ad me*, inquit ipſe Zachariæ I, *& ego convertar ad vos.* Atqui Deus nos diligendo ad nos convertitur. Ergo ſine dilectione Dei ad Deum non convertimur, ſed averſi remanemus.

2°. Scripturæ dilectionem Dei, in qua juſtificatio conſiſtit, nonniſi diligentibus promittunt. *Si quis diligit me*, inquit Chriſtus, Joann. XIV. 23, *diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quæ verba, quanquam affirmativa, negativis æquivalent, in quantùm dilectionem Dei aſſignant ut conditionem, cui gratia juſtificationis alligatur. Unde continuò ſubdit: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.*

Pariter, Luc VII. 46, cum dicit Chriſtus de muliere peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm; cui autem minùs di-*

Digitized by Google

dimittitur, minùs diligit, inſinuat dilectionem noſtram in Deum eſſe quaſi menſuram veniæ recipiendæ; proinde, ubi nulla dilectio, ibi nullam dari veniam.

3°. S. Paulus, 1 Cor. XIII, docet nihil prodeſſe ſine caritate, ne martyrium quidem, aut fidem montes transferentem. Unde ſic arguo: Si qua alia diſpoſitio, ſecluſâ dilectione Dei, ſufficeret ad obtinendam veniam in ſacramento pœnitentiæ, ea certè multùm prodeſſet. Quomodò namque nihil prodeſt quod tantum boni conſequitur? Atqui ſine caritate nihil prodeſt. Ergo nulla diſpoſitio ſufficit ad juſtificationem ſine amore Dei.

4°. Scriptura teſtatur omnes Deum non diligentes in anathemate ac morte concludi. 1 Cor. XVI. 22: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* Quid juſtificationi contrarium magis anathemate? Quonam ergo prodigio reconciliatur cum Deo, qui Chriſtum non amans eſt anathema? Et Joann. III. 14: *Qui non diligit, manet in morte.* Hâc ſententiâ breviſſimâ quid clarius? Tamdiu ergo peccator manet in morte peccati, & incapax eſt vitæ ſpiritualis recuperandæ, quandiu Deum non diligit.

Addi poſſunt innumera ſacrorum librorum nec non SS. Patrum teſtimonia, quibus probavimus Libro IV nullum eſſe pietatis actum, nullum omni ex parte bonum, quod ex caritate, ſaltem imperfecta, tanquam radice non ſurgat: duos tantùm eſſe in individuo amores, caritatem, quâ ſunt omnia bona, & cupiditatem, ex qua omnia mala: gratiam Chriſti propriè dictam nihil aliud eſſe quàm inſpirationem ſanctæ dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus. Iis quippe noſtra Propoſitio invictiſſimè adſtruitur; cùm conſtet neminem ſufficienter diſponi ad juſtificationem, niſi per actus pietatis omni ex parte bonos, & ex gratia Chriſti propriè dicta profluentes.

Probatur 2° ex S. Auguſtino.

Longum eſſet referre omnia loca, in quibus S. Doctor huic veritati ſuffragatur. Pauca igitur ex multis ſeligo. Ac primùm quidem frequenter aſſerit neminem poſſe odiſſe peccatum, nec ejus affectum extinguere, niſi per amorem juſtitiæ, quæ Deus eſt. „ Tantùm quiſque peccatum „ odit, inquit, in Epiſt. 145, olim 144, ad Anaſtaſium, n. 5, quan„ tùm juſtitiam diligit.“ Et lib. 2 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 7. n. 27: „ Deſiderium peccandi non extinguitur niſi „ contrario deſiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.“ At conſtat neminem eſſe diſpoſitum ad veniam recipiendam, niſi peccatum oderit, & ejus deſiderium in ſeipſo extinxerit. Ergo ſine dilectione Dei nemo rectè diſponitur ad juſtificationem.

Præterea expreſſè docet neminem poſſe reconciliari Deo per remiſſionem peccatorum, niſi Deum diligat. „ Eccleſiæ caritas, ait, Tract 121 in Joannem, n. 4, „ quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris,

„ participum ſuorum peccata dimittit; eorum autem qui non ſunt ejus „ participes, tenet.“ Quid diſertius expoſci poteſt? Loquitur S. Doctor de actuali ſuſceptione ſacramentorum ac de clavibus datis Eccleſiæ, pronuntiatque Eccleſiam illorum, qui caritatis participes non ſunt, peccata non dimittere, ſed retinere. Et in lib. *de Fide & Symbolo*, cap. 9. n. 19: „ Non reconciliamur Deo, niſi per dilectionem, quâ etiam filii appel- „ lamur, non jam ſub timore tanquam ſervi, quia conſummata dilectio „ foras mittit timorem, & ſpiritum libertatis accepimus, in quo cla- „ mamus, Abba, Pater.“ Ergo, ubi dilectio nulla, ibi nulla reconciliatio eſt.

Inter alia momenta, quibus hanc cœleſtem doctrinam confirmat, hoc affert, quòd nihil ſit iniquius quàm ad Deum ſine ipſius amore converti velle, cum per amorem peccati ab eo receſſeris. Relatis quippe his S Pauli verbis, Rom. VI: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ ad ſanctificationem*, concludit hoc ad minùs à pœnitente exigi, ut, qui peccato malè delectatus eſt, Deo benè ac piè delectetur. „ Quemadmodùm, inquit, Epiſt. laudatâ ad Anaſtaſium, n. 5, „ ad peccandum nullus „ vos cogebat timor, ſed ipſius libido voluptasque peccati, ſic ad „ juſtè vivendum non vos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio „ caritasque juſtitiæ. Et hæc quidem, quantùm mihi videtur, non- „ dum eſt perfecta, ſed quodammodò adulta juſtitia. Neque enim „ fruſtra præmitteret, *humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ*, „ niſi quia plus aliquid dicendum fuit, ſi jam illi ferre potuiſſent. Plus „ quippe ſervitutis debetur juſtitiæ, quàm peccato ſolent exhibere. „ Nam pœna corporis, etſi non à voluntate, tamen revocat ab opere „ peccati...... Juſtitia verò ſic amanda eſt, ut ab operibus ejus etiam „ pœnæ corporis nos cohibere non debeant.“ Et Serm. 159, olim 17 *de Verbis Apoſtoli*, cap. 5. n. 6: „ Quando peccabatis, delectabamini in „ peccatis veſtris: timor vos adducebat ad peccandum, an peccandi „ ſuavitas? Reſpondebitis: ſuavitas. Ad peccandum ſuavitas adducit, & ad juſtitiam timor impingit?“ Conſcientiam Chriſtianorum hîc convenio: hâc doctrinâ quid verius, quid æquius, quid ſanctius? Oppoſitâ verò quid falſius, quid injuſtius, quid irreligioſius, quid horribilius?

Probatur 3° conſenſione aliorum SS. Patrum.

S. Chryſoſtomus, ſub finem hom. 4 in Epiſt. 2 ad Corinthios: „ Cùm peccaveris, inquit, ingemiſce, non quòd pœnas daturus ſis, „ nihil enim hoc eſt“ (proinde minimè ſufficiens ad veniam in ſacramento percipiendam), „ ſed quòd Deum offenderis tam benignum, „ tam tui amantem, tamque ſaluti tuæ appenſum, ut Filium quoque „ ſuum tuâ cauſâ tradiderit.“ Igitur, Chryſoſtomo judice, deteſtatio peccati, ut vera ſit, ex amore Dei procedat neceſſe eſt.

S. Pe-

Digitized by Google

S. Petrus Chryſologus, hom. 94 *de Muliere peccatrice*, ſub finem: „ Abſolvi vis, ait, ama: caritas operiet multitudinem peccatorum.“ Id confirmat ex eoquòd Chriſtus, ad eluendam trinam Petri negationem, trinum dilectionis actum ab illo expetierit, ter interrogando: *Simon Joannis, amas me?*

S. Cæſarius Arelatenſis, in Sermone qui eſt 117 in Append. S. Auguſtini: „ Pœnitentiam, inquit, certam non facit niſi odium peccati & „ amor Dei.“ Ergo tam non poteſt eſſe vera pœnitentia ſine amore Dei, quàm ſine odio peccati.

S. Leo, Serm. 7 de Jejunio ſeptimi menſis, cap. 1, loquens de dilectione Dei & proximi: „ Tanta eſt, ait, ſub hujus geminæ caritatis „ edicto utriusque copula teſtamenti, ut ſine iſtarum connexione virtu„ tum nec lex quemquam inveniatur juſtificaſſe, nec gratia.“ Ignorabat ſanè ſummus ille Pontifex verè magnus quod moderni Scholaſtici dicerunt, tam uberem eſſe ſacramentorum novi teſtamenti gratiam & indulgentiam, ut etiam Deum nullomodò diligentes juſtificet.

S. Gregorius magnus, lib. 2 in 1 Reg. cap. 3, eamdem veritatem non minùs indubitanter tradit. „ Converſio, ait, peccatoris non eſt in hu„ militate confeſſionis, ſed in renovatione interioris hominis, cùm pec„ catori jam divinâ inſpiratione correcto & malum diſplicet quod ama„ vit, & bonum placet quod odit.“ Bonum autem, quàmvis exteriùs fieri per timorem poteſt, placere tamen non poteſt ſine amore ſummæ juſtitiæ quæ Deus eſt, ut exponit S. Pontifex verbis ſubſequentibus. „ Vera converſio, addit, non in ore accipitur, ſed in corde: converti „ enim ſimul verti eſt. Converſio itaque peccatoris tunc vera eſt, cùm „ ad creatoris noſtri beneplacitum uterque noſter homo reducitur, cùm „ & caro noſtra per iniquitatis odium cohibetur à perpetratione facinoris, „ & per amorem juſtitiæ mens ſe extendit ad intentionem bonæ opera„ tionis...... Vis autem converſionis eſt affectio caritatis cordi infuſæ „ viſitatione S Spiritûs,...., quia, ut ſe menti infuderit, eam proti„ nus in peccatorum & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabi„ liter excitat. Facit eam ſtatim odiſſe quod amabat, &, quod odio ha„ buerat, ardenter diligere, atque in utroque valde ingemiſcere; quia „ & mala, quæ odit, ſe damnabiliter amaſſe recolit, & bona, quæ di„ ligit, odiſſe.“ Porro ſi converſio tunc ſolùm vera eſt, cùm ab amore juſtitiæ & caritate oritur, conſequenter, quæcunque pœnitentia ab hoc fonte non fluit, falſa eſt & planè inſufficiens ad obtinendam veniam peccatorum. Vide eumdem, lib. 6. cap. 2.

Tom. 3. p. 26.

Ibid. p. 341.

S. Bernardus, Epiſt. 11 ad Guigonem, n. 3: „ Puto, inquit, de illa „ (caritate) dictum: *lex Domini immaculata convertens animas*; quòd ſola „ videlicet ſit, quæ ab amore ſuî & mundi avertere poſſit animum, & „ in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit „ animam: mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam.“

Et Serm. 2 *in Capite jejunii*, n. 3, ſic exponit quid ſit in Scripturis in toto corde ſuo converti ad Dominum: „ Convertatur proinde amor tuus, „ ut nihil omnino diligas niſi ipſum, aut certè propter ipſum." Uterque textus commentario non indiget.

Pag. 442. Petrus Bleſenſis in tractatu *de Confeſſione ſacramentali*: „ Vera pœ- „ nitentia, inquit, non in lacrymis momentaneis, aut horaria com- „ punctione conſiſtit. Nulla etiam affectio pia meritoria eſt ad ſalutem, „ niſi ex Chriſti dilectione procedat...... Ideòque lacrymas perdis, ſi „ non diligis Deum, ſi de fontibus Salvatoris, ſpe ſcilicet, fide & cari- „ tate, devotionis & pœnitentiæ lacrymas non effundis." Contrarium omnino dici debet in opinione quam refellimus.

Quid pluribus teſtimoniis opus eſt, cùm primos iſtius opinionis auctores audierimus ſupra ingenuè agnoſcentes eam eſſe novam, & ſanctis Patribus, quos legerint, incognitam, unamque omnibus ſententiam fuiſſe, neminem ſine amore Dei ad juſtificationis gatiam, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, pervenire poſſe. Habemus igitur confitentes reos, ſiquidem, in iis quæ religionem ſpectant, ſemper id eſt verum quod prius, id verò falſum & erroneum quod poſteriùs immiſſum. Num etenim Eccleſiam, à Chriſto edoctam omnem veritatem, latuit per 15 ſæcula quænam ſit ad pœnitentiæ ſacramentum requiſita diſpoſitio? Quis hoc credat? Cùm igitur neceſſe ſit vel SS. Patres, qui dilectionis neceſſitatem unanimi conſenſu docuerunt, ignorantiæ, imò erroris exceſſûsque manifeſti accuſare, vel recentioribus Scholaſticis, qui ab antiqua & conſtanti SS. Patrum doctrina, ipſis fatentibus, receſſerunt, falſitatis ac temeritatis notam inurere, quis neget antiquitatem novitati, approbatos dudum ab Eccleſia Doctores modernis magiſtris, uno verbo veritatem Eccleſiæ à Chriſto concreditam errori nuper adinvento præferri dubio procul oportere?

Probatur 4° ex concilio Tridentino, quod ſibi favere non minùs falſò, quàm in ſynodi proceres contumelioſè, adverſarii jactitant. Quanquam enim, ut narrat Pallavicinus in Hiſtoria hujus concilii, lib. 12. cap. 10, eis unicè propoſitum fuerit errores hæreticorum damnare, intacta relinquendo quæ à Scholaſticis agitabantur, tamen, quid hac in materia ſentirent, ſatis clarè expreſſerunt, tum ſeſſ. 6 ubi de juſtificatione, tum ſeſſ. 14, ubi de ſacramento pœnitentiæ tractant.

Seſſ. 6. cap. 6, enumerando actus quibus peccator diſponitur ad juſtificationem, quarto loco ponunt dilectionem Dei, deinde deteſtationem peccati & propoſitum implendi mandata. „ Diſponuntur autem, inquiunt, „ ad ipſam juſtificationem, dum excitati divinâ gratiâ & ad- „ juti...... Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt, „ ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſ- „ tationem. hoc eſt, per eam pœnitentiam quam ante baptiſmum agi „ oportet; denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare no-

„ vam

Digitized by Google

„ vam vitam & ſervare divina mandata." Et can. 3: „ Si quis dixe-
„ rit ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio
„ hominem credere, ſperare, diligere & pœnitere poſſe, ſicut oportet,
„ ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit."

Ex hac declaratione ac definitione clarum eſt concilium Tridentinum cenſuiſſe hominem reconciliari cum Deo ſine ipſius dilectione non poſſe. Nam 1° exigit illam dilectionem velut diſpoſitionem requiſitam ad juſtificationem: *illumque, tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt.* 2°. Declarat deteſtationem peccati, ut ſincera ſit, ex hoc dilectionis fonte fluere debere: *ac propterea* (notate hanc particulam) *moventur adverſùs peccata per odium aliquod ac deteſtationem.* Ergo, ex concilio, tantùm peccatum deteſtamur, quantum Deum diligimus. 3°. Requirit propoſitum implendi *divina mandata*, quorum primum & maximum eſt dilectionis mandatum. Atqui hujuſmodi propoſitum eſſentialiter includit aliquod dilectionis initium; ſiquidem Deum amare velle, jam amare eſt. 4°. Ait hominem non ſolum *credere* & *ſperare*, ſed etiam *diligere*, & ex ea dilectione *pœnitere* oportere, *ut ei juſtificationis gratia conferatur.*

Reſpondent adverſarii ſynodum ibi loqui de juſtificatione quæ fit extra ſacramentum, ad quam Dei dilectionem requiri fatentur. Verùm nullâ ratione hoc probare poſſunt. E contrario loquitur ſynodus de juſtificatione, prout fieri conſuevit. Porro, quàmvis interdum nonnulli ante actualem ſacramentorum receptionem juſtificentur, hæc via non eſt ordinaria, ſed curſus communis eſt ut peccatoribus tunc ſolùm remiſſio concedatur, cum ritè diſpoſiti ad ſacramenta baptiſmi vel pœnitentiæ accedunt. Ergo de iſto juſtificationis modo loquuntur Patres Tridentini. Reverâ, cap. 10 ejuſdem ſeſſionis, aiunt intentionem ſuam eſſe, *exponere omnibus Chriſti fidelibus veram ſanamque doctrinam ipſius juſtificationis, quam Chriſtus docuit, Apoſtoli tradiderunt & Catholica Eccleſia perpetuò retinuit.* Quænam verò illa eſt, niſi quæ ordinariè non datur niſi ſacramenta debito modo recipientibus? Et cap. 7, tractantes de cauſis juſtificationis, dicunt *inſtrumentalem eſſe ſacramentum baptiſmi.*

Quin etiam ex ipſo capite 6 evidens eſt concilium ſpectare præſertim juſtificationem quæ per baptiſmum confertur, tum quia expreſſè profitetur ſe agere de illa pœnitentia *quam ante baptiſmum agi oportet*, &, de iis qui *proponunt ſuſcipere baptiſmum;* tum quia ea loca Scripturæ commemorat, quæ diſpoſitiones ad baptiſmum requiſitas exprimunt, qualia ſunt: *Pœnitentiam agite;* &, *baptizetur unuſquiſque veſtrûm;* &, *docete omnes gentes, baptizantes eos.* At ſi ad ſacramentum baptiſmi requiritur dilectio Dei, tanquam fontis omnis juſtitiæ, quis neget eam ſacramento quoque pœnitentiæ præmitti oportere?

In ſeſſ. 14, quæ eſt de ſacramento pœnitentiæ, etſi non ſit expreſſa mentio amoris Dei, duo tamen ſunt quæ probant ejus neceſſitatem à ſynodo agnitam aut certè ſuppoſitam fuiſſe. Primum, quòd, quoties

 de

Digitized by Google

de pœnitentis actibus, qui ſunt veluti partes ſacramenti pœnitentiæ, ſermonem habet, toties contritionem nominet, ut cap. 3 & can. 4. Quamvis enim ea vox hodie generaliùs accipiatur, tamen tempore concilii à Theologis uſurpabatur tantùm ad ſignificandum dolorem de peccatis propter Deum dilectum, ut videre eſt apud Dominicum Soto, Vegam, Petrum Soto, & alios. Alterum, quòd eam ſolùm attritionem ad juſtitiam diſponere aſſerat, quæ excludit voluntatem peccati; quæ quidem voluntas ſolâ dilectione Dei, ut fontis omnis juſtitiæ, excludi poteſt.

Probatur 5° ſuffragiis omnium Theologorum concilio Tridentino antiquiorum. Conſtat enim, confeſſione ipſorummet adverſariorum, opinionem, quæ attritionem ex timore ſervili conceptam ſufficere affirmat, valde novam eſſe, & omnibus non ſolùm Patribus, verùm etiam Scholaſticis veteribus incognitam. Legi poſſunt eorum teſtimonia apud D. Queras, & apud Witaſſium in tractatu *de Sacramento pœnitentiæ*. Ego verò, brevitatis cauſâ, Angelici Doctoris dicta tantum referam, propter eximiam ejus in Eccleſia auctoritatem.

Expendit S. Doctor, 1. 2. q. 113. art. 4, quibus motibus peccator diſponatur ad juſtitiam, aitque in corpore, „ primam converſionem in „ Deum fieri per fidem." Et ad primum addit „ motum fidei non eſſe „ perfectum, niſi ſit caritate informatus. Unde, inquit, ſimul in juſtifi„ catione impii, cum motu fidei, eſt etiam motus caritatis." Deinde, art. 5, probat, comparatione motûs localis, odium peccati eſſe non poſſe ſine dilectione Dei ut ſummæ juſtitiæ. „ Juſtificatio impii, inquit in corpore, „ eſt quidam motus, quo humana mens movetur à „ Deo è ſtatu peccati in ſtatum juſtitiæ. Oportet igitur quòd humana „ mens ſe habeat ad utrumque extremorum ſecundùm motum liberi ar„ bitrii, ſicut ſe habet corpus localiter motum ab aliquo movente ad „ duos terminos motûs. Manifeſtum eſt autem in motu locali corpo„ rum, quòd corpus motum recedit à termino à quo, & accedit ad termi„ num ad quem: unde oportet quòd mens humana, dum juſtificatur per „ motum liberi arbitrii, recedat à peccato & accedat ad juſtitiam. Re„ ceſſus autem & acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur ſecundum „ deteſtationem & deſiderium...... Oportet igitur quòd in juſtificatione „ impii ſit motus liberi arbitrii duplex, unus quo per deſiderium ten„ dat in Dei juſtitiam, & alius quo deteſtetur peccatum." Illud autem deſiderium, quo tenditur in Dei juſtitiam, eſſe motum caritatis, & per ſe clarum eſt, & expreſſis verbis docet S. Doctor ad 1. „ Ad „ eamdem, ait, virtutem pertinet proſequi unum oppoſitorum & reſu„ gere aliud; & ideò, ſicut ad caritatem pertinet diligere Deum, ita „ etiam deteſtari peccata, per quæ anima ſeparatur à Deo.

Eamdem materiam tractat part. 3. q. 85, ubi agit de ſacramento pœnitentiæ. Ac primum quidem, art. 2 ad 1, definit diſplicentiam peccati

cati præteriti immediatè ad caritatem pertinere. Deinde, art. 5, ſex actus enumerat, quibus peccator Deo operanti in pœnitentia cooperatur. „ Quorum actuum, inquit, primum principium eſt Dei operatio „ convertentis cor ..... Secundus actus eſt motus fidei. Tertius eſt „ motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus actus eſt motus „ caritatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & non „ jam propter ſupplicia. Sextus actus eſt motus timoris filialis, quo „ propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert." Ergo, ex S. Thoma, ut vera ſit ac ſufficiens pœnitentia, debet neceſſariò includere motum caritatis in Deum offenſum.

Theologos concilio Tridentinò recentiores hic commemorare ſuperfluum eſt. Narrabo tantum quod ſub finem ultimi ſæculi contigit Illuſtr. de Montgaillard Epiſcopo Pontispoleos. Cùm ille, in Collationibus Eccleſiaſticis, docuiſſet amorem Dei neceſſarium eſſe ad recipiendam abſolutionem in ſacramento pœnitentiæ, homines malevoli, jamdudum ei ac veritati infenſi, hanc doctrinam, velut in concilio Tridentino damnatam, palam reprehendere auſi ſunt. Horum ſententiam Illuſtriſſimus Præſul Doctoribus Pariſienſibus expendendam tradidit, hiſque numero fermè quinquaginta cenſentibus eam eſſe falſam, temerariam, ſcandaloſam, ſynodo Tridentinæ injurioſam & in praxi periculoſam, debitâ cenſurâ confixit. Non tamen idcirco deſtiterunt homines audaces doctrinam Præſulis inſectari, ſed, quò inſolentiùs debacchati ſunt, eò magis veritas emicuit, plurium, quàm ante, Theologorum ſuffragiis roborata.

Probatur 6° judicio Cleri Gallicani, qui in Comitiis anni 1700 iſtam propoſitionem concordibus votis damnavit: *Attritio ex gehennæ metu ſufficit, etiam ſine ulla Dei dilectione, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu, quia talis honeſta & ſupernaturalis eſt.* Et in Declaratione de dilectione Dei in ſacramento pœnitentiæ requiſita ſic habent Illuſtriſſimi Cœtûs Præſules: „ Et quidem de dilectione Dei, ſicut ad ſacramentum baptiſmi in adultis, ita etiam ad ſacramentum pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus baptiſmus, requiſita, ne neceſſariam doctrinam omittamus, „ hæc duo imprimis ex ſacroſancta ſynodo Tridentina monenda & docenda eſſe duximus: primum, ne quis putet in utroque ſacramento „ requiri, ut præviam, contritionem eam quæ ſit caritate perfecta, „ & quæ cum voto ſacramenti, antequàm actu ſuſcipiatur, hominem „ cum Deo reconciliet: alterum, ne quis putet in utroque ſacramento „ ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actus, non incipiat diligere „ Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem." Ubi obſervandum eſt hanc ſententiam non ſolum ut probabiliorem aut tutiorem, ſed etiam ut certam & à ſynodo Tridentina approbatam proponi.

Ea-

Digitized by Google

Eadem doctrina expreſſè traditur in Expoſitione doctrinæ anni 1720 à 100 Galliæ Epiſcopis approbata. En verba Epiſcoporum : „ Juxta doc„ trinam tutiorem, Scripturæque ac Traditionis, nec non concilii Tri„ dentini principiis conformiorem, timor ſervilis ſolus & ſine inchoato „ amore Dei, tanquam fontis omnis juſtitiæ, internum peccati affectum „ non excludit.“

Probatur 7° conſenſione ipſorum Judæorum, tum veterum, tum recentiorum, qui, licet à gratia novi teſtamenti, quæ caritas eſt, alieni, & ſub lege minante ac terrente conſtituti, iſtam, quam tuemur, veritatem agnoverunt. Plurimorum teſtimonia laudat Morinus, lib. 1 *de Pœnitentia*, cap. 21, qui unanimi conſenſu docent illam ſolam pœnitentiam, quæ ex amore concipitur, peccata poſſe remittere: duplicem pœnitentiam ex timore naſci, unam prorſus inutilem, alteram utilem quidem & ad veram pœnitentiam præparantem, ſed vitæ æternæ nondum maturam: demum, eos qui ſolo pœnarum metu Deo ſerviunt, non ut homines, ſed ut animalia, ei ſervire. Pudeat Chriſtianos ſub lege Evangelica illud ignoraſſe, quod Judæis non latuit.

Probatur ultimò rationibus Theologicis. 1°. Peccatum remitti à Deo non poteſt, niſi cui peccatum diſplicet, prout eſt peccatum & offenſa Dei. Quiſquis enim non deteſtatur peccatum ut peccatum, ſed aliâ quâvis ratione, peccatum propriè non deteſtatur, ſed aliquid aliud quod ex peccato conſequitur. Atqui peccatum non diſplicet, ut peccatum & offenſa Dei, niſi Deus diligatur ut fons juſtitiæ. Conſtat enim odium naſci ex amore, hominemque tantum odiſſe malum quodlibet, quantùm amat bonum oppoſitum. Quid verò peccato ſeu injuſtitiæ opponitur, niſi juſtitia? Quid offenſæ Dei, niſi Deus offenſus? Ergo ſine amore Dei, ut ſummæ juſtitiæ, nemo deteſtatur peccatum, ut peccatum & offenſam Dei, adeòque nemo idoneus eſt ad recipiendum abſolutionis beneficium.

2°. Peccator, ut cùm Deo reconcilietur, debet ordinem à ſe perturbatum reſtituere. Porro tamdiu ordinem illum non reſtituit, quandiu Deum & juſtitiam non amat, cùm tota inordinatio peccati in eo poſita ſit, quòd creatori creatura præponatur, finisque ultimus & ratio ſummi boni, quæ ſoli Deo eſſentialiter competit, in ea collocetur.

Et certè peccatum nihil aliud eſt quàm malus amor, vel, ut vulgò definitur, averſio à Deo & converſio ad creaturas, nec ceſſat, niſi quando voluntas avertitur à creaturis & convertitur ad Deum. Atqui voluntas Deum non amans non convertitur ad Deum, ſed remanet ab eo averſa, & converſa ad creaturas, ac proinde injuſta & peccatrix. „ Quis „ verò dubitet dicere, inquit S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 18, „ voluntatem nullomodò juſtitiam diligentem „ non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem?“ Nam quæ deterior perverſitas, quàm id amare quod propter ſe amandum non eſt,

id

id autem non diligere quod ſummè diligendum eſt? Homo quippe ſine amore eſſe non poteſt. Vel ſeipſum amat usque ad contemptum Dei, vel Deum amat usque ad contemptum ſui. Uno verbo „ regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei caritas," ut ait S. Auguſtinus in *Enchiridio*, cap. 117. An, quæſo, rectè diſpoſitus eſt ad juſtificationem in ſacramentis recipiendam, in quo carnalis cupiditas regnat?

3°. Primo legis præcepto tenemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ut nulla pars vitæ noſtræ, nulla cordis affectio, nulla mentis cogitatio, nullus animæ motus ab illa dilectione vacet; ſed ſemper, & ubique, & in omnibus, & ſuper omnia Deum diligamus, & ad eum omnia noſtra referamus. At ſi nullum tempus vitæ noſtræ vacare ab illo amore debet, quantò magis illud quo in gratiam cum Deo redire, maximoque beneficio ab illo affici volumus? Quandonam præceptum diligendi obligat, ſi tunc non obligat?

4°. Vera reconciliatio inter homines fieri nequit ſine mutuo amore; atque imprimis omnes fatentur filium protervum, uxorem infidelem, veniâ prorſus indignos eſſe, ſi patrem ille, quem offendit, illa maritum, à quo, alterum amando, receſſit, non diligant, ſed ſolo pœnarum metu in officio contineantur: & quisquam putabit peccatorem à Deo optimo patre & pulcherrimo ſponſo veniam conſequi, cum non amando, ſed gehennam tantùm timendo, poſſe? Num filius ille prodigus, de quo Chriſtus in parabola Evangelica, patrem adeò placatum expertus eſſet, ſi dicendo, *pater, peccavi in cœlum & coram te*, non amaſſet ut patrem?

Et verò abſolutione indignum ſe præbet, quem peccati non pœnitet. Atqui peccatorem Deum non amantem peccati admiſſi non pœnitet. Nam maximum & graviſſimum peccatum eſt non amaſſe patrem optimum, amantiſſimum, beneficentiſſimum. Quomodò verò illum pœnitet non amaſſe, qui amare nondum incœpit?

5°. Omnium conſenſu, nemo capax eſt recipiendæ abſolutionis, quin proximos ſuos, atque ipſos etiam inimicos diligat. Ergo, à fortiori, nemo tanti beneficii particeps eſſe poteſt, quin diligat Deum; tum quia eâdem caritate & Deus diligitur propter ſe, & proximus propter Deum; tum quia ille imprimis diligendus eſt, propter quem etiam inimicos oportet diligere.

6°. Diſpoſitio ad gratiam habitualem debet eſſe ejusdem generis ac gratia habitualis, ſiquidem ad habitus non diſponunt niſi actus eis correſpondentes. Atqui gratia habitualis nihil aliud eſt quàm caritas habitualis diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Ergo non ſufficienter ad eam præparamur niſi per caritatem actualem.

7°. Doctrina communis eſt omnium Chriſtianorum veram pœnitentiam in articulo mortis eſſe rariſſimam. Porro hujus ſaluberrimæ veritatis nulla ratio afferri poteſt, ſi timor ſervilis cum ſacramento conjunctus ad veram pœnitentiam ſufficiat; imò converſio multò frequentior ac facilior

cilior tunc eſſe debet, quando imminentis damnationis metus eſt vehementior. At in noſtra ſententia facilè iſtud explicatur. Reverâ enim difficile eſt, adeòque perrarum, parvo temporis ſpatio & in ultimo vitæ articulo priſtinos affectus exuere, ac novos induere. „ Non eſt facile, ait S. Thomas, ut affectus, quem toto tempore vitæ ſuæ homo „ inclinavit in aliquid, ſubitò ad contrarium retrahatur."

8°. Ex opinione adverſariorum ſequitur maximum incommodum, ſcilicet ſalvari poſſe hominem, qui toto vitæ ſuæ tempore nullum unquam divini amoris actum elicuerit. Suppono aliquem baptizatum ab infantia ſua libidinibus ſeſe dediſſe, & in oblivione Dei ad extremam usque ſenectutem vixiſſe. Ingruente mortis periculo, accerſit confeſſarium, omnia vitæ ſuæ crimina denudat, admonitus de gehennæ ſuppliciis ſibi impendentibus magno timore concutitur, ardere metuit, hocque uno motivo peccata ſua deteſtatur ac deinceps vitare proponit. Recipit abſolutionem ſacramentalem; moritur ſtatim, nullo dilectionis actu elicito. Quid fiet de illo homine? Non poſſunt adverſarii ſalutem ei denegare, quin ſuæ doctrinæ apertiſſimè renuntient. At quomodò ſervari poteſt, qui primum decalogi mandatum ad mortem usque transgreſſus eſt, cùm Chriſtus expreſſè dicat: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata?* Quomodò Deum amabit laudabitque in perpetuas æternitates, qui nunquam didicit illum amare? Quomodò juſtitiâ ſaturabitur, qui eam nunquam eſurivit nec ſitivit?

QUARTA PROPOSITIO.

Amor Dei requiſitus ad juſtificationem eſt amor caritatis, quâ Deus diligitur propter ſe, tanquam finis ultimus; nec ſufficit amor concupiſcentiæ, ſive ſpei, à caritate diſtinctus.

PROBATUR 1° ex dictis Lib. IV, ubi oſtendimus ſpem non eſſe verè chriſtianam, niſi oriatur ex caritate, & per eam referatur ad Deum tanquam ad finem ultimum. Enimverò qui ad juſtificationem tantummodò requirunt amorem ſpei, vel ſentiunt Deum eſſe finem ultimum illius amoris, vel non. Si primum, amor caritatis eſt; nam proprium eſt caritatis moveri in Deum tanquam finem ultimum: ſi alterum, amor perverſus eſt. Quis enim neget perverſum eſſe, Deum ſolum ſummum bonum referre ad aliud, tanquam ad finem ultimum, eoque uti velle, quo ſolo frui licitum eſt?

2°.

2°. Scripturæ ac SS. Patres mox allati requirunt ad ſacramentum pœnitentiæ veram dilectionem Dei, quâ ſatisfit primo decalogi mandato, eamque *caritatem* appellant S. Paulus, S. Auguſtinus, S. Petrus Chryſologus, S. Leo, S. Gregorius magnus, S. Bernardus, Petrus Bleſenſis, S. Thomas &c.

3°. S. Bernardus expreſſè aſſerit amorem concupiſcentiæ, quo Deus non amatur ut finis ultimus, inſufficientem eſſe ad operandam converſionem, ſolique caritati hanc vim ineſſe. „ Eſt, inquit, Epiſt. 11. n. 3, „ qui confitetur Domino, quoniam potens eſt; & eſt qui confitetur, quo„ niam ſibi bonus eſt; & item qui confitetur, quoniam ſimpliciter bonus „ eſt. Primus ſervus eſt, & timet ſibi: ſecundus mercenarius eſt, & cu„ pit ſibi: tertius filius, & defert patri. Itaque & qui timet, & qui „ cupit, uterque pro ſe (tanquam fine ultimo) agunt, ſola, quæ in „ filio eſt, caritas non quærit quæ ſua ſunt. Quamobrem puto de illa „ dictum, *lex Domini immaculata, convertens animas*; quòd ſola videlicet ſit quæ ab amore ſui & mundi avertere poſſit animum, & in „ Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit ani„ mam: mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. Fa„ cit quidem etiam ſervus nonnunquam opus Dei; ſed, quia non „ ſponte, in ſua adhuc duritia permanere convincitur. Facit & merce„ narius; ſed, quia non gratis, propriâ trahi cupiditate cognoſcitur...... „ Sit itaque ſervo ſua lex timor ipſe quo conſtringitur: ſit mercenario „ ſua cupiditas, quâ & ipſe arctatur...... Sed harum nulla aut ſine „ macula eſt, aut animas convertere poteſt: caritas verò convertit ani„ mas, quas facit & voluntarias."

4°. Concilium Tridentinum nullum relinquit hac de re ambigendi locum; ſiquidem tres virtutes theologicas, fidem, ſpem & dilectionem ſuo quamque ordine commemorat: „ Credentes, ait, vera eſſe quæ divi„ nitùs revelata ac promiſſa ſunt,..... in ſpem eriguntur, fidentes „ Deum ſibi per Chriſtum propitium fore, illumque, tanquam omnis „ juſtitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus „ peccata per odium aliquod ac deteſtationem." De illo dilectionis actu loquitur ſancta ſynodus, qui ſpem conſequitur. Atqui amor, quem vocant concupiſcentiæ, non ſequitur ſpem, ſed eam præcedit. Ergo amorem caritatis intelligit. Et ſanè tunc vera caritas eſt, quando non tam amantur dona Dei, quàm Deus ipſe illorum auctor & fons omnis juſtitiæ. Porro hujuſmodi dilectionem requirunt Patres Tridentini.

Præterea Pallavicinus narrat iſtud decretum ſic primùm delineatum fuiſſe, ut de dilectione Dei nihil decerneretur; ſed multis viſum eſſe expreſſam de illa mentionem fieri debere, ne in juſtificationis negotio ſuæ partes caritati deeſſe viderentur. „ Quod attinet, inquit, lib. 8. cap. 13 & 14, „ ad id quod dicitur de dilectione Dei, advertendum eſt per te-

„ norem decreti priùs delineati nullam fieri dilectionis mentionem, ſed „ Salvatorem Alepium Archiepiſcopum Tunitanum, Claudium Jaium „ Societatis Jeſu, Lipomanum Veronenſis Adjutorem, & Pium Franciſ- „ canorum Præſidem, monuiſſe ut aliquis caritatis actus insereretur; „ cumque id ad omnium Patrum judicium relatum eſſet,..... viginti „ tres diſertè illud comprobaſſe, adeòque inſertum decreto; ſed poſt à „ aliis non probatum (exiſtimantibus ſcilicet requiri caritatem habi- „ tualem); verùm à Theologis ſtrenuè oppugnatum & per hæc verba „ retentum: *Non eſt ſermo eo in loco de habitu caritatis: ſed, cùm in „ particula, quæ loquitur de pœnitentia, nulla fiat mentio amoris. viſum eſt „ cum fide & ſpe jungere aliquem dilectionis actum, quia, ſi pœnitentia tota „ eſſet ex timore, ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tan- „ tùm, & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet* " Cùm autem, occaſione capitis 7, ubi declaratur cauſam formalem juſtificationis eſſe caritatem, nonnulli arguerent eamdem caritatem non poſſe capite 6 poni inter diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas, & cap. 7 aſſignari ut cauſam formalem juſtificationis, „ reſponderunt decreti formatores, teſte Pallavicino ibidem, „ in primo loco ſermonem eſſe de quodam actu carita- „ tis,..... at in ſecundo ſermonem eſſe de habitu caritatis."

Inter Theologos qui ſtant pro attritione ſervili, nonnulli bonâ fide agnoſcunt concilium de dilectione caritatis locutum eſſe. Tannerus, tom. 4. diſp. 4. q. 2. dub. 4. n. 74, teſtatur eum fuiſſe communem Theologorum ſenſum. „ Communis mens, inquit ac ſententia Docto- „ rum eſt, quòd Tridentinum non agat de amore concupiſcentiæ, „ quia videlicet amor concupiſcentiæ ſpem antecedit, eam autem ſequi- „ tur amor ille de quo ſynodus." Et Suarez, in 3 partem S. Thomæ, diſp. 4. ſect. 8: „ Diligere Deum ut omnis juſtitiæ fontem, ait, „ non eſt diligere amore concupiſcentiæ, ſed eſt diligere Deum ut auc- „ torem gratiæ, quomodò caritas diligit ipſum. Nam amor concupiſ- „ centiæ non ſequitur propriè ex ſpe, ſed ad illam potiùs ſupponitur."

Synodi decretum eodem modo intellexerunt Lutherani, ideòque reprehenderunt, quòd impoſſibile judicarent Deum nondum placatum diligere Hoc patet ex Kemnitio, qui verba ſynodi expendens in 1 parte Examinis, tit. *de Præparatione ad juſtificationem*, duo inter cætera vituperat, unum, „ quòd officium proprium fidei...... tribuunt Patres Trid. noſtræ „ caritati, non fidei; alterum, quòd fingunt dilectionem Dei in nobis „ debere præcedere reconciliationem cum Deo." Ex his omnibus liquidò conſtat dilectionem Dei à Concilio Tridentino requiſitam ad juſtificationem, eſſe dilectionem caritatis.

5°. Idipſum confirmat Catechiſmus Concilii à SS. Pontificibus & à multis conciliis approbatus. Enumerans quippe gradus, quibus ad pœnitentiam pervenitur, eum amorem, quem concilium dilectionem appellaverat, caritatem nominat, part. 2, *de ſacramento pœnitentiæ*, n. 7.

„ Poſtre-

Digitized by Google

„ Poſtremò, inquit, commemoratis actibus fidei, timoris ac ſpei, „ caritate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor, probis „ & ingenuis filiis dignus, oritur: atque ita unum illud veriti, ne qua „ in re Dei majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſeramus.“ Audis proprium caritatis eſſe, ut peccandi conſuetudinem excludat.

6°. Conventus Cleri Gallicani anni 1700 exigit ad ſacramentum pœnitentiæ, ut, *præter actus fidei & ſpei*, peccator *incipiat diligere Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem*, hoc eſt, vero amore caritatis, docetque hanc eſſe concilii Tridentini mentem.

7°. Facultas Theologica Pariſienſis his veſtigiis inhærens, in Declaratione de amore Dei contra errores M. le Roux, data 16 julii 1716, pronuntiat „ *amorem* ad ſacramentum pœnitentiæ requiſitum *ferri in Deum, tam ut in ſe bonus eſt, quàm ut eſt ſummum bonum noſtrum: quæ duo* ait, *complectitur caritas inter virtutes theologicas tertia, ſicut ex ſacris litteris liquet, & SS. Patres docuerunt*.

Denique amor Dei neceſſarius ad juſtificationem ille eſt, quo ſatiſfieri incipit primo præcepto decalogi, quod quandiu violatur, tamdiu homo pravus & inordinatus remanet. Porro ſine amore caritatis nullatenus ſatisfieri illi præcepto omnium primo & maximo, nimis perſpicuum eſt, quàm ut probatione indigeat.

QUINTA PROPOSITIO.

Caritas ad recipiendam abſolutionem neceſſaria debet eſſe ſuper omnia, & in corde prædominari.

PROBATUR omnibus ferè momentis Tertiâ Propoſitione allatis, quæ aſtruunt pœnitentiam veram eſſe non poſſe ſine amore Dei. Quàmvis enim detur in homine initium aliquod caritatis nondum dominantis, per quod nonnulla pietatis opera exerceantur, tamen homo injuſtus remanet, adeòque nondum idoneus ad juſtificationem, quando Deum creaturis quibuslibet infinite præcellentem nondum amat ſuper omnia. Unde S. Auguſtinus, Serm. 159, aliàs 17 *de Verbis Apoſtoli*, primum caritatis proficientis gradum, quo juſtificatio impetratur, in eo ponit, ut juſtitia rebus omnibus amanda anteponatur. „ Amanda eſt juſtitia, inquit, & „ in hac amanda gradus ſunt proficientium. Priùs eſt ut amori juſtitiæ „ non præponantur omnia quæ delectant. Ipſe eſt primus gradus.“

 Pro-

Probatur deinde ſpeciatim ac primò quidem è Scriptura, quæ non ſolum exigit converſionem cordis, ſed etiam totius cordis. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Quod certè non ſit, niſi cùm ſaltem major cordis portio per amorem cæteris amoribus prædominantem ad Deum convertitur.

Matthæi X. 37, Chriſtus, loquens de dilectionibus alioqui licitis & ad Deum referibilibus, ſic ait: *Qui amat patrem aut matrem plusquàm me, non eſt me dignus; & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Et Luc. XIV. 26: *Si quis venit ad me, & non odit*, hoc eſt, non ita diſpoſitus eſt ut propter me dimittat, *patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et v. 33: *Omnis ex vobis qui non renuntiat* (quoad affectum, id eſt, qui paratus non eſt mei cauſâ renuntiare) *omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hæc verba decretoria ſunt. Chriſtus abſolutè declarat neminem eſſe ipſo dignum, nec poſſe eſſe ipſius diſcipulum, ſi aliquid plusquàm ipſum diligat, ſive patrem, ſive matrem, ſive filios, ſive animam vitamque ſuam, & ſincerè paratus non ſit omnia potiùs quàm ipſum dimittere. At, qui non eſt Chriſto dignus nec poteſt eſſe ejus diſcipulus, ille non eſt idoneus ad gratiam reconciliationis obtinendam. Ergo, ad juſtificationem & reconciliationem cum Deo, requiritur amor Dei ſuper omnia. Nam, qui Deum ſuper omnia non amat, neceſſe eſt ut aliquid plusquàm Deum diligat.

2°. Concilium Tridentinum declarat odium ac deteſtationem peccati, quæ ad juſtificationem requiruntur, naſci ex amore Dei. „ Deum, inquit, „ tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſùs peccata per odium aliquod ac deteſtationem, „ hoc eſt, per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet." Hinc ſic argumentor: Certum eſt apud omnes dolorem de peccatis, ut ſufficiat ad recipiendam abſolutionem, debere eſſe ſummum, hoc eſt, tantum, ut peccata plus oderimus quàm mortem & quodvis aliud graviſſimum malum. Atqui, ex concilio, dolor ille ad ſacramentum baptismi, atque, à fortiori, ad ſacramentum pœnitentiæ requiſitus, naſcitur ex dilectione Dei, adeòque non poteſt eſſe major quàm ipſa dilectio ex qua procedit. „ Tantum enim quisque peccatum odit, quantum „ juſtitiam diligit," ut ait S. Auguſtinus. Ergo dilectio Dei ad ſacramentum pœnitentiæ requiſita debet eſſe ſumma, id eſt, cunctis affectibus cordis præponderans.

Hinc Catechismus Concilii, part. 2, de ſacramento pœnitentiæ, n. 26, non aliter probat ſummum dolorem de peccatis commiſſis ſuſcipiendum eſſe, quàm oſtendendo caritatem, ex qua menſura contritionis deſumitur, ſummam eſſe debere. En ipſius verba:

(Prima ratio). „ Nam, cum perfecta contritio ſit caritatis actio, quæ „ ab

Digitized by Google

„ ab eo timore, qui filiorum eſt, proficiſcitur, patet eumdem carita-
„ tis & contritionis modum ſtatuendum eſſe. At, quoniam caritas,
„ quâ Deum diligimus, perfectiſſimus eſt amor, hinc ſit ut contritio
„ vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat: ut enim maximè
„ diligendus Deus, ita, quæ nos à Deo alienant, maximè deteſtari de-
„ bemus.

„ In quo etiam illud obſervandum eſt eodem loquendi genere cari-
„ tatis & contritionis magnitudinem in ſacris litteris ſignificari. De
„ caritate dictum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*
„ Rurſum, quod ad contritionem pertinet, clamat Dominus per Prophe-
tam: *Convertimini in toto corde veſtro.*

(2ª Ratio). „ Præterea ſi, uti Deus ſummum bonum eſt inter omnia
„ quæ diligenda ſunt, ita etiam peccatum ſummum eſt malum inter om-
„ nia quæ odiſſe homines debent; illud ſequitur, ut, quam ob cauſam
„ Deum ſummè diligendum eſſe confitemur, ob eamdem rurſus peccati
„ ſummum odium nos capiat neceſſe ſit. Omnibus verò rebus Dei
„ amorem anteponendum eſſe, ut ne vitæ quidem conſervandæ cauſâ
„ peccare liceat, apertè nos docent illa Domini verba: *Qui amat pa-*
„ *trem aut matrem plusquàm me, non eſt me dignus.*

(Tertia ratio). „ Sed illud etiam animadvertendum eſt, ut, quemad-
„ modùm, S. Bernardo teſte, nullus finis & modus caritati præſcribi-
„ tur (*modus* enim, inquit ille, *diligendi Deum*, *eſt ipſum diligere ſine*
„ *modo*), ita peccati deteſtationi nullus modus definiatur."

Obſervandum eſt autem Catechiſmum de illa ſola contritione loqui (nam de attritione nullum verbum habet), ac meritò dicere nullum ei, ſicut nec caritati, modum præſcribi debere; tametſi agnoſcat neceſſe non eſſe illam, ut abſolutionis capacem faciat, ad ſummum gradum perveniſſe, modò peccatum plus oderit quàm aliud quodlibet malum. Unde addit n. 27: „ Si id minùs conſequi nobis liceat, ut perfecta ſit, vera
„ tamen & efficax eſſe poteſt."

3°. Ille amor ad ſacramentum pœnitentiæ requiritur, ſine quo homo non poteſt abſolutè ac ſimpliciter dici amator Dei. Porro ſolus amor ſuper omnia eſt hujuſmodi, ſiquidem homines non denominantur abſolutè niſi ex affectibus præponderantibus: v. g. quando quis dicitur amator vini, omnes intelligunt affectum vini in eo dominari.

Neque obeſt quòd ſynodus Tridentina nonniſi inchoatam dilectionem à peccatore exigat, ut ad juſtitiam diſponatur. Nam, inchoatæ dilectionis nomine, non primum motum caritatis nondum in corde dominantis (qualem ſe ante plenam converſionem habuiſſe teſtatur S. Auguſtinus, lib. 8 Confeſſ. cap. 5. n. 10, his verbis: „ voluntas autem no-
„ va, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem,
„ Deus, ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam prio-
„ rem vetuſtate roboratam);" ſed intelligit primum dilectionis dominantis

tis initium, quo Deus, plusquàm omnia quæ priùs amabantur, amari incipit.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1°, contra ſecundam Propoſitionem, concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. de ſacramento pœnitentiæ, cap. 4, diſtinguere duplicem contritionem: unam caritate perfectam, quâ hominem ante actualem ſuſceptionem ſacramenti Deo reconciliari affirmat; alteram imperfectam, ex ſervili metu gehennæ conceptam, quam diſponere aſſerit ad veniam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam. En ipſius verba: „ Docet præ„ tereà (ſancta ſynodus), etſi contritionem hanc aliquando caritate „ perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm „ hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominùs reconciliatio„ nem ipſi contritioni ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, „ non eſſe adſcribendam. Illam verò contritionem imperfectam. quæ „ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, „ vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi volun„ tatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat non ſolùm non „ facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam do„ num Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem in„ habitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi „ ad juſtitiam parat, & quàmvis ſine ſacramento pœnitentiæ per ſe ad „ juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gra„ tiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit." Clarum eſt, inquiunt, Patres Tridentinos loqui de attritione ſervili; tum quia non aliud ei motivum attribuunt, quàm conſiderationem turpitudinis peccati & timorem gehennæ ac pœnarum; tum quia illam à contritione perfecta eo diſtinguunt, quòd contritio perfecta ex caritatis motivo concipiatur. Non minus clarum eſt, addunt, illam attritionem ſufficere, ex ſynodo, ad veniam in ſacramento obtinendam. Nam 1° eam ſolam opponit contritioni perfectæ, quòd illa hominem Deo reconciliet ante actualem ſuſceptionem ſacramenti. 2°. Sedulò diſcernit quid illa attritio extra ſacramentum, & quid cum ſacramento valeat; &, negando eam per ſe juſtificare extra ſacramentum, inſinuat eamdem ſacramento conjunctam juſtificare.

Reſpondeo id unum Patribus Tridentinis, ex Pallavicino (libro 12 Hiſtoriæ Concilii Trid. cap. 10), propoſitum fuiſſe, ut novatorum errores damnaret, intactis Scholaſticorum diſputationibus. Circa attritionem autem duo docebat Lutherus: 1° timorem gehennæ eſſe malum: 2° eumdem timorem non diſponere ad juſtificationem. His erroribus opponit ſynodus 1° timorem gehennæ non modò non eſſe malum, ſed etiam Spiritûs ſancti impulſum eſſe: 2° hunc timorem, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, viam ad juſtitiam parare, & ad veniam recipiendam diſponere. In quibus ſanè nihil eſt quod noſtræ doctrinæ adverſetur, vel adverſæ opinioni faveat. Reverà, can. 5 ejuſdem

Digitized by Google

dem ſeſſionis, qui veluti ſumma eſt capitis quarti modò objecti, nihil aliud definitur. ,, Si quis dixerit, ait Synodus, eam contritionem ,, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccato- ,, rum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, pon- ,, derando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, ,, amiſſionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incurſum, cum ,, propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præ- ,, parare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis pecca- ,, torem; demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac volun- ,, tarium; anathema ſit.“ Hoc in canone nihil eſt ex quo attritionis merè ſervilis ſufficientia extundi poſſit.

Obſervandum eſt inſuper decretum de quo agitur his verbis primò delineatum fuiſſe, quibus declarabatur attritionem ex ſolo pœnarum metu ſufficere. ,, Illam contritionem, quam Theologi attritionem vo- ,, cant, quòd imperfecta ſit, & ſolùm ex turpitudinis peccati conſi- ,, deratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui ſervilis timor ,, dicitur, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem ,, qualemcunque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc ſancta ſy- ,, nodus & declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam & ma- ,, gis peccatorem, verùm etiam ſufficere ad ſacramenti hujus conſtitu- ,, tionem, & donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum veriſſimum, ,, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœni- ,, tens adjutus (*cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*) ,, viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eum ad Dei gratiam faciliùs ,, impetrandam diſponitur.“ Verùm, Joanne Æmiliano Tudetano Præ- ſule monente falſò dici timorem gehennæ, qui ſervilis dicitur, concipi vix poſſe ſine aliquo dilectionis in Deum motu, & circa ſufficientiam attritionis varias eſſe auctorum ſententias, decretum, ait Pallavicinus ibidem, ſicuti nunc extat, reformatum eſt, id eſt, deleta ſunt quæ- cunque timoris ſervilitatem & ſufficientiam exprimebant.

His obſervatis, dico falſum eſſe concilium loqui de timore ſervili, falſius illum timorem, ex concilio, ſufficere ad ſacramentum pœni- tentiæ.

1°. Quidem falſum eſt concilium in decreto laudato loqui de timore ſervili: ſiquidem maturâ deliberatione ſuſtulit omnes voces, quæ in proſpectu decreti timorem ſervilem & attritionem ex *ſolo* pœnarum metu conceptam ſignificabant.

Et verò de illa attritione loquitur ſynodus, quæ *voluntatem peccandi excludit*. At probavimus Libro IV voluntatem peccandi non excludi per timorem ſervilem, ſed tantùm per amorem juſtitiæ; imò ipſamet ſynodus, ſeſſ. 6. cap. 6, diſertè docet odium ac deteſtationem peccati re- quiſitam ad baptiſmum naſci ex dilectione Dei.

Infirma ſunt quæ in contrarium opponuntur. Dicunt quidem Patres attritionem communiter concipi ex gehennæ ac pœnarum metu, qia indiget illo adminiculo ad ſuperandas carnis illecebras; ſed non dicunt eam ſolo illo metu concipi. Rectè etiam illam diſtinguunt à contritione perfecta, cùm contritio perfecta ex perfecta caritate procedat, attritio verò ex dilectione imperfecta, & indigente timoris ſtimulo ad declinandum à malo & ad faciendum bonum.

2°. Multò adhuc falſius eſt attritionem ſervilem ſufficere, ex ſynodo Tridentina, ad ſacramentum pœnitentiæ. Nam ſi illius hæc mens fuit, cur delevit verbum *ſufficere* in proſpectu prius poſitum, & ſubſtituit verbum *diſponere?* An non magnum diſcrimen eſt inter illa verba? Siccitas in ligno ipſum diſponit ad calorem concipiendum; ſed, ſi ignis non admoveatur, nunquam calorem ſuſcipiet: ita timor gehennæ diſponit ad juſtificationem, ſed, niſi caritatis igne accendatur, nunquam perducet ad juſtitiam.

Diximus, ex Pallavicino, & res ipſa loquitur, nihil à ſynodo fuiſſe definitum, quod non à Theologis fuiſſet ante diſcuſſum, & omnium aut ferè omnium unanimi conſenſu firmatum. Atqui de attritionis ſufficientia minimè diſputatum eſt; &, nedum ea opinio pleriſque approbaretur, omnes ferè in amoris neceſſitatem conſpirabant, ut refert Pallavicinus ibidem. „ In Patrum conventu, inquit, pauci id attigerunt: aliquod „ duntaxat veſtigium reperio opinionis negantis neceſſitatem amoris in „ iis quæ Granatenſis diſputavit.“

Idem probat exemplum Ninivitarum, quo ſynodus decretum ſuum adſtruit. „ Hoc enim timore, inquit, utiliter concuſſi Ninivitæ, ad „ Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & mi„ ſericordiam à Domino impetrarunt.“ Fatentur quippe omnes adverſæ opinionis patroni ſolum timorem pœnarum, ſine amore Dei, ſufficientem non fuiſſe ad impetrandam remiſſionem peccatorum ante inſtituta novæ legis ſacramenta. Igitur pœnitentia Ninivitarum, ſi vera atque interior fuit, non in ſolo timore conſtitit, ſed, timore inchoata, dilectione Dei, ut fontis omnis juſtitiæ, completa eſt: ac proinde ſynodus non ſenſit attritionem ſolo metu conceptam ſufficere ad juſtificationem. Alioqui ſic ratiocinaretur: Attritio, quæ in Ninivitis includebat amorem Dei ſuper omnia, miſericordiam divinam impetravit. Ergo attritio, quæ nullum amorem Dei includit, ſufficit cum ſacramento ad veniam impetrandam. Tam abſurdam argumentationem quis doctiſſimo cœtui attribuat?

Denium ſynodus non ait, ut adverſarii inſinuant, attritionem cum ſacramento id efficere, quod extra ſacramentum non poteſt. Aliquis forſan eſſet huic interpretationi color, ſi Patres dixiſſent attritionem, quàmvis ſine ſacramento non juſtificet, in ſacramento tamen ad gratiam impetrandam ſufficere. Sed aiunt tantùm eam ad gratiam in ſacramen-

Digitized by Google

to impetrandam diſponere: quod unicè ſignificat attritionem ſuperiùs explicatam, quàmvis propriâ virtute ad juſtitiam perducere nequeat, ad eam nihilominùs diſponere; quod Lutherani negabant. Reverâ, quod ſynodus dicit de attritione, id de fide quoque iisdem omnino verbis dici poteſt. Tamen quis Catholicus unquam credidit fidem ſolam ſufficere cum ſacramento?

Objiciunt 2°. Multi veteres Scholaſtici ſenſerunt attritionem ſufficere ad ſacramentum pœnitentiæ. Ergo illa opinio nec nova eſt, nec rejicienda.

Diſt. antecedens. Multi veteres Scholaſtici ſenſerunt attritionem ſufficere ad ſacramentum, eoque nomine non intelligebant dolorem ſolo pœnarum metu conceptum, concedo: ſecus, nego. Tota hæc objectio in vocis æquivocatione conſiſtit. Attritionis nomen, ſanctis Patribus & primis Theologiæ magiſtris incognitum, uſurpari cœpit circa medium 13 ſæculi à Guillelmo Pariſienſi, Alexandro de Hales, Alberto magno & aliis, ſed non univocâ ſignificatione. Qui primùm illâ voce uſi ſunt, illum duntaxat dolorem de peccatis contritionem appellabant, qui erat gratiâ ſanctificante formatus; attritionem verò vocabant dolorem quemlibet de peccatis à gratia ſanctificante ſejunctum, quantùmvis vehemens & intentus ſit. 2°. Alii attritionem definierunt dolorem minùs intenſum, ex motivo tamen dilectionis; contritionem verò, dolorem vehementiorem ex vehementi dilectionis actu procedentem. 3°. Scotus cenſuit doloris vehementiam non ſufficere ad contritionem, niſi habeat inſuper notabilem durationem ſoli Deo notam, ſine qua non debeat dici contritio, ſed attritio. Hos limites prætergreſſi recentiores attritionem ad ſacramentum requiſitam concipi dixerunt, alii ex amore concupiſcentiæ à caritate diſtincto, alii ex ſola turpitudinis peccati conſideratione aut ſolo pœnarum metu, alii ex motivo quolibet honeſto, v. g. metu infamiæ. Igitur operam perdunt, qui ex vocis æquivocatione probare conantur, veteres Scholaſticos exiſtimaſſe attritionem merè ſervilem ſufficere, cum ſacramento, ad gratiam conſequendam. Nihil fingi poteſt magis alienum à mente antiquorum ſcholæ magiſtrorum. In duas illi ſententias abibant. Plerique volebant contritionem caritate habituali informatam præire debere ſacramento, illosque duntaxat abſolvendos, quos supernus judex jam abſolviſſet. Illorum agmen vide apud eruditum Witaſſium, in tractatu *de Sacramento pœnitentiæ*. Alii contra rectiùs contendebant illam contritionem caritate habituali formatam non requiri, ſed ſufficere attritionem, id eſt, dolorem dilectione quidem conceptum, ſed non per ſe juſtificantem. Quid hæc opinio commune habet cum ea quam refellimus?

Inſtant, & opponunt iſtud quorumdam veterum Theologorum effatum, pœnitentem *ex attrito fieri contritum*, & illud, *attritionem evadere in contritionem.*

Digitized by Google

Reſpondeo hæc effata nihil probare. Non primum, quod ſignificat tantùm hominem, qui primùm fuerat attritus, poſteà tranſire ad ſtatum contritionis & gratiæ ſanctificantis, quâ carebat priùs. Hoc verò quis non fatetur? Non etiam ſecundum, quod eumdem ferè ſenſum habet. Obſervandum eſt autem hanc quæſtionem, an attritio fieri poſſit contritio, in ſcholis agitatam fuiſſe per centùm annos abſque ullo ad ſacramentum reſpectu, aliis affirmantibus, quoniam, cùm attritio non differat à contritione niſi ſecundùm magis & minùs, poteſt ſic augeri & intendi, ut evadat contritio; aliis contra negantibus, eoquòd attritionem ſpectarent ut actum tranſeuntem, contritionem verò ut habitum gratiâ ſanctificante formatum, unde concludebant, ſuccedente habitu, actum jam prætcriiſſe; nonnullis denique medium quoddam tenentibus, ac ſentientibus attritionem, ſecundùm priorem ſui partem, non poſſe fieri contritionem, benè verò ſecundùm poſteriorem, cùm non repugnet eum actum, qui in primo inſtanti non erat gratiâ informatus, in altero eâ informetur. Et illa quidem contentio merè ſcholaſtica magis erat de nomine quàm de re.

Elapſis ferè centum annis, quæſtio aliter proponi cœpit, an ſcilicet attritio virtute ſacramenti fiat contritio, & de hac ſeptem fuerunt magiſtrorum ſententiæ, quas vide apud Morinum *de Pœnitentia*, lib. 8. cap. 3 & 4. Præcipuæ ſunt 1° attritionem reverâ evadere in contritionem, quando vi abſolutionis ſacramentalis gratia ſanctificans in corde diffunditur; nonnullis contra obnitentibus propter rationem mox allatam. 2°. Interdum accidere in ſacramento, ut per preces & exhortationes confeſſarii attritio adeò inflammetur, ut evadat vehemens ac perfecta contritio. Verùm hæc ſunt levioris momenti, & ad noſtrum inſtitutum non pertinent.

Obſervo duntaxat iſtud effatum adeò nobis non adverſari, ut cum oppoſita opinione conciliari nequeat. Nam optimè concipitur attritionem ex amore Dei conceptam evadere contritionem, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, quando nimirum caritas fit ex imperfecta perfecta, & ex actuali habitualis. At nullatenus concipitur attritionem ſolo pœnarum metu elicitam poſſe fieri caritatem & contritionem perfectam, cùm utriuſque motiva diverſa ſint, ut ingenuè fatentur multi ex adverſariis.

Objiciunt 3°. Timor gehennæ ſufficit cum ſacramento, ſi excludat affectum peccati. Atqui reipſâ illum excludit. Siquidem illud omne debet excludere quod gehennam meretur. Porro non tantùm actus exterior peccati gehennam meretur, ſed etiam, ac præcipuè, interior affectus. Ergo per ſolum timorem gehennæ, præſertim ſi ſit vehemens, deponitur ipſa voluntas peccandi.

Retorqueo argumentum. Timor gehennæ, cùm vehemens eſt, præſtat id omne quod neceſſarium eſt ad fugiendam gehennam. Atqui, ad fu-

fugiendam gehennam, neceſſe eſt obſervare mandata, ac proinde diligere Deum ſuper omnia, quod eſt primum & maximum mandatum. Ergo per timorem ſervilem Deus diligitur ſuper omnia. Conſequens eſt abſurdum & implicat contradictionem, ſiquidem repugnat aliquem timere ſerviliter, ſimulque amare Deum ſuper omnia: attamen conſequentia eſt eadem ac in præcedente argumento.

Quamobrem, negatâ primâ minore, nego etiam ſecundam majorem, aut, lucis causâ, diſtinguo. Timor gehennæ excludit omne quod gehennam meretur, excludit, inquam, quantum poteſt & opere tenus, concedo: excludit omnino & quoad affectum, iterum diſtinguo: excludit interdum mediatè, quatenus cogit ad Deum recurrere ad impetrandam caritatem, quâ ſolâ lex verè impletur, concedo: excludit immediatè ac ſuâpte virtute, nego.

Timoris proprium eſt ut, qui illo ſolo movetur ad faciendum vitandumve aliquid, animo ita comparatus ſit, ut aliud ageret, ſi tolleretur quod incurrere metuit malum. Proinde, qui ſolo timore gehennæ non peccat, habet voluntatem conditionatam, ſaltem implicitam, peccandi, ſi impunè poſſet. Equidem mala voluntas non erumpit exteriùs in actum, quia timore reprimitur; ſed tamen vivit intus ac dolet ſe frænari. Et certè, qui voluntatem peccandi bonâ voluntate mutavit, jam peccati ipſius odio à malo abſtinet, non ſolo pœnarum metu. Ergo, qui metu duntaxat movetur, affectum intimum peccati non depoſuit. Nec dicas metum gehennæ hoc peculiare habere, ut odium peccati producere valeat. Nam timor ſervilis gehennæ non magis facit odio haberi peccatum, ut peccatum, quàm diligi juſtitiam. Atqui, fatentibus adverſariis, non facit juſtitiam diligi, alioquin jam non foret ſervilis. Comparatio eò plus roboris habet, quòd, cùm omne odium præſupponat amorem contrarii & ex illo naſcatur, ubi non eſt dilectio juſtitiæ, nulla quoque ſit deteſtatio peccati, ut peccati.

Ergo gehennam timenti hoc unum reſtat, ut ad Deum, qui auferre cor lapideum & cor carneum dare ſolus poteſt, ſe convertat, caritatemque dilectionem, quæ legis plenitudo eſt, poſtulet. Unde S. Auguſtinus ait ſæpiſſimè eam eſſe legis minantis utilitatem, ut, quos convertere terrendo non valet, ad ſpiritum vivificantem confugere compellat.

Objiciunt 4° contra ultimam Propoſitionem. Ea contritio, quæ juſtificat ante ſuſceptionem ſacramenti, non eſt diſpoſitio abſolutè neceſſaria ad ſacramentum. Atqui amor caritatis in corde prædominans ſeipſo juſtificat, antequàm ſacramentum actu ſuſcipiatur. Ergo ad ſacramentum pœnitentiæ non requiritur amor caritatis ſuper omnia.

Nego minorem. Ut enim contritio per ſe hominem reconciliet, antequàm accedat ad ſacramentum, non ſufficit eam concipi ex motivo caritatis dominantis, ſed naſci debet ex caritate perfecta, hoc eſt, habente

 quem-

quemdam fervoris gradum, qui admiſſorum peccatorum gravitatem æquet aut etiam excedat. Hoc conſtat 1° perpetuo Eccleſiæ judicio. Nam plurimi, ex iis qui attritionem ſervilem ſufficere exiſtimant, bonâ fide fatentur illam opinionem novam eſſe, ac SS. Patres nullam aliam contritionem agnoviſſe, ut ſufficientem, niſi dilectione Dei conceptam. Atqui tamen communis Chriſtianorum ſenſus ſemper fuit, peccatorum vincula niſi ſacerdotali judicio, ordinariè loquendo, non ſolvi.

2°. Nemo vivit vitâ ſpirituali, niſi Deum ſuper omnia diligendo, dicente B. Joanne: *qui non diligit manet in morte.* Atqui SS. Patres docent, ac Lazari reſuſcitati, ſed nondum ſoluti, exemplo probant hominem vivere debere, antequàm ab Eccleſia ſacerdotum miniſterio ſolvatur. „ Qui confitetur, foras prodit, ait S. Auguſtinus, Serm. 67, olim 8 de Verbis Domi. cap. 1 & 2. „ Foras prodire non poſſet, niſi viveret: „ vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet. Dicit ergo aliquis: quid „ prodeſt Eccleſia, ſi jam confeſſor Dominicâ voce reſuſcitatus prodit? „ Quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait: *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo?*" Ipſa eſt objectio adverſariorum. Audi reſponſionem: „ Ipſum Lazarum attende: cùm vinculis prodit. Jam vi„ vebat confitendo, ſed nondùm liber ambulabat vinculis irretitus. „ Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt, *quæ ſolveritis* &c, niſi quod „ ait Dominus continuò ad diſcipulos: *Solvite illum & ſinite abire?*" Alii benè multi Patres idem obſervant. Vide S. Gregorium magnum, Hom. 26 in Evang. Scilicet duplex animæ vita diſtingui debet, una inchoata & actualis, quâ peccator quodammodò reviviſcit; altera completa & habitualis, quâ Deo inhabitanti conjungitur. Hæc datur per abſolutionem; illam abſolutio præſupponit.

3°. S. Auguſtinus neceſſitatem ſuſcipiendi baptiſmum ex eo probat, quod catechumeno, quàmvis provecto, non aliter peccata dimittantur. „ Quantumcunque enim catechumenus proficiat, inquit S. Doctor, tract. 13 in Joannem, n. 7, „ adhuc ſarcinam iniquitatis portat. Non illi di„ mittitur, niſi cùm venerit ad baptiſmum. Quomodò non caruit po„ pulus Iſraël populo Ægyptiorum, niſi cùm veniſſet ad mare rubrum; „ ſic preſſurâ peccatorum nemo caruit, niſi cùm ad fontem baptiſmi ve„ nerit:" non quia caritas perfecta ante ſuſceptionem baptiſmi non juſtificat; ſed, cùm nos lateat quæ caritatis vehementia ad id requiratur, hinc fit ut neminem nondum baptizatum, quantumvis profeciſſe videatur, tanquam juſtitiæ compotem, dempto caſu neceſſitatis, habere debeamus. Quamobrem, licet dubitari nequeat quin S. Auguſtinus poſt converſionem ſuam Deum ſuper omnia dilexerit, ſe tamen, donec baptizaretur, peccatis ſuis onuſtum remanſiſſe dicit, lib. 9 Confeſſionum, cap. 4 n. 12. „ Fides, ait, me ſecurum eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, „ quæ mihi per baptiſmum tuum remiſſa nondum erant." Et cap. 6. n. 14:

n. 14: „ Baptizati ſumus, & fugit à nobis ſollicitudo vitæ præteritæ.“ Quæ autem baptiſmi, eadem & pœnitentiæ ratio eſt, ad quam non minor diſpoſitio requiritur.

4°. Concilium Tridentinum ſoli perfectæ contritioni eam vim attribuit, ut ante ſuſceptum ſacramentum peccatorem juſtificet. „ Etſi, inquit, ſeſſ. 14. cap. 4, „ aliquando contritionem caritate perfectam eſſe „ contingat, hominemque Deo reconciliare, antequàm ſacramentum „ actu ſuſcipiatur &c.“ At contritio perfecta non eſt, niſi quæ ex perfecta caritate procedit: implicat quippe contritionem, conceptam ex caritate tantùm inchoata & imperfecta, perfectam appellari. Seſſione autem 13. cap. 7, & can. 11, ſanciverat „ ut nullus ſibi conſcius mor- „ talis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſa- „ cramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.“ Quod eò plus roboris habet, quòd, ſi Melchiori Cano, qui huic ſeſſioni adfuerat, credatur, iſto decreto rejiciatur Cajetani opinio, docentis quemlibet actum dilectionis Dei ſuper omnia ante ſacramentum juſtificare. Lib. 5 de Locis Theol. cap. 5

5°. Idem confirmat Catechiſmus ad Parochos, part. 2 *de Sacramento pœnitentiæ*, n. 46. „ Ut hoc concedamus, ait, contritione peccata de- „ leri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem & intenſam eſſe „ oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari con- „ ferrique poſſit? At, quoniam pauci admodùm ad hunc gradum perve- „ nirent, fiebat etiam ut à pauciſſimis hâc viâ peccatorum venia ſpe- „ randa eſſet. Quare neceſſe fuit ut clementiſſimus Dominus faciliori „ ratione communi hominum ſaluti conſuleret: quod quidem admirabili „ conſilio effecit, cùm claves regni cœleſtis Eccleſiæ tradidit. „ Apparet ex his verbis 1° contritionem perfectam differre ab imperfecta tantùm penes gradum, non autem penes motivum. 2°. Non omnem contritionem dilectione Dei productam peccata delere, ſed eam tantùm quæ vehementiam habet ſcelerum magnitudini parem. 3°. Eos peccatores, quorum contritio ad hunc gradum intenſionis non pervenit, non reconciliari Deo niſi per claves Eccleſiæ.

Inſtant. Scriptura & Patres docent generatim dilectionem Dei delere peccata, & hominem Deo gratum efficere. Prov. VIII. 17: *Ego diligentes me diligo.* Joann. XIV. 23: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* 1 Petr. IV. 8: *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Unde S. Auguſtinus, tract. 5 in 1 Epiſt. Joannis, n. 7, dicit *dilectionem ſolam diſcernere inter filios Dei & filios diaboli.* Ergo omnis amor Dei ſuper omnia ſeipſo juſtificat ante ſacerdotalem abſolutionem.

Reſpondent nonnulli reverâ amorem Dei ſuper omnia ſemper conjunctum eſſe cum remiſſione peccatorum; non ideò tamen hujuſmodi amorem non requiri ad ſacramentum pœnitentiæ, eòquòd ſacerdos eos tantùm abſolvere debeat, quos ſupernus judex interiùs relaxaverit. Verùm hæc

hæc reſponſio malè cohæret cum verbis Domini dicentis, quæcunque ſoluta fuerint in terra ſacerdotum miniſterio, ſolutum iri & in cœlo; non priùs in cœlo, & deinde in terra, ſed idcò in cœlo, quia prius in terra, ut Eccleſiæ Doctores exponunt. S. Cyprianus, in Epiſt. 64, aliàs 57, ad Cornelium, nomine concilii totius Africæ, ait claves eſſe datas Eccleſiæ, „ ut ſolvi poſſent illic in cœlo, quæ hîc in terra prius ſolve-„ rentur.“ S. Hilarius, in cap. 16 Matthæi, n. 7: „ O Beatus cœli „ janitor, inquit, cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur, cujus „ terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo, ut, quæ in „ terris aut ligata ſunt, aut ſoluta, ejusdem ſtatuti conditionem obti-„ neant & in cœlo!“ S. Chryſoſtomus, ſerm. 5 de Verbis Iſaiæ: „ A Tom 5. p. 879. „ terra judicandi auctoritatem ſumit cœlum; nam judex ſedet in terra. „ Dominus ſequitur ſervum, &, quidquid hic in inferioribus judicavit, „ hoc ille in ſupernis comprobat.“ S. Bernardus, Serm. 1 in natalem SS. Petri & Pauli, n. 2: „ Petro, ait, quid potentius,..... qui claves „ regni cœlorum tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri „ ſententiam cœli?“

Quare, illæſâ ſacramenti pœnitentiæ efficaciâ, reſpondeo idcirco juſtificationem attribui dilectioni, quia ipſa impetrat gratiam ſanctificantem, ſive ante ſuſceptionem ſacramenti, ſi perfecta ſit, ſive in ſuſceptione ſacramenti, ſi inchoata aut minùs provecta ſit. Quemadmodùm enim, quæ dicuntur de virtute ſacramentorum, debent intelligi, ſalvâ neceſſitate diſpoſitionum in adultis requiſitarum; ita, quæ dicuntur de virtute ſanctæ dilectionis, non præjudicant neceſſitati atque efficaciæ ſacramentorum, ad quæ confugere dilectores Dei tenentur, ut bona ſibi repromiſſa illisque ſignis alligata recipiant.

At, inquies, qui Deum diligit ſuper omnia, eum vel unâ horâ Deo exoſum remanere nequaquam concipitur.

Reſpondeo in peccatore duo eſſe diſtinguenda, affectum peccati, & reatus pœnæ æternæ. Per amorem Dei ſuper omnia excluditur quidem affectus peccati, ut non amplius in corde regnet: at reatus pœnæ æternæ non abeletur niſi per reconciliationem. Aliud eſt quippe hominem converti, aliud, quod malè commiſit, miſericorditer illi indulgeri. Qui Deum amat ſuper omnia, jam converſus eſt & in ordinem redit; ſed non meretur de condigno ut peccata ſua præterita dimittantur, nec Deus ex juſtitia tenetur primam gratiam actualem, ſcilicet converſionem largiendo, alteram quoque, nempe anteactorum veniam tribuere: ideòque *gratis juſtificari* ab Apoſtolo dicimur, ut explicat ſynodus Tridentina, ſeſſ. 6 de juſtificatione, cap. 8, „ quia nihil eorum quæ juſtificationem „ præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam pro-„ meretur.“ Poſſunt ergo illæ ambæ gratiæ aliquo intervallo temporis ſeparari, ita ut, homine per actualem dilectionem jam converſo & correcto, reatus tamen præteritorum peccatorum maneat, donec illorum ſen-

ſententiâ dimittatur, quibus à Chriſto dictum eſt: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &, *quæ ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis:* quemadmodùm perduellis, quàmvis ſinceræ pœnitentiæ certiſſima indicia præbeat, remanet extremo ſupplicio obligatus, quousque ſuæ perduellionis veniam prorſus indebitam ex principis clementia obtineat.

Præclarè hoc exponit S. Auguſtinus, lib. 6 *contra Julianum*, cap. 19. n. 61 & 62. „ Idolis immolatio, inquit, quæ jam nec in actione eſt, „ quia præteriit, nec in voluntate, quia error, quo fiebat, abſumptus „ eſt, manet tamen reatus ejus, donec in lavacro regenerationis pecca- „ torum omnium remiſſione ſolvatur...... Sed, quæſo te, cùm & ipſe „ concedas peccati facti atque tranſacti reatum manere, niſi ſacro fonte „ diluatur, dic mihi reatus iſte quid ſit, & ubi maneat, jam homine „ correcto rectèque vivente, nondum tamen peccatorum remiſſione libe- „ rato...... Manet quippe omnino donec remittatur. Ubi ergo manet, „ niſi in occultis legibus Dei, quæ conſcriptæ ſunt quodammodò in „ mentibus Angelorum, ut nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſan- „ guis Mediatoris expiaverit?“

Cæterùm, quod objiciunt adverſarii, abſolutionem fore merè declaratoriam, ſi ad eam requiratur amor Dei ſuper omnia, illud idem poteſt in ipſos retorqueri. Concedunt etenim cordis converſionem præmitti oportere ſacramento pœnitentiæ, hocque ſolo à nobis diſcrepant, quòd timore ſervili hominem converti arbitrentur; quod nos negamus. Porro remiſſio peccatorum non minùs expreſſè, imò expreſſiùs attribuitur in Scripturis veræ converſioni, quàm dilectioni, ut Zachariæ I. 3: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus.* Et Ezech. XXXIII. 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Proinde ſi verum eſt contritione ex amore Dei conceptâ hominem juſtificari ante ſacramentum, idem erit dicendum de quacunque vera cordis converſione, etiam de illa quæ ſolo pœnarum metu, ut adverſariis placet, producitur; quod qui ſenſerit, nemo hactenus inventus eſt.

Inſtant adhuc. Conditio Chriſtianorum ſub nova lege non eſt pejor quàm Judæorum ſub veteri lege. Atqui pejor foret in noſtra ſententia. Nam Judæi per actum veræ converſionis peccatorum veniam conſequebantur, absque obligatione illa confitendi, quæ nunc Chriſtianis ex præcepto Chriſti incumbit.

Reſpondeo nihil eſſe abſurdius, nihil Chriſto injurioſius, nihil ignorantiâ plenius hâc objectione: quaſi verò novæ legis, quæ lex eſt amoris, ea ſit prærogativa, ut homines diſpenſet ab amando Deo: quaſi idcirco Chriſtus tot ac tanta bona nobis attulerit, ut eum diligere minùs teneamur: quaſi demum caritatis, quæ alia mandata ſuavia facit, dura ſit neceſſitas. Abſit ut noſtrum privilegium in hoc malè conſulti ponamus,

mus, ut, Deo non amato, reconciliemur, cùm non amare Deum ſummè bonum ac ſummè amandum extrema ſit miſeria. Prorſus amorem ſui à quovis homine juſtificando, ſive Judæo, ſive Chriſtiano, Deus ſemper exegit. Sed hoc diſtat Judæum inter & Chriſtianum, primùm quòd tempore antiquæ legis Judæo impoſitæ rariſſimum fuerit dilectionis donum, adeòque perpauci ad juſtitiam tunc pervenirent; nunc verò ſub nova lege fluenta gratiæ multò uberiùs fluant, ac multò pluribus detur illo igne incaleſcere, quem Chriſtus venit mittere in terram, vultque ſemper vehementiùs accendi: deinde quòd Judæi innumerarum obſervationum legalium importabili jugo premerentur, quo nos à Chriſto relevati ſumus, ſubſtitutis in earum locum ſacramentis pauciſſimis & obſervatu facillimis: tertiò, quòd omnia veteris legis præſcripta egena & infirma forent, nulliusque per ſe ad pietatem generandam præſidii; contra verò præſcriptis novæ legis inſit divina quædam virtus, ex Chriſti viſceribus profluens, & ad inflammanda fideliter obſervantium corda valde efficax. Verbi gratiâ, confeſſio ſacramentalis non eſt pondus inutile ad puniendos peccatores unicè impoſitum, ſed potentiſſimum contritionis habendæ medium, non ſolùm quia ſaluberrimum humilitatis actum includit, verùm etiam quia, cùm ſacramenti pœnitentiæ pars ſit non minima, de virtute quoque ipſius participat, Deo nimirum per gratiam actualem ſe ſe, tum actibus pœnitentis, tum confeſſarii admonitionibus, latenter intermiſcente, atque interiùs operante, ut dilectio naſcatur, vel jam nata magis ac magis augeatur.

CAPUT TERTIUM.

An juſtificatio peccatoris, juxta ordinarium gratiæ curſum, ſoleat fieri facilè & quaſi in inſtanti.

QUÆSTIO non eſt de gratia habituali & ſanctificante, quam, ſive in baptiſmo, ſive in ſacramento pœnitentiæ debitè diſpoſitis ſubitò infundi certum eſt; ſed de actuali converſione cordis, per quam peccatores adulti diſponuntur ad gratiam ſacramentalem.

Certum eſt etiam Deo, cui nihil eſt impoſſibile, facillimum eſſe perditiſſimos peccatores in inſtanti mutare in viros alios, quomodò latronem in cruce pendentem, & Saulum Chriſto inſenſiſſimum ſine ulla temporis mora convertit. Sed quæritur utrùm conſuetus ille ſit converſionis operandæ modus, an, è contrario, peccatorum mortalium rei nonniſi cum magnis ac diuturnis conatibus in gratiam cum Deo redire ſoleant.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO.

Ordinariè loquendo, converſio peccatorum, præſertim ſi habitus peccandi acceſſerit, valde difficilis eſt, nec perficitur niſi per longam temporis moram.

PROBATUR 1° ex Scripturis. Prov. XXII. 6: *Proverbium eſt: adoleſcens, juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea:* hoc eſt, perrarò hoc contingit. Cur autem, niſi quia admodùm difficile eſt? Eccleſiaſtæ I. 15: *Perverſi difficilè corriguntur.* Et Jeremiæ XIII 23: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum;* hoc eſt, ægrè admodùm poteritis. Porro difficilia non fiunt in inſtanti, niſi miraculoſè & præter communem rerum curſum.

2°. Expreſſè hoc docent SS. Patres. Origenes in Epiſtolam ad Romanos, ad initium capitis octavi: „ Chriſto ſervire, inquit, eſt ſervire ſapientiæ, juſtitiæ; ſervire veritati, omnibusque ſimul ſervire „ virtutibus. Unde non eſt putandum quòd ſubitò quis, & ſtatim ut „ voluerit, à ſervitio legis peccati tranſlatus efficiatur in Chriſto Jeſu, „ ita ut nihil in eo jam, obtentu peccati, damnationis habeatur.“ Addit ſingulas virtutes in homine verè converſo, nedum exiſtere, ſed & dominari oportere. „ Quæ utique, ait, dubium non eſt quin uſu & „ meditatione longâ & labore pervigili comparentur: & ideò non otio- „ ſis hæc accidere aut ſegnibus certum eſt, ſed paulatim proficientibus, „ & primò pauca, tunc demum minima, ad ultimum, ſi obtinere po- „ tuerint, nulla peccando.“

S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalm. 6. n. 4, explicans hæc verba, *ſed tu, Domine, uſquequo?* ſic loquitur: „ Quis non intelligat ſignifi- „ cari animam luctantem cum moribus ſuis, diu autem dilatam à me- „ dico, ut ei perſuaderetur in quæ mala ſe peccando præcipitaverit...... „ Nondum enim tam perfectè orat hæc anima, ut ei dici poſſit: *Adhuc* Iſai. LXV. „ *loquente te, dicam: ecce adſum.*“ Ergo diu luctatur peccator cum ſuis pravis affectibus, antequàm à cœleſti medico ſanitatem obtineat.

Luctam illam in converſione ſua ſenſerat S. Doctor tantò difficiliorem ac longiorem, quantò profundiùs ſeſe terrenis amoribus immerſerat. Narrat ipſe, lib. 7 & 8 *Confeſſionum*, quot gratiæ motibus bona voluntas in ſe paulatim creverit, & quàm lentis laborioſiſque progreſſibus eò tandem pervenerit, ut malam ſuperaret. „ Suſpirabam, ait, lib. 8 c. 5. n. 5, „ ligatus non ferro alieno, ſed mea ferreâ voluntate. Velle meum

„ tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat „ me...... Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis „ colerem,..... nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate „ roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa ſpiritualis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam." Num. 12: „Sarcinâ ſæculi, ſicut ſomno aſſolet, „ dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles „ erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur." Et poſteà, cap. 8. n. 20: „Non ſolum ire, „ verùm etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quàm velle ire, ſed „ velle fortiter & integrè, non ſemiſauciam hàc atque illàc verſare & „ jactare voluntatem, parte aſſurgente cum alia parte cadente luctantem." Deinde, cap. 9, iſto voluntatis ſecum ipſa pugnantis prodigio veluti obſtupefactus: „ Unde hoc monſtrum, inquit, & quare iſtud? „ Imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat animus ſibi, & „ reſiſtitur...... Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret niſi „ vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult. Non ergo „ ex toto imperat. Nam in tantùm imperat, in quantùm vult; & in „ tantùm non fit quod imperat, in quantùm non vult...... Non igitur monſtrum partim velle, partim nolle, ſed ægritudo animi eſt, „ quia non totus aſſurgit veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus. Sic ægrotabam, pergit S. Doctor, cap. 11, & excruciabar, „ accuſans memetipſum ſolitò acerbiùs nimis, ac volvens ac verſans „ me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen...... Dicebam apud me intus: ecce modò fiat, „ modò fiat: & cùm verbo jam ibam in placitum, jam penè faciebam, „ & non faciebam...... Retinebant nugæ nugarum, antiquæ amicæ „ meæ...... Retardabant cunctantem me abripere atque excutere ab eis, „ & tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta: „ putaſne ſine iſtis poteris?" Hæc & alia quàmplurima de ſeipſo memorat Auguſtinus. Quod autem ſibi, illud plerisque peccatoribus ad Deum redeuntibus accidere docet, Enarrat. in pſalm. 106. n. 5.

S. Gregorius magnus, in 3um Pſalmum pœnitentialem, ad hæc verba, *iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*, ait: „ Plerùmque anima Dei deſiderio accenditur, „ adeò ut etiam ad ſumma ambiendo ſuſtolli videatur; ſed, quia gravi „ peccatorum pondere premitur, eo citiùs ad ima labitur, quò admiſſorum conſcientiâ interiùs gravatur. Et quidem aſcendere ad eum, „ quâ poteſt, virtute nititur, ſed ipſo ſuo conamine laſſata relabi compellitur...... Cum enim diabolicis anima ſubeſſe ſuaſionibus cœperit, „ quantò ſe hoſti callido crebrius ſubjicit, tantò eum ſibi intolerabiliorem facit, ut ei jam in nullo reſiſtere valeat, cui in uno ſet obli„ ta aſſenſum præſtat." Non ergo ſtatim ac vult peccator diaboli ſervitu-

vitutem excutit, ad Deumque convertitur; &, quàmvis novam vitam inchoare ſeriò proponat, non valet quod proponit plenè exequi, quo-uſque bona voluntas paulatim roborata pravam conſuetudinem ſuperet; quod ſine magnis conatibus ac laboribus plerùmque non fit.

Beda, lib. 2 in Marcum, cap. 34, occaſione illius cæci qui viſum paulatim à Chriſto recepit, dicit „ idcò Dominum paulatim, & non „ repentè, illum curaſſe, quem uno mox verbo, ſi vellet, poterat cu- „ rare, ut magnitudinem humanæ cæcitatis oſtenderet, quæ quaſi pe- „ detentim & per quoſdam profectuum gradus ad lucem divinæ viſio- „ nis ſolet pervenire; ſeu ut ſuæ nobis gratiæ crebra daret indicia, per „ quam ſingula noſtræ perfectionis incrementa, ut proficere aliquid „ poſſint, nec deficiant, adjuvat.."

S. Bernardus, Serm. 13 *de Diverſis*, n. 3: „ Difficilis prorſus res, inquit, „ & ſoli divinæ virtuti poſſibilis, ſuſceptum ſemel peccati ju- „ gum à cervicibus excutere; quoniam, qui facit peccatum, ſervus eſt „ peccati, nec eſt jam liberari niſi in manu forti." Et in lib. *de Con-verſione ad Clericos*, cap. 6, difficultatem hanc ex eo repetit, quòd lingua, oculi, aures, fauces, manus, aliaque corporis membra peccato ſervire aſſueta, detrectent obſequium præbere juſtitiæ, & cupiditas hactenus domina totis repugnet viribus. Prættereà „ quotidianis diſcimus „ experimentis, addit cap. 11. n. 22, eos qui converti deliberant, ten- „ tari acriùs à concupiſcentia carnis, & urgeri graviùs in operibus luti „ & lateris, qui Ægyptum egredi & Pharaonis imperium effugere mo- „ liuntur." Igitur, quemadmodùm multis ac magnis prodigiis opus fuit, ad liberandos Iſraëlitas de captivitate Ægyptiaca, ita, ad eruendos homines à ſervitute peccati per illam figurata, multo labore ac repetitis gratiæ tum terroribus, tum illecebris opus eſt.

S. Thomas idem aſſerit & Auguſtini teſtimonio confirmat. „ Eſt iſte „ communis & conſuetus curſus juſtificationis, inquit, 1. 2. q. 113. art. 10. in corp. „ ut, Deo movente interiùs animam, homo conver- „ tatur ad Deum primò quidem converſione imperfectâ, ut poſtmodùm „ ad perfectam perveniat, quia caritas inchoata meretur augeri, ut „ aucta mereatur perfici, ſicut Auguſtinus dicit."

Poſtremò inter recentiores S. Laurentius Juſtinianus, lib. 2 *de Spirituali animæ reſurrectione*, paulò poſt initium, antiquioribus atteſtatur his Pag. 813. verbis: „ Quantis clamoribus introrſus, quantiſve exhortationibus ſa- „ cris excitatur peccator, antequàm de morte ſeu de ſomno peccatorum „ evigilet! Sed & vigil effectus, ô quot blanditiis, quot rationibus, „ quot promiſſionibus, quot exemplis, quot pulſatur terroribus ac fla- „ gellis, priuſquàm peccandi voluntatem abjiciat, & ſincero animo at- „ que deliberatione conſtanti totus divino mancipetur obſequio! Nec „ immeritò: tot quippe funibus tenetur adſtrictus, quot ſceleribus præ- „ gravatur, tantiſque ſpiritualibus compeditus eſt vinculis, quantis

 „ ca-

„ caducis rebus immoderato inhæret affectu. Captivatur itaque con-
„ ſuetudine delinquendi; retrahitur à ſenſualitate, quæ pœnitentiæ
„ jugo colla ſubjicere recuſat; refellitur ſuaſionibus dæmonum; vi-
„ ſibilium detinetur amore; amicorum & affinium diſſuadetur blan-
„ ditiis. Ex his ergo rectè colligitur excellentiorem atque incom-
„ parabiliter mirabiliorem eſſe animarum reſurrectionem, quàm corpo-
„ rum."

Adde communem omnium Patrum ſententiam fuiſſe, pœnitentiam, quæ in extremo vitæ articulo ſuſcipitur, valde ſuſpectam eſſe ac plerùmque falſam. Nam ideò imprimis perſuaſum habebant fidendum non eſſe hujuſmodi converſionibus, quòd ſincera converſio acquiri vix poſſit ſine magnis conatibus & diuturna temporis mora. Hanc rationem affert, inter alios, S. Thomas, in 4. diſt. 20. q. 1. ad. 1. „ Facile non eſt, inquit, „ ut affectus, quem homo toto tempore vitæ ſuæ inclinavit in „ aliquid, ſubitò ad contrarium retrahat."

3°. Eamdem veritatem invictiſſimè probat diſciplina primis Eccleſiæ ſæculis erga pœnitentes obſervari ſolita.

Nemo ignorat percelebres illos gradus, quos multis annis percurrere capitalium criminum rei tenebantur, antequàm reconciliationis & Euchariſtiæ participes fierent: gradus dico *flentium* ad januam Eccleſiæ extrinſecus; *audientium* cum catechumenis Chriſtianæ doctrinæ rudimenta; *proſtratorum*, qui propriè dicebantur pœnitentes, pro quibus in terram procumbentibus publicæ preces Deo effundebantur; & *conſiſtentium*, quibus nondum licebat ſacris myſteriis communicare, ſed tantum intereſſe. Perſeveravit ea diſciplina pro occultis etiam criminibus uſque ad ſeptimum ſæculum, & pro publicis uſque ad duodecimum; neque ullo Eccleſiæ decreto abrogata eſt, tanquam nimis rigida, ſed ſolâ Chriſtianorum ignaviâ ac deſuetudine paulatim interiit. Cur verò Eccleſia tam miſericors, tam benigna, adeò auſterè erga peccatores ſeſe geſſit, niſi quòd pro certo tenebat difficillimum eſſe poſt gravia peccata ad Deum redire, veramque converſionem ſine notabili temporis mora continuatiſque gemitibus ordinariè non perfici? Alioquin à nimia duritia, imò à crudelitate excuſari vix poſſet. Quid enim crudelius quàm tanti, tamque diuturnis laboribus eos ſubjicere, quos indulgentiſſimus Dominus ſtatim ac facilè recipere in gratiam paratus ſit?

Verum duo ſunt imprimis quæ Eccleſiæ hâc de re mentem latere non ſinant. Primum eſt, quòd pœnitentiæ canonicæ tempus ſoleret eis imminui, qui ſuo fervore indubitata veræ converſionis indicia promebant. Id præſcribit concilium Ancyranum anni 314, can 4. „ Penes Epiſco-
„ pos, inquit, erit poteſtas, modum converſationis eorum (pœniten-
„ tium) probàntes, vel humaniùs erga eos agere, vel amplius tempus
„ adjicere." Ideò igitur tam diuturna probatio exigebatur à peccatoribus, ut per opera laborioſa & aſſiduas preces ad ſolidam converſionem gradatim

tim pervenirent; cujus veritate certis argumentis elucente, non ampliùs differebatur quominùs ad reconciliationem admitterentur.

Alterum eſt, quòd ea præſertim peccata pœnitentiæ publicæ ſubjicerentur, quæ, ex prava voluntatis affectione immediatè profecta, hoc ipſo difficilius ſuperantur. Hoc principio ſolvit Joannes Abbas Raythu quæſtionem graviſſimam ſibi propoſitam, cur videlicet hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus publica pœnitentia non imponatur, imponatur autem fornicatoribus reſipiſcentibus, cùm hæreſis ſit peccatum multò gravius fornicatione. „ Hæreſis quidem malum, inquit in Scholio ad gradum 15 Scalæ S. Joannis Climaci, „ in anima ſola conſiſtit; fornicatio verò, ex „ electione arbitrii animæ malo conſentientis, in corpore corruptionis „ malum complevit. Quoniam verò nihil eſt naturale quod impugnet „ eum qui ab errore convertitur, totaliter ex converſione mundatur: „ qui verò ex fornicatione, tempore indiget, labore & lacrymis, ut „ qualificatam & infuſam delectationem & plagam concupiſcentiæ avertat.“ Ex hac ſapientiſſima reſponſione patet inter alia momenta, quæ Eccleſiam Chriſti impulerunt, ut longum pœnitentiæ curriculum à peccatoribus ante reconciliationem decurri juberet, hoc fuiſſe non ultimum, quòd ſciret converſionis opus non niſi difficilè & lentis progreſſibus plerumque abſolvi.

Tom. magnæ Biblioth. PP. pag. 755.

Hinc ſtylus ille vehemens, quo SS. Patres paſſim utuntur adverſùs inconſultam nonnullorum ſacerdotum in reconciliandis peccatoribus facilitatem. Sæculo 3, cùm multi in perſecutione lapſi, obtentis martyrum litteris commendatitiis, exhiberi ſibi protinus abſolutionis beneficium percuperent, eorumque votis in gratiam martyrum plus æquo annuerent aliqui ſacerdotes, Clerus Romanus, ea de re à S. Cypriano inſtructus, abuſum illum graviſſimè reprehendit in Epiſt ad eumdem S. Cyprianum. „ Abſit, inquiunt, ab Eccleſia Romana vigorem ſuum „ tam profanâ facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis, everſâ fidei „ majeſtate, diſſolvere, ut, cùm adhuc non tantum jaceant, ſed & „ cadant everſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia commu„ nicationum UTIQUE NON PROFUTURA præſtentur, & nova per „ miſericordiam falſam vulnera veteribus transgreſſionis vulneribus im„ primantur, ut miſeris, ad everſionem majorem, eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe „ medicus, interceptâ pœnitentiâ, indulget periculis; ſi tantummodò „ operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatri„ cem? Hoc non eſt curare, ſed, ſi dicere verum volumus, occidere.“

Inter Cyprianicas 31. pag. 44.

Non minùs acerbè iſtud malum deflet S. Cyprianus, tum in Epiſtolis, tum præſertim in tract. *de Lapſis*, ubi, inter alia quàmplurima, hæc dicit: „ Emerſit, fratres dilectiſſimi, novum genus cladis, &, quaſi „ parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſe-

Pag. 172 & 173.

„ ri-

„ ricordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Evangelii „ vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxa- „ tur incautis communicatio; irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, „ & nihil accipientibus profutura...... Operiuntur morientium vulnera, „ & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato do- „ lore, contegitur...... Vis infertur corpori Domini & ſanguini: & „ plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm „ Dominum negaverunt...... Pacem putant eſſe, quam quidam verbis „ fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum; nec Eccleſiæ „ jungitur, qui ab Evangelio ſeparatur...... Non concedit pacem faci- „ litas iſta, ſed tollit; nec communicationem tribuit, ſed impedit ad „ ſalutem. Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis „ inimicus impugnandis adhuc lapſis occultâ populatione graſſatur, ut „ lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evane- „ ſcat, ut comprimatur peccatorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, „ nec Dominum graviter offenſum longa & plenâ pœnitentiâ deprece- „ tur." Obſervandum eſt S. Doctorem, Clerumque Romanum, non hoc ſolo nomine illam præcipitatæ reconciliationis facilitatem vitupe- raſſe, quòd Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quâ pœnitentiæ labores abſolutio- ni præmitti jubebantur, omnino repugnaret; ſed maximè quòd Evan- gelio contraria ſit, quòd peccatoribus admodùm periculoſa, quòd eos fallat & ſub miſericordiæ titulo occidat, quòd longâ pœnitentiâ tempo- riſque remediis opus ſit ad cicatricem lethalem obducendam, quòd de- mum non niſi longâ lamentatione, diuturno dolore, aſſiduis gemitibus, largo lacrymarum imbre & acerbâ delicti recordatione, ad ſinceram con- verſionem ac veram pacem, ordinariè loquendo, perveniatur.

S. Ambroſius, Enarrat. in pſalm. 118. v. 58, crudelem illam miſeri- cordiam his inſectatur verbis: „ In ipſa Eccleſia, ubi maximè miſereri „ decet, teneri quàm maximè debet forma juſtitiæ, ne quis à commu- „ nionis conſortio abſtentus brevi lacrymulâ atque ad tempus paratâ, „ vel etiam uberioribus fletibus, communionem, quam plurimis debet „ poſtulare temporibus, facilitate ſacerdotis extorqueat...... Facilitas „ enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hoc ideò dictum eſt, „ ut ſciamus ſecundùm verbum Dei, ſecundùm rationem, diſpenſandam „ eſſe miſericordiam debitoribus." Et lib. 2 de Pœnit. cap 9: „ Non- „ nulli, inquit, ideò poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi com- „ munionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt quàm ſacerdotem „ ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, & ſacerdotis induunt."

Plures referre ſuperfluum, cùm omnium veterum eadem mens ac ſen- tentia fuerit. Porro ſi veram converſionem facilè & brevi tempore vul- gò acquiri exiſtimatum eſſet, quæ cauſa fuiſſet diutinam probationem à peccatoribus exigendi, & ſacerdotes commodiùs cum eis agentes adeò ſeverè reprehendi?

4°.

Digitized by Google

4°. Hanc doctrinam, conſtanti traditione ad nos transmiſſam, confirmavit poſtrema œcumenica ſynodus Tridentina, ſeſſ. 14 de ſacramento pœnitentiæ, cap. 2. „ Ad quam tamen novitatem & integritatem " (in baptiſmo acceptam & mortali peccato amiſſam), inquit, „ per ſa- „ cramentum pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, di- „ vinâ id exigente juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò „ pœnitentia laborioſus quidam baptismus à SS. Patribus dictus fuerit." Ergo ultimis Eccleſiæ decretis apertè contradicunt, qui peccatores facilè ac brevi temporis ſpatio converti ac juſtificari poſſe ſibi fingunt.

5°. Eodem modo Deus operari ſolet in ordine gratiæ, ac in productione rerum naturalium. Atqui res naturales non producit in inſtanti, ſed diuturnâ temporis morâ, exceptis effectibus miraculoſis ad conſuetum providentiæ ordinem non pertinentibus. Ergo, à pari, converſionem peccatorum non operatur in inſtanti, ac ſi nonnullos aliquando ita convertit, ut Saulum, id velut miraculum in ipſo ordine gratiæ habendum eſt.

Ut autem ex multis exemplis aliqua commemorem: 1°. Per cordis converſionem tranſit homo ab affectu dominante creaturæ ad affectum dominantem creatoris. Atqui experientiâ conſtat voluntatem hominis non facilè, nec in inſtanti, tranſire ab uno affectu naturali ad oppoſitum, v. g. à libidinibus ad temperantiam, ab avaritia ad effuſam prodigalitatem vel ad honeſtam liberalitatem; ita ut, quod paulò ante amabat, ſtatim odio habeat, &, quod odio habebat, ſtatim ardenter diligat. Falluntur ergo qui peccatorem facilè & in inſtanti ad Deum converti exiſtimant.

2°. Vera converſio eſt interitus veteris hominis & productio novi. Atqui homo non ſtatim atque concipitur perfectus eſt, ſed per novem menſes in matris utero paulatim formatur, nec ſine multis doloribus in lucem editur. Ad quod alludens Chriſtus, Joannis XVI. 21: *Mulier*, inquit, *cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium quia natus eſt homo in mundum.* Et S. Auguſtinus, exponens hæc verba pſalm. 47, *ibi dolores ut parturientis*, ſic loquitur: „ Quid ſunt „ dolores ut parturientis, niſi dolores pœnitentis?... Ubi parturientem „ audis, fœtum expecta: parturit vetus homo" (ideòque angitur), „ ſed „ naſcitur novus homo."

3°. In converſione peccatoris ſemen divini verbi fructum ſuum maturum profert. Quis verò neſciat ſemen terræ commiſſum non ſtatim, ſed per longas moras in ſegetem matureſcere? Hâc ſimilitudine uſus eſt ipſemet Chriſtus, Marc. IV. 26, ut exponeret quibus progreſſibus regnum Dei in cordibus hominum ſtabiliatur. *Sic eſt*, ait, *regnum Dei, quemadmodùm ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet & increſcat, dum neſcit ille. Ultro enim* ter-

Digitized by Google

terrâ fructificat primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Uberiùs eam exponit auctor librorum de Vocatione gentium, lib. 2, cap. 11. „ Sicut, ait, in germinibus herbarum atque lignorum, „ quæ terra producit,..... ſingula quæque..... plenum decorem non „ ſtatim ut eduntur accipiunt, ſed certis & ordinatis provehuntur aug- „ mentis, donec ad perfectam ſui habitûs quantitatem per ſuccedentia „ ſibi incrementa perveniant; ita & ſemina charismatum plantæque vir- „ tutum non in omni agro cordis humani totum hoc pariter, quot ſunt „ futura, naſcuntur; nec facilè reperitur in exordio maturitas & in in- „ choatione perfectio. Exſerit quidem frequenter potens ac miſericors „ Deus mirabiles iſtos ſuæ operationis effectus, & quibusdam mentibus, „ non expectatâ profectuum morâ, totum ſimul, quidquid collaturus „ eſt, invehit...... Multò tamen crebrior multòque numeroſior pars „ illa hominum eſt, quibus particulatim, quidquid ſuperna largitas donat, „ accreſcit, ut conferendorum munerum cauſæ de his quæ ſunt collata „ pariantur."

4°. Peccata ſunt morbi lethales ac vulnera animarum, tantò dete- teriora ac curatu difficiliora, quantò eſt animarum natura excellentior. Si ergo longo tempore acerbisque remediis opus eſt ad ſananda corpo- rum vulnera, quis ſibi perſuadebit ſanari citò ac facilè poſſe morbos ac vulnera animarum? Longè aliter exiſtimarunt SS. Patres, hacque com- paratione frequenter uſi ſunt, ut probarent difficillimum eſſe, poſt gra- via peccata, ad priſtinam redire ſanitatem.

Origenes, hom. 8 in cap. 13 & 14 *Numerorum*, explicans cur pro 40 diebus, quibus Iſraëlitæ terram promiſſionis luſtraverant, 40 annis pœnarum Deus illos ſubjecerit, ſibimet objicit negaturum fortaſſe ali- quem bonitati Dei convenire, ut pro unius diei peccato annum ſup- pliciorum rependat, huicque objectioni ſic reſpondet: „ Si vulnus cor- „ pori infligatur, aut os confringatur, aut nervorum junctura reſolva- „ tur, ſub unius horæ ſpatio hujusmodi vulnera ſolent corporibus ac- „ cidere, &, plurimis poſtmodùm cruciatibus ac doloribus exactis, „ multo vix tempore ſanari...... Jam verò ſi accidat ut in eodem vul- „ nere, vel in eadem fractura, iterum & ſæpiùs quis vulneretur fre- „ quentiùsque frangatur, quantis hoc pœnis curari, & quantis poteſt „ cruciatibus medicari! Quanto autem tempore, ſi tamen potuerit, ad „ ſanitatem perducitur! Et vix aliquando ita curabitur, ut vel debilita- „ tem corporis vel fœditatem cicatricis effugiat. Tranſi nunc ab exemplo „ corporis ad animæ vulnera. Anima, quoties peccat, toties vulneratur..... „ Hæc ergo & hujusmodi vulnera quanto tempore putas poſſe curari?.... „ Et ideò conſequentiſſima ratio eſt pœnæ, id eſt, curæ ac medicatio- „ nis tempus extendi, & per unumquodque vulnus, pro qualitate pla- „ gæ, medendi quoque ſpatia propagari. Sic ergo Dei æquitas ac be- „ nignitas etiam in ipſis animæ ſuppliciis evidens fiet. Et hæc audiens

„ qui

Digitized by Google

„ qui peccavit, reſipiſcat & ultra non peccet,..... quia pœnitentia non „ ſolùm vulnus præteritum ſanat, ſed & ultra animam peccato non „ ſinit vulnerari.“

S. Cyprillus Alexandrinus idem confirmat hom. 5 in Jeremiam. „ Reſipiſcentes, ait, & initium converſionis habentes aiunt: *peccavi-* „ *mus, & non obedivimus.* Neque enim, ſimul ac volumus obedire, „ continuò obedimus. Etenim tempore opus eſt, ſicut in vulneribus „ ad curationem, ſic in converſione ad plenè ac purè convertendum ſe „ ad Deum.“

Inter editas Antuerpiæ à Corderio anno 1648, p. 62 & 63.

Jam ſi quæras quæ cauſa ſit tantæ illius difficultatis, reſpondeo eam duplicem eſſe, unam proximam ac poſitivam, ſcilicet peccatoris reſiſtentiam, & pravorum affectuum, quibus mancipatus eſt, diuturnum cum gratiæ motibus conflictum; alteram remotam & negativam, nempe ordinem divinæ providentiæ non tantam ſubitò gratiæ ac dilectionis copiam largientis, quanta requiritur ad ſuperandam peccandi conſuetudinem, ſed paulatim eam augentis & ad perfectum perducentis.

Ac primò quidem ideò converſio eſt difficilis ac notabilem temporis moram ordinariè requirit, quia peccator vitiis mancipatus gratiæ ipſum allicientis motibus diu ac multùm reſiſtit, antequàm plenum ei conſenſum accommodet. Abſit enim ut credamus tarditatem converſionis ex Deo eſſe. Ut impius convertatur, gratia facit: ut autem non ſtatim integrè & plenè convertatur, prava ipſius voluntas in cauſa eſt. Unde quantò propenſiùs in malum fertur, tantò difficiliùs ad Deum convertitur; tum quia, iniquitatem plus diligens, minorem in ſeipſo locum gratiæ occupandum relinquit; tum quia primis ejus inſpirationibus vehementiùs obluctatur, donec, novis ſubinde gratiæ incrementis, & carnalis cupiditas in dies debilitata extinguatur, & caritas in dies magis roborata cor ſibi demum ſubjiciat.

Hinc fit ut, quàmvis ſemper difficile ſit à ſtatu peccati mortalis reſurgere, nonnullorum tamen peccatorum converſio ſit multò laborioſior, ac longiorem temporis moram plerùmque exigat. Sic difficiliùs à diaboli vinculis ſeſe eximunt qui ſcienter, quàm qui ex ignorantia peccaverunt; qui deliberato affectu in malo delectantur, quàm qui timori, infirmitati, aut ſubitæ tentationi inviti quodammodò & repugnantes ſuccubuerunt; qui in criminum ſordibus diu hæſerunt, & ſæpè repetitis actibus conſuetudinem ac veluti neceſſitatem peccandi ſibimet fecerunt, quàm qui ſemel tantùm lapſi ſunt; qui ſunt obdurati in malo, quàm qui nondum obdurati; uno verbo, qui longiùs à Deo receſſerunt, quàm qui minus remoti. Quemadmodùm enim majore labore ac tempore patriam pedibus corporis repetunt, qui majoribus locorum intervallis ab ea ſeparantur; ita qui pravis affectibus plus ſeſe à Deo elongaverunt, his plus quoque laborandum eſt, ut ad ipſum redeundo perveniant.

Earum differentiarum imaginem habes in tribus mortuis, quos à Chriſto

to reſuſcitatos memorant Evangeliſtæ; filiâ Archiſynagogi nondum elatâ è domo, quam manu apprehenſam vitæ reddidit; adoleſcente filio viduæ jam elato in publicum, ſed nondum ſepulto, quem, tacto loculo & portitoribus ſtare juſſis, ad vitam imperio ſuo revocavit ac matri reſtituit; & Lazaro jam quatuor dies ſepulto, quem fremens, turbans ſeipſum ac lacrymans clamore magno, è monumento eduxit. „ Intueatur „ quiſque animam ſuam, ait S. Auguſtinus, tract. 49 in Joannem, n. 3. „ Si peccat, moritur: peccatum mors eſt animæ. Sed aliquando in „ cogitatione peccatur. Delectavit quod malum eſt; conſenſiſti, peccaſti: conſenſio illa occidit te. Sed intus eſt mors, quia cogitatum „ malum nondum proceſſit in factum.“ Hoc genus peccati per filiam Archiſynagogi ſignificatur. „ Si autem non ſolùm malæ delectationi „ conſenſiſti, ſed etiam ipſum malum feciſti, quaſi mortuum extra „ portam extuliſti: jam foris es, & mortuus elatus es,“ quemadmodùm ille filius viduæ. „ Eſt aliud genus mortis immane“ in Lazaro adumbratum: „ mala conſuetudo appellatur. Aliud eſt enim peccare, „ aliud peccandi conſuetudinem facere.“ Et iſta mala conſuetudo magis aut minùs eſt vetuſtate roborata. In duobus primis caſibus converſio faciliùs ac celeriùs fieri ſolet. „ Qui peccat & continuò corrigitur, ait S. Doctor, „ citò reviviſcit, quia nondum eſt implicatus conſuetudine, „ non eſt ſepultus.“ At, eodem interprete, n. 24, tertium genus peccatorum difficillimè convertitur. „ Fremuit (Jeſus), lacrymavit, voce „ magnâ clamavit. Quàm difficilè ſurgit quem moles malæ conſuetudi- „ nis premit! Sed tamen ſurgit: occultâ gratiâ intus vivificatur: ſurgit „ poſt vocem magnam. Quid verò laborioſius aut operioſius dici aut „ cogitari poteſt, ait rurſus, lib. 1 *de Serm. Domini in monte*, cap. 18. n. 54, „ ubi omnes nervos induſtriæ ſuæ animus fidelis exerceat, quàm „ in vitioſa conſuetudine ſuperanda?“

Cave tamen credas peccatoris reſiſtentiâ moras Deo afferri, ut citò perficere quod vult, homine impediente, non poſſit. Prorſus facit omnipotens quæcunque vult. „ Non moribus illi fit mora, nec cauſis „ anceps ſuſpenditur ullis,“ ut verbis utar S. Proſperi. Proinde ipſos etiam induratos, ſi vellet, in inſtanti converteret, atque ad perfectionis culmen perduceret. Ideò non facit, quia non vult. Unde tarditatis converſionis cauſam remotam & negativam eſſe dixi ordinem divinæ providentiæ, magnum illud juſtificationis opus, quod ſubitò poteſt, nonniſi paulatim abſolventis.

Cur verò, inquies, hoc pacto ſe gerit Deus, ac non potiùs omnipotentiam ſuam celeri ac ſubitâ operatione manifeſtat?

Reſpondeo Deum quaſdam ſibi reſervaſſe inuſitatas converſiones, quas in inſtanti operaretur, ut S. Pauli, in quibus viſibiliter elucet ipſius omnipotentia, ut intelligamus quòd omnes flagitioſos eâdem facilitate, ſi vellet, in alios homines ſubitò transformaret; ſed iſtum gratiæ curſum ideò non

non eſſe communem, ut minùs viſibile ſit converſionem eſſe dexteræ Excel-
ſi. Si enim homines, ex perditis & carnalibus, ſancti ac ſpirituales ſubitò
efficerentur, iſtud dogma ſenſu potiùs perciperemus, quàm fide crederemus.
2°. Ut ipſâ juſtificationis difficultate experiamur quàm luctuoſa ſit pec-
cati ſervitus, illamque in poſterum curâ diligentiore caveamus. „ Quod
„ enim facilè ſanatur, ait S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalm. 6. n. 4,
„ non multum cavetur. Ex difficultate autem ſanationis erit diligen-
„ tior cuſtodia receptæ ſanitatis. Igitur, inquit alibi S. Doctor, pau-
„ latim recipitur quod ſemel amiſſum eſt. Si enim citò rediret homo Serm 278. al ſerm 34.
„ ad priſtinam beatitudinem, ludus illi eſſet peccando cadere in mor de Div. c. 2.
„ tem." 3°. Ut juſtitiam tantò ardentius diligamus, & quantum bo- n. 3.
num ſit noverimus, quantò diuturniore gemitu illum à Deo expoſ-
cere cogimur. 4°. Ut peccator, diu ſecum ipſo luctando, ſuam agnoſ-
cat infirmitatem, & in ſolo Dei adjutorio totam ſalutis ſuæ ſpem collo-
cet. „ Potuit hoc Dominus ſine difficultate præſtare" (verba ſunt Au-
guſtini, Enarrat. in pſalm. 106. n. 5.) „ Sed ſi hoc ſine difficultate ha-
„ beremus, largitorem hujus boni non agnoſceremus. Si enim primi-
„ tùs, cùm vellet, poſſet, & non ſentiret adverſus ſe obnitentes cupi-
„ ditates, nec vinculis ſuis gravata anima collideretur, ſuis viribus tri-
„ bueret quod ſe poſſe ſentiret, & non confiterentur Domino miſeratio-
„ nes ejus." 5°. Denique „ ut etiam illud agnoſcamus, ait idem S.
Doctor, in pſalm. 6. n. 4, „ quanta pœna impiis præparetur, qui ſe
„ nolunt convertere ad Deum, ſi tantam difficultatem convertentes pa-
„ tiuntur; ſicut alio loco ſcriptum eſt: *Si juſtus vix ſalvatur, impius* 1 Petr IV.
„ *& peccator ubi parebunt?*"

Objicies. Ad primam B. Petri prædicationem tria Judæorum millia, ad alteram quinque millia ad fidem converſa ſunt, & eodem die baptizata. Apud gentes quoque Evangelica prædicatio tam veloces fructus edidit, ut infideles turmatim in Chriſtum crederent, praviſque exutis moribus, novos ſubitò induerent. Ergo falſum eſt notabilem temporis moram ordinariè loquendo requiri ad converſionem.

Nego conſequentiam. Nam illæ converſiones fuerunt omnino miraculoſæ & extra ordinem communem. Decebat quippe ut relligio Chriſtiana tam rapido & incredibili progreſſu tum primum divina appareret. At, Eccleſiâ jam fundatâ & ſtabilitâ, hujuſmodi miraculis deinceps opus non fuit. Quemadmodùm enim in prima mundi aſpectabilis creatione arbores, homo, omniſque generis animantia perfectionem ſibi congruentem ſtatim habuerunt, quam, conſtituto ſemel univerſo ac juxta communes providentiæ leges, inſenſibili progreſſu aſſequuntur; ita in prima Chriſtianiſmi inſtitutione per gratiam creatricem novi homines ſubitò effecti ſunt. At, poſtcà quàm fides latè propagata eſt, nonniſi paulatim adoleſcere conſueverunt.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De proprietatibus & caracteribus juſtificationis.

Proprietates juſtificationis præcipuæ ſunt: 1°. Quòd ſit interior atque in imo cordis reſideat, juxta illud pſalmi 44: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Hoc differt juſtitia Chriſtiana à Judaica & legali, quæ erat merè exterior & carnalis. Proinde non in externis operibus præciſe, quæ, ut ex caritate, ita interdum ex occulta cupiditate procedunt, juſtitia conſiſtit; ſed in amore Dei, ipſiusque legis, ad bonum promptè ac delectabiliter operandum inclinante.

2°. Quòd ſit actuoſa & ſecunda in operibus bonis. Cùm enim juſtitia nihil aliud ſit quàm caritas Dei in corde diffuſa per Spiritum ſanctum, omnes caritatis affectiones habeat neceſſe eſt. Porro caritas, ficut & quilibet alius amor, otioſus eſſe nequit, & quantò vehementior fuerit, tantò plura & majora operatur. „ Ipſa dilectio, ait S. Auguſtinus, Enarrat. 2 in pſalm. 31. n. 5, „ vacare non poteſt. Quid enim de quo- „ quam homine etiam malè operatur, niſi amor? Da mihi vacantem „ amorem & non operantem. Flagitia, adulteria, facinora, luxurias „ omnes nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum...... Qua- „ les impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi.“ Quamobrem Chriſtus & Apoſtoli docent obſervationem mandatorum eſſe proprium effectum ac certiſſimum ſignum dilectionis. Joann. XIV. 15: *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Verſ. 21: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Verſ. 23: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Et cap. XV. 10: *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* 1 Joannis II. 5: *Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc caritas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.* Vide ibidem, cap. 1. v. 6 & 7, cap. 3. v. 7 & 23, cap. 5. v. 3.

3°. Quòd ſit univerſalis, hoc eſt, quòd omnes virtutes includat, & omnia prorſus mortalia excludat peccata. Eſt enim caritas mater omnium virtutum, quæ nec haberi verè & utiliter poſſunt, illâ abſente, nec, illâ præſente, deeſſe. Unde S. Paulus, 1 Cor. XIII, omnia virtutum genera in ſola caritate comprehendit, dicens: *Caritas patiens eſt, benigna eſt: caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur* &c.

4°. Quòd ſit ſumma, hoc eſt, ſaltem cunctis cordis affectionibus prædominans, atque ad plenam ſuî perfectionem anhelans.

Et illæ quidem proprietates juſtitiæ, in ſeipſa conſideratæ, eſſentialiter & in quolibet ſtatu conveniunt. Aliæ præſentem juſtitiæ ſtatum con-

conſequuntur, carebuntque in altera vita, quando ſummo bono, quod nunc eſurimus & ſitimus, in æternum ſatiabimur; hæ autem ſunt imperfectio & amiſſibilitas. Quoniam verò illam negaverunt Pelagiani, iſtam Calvinus, de utraque ſeorſim agendum nobis eſt.

Articulus Primus.

De imperfectione juſtitiæ in hac vita; an ſcilicet quisquam hominum vivat ſine peccato.

Pelagiani arbitrati ſunt hominem hac in vita ad tantam juſtitiæ plenitudinem pertingere poſſe, ut nullum omnino peccatum, ne veniale quidem, admittat, ut teſtatur S. Hieronymus, Dialogo 1 adverſùs ipſos, & S. Auguſtinus, lib. de Hæreſibus, hæreſ. 88. „ In id etiam progrediuntur, ait, ut dicant vitam juſtorum in hoc ſæculo nullum „ omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate „ perfici, ut ſit omnino ſine macula & ruga.“ Quorum verborum ſenſus non eſt Pelagianos exiſtimaſſe omnes juſtos hic vivere ſine peccato (nam nemo illorum peccati expertem ſe dicere audebat), ſed crediſſe aliquos tales eſſe, in quibus Eccleſia non habeat maculam aut rugam.

Eumdem errorem renovavit ultimo ſæculo Molinoſus, ut patet ex hac propoſitione cum multis aliis ejuſdem auctoris damnata ab Innocentio XI: „ Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non „ faciendi ampliùs peccata mortalia vel venialia.“

Obſervandum eſt S. Auguſtinum, quàmvis iſtam Pelagianorum, de juſtis ſine ullo peccato viventibus, opinionem ab initio reprehenderit, noluiſſe tamen, quæ fuit ejus moderatio, hæreſis notam ei inurere, antequàm ſolemni Eccleſiæ judicio damnaretur. Id patet ex ipſius libris ante concilium Carthaginenſe anni 418 ſcriptis. Lib. de *Natura & gratia*, cap. 60. n. 70: „ Utrùm, inquit, in hoc ſæculo fuerit, vel ſit, „ vel poſſit eſſe aliquis ita juſtè vivens, ut nullum habeat omnino peccatum, poteſt eſſe aliqua quæſtio inter veros piosque Chriſtianos...... „ Quanquam enim mihi non videatur aliter intelligendum quod ſcriptum eſt, *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, & ſi qua ſimilia, utinam tamen poſſit oſtendi vel hæc teſtimonia meliùs aliter „ intelligi poſſe, vel plenam perfectamque juſtitiam, cui prorſus nihil „ addendum ſit, & heri fuiſſe in aliquo, dum in iſto corpore viveret, „ & hodie eſſe, & cras futuram!“ In fine libri de *Perfectione juſtitiæ* dicit *nimis reluctandum non eſſe* iis, qui aliquem hominem fuiſſe, aut futurum eſſe ſine peccato crederent, modò id arbitrii viribus non tribuerent. „ Scio enim, addit, quibusdam eſſe viſum, quorum de hac re „ ſententiam non audeo reprehendere, quanquam nec defendere audeam.“ Forſitan deſignat S. Ambroſium, cujus teſtimonium quoddam in caput 1 Lu-

Lucæ à Pelagio objectatum expenderat lib. de Natura & gratia, cap. 63. n. 74. Sed alibi, ſcilicet lib. de Gratia Chriſti, cap. 48. n. 58, illum ab hoc errore vindicat. Eadem cum moderatione loquitur in Epiſt. 157, olim 89, ad Hilarium, cap. 2. n. 4, & in Epiſtola 177, olim 95, quam cum aliis quatuor Epiſcopis, Aurelio, Alyplo, Evodio & Poſſidio, ſcripſit anno 416 ad S. Innocentium Rom. Pontificem. „ Illud verò, ait n. 16 & 18, quod dicunt poſſe hominem eſſe ſine peccato, & mandata Dei facilè cuſtodire, ſi velit,..... quoquo modo „ ſe habeat iſta quæſtio, quia, etſi non invenitur homo in hac vita „ ſine peccato, id tamen dicitur poſſe fieri per adjutorium gratiæ & ſpiritûs Dei, quod ut fiat, conandum atque poſcendum eſt, tolerabiliter in eo quiſque fallitur; nec diabolica impietas, ſed error humanus „ eſt, elaboranda & optanda affirmare, etiamſi, quod affirmat, non „ poſſit oſtendere. Id enim credit fieri poſſe, quod certè laudabile eſt „ velle.“

Teſtatur etiam in libro de Geſtis Pelagii, cap. 30. n. 55, Patres ſynodi Dioſpolitanæ non definiviſſe utrùm à quibusdam in hac vita ita perficiatur juſtitia, ut ſint abſque ullo peccato: „ quod, inquit, non „ inter Catholicos & Hæreticos, ſed inter Catholicos fortaſſe pacificè „ requirendum eſt.“

Sed, poſtquàm plenario totius Africæ concilio, cum approbatione totius Eccleſiæ, quæſtio illa definita eſt, Pelagianum dogma non ampliùs ut errorem humanum, ſed ut damnandam hæreſim perſecutus eſt; v. g. lib. 4 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 10. n. 27, ubi ait: „ Illud jam tertium videamus, quod non minùs in iſtis omne Chriſti „ membrum & totum ejus corpus exhorret, quia contendunt eſſe in „ hac vita vel fuiſſe juſtos nullum habentes omnino peccatum.“

Obſervandum eſt 2° quadruplicem hac de re inſtitui poſſe cum eodem S. Doctore (lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 6. n. 7) quæſtionem: aliam, „ *utrùm eſſe poſſit homo ſine peccato;* aliam, *ſi ſit;* aliam, *ſi non eſt*, *cùm poſſit eſſe, cur non ſit;* aliam, *utrùm, qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non ſolùm quiſquam ſit, verùm etiam potuerit aliquando eſſe, vel poſſit.*

Prima quæſtio multipliciter iterum intelligi poteſt: 1°. Ut ſenſus iſte ſit, an abſolutè fieri poſſit ut homo hic vivat ſine ullo peccato. Et reſpondet S. Doctor per Dei gratiam & liberum arbitrium id eſſe poſſe. „ Si enim, ait, „ eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo „ appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.“ 2°. Ut ſit ſenſus, an fieri poſſit, cum ordinariis gratiæ auxiliis, ut homo vivat ſine ullo peccato. Tenentur, qui ſtant pro gratia ſufficiente Moliniana, reſpondere hominem inſtructum eſſe auxiliis planè ſufficientibus, ut omninò non peccet, adeòque ſine extraordinario auxilio poſſe nullum peccatum, etiam veniale, admittere, alioquin non habiturum

rum gratiam omnimodis ſufficientem. Hoc fatetur Alphonſus Lemoyne in ſuis ſcriptis, part. 1. art. 1. aſſert. 1. „ Poteſt juſtus, abſolutè lo„ quendo, inquit, cum auxiliis actualibus ordinariis impetrare gratiam, „ quâ peccata omnia, tam mortalia, quàm venialia, vitentur: ordinariè „ tamen ea non vitat, quia non omnibus gratiæ ordinariæ (tametſi „ planè ſufficientis) motibus conſentit.“ Idem & alii dicere cogantur, ſi conſequenter ſentire velint. At contrarium definit ſancta Tridentina ſynodus, ſeſſ. 6. cap. 23, his verbis: „ Si quis hominem ſemel juſtifi„ catum dixerit in tota vita poſſe peccata, etiam venialia, vitare, niſi „ ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodùm de B. Virgine tenet Eccle„ ſia, anathema ſit.“ Præterea, poſitâ illâ opinione, nulla ratio afferri poteſt cur, quod omnes homines facere poſſunt potentiâ expeditâ & ſufficiente, id nemo unquam fecerit vel facturus ſit, ut definitum eſt adverſùs Pelagianos, & jam probandum nobis eſt.

Apologie pour les SS Peres défenſeurs de la grace de J. C 3e part. 4e point, art. 22.

P R O P O S I T I O.

Exceptâ B. Virgine Deiparâ, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam mentionem haberi volumus, nullus hominum eſt, aut fuit, aut futurus eſt in hac vita, ſine ullo prorſus peccato, etiam veniali.

PROBATUR 1° Scripturæ teſtimoniis, quæ generaliter pronuntiant neminem in terris peccati expertem vivere.

3 Regum, VIII. 46, Salomon Deum deprecans in dedicatione templi ait: *Non eſt homo qui non peccet.* Eccleſiaſtes, VII. 21: *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* Pſalm. 31. v. 5 & 6: *Dixi: confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* „ Non omnis peccator, ait S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 7, „ ſed omnis ſanctus.“ Pſalm. 129. v. 3: *Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit?* Pſalm. 142. v. 2: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.*

In novo Teſtamento S. Jacobus, Epiſtolæ ſuæ cap. III: *In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir...... Linguam nullus hominum domare poteſt.* Quæ verba non ſunt tantùm increpatoria, ut aiebat Pelagius, quaſi S. Apoſtolus diceret: domare fe-

ras poteſtis, linguam non poteſtis? ac innueret facilius eſſe domare linguam quàm feras. Nam hanc interpretationem tota ſermonis ſeries refellit, probatque multò difficiliùs domari linguam quàm feras.

1 Joann. I. 8: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Omnium nomine loquitur dilectus diſcipulus, nec ipſos excipit Apoſtolos. Non autem ait: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, humilitas in nobis non eſt; ſed *veritas in nobis non eſt*, ut oſtendat neminem prorſus eſſe ſine peccato. Falſa humilitas eſt quæ falſitate nititur, ingratusque medico foret, qui ab omnibus malis liberatus adhuc ægrotum ſe clamaret. Vide S. Auguſtinum, lib. *de Natura & gratia*, cap. 34. n. 38, Serm. 18, olim. 29 *de Verbis Apoſtoli*, n. 4, & Serm. *de Urbis excidio*, cap. 5. Non ait etiam, ut obſervat S. Doctor, tract. 5 in 1 Epiſt. S. Joannis, n. 1: ſi dixerimus quoniam peccatum non habuimus, ne fortè de præterita vita dictum videretur; ſed, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus*, ut oſtendat juſtos etiam provectos non vivere ſine ullo peccato.

Denique omnes Chriſtiani, quantùmvis perfecti ſint, quotidie dicere jubentur in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* quod non veraciter dicerent, ſi omni prorſus carerent delicto. Unde S. Auguſtinus, Epiſt. 157, olim 89, ad Hilarium, cap. 1. n. 2: „ Omnibus, inquit, neceſſaria eſt oratio „ Dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, id eſt, Apoſtolis ſuis, „ Dominus dedit, ut unuſquiſque Deo dicat: *dimitte nobis debita noſtra* &c. Cui enim hæc in oratione verba neceſſaria non fuerint, ipſe hic ſine peccato vivere pronuntiandus eſt: quales ſi aliquos futuros „ Dominus præviderat, meliores utique quàm extiterunt ejus Apoſtoli, „ aliam orationem illos doceret, quâ non peterent dimitti ſibi peccata, „ quibus in baptiſmo fuerant omnia jam dimiſſa.“

Aliud è Scripturis argumentum eruit S. Doctor, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 10. Si qui fuerunt homines ſancti ſine ullo peccato, maximè Noë, Job & Daniel, quorum ſanctitatem præcipuè commendat Ezechiel Propheta, cap. XIV. 14, his verbis: *Si fuerint tres viri iſti in medio ejus* (terræ), *Noë, Daniel & Job, ipſi juſtitiâ ſuâ liberabunt animas ſuas,..... ipſi ſoli liberabuntur.* Atqui non vixerunt illi ſine ullo peccato. Noë inebriatum fuiſſe memorat Scriptura ſacra, Geneſ. IX. Daniel propria ſua peccata confitetur, cap. IX. 20. *Cùm orarem*, inquit, *& confiterer peccata mea & peccata populi mei coram Deo meo.* Quibus verbis excluditur evaſio Pelagianorum dicentium ſanctos, cum orant, non ſua, ſed aliorum peccata, propter unius corporis ſocietatem, Deo confiteri. Job ſæpiſſimè agnoſcit ſe peccatorem. Cap. IX. 20: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem oſtendero, pravum me comprobabit.* Et cap. XIV. 16 & 17: *Tu quidem greſ-*

greſſus meos dinumeraſti; ſed parce peccatis meis. Signaſti, quaſi in ſacculo, delicta mea; ſed curaſti iniquitatem meam. Ergo nullus hominum eſt hac in vita ſine peccato.

Hinc S. Paulus, indicans quid in ordinandis Epiſcopis & Diaconis requiratur (in Epiſtolis ad Timotheum & ad Titum), non ait, ſi quis ſine peccato eſt, ſed *ſi quis ſine crimine eſt*, eoquòd ſint aliqui homines ſine crimine, ſine peccato autem nulli prorſus, ut obſervat Auguſtinus, tract. 41 in Joannem, n. 9, & lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 14. n. 28.

Probatur 2° ex SS. Patribus.

S. Cyprianus, in lib. *de Oratione Dominica*, ad hæc verba, *ſanctificetur nomen tuum*, ait: „ Opus eſt enim quotidianâ ſanctificatione, ut, qui „ quotidiè delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſſiduâ repurge- „ mus.“ Et rurſus, ad iſtam precem: *Dimitte nobis debita noſtra* &c: „ Quàm neceſſariè autem, quàm providenter & ſalubriter admonemur „ quòd peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur!..... „ Ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, in- „ ſtruitur & docetur peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis ju- „ betur orare.“ Et lib. 3 *Teſtimoniorum ad Quirinum*, cap 54, probat ex Scripturis *neminem ſine ſorde aut peccato eſſe.* Alia teſtimonia non minùs expreſſa, ex lib. *de Opere & Eleemoſynis* & libro *de Mortalitate*, laudat S. Auguſtinus lib. 4 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 10. n. 27.

Origenes, in cap. 2 Epiſt. ad Rom. in hæc verba, *gloria*, *& honor*, *& pax omni operanti bonum*, eamdem veritatem clarè adſtruit. „ Quotusquiſque, ait, invenietur in terris, qui ita vitam ſuam libret, ut „ in nullo penitus delinquat? Sed & Joannes Apoſtolus in Epiſtola ſua „ evidenter etiam opinionem ejuſmodi notat, cum dicit: *Si quis dicit* „ *quia peccatum non habet, mendax eſt, & veritas in eo non eſt.*“

S. Ambroſius, quem ſibi conſentire jactabant Pelagiani, non minùs diſertè contra illorum opinionem loquitur in libro *in Iſaiam*, apud S. Auguſtinum, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 49. n. 54, & lib. 4 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 11. n. 31. Docet ſiquidem „ hoc in „ mundo neminem eſſe qui immunis ſit à peccato, cùm ipſe Joannes „ dicat: *Si dicimus quia non peccavimus, mendacem facimus illum.*“ Et rurſus: „ Videmus, inquit, impoſſibile eſſe ut perfectè quis immacula- „ tus eſſe poſſit in corpore conſtitutus, cum etiam Paulus imperfectum „ ſe dicat...... Utique, ſi minutiùs diſcutias, immaculatus eſſe nemo „ poteſt, quia nemo ſine peccato.“ Alia ejusdem teſtimonia luculentiſſima referuntur ibidem, quæ S. Doctoris mentem ambiguam eſſe non patiuntur.

S. Hieronymus hoc caput ex profeſſo tractat in Dialogo 1 & 2 *adverſùs Pelagianos*, & in Epiſtola *ad Cteſiphontem.*

Digitized by Google

S. Auguſtinus multis in locis jam citatis idipſum invictè demonſtrat tum Scripturarum oraculis, tum etiam quotidiano experimento. „Quid „ verius, inquit lib. *de Spiritu & littera*, cap. 36. n. 64, his (præceptis dilectionis Dei & proximi) „ impletis, impleri omnino juſti- „ tiam? Veruntamen, qui hoc attendit, etiam illud attendat, quàm „ in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, „ placere vel non diſplicere quod facimus, & poſteà, per Scripturam „ ejus, ſive certâ & perſpicuâ ratione commoniti, cùm didicerimus „ quòd ei non placeat, pœnitendo precamur ut ignoſcat. Plena hu- „ mana vita eſt documentis talibus."

S. Leo, Serm. 7 in Epiphania, cap. 3: „ Dicente B. Joanne, *ſi dixe-* „ *rimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in* „ *nobis non eſt*, quis invenietur ita immunis à culpa, ut in eo non ha- „ beat vel juſtitia quod arguat, vel miſericordia quod remittat?" Idem docet Serm. 12 in Quadrageſ. cap. 2.

S. Fulgentius hoc inter certiſſima catholicæ fidei dogmata recenſet, lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 41. „ Firmiſſimè tene, & nullatenus du- „ bites, etiam inter juſtos atque ſanctos homines, exceptis his qui „ baptizati parvuli ſunt, ſine peccato hic neminem vivere poſſe; ſem- „ perque omni homini neceſſarium eſſe, & peccata ſua usque ad finem „ vitæ præſentis eleemoſynis diluere, & remiſſionem à Deo humiliter „ ac veraciter poſtulare."

Atteſtantur etiam huic veritati Paulus Oroſius in *Apologetico*; S. Gregorius magnus, lib. 4. *Moral.* cap. 21. n. 24 & 25, & in pſalmum 2[um] pœnitentialem, v. 1; Eccleſia Lugdunenſis, lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 10; S. Bernardus, ſerm. 1 *in Cœna Domini*, n. 4 & 5, & alii.

Probatur 3° definitionibus Conciliorum. Concilium Carthaginenſe anni 418, quod fuit totius Africæ plenarium, & ab univerſa Eccleſia approbatum, rem definivit, & Pelagianorum effugia præcluſit tribus canonibus. Canone 7: „ Placuit, quod ait S. Joannes Apoſtolus, *ſi dixe-* „ *rimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in* „ *nobis non eſt*, quisquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter „ humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia verè „ ita eſt, anathema ſit...... Poterat enim Apoſtolus dicere: Si dixeri- „ mus quia non habemus peccatum, nos ipſos extollimus, & humilitas „ in nobis non eſt. Sed, cùm ait, *nos ipſos decipimus, & veritas in* „ *nobis non eſt*, ſatis oſtendit, eum qui dixerit ſe non habere pecca- „ tum, non verum loqui, ſed falſum." Can. 8: „ Item placuit ut, „ quicunque dixerit in oratione Dominica ideò dicere ſanctos, *dimitte* „ *nobis debita noſtra*, ut non pro ſeipſis hoc dicant, quia non eſt eis „ jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis qui ſunt in ſuo populo pec- „ catores; & ideò non dicere unumquemque ſanctorum, dimitte mihi „ de-

Digitized by Google

„ delicta mea, ſed *dimitte nobis debita noſtra*, ut hoc pro aliis potiùs „ quàm pro ſe juſtus petere intelligatur, anathema ſit." Et Can. 9: „ Item placuit ut, quicunque ipſa verba Dominicæ orationis, ubi dicimus, *dimitte nobis debita noſtra*, ita volunt à ſanctis dici, ut humiliter, non veraciter, hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat „ orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis „ ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur, debita „ non habere?"

Illas ſanctiones confirmavit ſynodus Tridentina, ſeſſ. 6 de Juſtificatione, can. 23, cujus verba ſupra relata ſunt.

Poſtremò probatur ratione evidenti petitâ ex naturæ corruptione, & caritatis hac in vita imperfectione. Cum enim gratiæ auxilia proportionem habere ſoleant cum gradu gratiæ habitualis, gratia autem habitualis nunquam tanta ſit in hac vita, ut concupiſcentiam penitus expellat, hinc in juſtis, etiam provectioribus, ſurgunt plurimi motus inordinati, quibus etſi ſingulis homo reſiſtere poteſt, non tamen univerſis, quia, dum uni reſiſtitur, alius latenter ſubrepit & maculat ſæpè neſcientem. Ita S. Thomas, 1. 2. q. 109. art. 8. „ Non poteſt, inquit, abſtinere „ homo ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitûs ſenſualitatis, cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt „ (& ex hoc habent rationem peccati & voluntarii), non autem omnes; quia, dum uni nititur reſiſtere, fortaſſis alius inſurgit; & etiam „ quia ratio, peccato debilitata, non ſemper poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos." Igitur ex concupiſcentiæ fomite, qui penitus non extinguitur hac in vita, ineſt juſtis ipſis quædam venialiter peccandi neceſſitas, „ donec tota ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta „ libertas, in qua ſicut neceſſe eſt permaneat beatè vivendi voluntas, „ ita ſit etiam benè vivendi & nunquam peccandi voluntaria felixque „ neceſſitas," ut ait S. Auguſtinus, lib. *de Perfectione juſtitiæ hominis*, cap. 4. n. 9. Unde S. Petrus, 1 Epiſt. cap. II. 22, ad oſtendendum nullum in Chriſto fuiſſe peccatum, dicit nullum eum feciſſe peccatum, nec dolum inventum eſſe in ore ejus: & hoc valde conſequenter. „ Profectò enim, inquit idem S. Doctor, lib. 5 contra Julian. cap. 15. n. 57, „ peccatum etiam major feciſſet, ſi parvus habuiſſet. Nam propterea nullus eſt hominum, præter ipſum, qui peccatum non fecerit, „ ætatis grandioris acceſſu, quia nullus eſt hominum, præter ipſum, „ qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu."

Quamobrem multùm differt ſtatus juſtorum, prout nunc ſunt, à ſtatu innocentiæ. In illo ſtatu caritas nondum erat plena & perfecta, ideòque poterat homo peccare; ſed, quia nulla erat infirmitas, poterat etiam non peccare. Nunc verò juſti non tantùm caritatem habent imperfectam, unde à juſtitia deficere ſemper poſſunt; verùm etiam nondum

Digitized by Google

dum integrè ſanati ſunt, & idcirco ſine ullo peccato vivere omnino non poſſunt.

Hinc ſolvitur tertia quæſtio ſupra ab Auguſtino propoſita, cur videlicet, cùm homo abſolutè poſſit eſſe ſine peccato per auxilium gratiæ, nemo tamen ſine peccato aut vixerit aliquando, aut victurus ſit. Hujus rei duplicem rationem affert S. Doctor, unam proximam, alteram remotam.

Cauſa proxima eſt naturæ infirmitas, nimirùm ignorantia & difficultas boni. „ Eſſet namque in hominibus perfecta juſtitia, inquit lib. *de Spiritu & littera*, cap. 35. n. 63, „ ſi tanta voluntas adhiberetur, „ quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil, eorum quæ „ pertinent ad juſtitiam, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, „ ut, quidquid aliud voluptatis doloriſve impedit, delectatio illa ſuperaret: quod ut non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad judicium „ Dei pertinet. Quis enim neſciat non eſſe in hominis poteſtate quid „ ſciat, nec eſſe conſequens ut, quod appetendum cognitum fuerit, „ appetatur, niſi tantùm delectet, quantùm diligendum eſt? Hoc autem ſanitatis eſt animæ.“

Cauſa remota, indirecta & negativa, eſt permiſſio Dei, cui placuit hominis, quandiu mortaliter vivit, infirmitatem integrè non ſanare; ut ſcilicet non altum ſapiat, ſed humilibus conſentiat, & à gratiæ adjutorio ſemper pendere ſe intelligat. „ Sicut enim, ait S. Bernardus, ſerm. 1 *in Cœna Domini*, n. 5, „ Deus, ad humiliandos nos, adhuc concupiſcentiam patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut ſentiamus quid nobis gratia præſtet, & ſemper ad illius auxilium recurramus; ſic & de minoribus iſtis peccatis pià diſpenſatione nobiſcum agitur, ut non penitus auferantur, ſed in illis nos erudiat Deus, ut, „ cùm minima cavere non poſſumus, certi ſimus quòd non noſtris viribus majora ſuperemus; ſemperque timorati & omnino ſolliciti ſimus, „ quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter „ neceſſariam eſſe ſentimus.“ Proinde in hac agendi ratione non tantum elucet juſtitia Dei, peccatum in quo concepti & nati ſumus, ipſius nonnullas reliquias relinquendo, puniens, ſed etiam ipſius miſericordia illas ipſas reliquias in bonum noſtrum convertens. „ Nec in eo ipſe vult nos „ damnabiles eſſe, inquit S. Auguſtinus, lib. 2. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 19. n. 33, „ ſed humiles, commendans nobis eamdem „ gratiam ſuam; ne, facilitatem in omnibus aſſecuti, noſtrum putemus „ eſſe quod ejus eſt: qui error multum eſt religioni pietatique contrarius.“

Non tamen iſtud ſic accipiendum eſt, quaſi Deus aliter non poſſit nos à ſuperbiæ morbo ſanare, quàm infirmitates, unde humiliemur, nobis relinquendo. Poſſet omnino, ſi vellet; ſed hunc modum judicio elegit, „ nec ordinem ſanandi accipit ab ægroto, ut optimè ait idem S. Doctor, lib.

Digitized by Google

lib. *de Natura & gratia*, cap. 27. n. 31. „ Procul dubio quippe firmiſ-
„ ſimum Apoſtolum volebat efficere, cui tamen dixit: *virtus in infir-*
„ *mitate perficitur;* & non ei toties oranti aufert neſcio quem ſtimulum
„ carnis, quem ſibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extol-
„ leretur. Cætera enim vitia tantùm in malefactis valent; ſola autem
„ ſuperbia etiam in rectè factis cavenda eſt.“

Multò minùs inde concludendum eſt peccandum eſſe, ut detur humilitati locus, ſed adverſus ipſam maximè ſuperbiam, propter quam in peccatis & infirmitatibus humiliamur, & vigilanter conandum, & ardenter ad Deum confugiendum nobis eſt, ſimul intelligentibus, & quòd ſic conamur & quòd ſic deprecamur, dono illius nos habere, cui gratiarum actiones inceſſanter rependere jubemur. „ Non itaque dicitur „ homini, pergit Auguſtinus, n. 32: neceſſe eſt peccare, ne pecces (per ſuperbiam); „ ſed dicitur homini: deſerit aliquantum Deus, unde „ ſuperbis, ut ſcias non tuum, ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non „ eſſe.“ Præterea, licet peccata venialia omnino evitari in hac vita non poſſint, poſſunt tamen illa evitari, quæ ſcienter & ex deliberatione committuntur. Talia quippe non faciunt qui in caritate multùm provecti ſunt; ſed tantùm per incogitantiam ac ſubreptionem delinquunt, &, quantò quiſque in juſtitia proficere ſtudet, tantò rarius & leviùs peccat.

Dixi, exceptâ B. Virgine Mariâ, quam conſtat Eccleſiam in memoratis ſuis definitionibus noluiſſe comprehendere, ut expreſſè obſervat concilium Tridentinum. Hinc, cùm multos ſanctos & ſanctas, atque inter illos matrem Chriſti, commemoraſſet Pelagius, quos ſine peccato vixiſſe aſſerebat, ſic reſpondet S. Auguſtinus, ibidem, cap. 36. n. 42:
„ Exceptâ S. Virgine Mariâ, de qua, propter honorem Domini, nul-
„ lam prorſus, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem (un-
„ de enim ſcimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum
„ omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit quem con-
„ ſtat nullum habuiſſe peccatum?): hâc ergo Virgine exceptâ, ſi omnes
„ illos ſanctos & ſanctas, cum hic viverent, congregare poſſemus, &
„ interrogare utrùm eſſent ſine peccato,..... nonne unâ voce clamaſ-
„ ſent: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus,*
„ *& veritas in nobis non eſt?*“ Idem ſentiunt S Bernardus, Epiſt. 174; S. Anſelmus, tract. *de Conceptu virginis & originali peccato*, cap. 18; Rupertus, lib. 7 *de Glorificat. Trinitatis*, cap. 30, & lib. *Super Canticum*, cap. 39; S. Thomas, part. 3. q. 27. art. 9, & omnes ferè poſt ipſum Theologi.

Aliter quidem ſentire, & aliquam vel in fide hæſitationem, vel vanam gloriam ſanctæ Virgini attribuere videntur Tertullianus, lib. *de Carne Chriſti*, cap. 7; Origenes, hom. 17 in Lucam; S. Baſilius, Epiſt. 137; S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 12 in Joannem; S. Chryſoſtomus, hom.

hom. 45 in Matthæum, & hom. 21 in Joannem Verùm, ſalvâ, quæ illis debetur, reverentiâ, hîc deſerendi ſunt, cum & ſoli ſint, & aliunde nullo legitimo nitantur fundamento.

Solvuntur objectiones Pelagianorum.

Objiciebant Pelagiani 1° hunc textum 1 Epiſtolæ B Joannis, cap. III 9: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen illius in eo manet.* 2°. Nobis præcipi ut perfecti ſimus, abſque ullo peccato. Matth. V. 48: *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* An verò Chriſtus juberet id fieri, quod ſciret nullum hominem facturum eſſe? 3°. Quoſdam homines perfectos dici Philipp. III: *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* At perfectus non eſt qui adhuc peccatis obnoxius eſt. 4°. De Zacharia & Elizabeth ſcriptum eſſe, Lucæ I. 6, quòd *incederent in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela*, hoc eſt, ſine ullo peccato. 5°. Peccata quælibet rectè imputari: non poſſe autem imputari homini, ſi hoc non eſt quod eſſe non poteſt: proinde ex doctrina Catholicorum ſequi magnum incommodum, videlicet hominem peccare ſimul & non peccare; peccare, quia non vivit ſine aliquo peccato; non peccare, quia univerſa peccata vitare non poteſt.

Reſpondeo ad ſingula cum S. Auguſtino.

Primum plus probaret quàm volebant Pelagiani: probaret quippe nullum eſſe juſtum qui aliquando peccet; quod illi hæretici dicere nunquam auſi ſunt. Igitur explico textum S. Joannis. Omnis qui natus eſt ex Deo perfectè, peccatum non facit, concedo: qui natus eſt imperfectè, iterum explico: non peccat in quantùm eſt natus ex Deo, concedo; quatenus aliquid priſtinæ vetuſtatis adhuc retinet, nego. Inchoatur quidem hîc in nobis ſpiritualis generatio, quia primitias & pignus ſpiritûs recipimus, ſed non perficitur in nobis quandiu manemus in corpore mortis hujus. Quamobrem generalis reſurrectio vocatur à Chriſto, Matth. XIX. 28, *regeneratio*, quia tunc erimus plenè filii Dei. *In regeneratione*, inquit, *cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ* &c. Et S. Paulus, 2 Cor. IV. 16, ait: *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem.* Porro „ qui de die in diem adhuc renovatur, ait Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 7. n. 9 & 10, „ nondum totus eſt „ renovatus, & in quantum nondum eſt renovatus, in tantùm adhuc in „ vetuſtate eſt...... Proficimus ergo in renovationem juſtamque vitam „ per quod filii Dei ſumus, & per hoc peccare omnino non poſſumus, „ donec totum in hoc transmutetur etiam illud per quod adhuc filii „ ſæculi ſumus, per hoc enim & peccare adhuc poſſumus. Ita fit ut „ & qui natus eſt ex Deo non peccet, &, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipiamus, & veritas in nobis non ſit," ut teſtatur idem Apoſtolus. Eodem modo reſpondet S. Doctor Donatiſtis conantibus probare ex illo textu Eccleſiam, etiam in terris, non habere

habere maculam aut rugam: Epiſt. 185, olim 50, ad Bonifacium, cap. 9. n. 38 & 39.

Ad 2um reſpondet S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 16. n. 23, Chriſtum, præcipiendo nobis ut perfecti ſimus, oſtendere quò tendere totis voluntatis viribus debeamus, non quò pervenire poſſumus in hac vita, ubi *corpus*, *quod corrumpitur*, *aggravat animam*, & *deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem:* rectè tamen hoc præcipi, „ ut, quicunque in præceptis Dei obedienter & piè „ proficientes, non tamen omnia quæ præcipit implentes, ſicut ſibi „ dimitti volunt, ſic aliis peccata dimiſerint, ipſe faciat in eorum mun- „ datione quod bonum eſt.“

Ad 3um reſpondet aliquos juſtos perfectos dici ſecundùm quid, non ſimpliciter, idque probat ex eo quòd in ipſo loco, ubi Apoſtolus perfectis ſeſe annumerat, disertè fatetur ſe nondum eſſe perfectum. „ Vir- „ tus, quæ nunc eſt in homine juſto, ait S. Doctor, lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7. n. 19, „ perfecta hactenus nominatur, „ ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipſius imperfectionis & in ve- „ ritate cognitio, & in humilitate confeſſio. Tunc enim eſt, ſecun- „ dùm hanc infirmitatem, pro ſuo modulo perfecta iſta parva juſtitia, „ quando etiam quid ſibi deſit intelligit. Ideòque Apoſtolus & imper- „ fectum & perfectum ſe dicit: imperfectum ſcilicet, cogitando quan- „ tùm illi ad juſtitiam deſit, cujus plenitudinem adhuc eſurit & ſitit; „ perfectum autem, quòd & ſuam imperfectionem confiteri non eru- „ beſcit, &, ut perveniat, benè procedit: ſicut poſſumus dicere perfec- „ tum eſſe viatorem, cujus benè promovetur acceſſio, quàmvis non per- „ ficiatur intentio, niſi fuerit facta perventio.“

Ad 4um reſpondet, lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 11. n. 24, „ aliud „ eſſe ſine peccato eſſe, quod de ſolo in hac vita Unigenito dictum eſt; „ aliud eſſe ſine querela, quod de multis juſtis etiam in hac vita dici „ potuit, quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in iſta „ humana converſatione juſta querela eſſe non poſſit.“ Hoc ſenſu dicuntur Zacharias & Elizabeth ambulaſſe in mandatis Domini ſine querela, non ſolùm coram hominibus, ſed etiam coram Deo cordium inſpectore, „ quia homines nullâ diſſimulatione fallebant, ſed, ut appare- „ bant hominibus, ita noti erant oculis Dei,“ ut ait S. Doctor, *lib. de Gratia Chriſti*, cap. 48. n. 53, ubi objectionem ex S. Ambroſio ductam ſolvit. Cæterùm Zachariam ſine ullo peccato non vixiſſe ex eo manifeſtum eſt, quòd, teſte Apoſtolo, Hebr. VII. 26, ſolus Chriſtus ſit, qui neceſſitatem non habuerit priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. Ergo cæteri omnes ſacerdotes, ſive in veteri, ſive in novo teſtamento, opus habent pro ſuis propriis delictis ſacrificium offerre. „ Sicut ergo nunc per orationis ſacrificium convincimur non eſſe „ ſine peccato, quia juſſi ſumus dicere, *dimitte nobis debita noſtra;* ita

„ & tunc per ſacrificia victimarum animalium convincebantur ſacerdotes „ ſine peccato non eſſe, qui pro ſuis peccatis jubebantur offerre.“ Ita S. Doctor, Epiſt. 177, olim 95, ad Innocentium, n. 16, & lib. 2 *de Peccat. merit. & remiſſ.* cap. 13. n. 19.

Tournely, tract. de Grat. tom. 2. p. 238. Ad 5um reſpondent nonnulli Deum non præcipere ut omnia collectivè peccata venialia vitentur, ſed ſingula duntaxat & in particulari. Sed hæc reſponſio nulla eſt. Nam ſi non præcipit Deus ut omnia collectivè peccata vitentur, ergo non peccat homo non vitando omnia collectivè peccata; quod abſurdum eſt. Igitur „ negandum non eſt, ait Auguſtinus, lib. jam citato *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 16. n. 23, „ hoc Deum jubere, ita nos in facienda juſtitia debere eſſe perfectos, „ ut nullum habeamus omnino peccatum.“ Quamobrem melius reſpondetur juſtè imputari homini peccata venialia, quàmvis omnia ſimul vitare non poſſit; tum quia illa impotentia ſe tenet ex parte voluntatis, quam juſtitia non ſatis delectat, ut nunquam ab ea deviet. „ Eſſet, „ enim perfecta juſtitia, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit „ tantæ rei,“ ut dicentem ſupra audivimus Auguſtinum; tum quia pœna eſt præcedentium peccatorum, ac præſertim originalis. Ita reſpondet Cælcſtio S. Doctor, lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 6. n. 13, „ ideò eſſe culpam hominis, quòd non eſt ſine peccato; quia ſolâ ho- „ minis voluntate factum eſt ut ad illam neceſſitatem veniret, quam „ ſola voluntas hominis ſuperare non poſſit.“

ARTICULUS SECUNDUS.

De amiſſibilitate juſtitiæ.

Circa amiſſibilitatem juſtitiæ duo errores oppoſiti occurrunt, unus hæreticorum, qui juſtitiam ſemel habitam nunquam amitti poſſe docuerunt; alter malorum Chriſtianorum & laxiorum confeſſariorum, qui exiſtimant veram juſtitiam frequenter amitti & recuperari ſolere, vitamque chriſtianam cadendo & reſurgendo plerùmque tranſigi.

Primum errorem amplexi ſunt 1° Heracleonitæ, qui ſentiebant, ſi qua ſit *Prædeſtinato* fides, Hær. 16, *ſemel baptizatum non recipere peccatorum reatum, etiam quantavis fuerint operibus ejus peccata permixta.*

2°. Jovinianus, teſtibus S. Hieronymo, lib. 2 adverſus ipſum, & S. Auguſtino, lib. *de Hæreſibus*, hæreſ. 82, dicebat „ non poſſe peccare „ hominem lavacro regenerationis accepto.“

In fine Magiſtri Sententiarum. 3°. Guido ordinis Eremitarum S. Auguſtini revocavit anno 1354, „ tanquam falſam & hæreticam, & etiam quæ enervat effectum ſacra- „ mentorum baptiſmi & pœnitentiæ,“ iſtam concluſionem à ſe prius aſſertam: „ Caritas, quæ ſemel labitur vel deperditur, nunquam fuit „ vera caritas.“

4°.

4°. Kemnitius, è grege Lutheranorum, cenſuit fidelem poſſe amittere juſtitiam, ſed eam ſemper ante mortem recuperare.

5°. Calvinus ejusque ſectatores definierunt fidelem peccare quidem poſſe, & graviſſimè, ſed non idcirco juſtitiam amittere; eòquòd fides juſtificans in medio criminum & flagitiorum ſopitur tantummodò, non extinguitur: qua in doctrina duo errores includuntur; unus juſtitiam chriſtianam nunquam amitti; alter eam conſiſtere cum peccatis graviſſimis, excepto ſolo peccato infidelitatis conſummatæ, in quod fidelem nunquam labi affirmat Calvinus.

Utrumque anathemate percutit ſynodus Tridentina, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, tribus diſtinctis canonibus. Can. 17: „ Si quis juſtificationis „ gratiam nonniſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos „ verò omnes qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipe- „ re,..... anathema ſit.“ Can. 23: „ Si quis hominem ſemel juſtifi- „ catum dixerit ampliùs peccare non poſſe, neque gratiam amittere, „ atque adeò, eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuiſſe juſtifica- „ tum,..... anathema ſit.“ Et can. 27: „ Si quis dixerit nullum eſſe „ mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio, quantùmvis gra- „ vi & enormi, præterquàm infidelitatis, peccato ſemel acceptam gra- „ tiam amitti, anathema ſit.“

Ab iſto poſtremo errore, quo juſtitia cum gravi peccato conjungitur, non ſatis cavit auctor libri, alias optimi, cujus titulus: *Theologia moralis S. Auguſtini*, Pariſiis editi anno 1686, docendo juſtum, qui, gravi metu aut paſſione ſubitâ ac vehementi abreptus, peccato alioqui mortali, v. g. fornicationi, conſentit, & in actum tranſeuntem erumpit, & citò reſipiſcit, non perdidiſſe gratiam. Eadem mens fuiſſe videtur recentioris auctoris duodecim Epiſtolarum *de Juſtitia Chriſtiana*, in quarum nona definit, quando objectum peccati eſt grave & offendit graviora legis, & conſenſus in illud objectum eſt plenus & integer, ordinariè (& non ſemper) peccatum eſſe mortale & juſtitiæ deſtructivum.

Contra varios iſtos errores tria ſtatuemus. 1°. Oſtendemus, adverſùs Calvinianos, juſtitiam poſſe amitti, & reipſâ amitti per gravia peccata, eamque juſtitiam, quæ amittitur, non idcirco falſam fuiſſe. 2°. Probabimus juſtum, qui conſentit in peccatum ex natura ſua mortale, amittere juſtitiam, etiamſi ex vehementi paſſione ac tentatione cadat, & citò ad ſe redeat. 3°. Oſtendemus juſtitiam, quàmvis amiſſibilem, habere certum ſtabilitatis gradum, majorem vel minorem, prout ipſa provectior vel debilior eſt, adeòque frequentibus lapſibus in peccata mortalia non interrumpi.

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Juſtitia poteſt amitti, ac reipſâ amittitur per peccatum grave.

PROBATUR ex Scripturis multiplici argumento.

1um. Scripturæ docent juſtum poſſe avertere ſe à juſtitia, & in peccato mori. Ezech. III. 20: *Si converſus juſtus à juſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: ipſe morietur,..... in peccato ſuo morietur, & non erunt in memoria juſtitiæ ejus quas fecit.* Et cap. XVIII. 24 & 26: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundùm omnes abominationes quas operari ſolet impius, numquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione quâ prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccavit, in ipſis morietur...... Cùm enim averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis, in injuſtitia, quam operatus eſt, morietur.*

Hebr. VI. 4 & ſeq. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti, guſtaverunt nihilominùs bonum Dei verbum virtutesque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt. rurſus renovari ad pœnitentiam* &c. Ergo illuminati & juſtificati poſſunt prolabi, & aliquando prolabuntur in peccata mortalia.

Ibidem, cap. X. 26 & ſeq *Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibusdam...... Voluntariè enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi ſine ulla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus, moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Loquitur ibi Apoſtolus de veris juſtis ſanguine Chriſti ſanctificatis & ſpiritu gratiæ renovatis, & ſupponit eos nihilominùs peccare æternisque ſuppliciis damnari poſſe.

1 Cor. III. 16: *Neſcitis quoniam templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Quid clarius quàm hominem templum Dei effectum poſſe, ex Apoſtolo, violare in ſemetipſo templum Spiritûs ſancti, & propter hoc diſperdi à Deo?

2 Petr. II. 20 & 21: *Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis*

Digitized by Google

illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod eis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii: canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.

Reſpondent Calviniani in his locis vel juſtos fictos & hypocritas debere intelligi, vel hypotheſim fieri impoſſibilem. Verùm utraque reſponſio ipſâmet textuum perſpicuitate refellitur. Et ſanè ficti juſti non poſſunt excidere à juſtitia, quam, hoc ipſo quòd ficti ſupponuntur, nunquam habuerunt. Modus autem loquendi Scripturæ non ſignificat quid eveniret in caſu impoſſibili, ſed quid reipſâ accidat, ut cuivis non præoccupato lectio ipſa demonſtrat.

2°. Scriptura ſeriò nos hortatur ad perſeverandum in juſtitia. Matth. XXIV. 12 & 13: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Heb. X. 25: *Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibusdam.* Et cap. XII. 7: *In diſciplina perſeverate.* At ſi nullus juſtus eſt qui non perſeveret uſque in finem, inutilis eſt hujusmodi exhortatio. Ergo, ut ſeria ſit ea exhortatio, agnoſcendum eſt aliquos non perſeverare. Quid autem eſt perſeverare, niſi, id quod habetur, conſtanter retinere? Igitur ſicut juſti, qui perſeverant, firmiter ſtant in juſtitia & eam non amittunt, ita juſti qui non perſeverant, à juſtitia, quam habuerunt, excidunt, eamque amittunt. „ Liquet ergo, ait S. Bernardus in tract. *de Moribus & officio Epiſcoporum*, cap. 4. n. 16, „ non omnes qui ha„ buerint caritatem, habere & perſeverantiam in caritate: alioquin fruſ„ tra commoneret diſcipulos Dominus: *manete*, inquiens, *in dilectione* „ *mea.* Aut enim, ſi necdum diligebant, non debuerat dicere, *manete*, „ ſed *eſtote* in dilectione mea: aut, ſi jam diligebant, neceſſe non erat „ moneri de perſeverantia, quâ, ſecundùm iſtos, privari non pote„ rant."

3°. Multos juſtos commemorat Scriptura, qui à juſtitia defecerunt, alii ad tempus, alii pro ſemper. David erat juſtus Deoque gratus, antequàm adulterio & homicidio pollueretur. Quis autem dicere audeat juſtum illum talia committendo remanſiſſe? Ponamus eum mortuum eſſe, nondum actâ pœnitentiâ: ſalvus futurus eſſet, an non? Si à ſalute excludendus eſſet, ergo juſtitiam amiſit; eâ quippe conſervatâ, non poſſet non eſſe ſalvus. Quomodò autem ſalvus eſſe potuiſſet ea faciendo, quæ, teſte Apoſtolo, claudunt januam regni cœlorum? Et verò juſtus non eſt, cujus non ſunt remiſſæ iniquitates, maximè in doctrina Calvini, affirmantis juſtificationem conſiſtere formaliter in remiſſione peccatorum. Atqui de fide eſt crimina Davidis remiſſa non fuiſſe, priusquàm à Propheta Nathan commonitus peccatum ſuum agnoſceret ac defleret. Ergo integro illo anno, qui effluxit à ſuo lapſu uſque ad Nathanis correptionem, David juſtitiam non retinuit.

Digitized by Google

Salomonem primis regni ſui annis juſtum coram Deo extitiſſe, & ſacer textus innuit, & Calviniani fatentur. At eumdem, dum mulieres alienigenas adeò deperibat, ut in earum gratiam templa falſis numinibus extrueret, juſtum permanſiſſe quis credat, dicente Apoſtolo, 2 Corinth. VI. 14 & 16: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate...... Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?*

Act. VIII. 13: *Simon* (magus) *& ipſe credidit, &, cùm baptizatus eſſet, adhærebat Philippo.* Loquitur Scriptura eodem modo de ipſius fide, ac de fide aliorum per Philippum converſorum. Nec dicas Simonem non fuiſſe verè converſum. Litem dirimit S. Auguſtinus, lib. 1 de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. XI. „ Hanc eis, inquit, (Donatiſtis) „ quæſtionem ſolvendam proponimus: magus ille Simon utrùm vero „ Chriſti baptiſmate tinctus ſit? Reſpondebunt, ita, quia ſanctæ Scripturæ auctoritate coguntur. Quæro ergo utrum fateantur ei dimiſſa „ peccata? Profectò fatebuntur. Item quæro cur ei dixerit Petrus non „ eum habere partem in ſorte ſanctorum? Quia, inquiunt, poſteà peccavit, pecuniâ volens emere donum Dei, cujus venditores eſſe Apoſ„ tolos credidit.“

1 Tim. I. 20: *(Bonam conſcientiam) quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus eſt Hymenæus & Alexander.* Si bonam habentes conſcientiam naufragaverunt à fide, ergo & à juſtitia.

Ut autem exempla particularia prætermittam, certùm eſt, fatente Calvino, plurimos in infantia baptizatos, etiam filios fidelium, ad ſalutem non pervenire: tamen omnes, qui in infantia baptizantur, juſtificari conſtat, ex eoquòd baptiſmum, cùm nullas in parvulis diſpoſitiones exigat, gratiam in eis neceſſariò producit, aut ſaltem, ſecundùm ſectarios, obſignat. Ergo non omnes juſti perſeverant in juſtitia, ſed multi eam amittunt. Vide doctiſſimum opus Arnaldi, cui titulus: *Subverſio moralis Jeſu Chriſti per errores Calvinianorum circa juſtificationem*, lib. 7.

Renverſement de la morale de J. C. par les erreurs des Calviniſtes ſur la juſtification.

Præterea Calviniani conſentiunt veros fideles poſſe labi, ac reverà prolabi interdum, ac nimis ſæpè in peccata graviſſima, in adulteria, homicidia, ebrietates, & alia crimina, propter quæ mereantur etiam excommunicari & à cœtu fidelium expelli. Atqui abſurdum eſt aſſerere juſtitiam ſtare poſſe cum ejuſmodi criminibus, etiam multis annis perſeverantibus. Nam 1° peccata, quæ per ſe & ex natura ſua excludunt à regno cœlorum, excludunt conſequenter à juſtitia. Atqui dicta peccata per ſe & ex natura ſua excludunt à regno cœlorum, ex Apoſtolo, 1 Corinth. VI. 9. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidam fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis,*

ſed

Digitized by Google

ſed juſtificati eſtis. Galat. V. 19: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Et Epheſ. V. 5: *Hoc enim ſcitote intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo*, addit Apoſtolus, *vos ſeducat inanibus verbis* (qualia ſunt pſeudo-Reformatorum, affirmantium juſtitiam cum illis criminibus ſubſiſtere): *propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum;* alioquin etiam in vos ira Dei impendet. Nec dicant novatores excludi quidem à regno cœlorum qui in iſtis uſque ad mortem perſeverant, aut qui plenâ aut integrâ voluntate, ſine ullo conſcientiæ remorſu, in iſta ſeſe immergunt; neutrum autem veris fidelibus accidere, quia non penitus ſe tradunt iſtiuſmodi criminibus, & ante mortem reſipiſcunt. Nam, ut demus veros fideles nunquam in illis peccatis mori, quod tamen de ſolis electis verum eſt, ſaltem, quandiu in eis permanent, juſti non ſunt. Quo modò enim juſti eſſent in illo ſtatu, in quo, ſi morte interciperentur, ſine ulla dubitatione damnarentur? Multò adhuc dictu intolerabilius eſt, propterea juſtos illa committentes non amittere juſtitiam, quòd non ſine aliquo voluntatis reniſu ea committant, hoc eſt, quòd non tantâ malitiâ peccent, quantâ diabolus. Quaſi non dicat ſine ulla exceptione Apoſtolus omnes talia facientes hoc ipſo excludi à regno cœlorum. Hoc eſt Scripturam divinitùs inſpiratam recipere, an impiis commentariis pervertere?

2°. Tres hominum ſtatus diſtinguuntur à S. Paulo & à SS. Patribus, ante legem, ſub lege, ſub gratia. Qui ſunt in duobus primis ſtatibus, juſtitiæ exſortes ſunt, ſoluſque tertius ſtatus juſtorum eſt. Atqui proprius caracter hominum ſub gratia poſitorum eſt, quòd peccatum eis ampliùs non dominetur, Rom. VI. Qui verò adhuc graviter peccant, vel ante legem ſunt, ſi abſque ulla voluntatis reſiſtentia trahantur in malum; vel ſub lege, ſi pugnantes adverſus concupiſcentiam, ab ea ſuperentur. Ergo fideles, qui gravia peccata perpetrant & membra ſua exhibent ſervire immunditiæ & iniquitati, nullomodo juſti ſunt.

3°. Quàmvis, juxta Calvinianos, juſtitia non conſiſtat formaliter in caritate aliiſque virtutibus, fatentur tamen juſtitiam inſeparabilem eſſe à caritate & cæteris virtutibus. Quis verò dicat caritatem cum homicidiis, caſtitatem cum adulteriis, temperantiam cum ebrietatibus, aliaſque virtutes cum actibus voluntariis oppoſitorum vitiorum poſſe conſiſtere? Prorſus „ poſſibile non eſt, ait optimè Origenes, in cap. 4 Epiſt. ad Rom. ſub finem, „ ut habenti in ſe aliquid injuſtitiæ poſſit juſtitia „ reputari, etiamſi credit in eum qui ſuſcitavit Dominum Jeſum à mor-

„ tuis.

„ tuis. Injuſtitia namque cum juſtitia nihil poteſt habere commune, „ ſicut nec lux cum tenebris, nec vita cum morte. Ita ergo & credentibus quidem Chriſto, nec tamen deponentibus veterem hominem „ cum actibus ſuis injuſtis, fides reputari non poteſt ad juſtitiam. Simili autem modo poſſumus dicere quia, ſicut injuſto juſtitia non poteſt reputari, ita nec impudico pudicitia, nec iniquo æquitas, nec „ avaro liberalitas, nec impio pietas reputari poteſt, donec vetuſta „ vitiorum indumenta non abjicit, & novum ſe non induit hominem.“

Poſtremò Scriptura ſæpè hortatur juſtos ut timeant ne à juſtitia, quam receperunt, malè vivendo excidant. Pſalm. 2. vers. 11 & 12: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* „ Non „ ait (Propheta), ut ritè obſervat S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 9. n. 24, „ & non veniatis ad viam juſtam; ſed *ne pereatis*, „ inquit, *de via juſta:* quid oſtendens, niſi eos eſſe commonitos, qui „ jam ambulant in via juſta, ut in timore Deo ſerviant, id eſt, non „ altum ſapiant, ſed timeant ne pereant de via juſta, in qua ambulare „ jam cœperunt, dum ſibi hoc ipſum aſſignant, quòd in ea ſunt?“ Gentiles ad fidem converſos ac juſtificatos hortatur pariter S. Paulus ad iſtum ſaluberrimum timorem fovendum ac nutriendum. Rom. XI. 20 & 21: *Tu autem*, ait, *fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis* (Judæis) *non pepercit, ne fortè nec tibi* (extraneo & contra naturam radici inſerto) *parcat. Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt ſeveritatem; in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.*

Porro nihil eſt iſtâ exhortatione incongruentius & irrationabilius in ſententia Calvinianorum, qui volunt unumquemque verum fidelem de ſua perſeverantia & ſalute certum eſſe. Quis enim ſeriò timet illud malum, quod ſibi nunquam eventurum certiſſimus eſt? Quomodò in eadem mente ſimul ſtare poſſunt talis certitudo & talis timor? Si firmâ fide teneo me indubitanter perſeveraturum, non timeo ne non perſeverem; nam timor tantùm eſt mali quod conſideratur ut poſſibile reſpectu timentis. Contra, ſi timeo ne cadam, jam certus eſſe non poſſum me non caſurum.

Probatur 2° perpetuo Eccleſiæ conſenſu, qui apparet 1° ex diſputatione cum Novatianis, ſæculo 3, de pœnitentia. Catholicos inter & hæreticos conveniebat juſtificationem in baptiſmo acceptam amitti per peccatum grave ſubſequens, v. g. per idololatriam & abnegationem Chriſti coram perſecutoribus, nec poſſe recuperari niſi per alteram gratiam peccatum illud remittentem; & quæſtio in hoc verſabatur, an data ſit Eccleſiæ à Chriſto poteſtas remittendi peccata graviora, nec ne. Affirmabant Catholici; negabant Novatiani. Uno verbo, admittebatur utrimque juſtitiæ amiſſibilitas, de ſola autem recuperabilitate controvertebatur.

2°.

2°. Error Calvinianorum unanimi totius Eccleſiæ conſenſione damnatus eſt ſæculo 4 in Joviniano, ut teſtantur S. Hieronymus & S. Auguſtinus, hæreſ. 80.

3°. Pariter, in certamine cum Pelagianis 5 ſæculo, ſuppoſitum eſt utrimque, veluti certum & indubitatum, non omnes juſtos perſeverare in juſtitia, ſed alios quidem permanere in bono, alios à bono recedere; diſputatumque eſt tantummodò undenam oriatur diſcretio perſeverantium à non perſeverantibus, à gratia, an ex libero hominis arbitrio; Catholicis ad inſcrutabilia Dei judicia referentibus quòd, ex duobus piis, uni detur perſeverare, alteri non detur; Pelagianis verò ſoli humanæ voluntati diſcrimen illud adſcribentibus.

4°. Semipelagiani, ut Catholicorum doctrinæ à S. Auguſtino ſtrenuè defenſæ invidiam conflarent, eis calumnioſe imputabant quòd crederent, *ab eis qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferre perceptam gratiam originale peccatum*; quæ ſententia eſt Calvinianorum. At S. Proſper, Catholicorum nomine, ſententiam illam velut hæreticam rejicit, & gratiæ defenſoribus falsò imponi declarat in Reſponſione ad Capitula Gallorum, object. 2, & object. 15, ſentent. 2. „ Qui hoc „ dicit, non eſt Catholicus. Sacramentum enim baptiſmatis, quo om„ nia prorſus peccata delentur, etiam in eis verum eſt, qui non ſunt „ in veritate manſuri, & ob hoc ad vitam veram non ſunt prædeſtinati.“ Ergo hæc ſemper fuit conſtans Eccleſiæ, conſentientibus etiam hæreticis, doctrina, non ſolos prædeſtinatos juſtitiam percipere, atque adeò gratiam juſtificantem poſſe amitti, ac de facto amitti per peccatum mortale.

Probatur 3° ex SS. Patribus, quos ſibi adverſari cùm Calviniani concedunt, ſemetipſos damnant; ſiquidem nulla certior eſt erroris nota, quàm conſtanti SS. Patrum conſpiratione rejici. Unum ex omnibus referam Auguſtinum, cujus auctoritate novatores impudenter abuſi ſunt. Sic loquitur S. Doctor lib. *de Correptione & gratia*, cap. 8: „ Hic ſi à „ me quæratur cur eis Deus perſeverantiam non dederit, quibus eam, „ quâ chriſtianè viverent, dilectionem, hoc eſt, veram juſtitiam, de„ dit, me ignorare reſpondeo...... Mirandum eſt quidem, multùm„ que mirandum, quòd filiis ſuis quibusdam Deus, quos regeneravit „ in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſe„ verantiam...... Quis hoc non miretur? Quis non vehementiſſimè „ ſtupeat?“ Et cap. 9. n. 20, allato hoc textu S. Joannis, 1 Epiſtolæ II. 19: *Ex nobis exierunt; ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*, dicit filiorum Dei hanc vocem eſſe. Hoc autem dicendo, „ quid aliud dicunt, inquit, niſi non erant filii, „ hoc eſt, prædeſtinati, etiam quando erant in profeſſione & nomine „ filiorum? Non quia juſtitiam ſimulaverunt (ut Calvinus interpretatur,) „ ſed quia in ea non permanſerunt. Neque enim ait: nam, ſi „ fuiſſent ex nobis, veram, non fictam juſtitiam tenuiſſent utique no-

Digitized by Google

,, biſcum; ſed, *ſi fuiſſent*, inquit, *ex nobis*, *permanſiſſent utique nobiſ-*
,, *cum.* In bono illos volebat procul dubio permanere. Erant itaque
,, in bono, ſed, quia in eo non permanſerunt, id eſt, non usque in
,, finem perſeveraverunt, *non erant*, inquit, *ex nobis*, & quando erant
,, nobiſcum; hoc eſt, non erant ex numero filiorum" (nempe prædeſtinatorum), ,, & quando erant in fide filiorum." Vix potuiſſet S. Doctor, ſi Calvinum refellendum habuiſſet, dogma, quod adverſus illum nunc tuemur, expreſſioribus verbis adſtruere.

Non minùs perſpicuè illud aſſerit in Epiſt. 149, olim 59, *ad Paulinum*, cap. 2. n. 22, ubi ſic loquitur: ,, Ne quiſquam præſumptor (ut Calvinus extitit) ,, ita de occultis judicet alienis, ut dicat, idcò non
,, rapti ſunt ex hac vita, antequàm eſſent fidei deſertores, quia in ea-
,, dem vita non fideliter ambulabant, & hoc in eorum cordibus nove-
,, rat Dominus, quàmvis hominibus aliter appareret. Quid dicturus
,, eſt de infantibus parvulis, qui pleriſque, accepto in illa ætate chris-
,, tianæ gratiæ ſacramento, cùm ſine dubio pertinerent ad vitam æter-
,, nam regnumque cœlorum, ſi continuò emigrarent, ſinuntur creſcere,
,, & nonnulli etiam apoſtatæ fiunt?" Ergo, ex Auguſtino, certum eſt juſtificatos interdum perire, & in peccato mori, nec idcò credendum eorum juſtitiam fictam ac ſimulatam fuiſſe.

Probatur 4° ex horrendis conſectariis quæ ex novatorum ſententia naſcuntur. Præcipuum eſt quòd criminibus viam aperit, bonorumque operum negligentiam fovet. Quid enim juſtos à peccando potentiùs revocat, & ad bonum vehementiùs accendit, quàm ſcire juſtitiam, caritatem, æternamque hæreditatem amitti per quodcunque grave peccatum, ſolamque inutilitatem ſufficere ad damnationem? Hoc fræno ſemetipſos cohibent, ne obdormiant in morte & pereant de via juſta: hoc ſtimulo ſocordiam ſuam ad virtutum praxim excitant, & ſatagunt ut per bona opera certam ſuam vocationem & electionem faciant. At hoc frænum, hunc ſtimulum non habent Calvini diſcipuli, utpote qui per fidem ſpecialem, quam ſemel in ſemetipſis ſenſerunt, certò perſuaſi ſunt ſe prædeſtinatos eſſe, & à gratuito Dei favore, in quibuscunque criminibus vitam ducant, nunquam caſuros. Qualem, quæſo, peccati horrorem concipiet, cui ſemel perſuaſeris juſtum, qualem ſe eſſe certò credit Calvinianus, nullo peccato, quantùmvis enormi, à ſtatu juſtitiæ excidere? Qualem amittendæ juſtitiæ damnationiſque incurrendæ formidinem illi incuties, cujus dogma capitale eſt, peccata ſua Chriſti meritis contecta ſibi non imputari, nec obſtitura quominus ad regnum cœlorum promiſſaque ſanctis bona certiſſimè perveniat? Ergo doctrina Calvini circa juſtificationem eſt ruina morum, totiusque pietatis pernicies. Attendant, oro, pſeudo Reformati, ac ſeriò meditentur, quale ſit illud, cui, tanquam fundamento, totùm prætenſæ reformationis ædificium innititur. Pudeat eos talibus magiſtris adhæſiſſe; &, ſi ſalutis

eos

Digitized by Google

eos cura tenet, redeant citiùs in Eccleſiæ Catholicæ gremium, quod malè conſulti deſeruerunt.

Opponunt hæc verba 1 Epiſt. Joannis, III. 9: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Et cap. V. 18: *Scimus quia, omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum.* Ergo, inquiunt, ſemel juſtificatus non poteſt peccando juſtitiam amittere, & ſub diaboli ſervitutem redire.

Reſpondeo hunc textum, quomodocunque accipiatur, juvare non poſſe Calvinianos. Nam ipſi fatentur juſtos poſſe committere, ac reverâ committere peccata graviſſima, adulteria, homicidia, & alia hujuſmodi monſtra. B. Joannes è contrario dicit, eum qui natus eſt ex Deo, non peccare, & non poſſe peccare. Nec dicant juſtum peccare quidem, ſed non plenâ atque integrâ voluntate, nec perſeverare in peccato. Nam B. Apoſtolus generatim pronuntiat juſtitiam & peccatum ſtare ſimul non poſſe, ac neminem, qui iniquitatem faciat, juſtum eſſe coram Deo. *Filioli*, inquit, cap. III. 7, *nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt...... Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* Unde paſſim in tota iſta Epiſtola inculcat immeritò exiſtimare ſe in luce ac juſtitia verſari, quisquis mandata non cuſtodit, vel odit fratrem ſuum, qualis utique eſt omnis homicida aut adulter: v. g. eodem cap. III. 15: *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Igitur nihil prorſus ex illa Epiſtola lucrari poſſunt Calviniani, quâ potiùs inviƈtiſſimè refelluntur. Verùm, quoniam ille locus difficilis eſt, quonam modo à SS. Patribus & interpretibus explicatus ſit, pauliſper videamus.

S. Ambroſius, apud S. Auguſtinum, lib. 4 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 11. n. 31, locum hunc exponit de filiis Dei jam glorificatis, & eâ regeneratione conſummatis, de qua diƈtum eſt: *In regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ.* Verùm ea expoſitio non videtur eſſe ad mentem Apoſtoli.

S. Bernardus intelligit prædeſtinatos, qui, quàmvis peccare poſſint & juſtitiam ad tempus amittere, non poſſunt tamen, ſpeƈtato Dei decreto, in peccatis mori. „ Hoc diƈtum eſt, ait, traƈt. *de Grat. & libero arbitrio*, cap. 9. n. 29, „ de prædeſtinatis ad vitam: non quòd omnino non „ peccent, ſed quòd peccatum ipſis non imputetur ad æternam dam- „ nationem, quod vel punitur condignâ pœnitentiâ (ſi mortale ſit), „ vel in caritate abſconditur," (ſi veniale). Et Serm. 23 in Cant. n. 15: „ Generatio cœleſtis æterna prædeſtinatio eſt, quâ eleƈtos ſuos „ Deus dilexit & gratificavit in dileƈto Filio ſuo ante mundi conſtitu- „ tionem...... Hos ergo adverti nunquam peccaſſe, quoniam, & ſi qua „ deliquiſſe videntur in tempore, non apparent in æternitate." Idem docet ſerm. 1 in Septuageſima, & ſerm. 14 de Diverſis, n. 5. Hæc quo-

quoque explicatio, tametſi vera, non videtur congruere propoſito S. Joannis. Nam ejus ſcopus eſt certum ſignum dare, quo diſcernantur filii Dei à filiis diaboli, ut patet ex tota ſermonis ſerie: *Nemo*, ait, *vos ſeducat...... Qui facit peccatum, ex diabolo eſt...... Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat...... In hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Porro nullo certo indicio diſcerni poſſunt hac in vita prædeſtinati à reprobis.

S. Auguſtinus, lib. *de Natura & gratia*, cap. 14. n. 15, ait illud quod dictum eſt, *non poteſt peccare*, poſſe intelligi, ac ſi diceretur, non debet peccare. Sed neque hic videtur eſſe ſenſus Apoſtoli, cujus phraſim immutat.

Idem S. Doctor, lib. *de gratia Chriſti*, cap. 21. n. 22, textum hunc explicat de Juſtis, non perſonaliter, ſed formaliter, ut juſti ſunt, conſideratis, ſub quo reſpectu peccare non poſſunt, ne quidem venialiter. „ Secundùm caritatem, inquit, meliùs intelligitur dictum, *qui natus* „ *eſt ex Deo, non peccat*, & *quia non poteſt peccare*; quia caritas, ſe„ cundùm quam natus ex Deo eſt, non agit perperam, nec cogitat ma„ lum. Cùm ergo peccat homo, non ſecundùm caritatem, ſed ſecun„ dum cupiditatem peccat, ſecundùm quam non eſt natus ex Deo." Eodem ſenſu Chriſtus, Matth. VII. 17 & 18, dicit. *Omnis arbor bona bonos fructus facit. Mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Similis loquendi modus extat Joannis XIV. 17: *Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum.* Ubi mundum appellat Chriſtus dilectores mundi, docetque mundum, ut mundum, non poſſe eſſe participem Spiritûs ſancti. Magis congruit iſta expoſitio ſcopo Apoſtoli. Non tamen videtur totam vim verborum ejus explere. Nam S. Joannes non dicit natos Dei non poſſe peccare, ſecundùm quòd ex Deo nati ſunt; ſed dicit eos ſimpliciter non poſſe peccare, quoniam ex Deo nati ſunt, & generatione divinâ conſervantur, ut non peccent.

Ab ea explicatione non nihil recedit interpretatio S. Hieronymi ac plerorumque Theologorum, qui dicunt Apoſtolum non loqui de quocunque peccato, etiam veniali, ſed de mortali duntaxat, mentemque ipſius eſſe juſtum, remanendo juſtum, non poſſe peccare mortaliter, quia, ſi mortaliter peccat, deſinit eſſe juſtus, cùm juſtitia & peccatum mortale ſeſe mutuò excludant. Quaſi dicat Apoſtolus, juxta gloſſam S. Hieronymi, initio libri 2 *adverſùs Jovinianum*: „ Propterea ſcribo vo„ bis, filioli, *omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, ut non peccetis, „ & tamdiu ſciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non „ peccaveritis. Imò, qui in generatione Domini perſeverant, peccare „ non poſſunt. Quæ enim communicatio luci & tenebris?..... Si ſuſ„ ceperimus Chriſtum in hoſpitio noſtri pectoris, illico fugamus dia„ bo-

Digitized by Google

„ bolum. Si peccaverimus, & per peccati januam ingreſſus fuerit diabo„ lus, protinus Chriſtus recedit.“ Neſcio an hæc interpretatio, per ſe veriſſima, plenè ſatisfaciat textui Apoſtolico. Non enim ait B Joannes natum ex Deo non poſſe peccare, quin eo ipſo deſinat eſſe ex Deo; ſed expreſſe dicit & inculcat natis ex Deo præſtari per generationem Dei ut non peccent, imò ut peccare non poſſint.

Quamobrem nonnulli Theologi ſentiunt propoſitionem Apoſtoli moraliter eſſe intelligendam, & ſignificare tantùm quamdam juſtitiæ ſtabilitatem, quâ fit ut non crebrò contingat juſtum cadere in peccatum mortale, quia per gratiam habitualem in ſe manentem ita diſpoſitus eſt, ut Deum plusquam ómnia diligat, & peccatum, quo ſepararetur à Deo, plusquàm omnia temporalia mala deteſtetur, ideòque peccare nolit, & aliquo ſenſu non poſſit: quemadmodùm dicitur honeſta mulier nihil turpe facere, & judex recti tenax nullam inſontem ſciens condemnare, imò nec poſſe. Includit iſta explicatio certiſſimam veritatem mox probandam. Credere tamen vix poſſum eâ exhiberi genuinum loci Apoſtolici ſenſum. Nam in Scripturæ verbis dogmaticis, qualia ſunt ea quæ nunc expendimus, nulla exaggeratio admitti debet. Atqui, ſuppoſitâ iſtâ explicatione, ſermo Apoſtoli foret immodicè exaggeratus, imò falſus, ſive in rigore metaphyſico, quod contextus exigere videtur, ſive moraliter ſumatur, ut volunt prædicti Theologi. Ut enim propoſitio moralis cenſeatur vera, neceſſe eſt ut verificetur in plurimis, & deficiat in pauciſſimis. Porro verum non eſt ex juſtificatis pleroſque non cadere poſteà in peccatum mortale, ut patet exemplo baptizatorum in infantia, quorum maxima pars in adulta ætate gratiam deſerit. Unde non poteſt dici generaliter omnem ex Deo natum per gratiam juſtificantem deinceps non peccare mortaliter: multò minùs dici accuratè poteſt omnem à Deo juſtificatum hoc ipſo non poſſe peccare, præſertim ſi conſideretur tanta infirmitas vitæ hujus, tot tantisque peccandi occaſionibus & gratiæ amittendæ periculis expoſita.

Quis ergo eſt, inquies, ſenſus B. Joannis? Credo equidem per hæc verba, *omnis qui natus eſt ex Deo*, intelligi ab Apoſtolo non juſtum quemlibet, ſed eum qui actu movetur & agitur à Deo, juxta illud Rom. VIII. 14: *Quicunque ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Nempe dupliciter ex Deo naſcimur; per gratiam habitualem, ut juſti efficiamur, & per gratiam actualem & moventem, ut benè agamus; nemo quippe fidei, dilectionis, aliumve pietatis actum elicit, niſi naſcatur ex Deo, hoc eſt, niſi accipiat à Deo ut illum actum exerceat, ut dicit idem B. Joannes in hac Epiſtola, cap. IV. 7. *Caritas* (omnis, ſive habitualis, ſive actualis) *ex Deo eſt: & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* Et, vice verſâ, quisquis naſcitur ex Deo ipſum agente ad benè agendum, benè agit, & ſub illa divina operatione non peccat, immo non poteſt peccare in ſenſu compoſito, ut loquuntur. Hunc ergo reor

 eſſe

eſſe ſenſum Apoſtoli: Duo ſunt qui nos impellunt ad agendum; Deus & diabolus. Qui facit peccatum, impellitur à diabolo, & in quantùm actu peccat, ex diabolo eſt. Contra, *omnis qui natus eſt ex Deo*, hoc eſt, qui agitur ſpiritu Dei, *peccatum non facit*, *quoniam generatio Dei*, hoc eſt, operatio gratiæ, *conſervat eum*, & veluti *ſemen* quoddam fructificat Deo: *& non poteſt peccare*, *quoniam ex Deo natus eſt*, hoc eſt, quoniam ſpiritu Dei agitur, ut non peccet. Proinde ex bonis & malis operibus manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli. Mala opera diabolum auctorem arguunt; bona opera Deum auctorem probant. Nemo ergo vos ſeducat. Tantùm eſtis filii Dei, quantum ſpiritu Dei agimini. Quoties autem ſpiritu Dei agimini, non peccatis; nec enim, eo vos agente, peccare poteſtis. Quod ſi adhuc peccatis, in quantùm peccatis, non eſtis ex Deo, ſed ex diabolo: &, ſi non leviter tantùm peccatis, ſed peccatum vobis dominatur, falsò vobis de juſtitia blandimini, cùm adhuc diaboli laqueis captivi retineamini ad ipſius voluntatem. Hæc expoſitio videtur optimè congruere ſcopo Apoſtoli, & totam verborum ipſius vim explere, fundamentumque habet in tota paſſim Epiſtola, in qua hæc phraſis, *natum eſſe ex Deo*, non ſolam habitualem, ſed etiam actualem gratiam ſignificat, ut oſtendimus. Eodem ſenſu dicitur, cap. V. 4: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* Quàmvis enim aliqui juſti Deum deſerentes & à Deo deſerti vincantur à mundo, omnes tamen, qui aguntur à Deo ut vincant mundum, reipsâ illum vincunt.

SECUNDA PROPOSITIO.

Omnino falſum & erroneum eſt, juſtum, qui aliquod capitale peccatum, v. g. fornicationem, ex metu gravi vel ex paſſione vehementi admittit, ac citò reſipiſcit, non peccare mortaliter, nec gratiam juſtificantem amittere.

PROBATUR iiſdem argumentis, quibus mox probatum eſt juſtitiam cum gravibus peccatis non poſſe conſiſtere. S. Paulus, Galat. V, abſolutè pronuntiat de hujuſmodi peccatis, *quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*, ac proinde deſinunt eſſe juſti, ſi anteà erant. Et Rom. I. 32: *Quoniam, qui talia agunt, digni ſunt morte:* non autem qui perſeveranter ea faciunt, aut qui habitu approbant, ſed qui faciunt, ſine ulla exceptione. Et rurſus, Epheſ. V. 5: *Hoc*, inquit, *ſcitote intel-*

telligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus...... non habet hæreditatem in regno Chriſti. Prorſus *omnis*, etiamſi actu citò tranſeunte delinquat, excluditur à juſtitia; &, quaſi prævidiſſet exſtituros homines qui aliter docerent, addit continuò: *nemo vos ſeducat inanibus verbis.*

Rom. VI idem Apoſtolus, explicans quinam ſint ſub gratia, dicit eos eſſe in quibus non regnat peccatum, ita ut obediant concupiſcentiis ejus & eas expleant: *Non regnet*, ait, *peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus: ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Ergo, quicunque exhibent membra ſua ſervire peccato, in his peccatum regnat ac dominatur, hoc eſt, mortaliter peccant. Porro quiſquis peccatum excludens à regno cœlorum opere perpetrat, ſive metu territus, ſive paſſione vehementi impulſus, is membra ſua exhibet ſervire peccato. Ergo peccat mortaliter. Unde S. Jacobus, cap 1 ſuæ Epiſt. v. 15, dicit *concupiſcentiam, cùm conceperit, parere peccatum: peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generare mortem.* At peccatum exteriùs perpetratum eſſe conſummatum quis non ſentit?

Certè ſi quod grave peccatum contra legem Dei non eſſet mortiferum, maximè illud quod committitur metu mortis, qui eſt omnium graviſſimus. Atqui peccata gravia, quæ fiunt timore mortis, non ideò non ſunt mortifera, Chriſto ipſo dicente, Matth. X. 28: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam:* quibus verbis docemur, eos qui timore hominum corpus occidentium peccant in materia gravi, gehennam incurrere; quod ſupponit eos peccare mortaliter. Subdit Chriſtus, v. 33: *Qui negaverit me coram hominibus*, metuens ab eis occidi, *negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt*, adeòque juſtum non amplius reputabo. Et cap. XVI 25: *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.* Quaſi dicat ſupremus Magiſter: Inſtante talis neceſſitatis articulo, in quo neceſſe ſit aut vitam ſuam perdere, aut fidem abnegare, aliudve peccatum capitale admittere, ſi, ut vitam temporalem retineas, legem transgrederis, hoc ſolo juſtitiam & vitam æternam amittis; neque aliter juſtitiam retinere poteris, quàm vitam ipſam, cum opus eſt, profundendo.

His oraculis edocta Eccleſia nunquam pro juſtis agnovit, non ſolùm eos qui metu ſuppliciorum Chriſtum coram perſecutoribus negaverant, ſed etiam illos qui, Chriſtum primò confeſſi, poſtmodùm tormentis cedebant; ſed utroſque, tanquam peccati mortalis reos, non prius ad communionem admiſit, quàm diuturnis fletibus & laboribus tam grande crimen eluiſſent, ut patet ex tractatu S. Cypriani *de Lapſis.*

Probatur 2° auctoritate S. Auguſtini. Docet S. Doctor eos nullatenus intelligere quod ait Apoſtolus, Rom. VII, de pugna carnis & ſpiritûs, qui ſe putant, cum concupiſcentiæ conſentiunt, quàmvis repugnando

do & gemendo, non peccare mortaliter. „ Multùm fallitur homo, inquit, lib. 1 *de Nuptiis & concupiſc.* cap. 28. n. 31, „ qui conſentiens concupiſcentiæ carnis ſuæ, & quod illa deſiderat decernens facere & ſtatuens, putat ſibi adhuc eſſe dicendum: *non ego operor illud*, „ etiamſi oderit quia conſentit. Simul enim eſt utrumque. Et ipſe „ odit, quia malum eſſe novit; & ipſe facit, quia facere ſtatuit. Jam „ vero ſi & illud addat quod Scriptura prohibet, dicens: *neque exhibueritis membra veſtra arma iniquitatis peccato*, ut, quod facere ſtatuit „ in corde, etiam corpore compleat, & ideò dicat: *non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, quia, cum id decernit & facit, „ diſplicet ſibi, tantum errat, ut nec ſeipſum agnoſcat, quando cùm „ ex toto ipſe ſit & corde ſtatuente, & corpore implente, adhuc „ ſeipſum eſſe non putat. Qui ergo dicit: *jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ſi tantùm concupiſcit“ (reſiſtendo concupiſcentiæ & non implendo ad quod impellit), „ verum dicit; non ſi „ cordis conſenſione decernit, aut etiam corporis miniſterio perficit.“ Igitur, juxta S Pauli doctrin m à S. Auguſtino explicatam, quiſquis concupiſcentiæ conſentit (ei autem conſentit qui, quod ea ſuadet, quàmvis odiens & improbans, facto perficit), non poteſt à peccato mortali excuſari, ſi materia ſit gravis. Ille ſolus non peccat mortaliter, qui motibus concupiſcentiæ in ſe inſurgentibus non cooperatur nec conſentit, ſed legi divinæ, ut veraciter dicat: *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*

Hoc rurſus confirmat lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 10. n. 18. „ Conſiderandum eſt, ait, quod adjungit (Apoſtolus): *Si* „ *autem, quod nolo, hoc facio, conſentio legi quoniam bona eſt.* Magis enim ſe dicit legi conſentire quàm carnis concupiſcentiæ; hanc „ enim peccati nomine appellat. Facere ergo ſe dixit & operari, non „ affectu conſentiendi & implendi, ſed ipſo motu concupiſcendi. Hinc „ ergo, inquit, *conſentio legi quoniam bona eſt:* conſentio, quia nolo „ quod non vult. Deinde dicit: *nunc autem jam non ego operor illud*, „ *ſed quod habitat in me peccatum.* Quid eſt, *nunc autem*, niſi jam „ nunc ſub gratia, quæ liberabit delectationem voluntatis à conſenſione cupiditatis? Non enim meliùs intelligitur, *non ego operor*, niſi „ quia non conſentit exhibere membra ſua arma iniquitatis peccato. „ Nam ſi & concupiſcit, & conſentit, & agit, quomodo non ipſe illud „ operatur, etiamſi ſe operari doleat & vinci graviter ingemiſcat?“ En caſus quem tractamus à S. Auguſtino expreſſè reſolutus. Prorſus, quiſquis malo conſentit illud faciendo, peccat: peccat, inquam, aut venialiter, ſi materia ſit levis, aut mortaliter, ſi ſit gravis. Quamobrem Apoſtolus, cap. VIII. 1, concludit *nihil damnationis eſſe iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Qui ergo ſecundum carnem ambulant, opera carnis perficiendo, damnationem merentur.

Quid

Digitized by Google

Quòd verò S. Auguſtinus peccatum hominis concupiſcentiæ conſentientis in materia gravi, quàmvis ex metu aut ex paſſione quaſi invitus conſentiat, mortale eſſe duxerit, patet ex Serm. 154, olim 5 *de Verbis Apoſtoli*, n. 7 & 8. Cùm enim dixiſſet juſtum hac in vita ſpiritalem & carnalem eſſe; ſpiritalem, quia ſecundùm ſpiritum vivit; carnalem ex parte mortali, in qua concupiſcentia adhuc habitat, addit, eum qui concupiſcentiis cedit, ſive illas approbans, ſive improbans, nullomodò ſpiritalem ac juſtum dici poſſe, ſed eſſe totum carnalem, hoc eſt, in ſtatu mortis exiſtere. „ Quiſquis es, inquit, quicunque carnalibus „ concupiſcentiis cedis atque conſentis, qui eas vel bonas putas ad ex- „ plendam libidinis ſaturitatem, vel certè ſic vides malas, ut eis tamen „ cedendo conſentias, & quò ducunt ſequaris, & ea, quæ mala ſugge- „ runt, perpetres, totus carnalis es: tu, tu, quiſquis talis es, totus „ carnalis es."

Nec dicas eſſe quidem totum carnalem, qui habitualiter cedit atque conſentit concupiſcentiis, non verò qui actu tranſeunte invitus quodammodò illis obſequitur. Nam, ex S. Auguſtino, talia peccata, etiam ſemel commiſſa, uno ictu animam perimunt. „ Non autem, inquit, Serm. 18, olim 29 *de Verbis Apoſtoli*, cap. 6. n. 8, „ quia dico „ quòd non poſſumus hîc eſſe ſine peccato, homicidia facere debemus, „ aut adulteria, vel cætera mortifera peccata, quæ UNO ICTU „ PERIMUNT. Talia non facit bonæ fidei & bonæ ſpei Chriſtianus, „ ſed illa ſola quæ quotidiano orationis penicillo terguntur." Et ante ipſum Tertullianus, lib. *de Pudicitia*, cap. 19, loquens de gravioribus & exitioſis peccatis, homicidio, idololatria, fraude, negatione, blaſphemia, mœchia & fornicatione: „ Hæc, inquit, non admittet „ omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, ſi admiſerit." Edit. Rigalt, p. 741.

Poſtremò rationes theologicæ idipſum demonſtrant. Nam 1° ille peccat mortaliter ac juſtus eſſe deſinit, qui creaturam quamlibet plus diligit quàm Deum. Atqui Chriſtianus qui, inſtante quocunque periculo aut tentatione, aliquod eorum admittit, quæ per ſe excludunt à regno cœlorum, hoc ipſo creaturam aliquam Deo præponere convincitur: ſiquidem, poſitus in articulo talis neceſſitatis, in quo neceſſe ſit aut illam creaturam, aut Deum ejuſque gratiam amittere, abſolutè eligit peccatum, quod Deus ſub pœna æternæ damnationis prohibet, committere potiùs quàm bono creato privari; quemadmodùm mercator convincitur plus amare vitam quàm merces, hoc ipſo quòd, imminente naufragii periculo, merces ſuas, ne ipſe pereat, in mare projicit. Equidem hujuſmodi peccator non ſemper id Deo præponit, quod actu conſentit facere, ſed, ſive hoc, ſive aliud quodvis juſtitiæ præferat, nihil refert: v. g. mulier, quæ, ne ab impudico furibundo occidatur, in adulterium conſentit, non ipſum adulterium caſtitati præfert, ſed vitam ſuam temporalem plus

Digitized by Google

amat quàm fidem marito debitam. Idem dicendum eſt de lapſu S. Petri, qui mori magis pertimuit quàm Chriſtum negare.

2°. Si quid obſtaret quominùs peccatum grave, contra legem Dei ex metu aut paſſione vehementi perpetratum, ex ſeſe mortiferum cenſeatur, maximè quia in tali hypotheſi deeſſet plenus & deliberatus conſenſus. Hoc autem dici non poteſt. Quàmvis enim peccata ſimplicis cogitationis aut deſiderii quandoque venialia ſint propter imperfectionem conſenſûs, non ita eſt de peccatis exterioribus, quæ nunquam fiunt niſi ex voluntate abſoluta, cujus imperio lingua, manus, pedes, aliaque corporis membra moventur ad operandum. Unde, etiam illa quæ dicuntur fieri contra inclinationem voluntatis, fiunt nihilominùs conſentiente ac decernente voluntate, quia tunc, etſi homo nollet facere quod facit, tamen, omnibus conſideratis, vult abſolutè illud facere, & ideò facit quia vult.

Dices. Gratia ſanctificans non conſiſtit in actu, ſed in habitu. Ergo expelli non poteſt per actum tranſeuntem, ſed tantùm per habitum peccati.

Nego conſequentiam. Nam licet gratia ſanctificans conſiſtat in habitu, & ad ejus eſſentiam non pertineat perpetuò operari, ut patet in dormientibus, ſunt tamen nonnullæ occaſiones in quibus habitus gratiæ perit, ſi non operetur. „ Virtutes animi, ait S. Auguſtinus, lib. *de Bono conjugali*, cap. 21, „ aliquando in opere manifeſtantur, aliquan-„ do in habitu latent...... Ipſe eſt enim habitus, quo aliquid agitur „ cùm opus eſt, cùm autem non agitur, poteſt agi, ſed non opus „ eſt.“ Porro ſi de eſſentia habitûs eſt ut agat cùm opus eſt, neceſſe eſt ut pereat, ſi tunc non agat cùm opus eſt. Agendi autem opus eſt quando talis caſus occurrit, in quo inter præceptum juſtitiæ & aliquod temporale commodum neceſſariò eligendum eſt. Ergo, qui in hujuſmodi caſu præceptum divinæ legis ſub mortali obligans transgreditur, habitum caritatis in ſeipſo deſtruit.

Poteſt etiam diſtingui conſequens. Gratia non excluditur per actum tranſeuntem levis peccati, concedo: non excluditur per actum peccati gravis, quo creaturam Deo præferimus, nego. Eſt enim eſſentiale caritati habituali amare Deum ſuper omnia, ac proinde ceſſat, ſtatim atque homo per actum crimino ſum deſinit Deum omnibus quæ ab ipſo ſeparant anteponere.

TER-

TERTIA PROPOSITIO.

Juſtitia in adultis, ordinariè loquendo, quamdam habet ſtabilitatem, nec ſolet alternis peccati mortalis vicibus interrumpi.

Hæc Propoſitio eſt contra pernicioſiſſimum errorem multorum Chriſtianorum, qui, eùm identidem, v. g. quotannis, aut bis terve quoque anno, in crimina labantur, & in ſolemnibus feſtis, aut ſaltem in Paſchate reconcilientur, malè ſecuri ſunt, putantes hanc ſortem eſſe juſtitiæ hominum in hac vita, ſi perpaucos eminenter ſanctos excipias, ut frequenter & amittatur & recuperetur; ſieque ſtatus peccati mortalis & ſtatus gratiæ alternis ac perpetuis vicibus ſibi mutuò ſuccedant. Quem errorem per ſe exitioſiſſimum fovet plurimùm cæca facilitas eorum confeſſariorum, qui hujuſmodi pœnitentes, antequàm firmæ ac duraturæ converſionis non ambigua ſigna dederint, abſolvunt.

Dixi *in adultis*, quia triſti experimento compertum eſt pleroſque in infantia baptizatos, cùm ad ætatem adultam veniunt, baptiſmalem innocentiam perdere, Deo id permittente, ut ſalubris lavacri effectus in parvulis non ſit nimis ſenſibilis, ac ſolâ fide teneatur. Loquor igitur de adultis, qui proprio ſuæ voluntatis actu juſtitiam amplectuntur, ſive in baptiſmo acceptam conſervaverint, ſive amiſſam verâ ac ſincerâ converſione recuperaverint.

Dixi 2° *ordinariè loquendo.* Conſtat enim adultos verè juſtos poſſe gratiam amittere, & amiſſam recuperare, non ſemel tantùm aut bis in vita, ſed pluries, ſigique non poſſe certum terminum, ultra quem juſtus vel ampliùs cadere, vel à lapſu amplius reſurgere nequeat. Sed aſſero juſtificationem, juxta curſum ordinarium, habere quamdam ſtabilitatem majorem aut minorem, prout ipſa magis aut minùs perfecta eſt; ac proinde illam, quæ alternis quaſi vicibus peccato mortali frequenter intercipitur, non veram eſſe, ſed falſam ac illuſoriam. Quamobrem hæc Propoſitio & ejus probationes debent accipi moraliter, non in rigore metaphyſico.

Probatur hæc veritas 1° variis notionibus ac typis, quibus juſtificatio in Scripturis deſcribitur.

1°. Appellatur fœdus Dei cum hominibus, illudque æternum ac perpetuò duraturum. Jerem. XXXII. 38: *Erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum: & dabo eis cor unum & viam unam, ut timeant me omnibus diebus, & benè ſit eis & filiis eorum poſt eos. Et feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam eis benefacere, & timorem meum dabo in cor-*

Mmmmmm 2 *de*

de eorum, ut non recedant à me. Ezech. XXXVII. 23: *Non polluentur ultra in idolis ſuis, & abominationibus ſuis, & cunctis iniquitatibus ſuis.... Et percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis; & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Et ſcient gentes quia ego Dominus ſanctificator Iſraël, cùm fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Pleni ſunt libri Prophetarum hujusmodi promiſſionibus. Zacharias eodem ſpiritu afflatus gratiam novi teſtamenti deſcribit his verbis, Lucæ I. 73: *Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.*

Scio equidem has promiſſiones, & alias iſtiusmodi quàmplurimas, pertinere ad ſolos electos, qui ſic juſtificantur ut perſeverent & in æternum glorificentur; non verò ad juſtos temporales, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, nunquam redituri, aut certè non in finem perſeveraturi. Quàmvis enim, quandiu juſti ſunt, gratiæ novi teſtamenti verè participes ſint, tamen non continentur in fœdere ſempiterno, quia deſerunt & deſeruntur.

Scio etiam fœdus illud non hoc ſenſu dici ſempiternum, quòd nullo lapſu unquam interrumpatur, ſed eoquòd nunquam omnino defecturum ſit, nulloſque durationis terminos habiturum. Nam etiam electi interdum cadunt in peccatum mortale, ſed ita cadunt ut, per immotum Dei prædeſtinantis propoſitum, hoc ipſum eis cooperetur in bonum, quia humiliores, doctiores, cautiores redeunt, juſtitiamque recuperant tantò firmiorem, quantò ſolidiori fundamento innixam. His caſibus exceptis, clarum eſt in allatis oraculis deſcribi fœdus ſtabile, perpetuum, durans *omnibus diebus*, firmiter fundatum, quo fit ut ſemel juſtificati, ſecundùm propoſitum, *non polluantur ultra in cunctis iniquitatibus ſuis*, quoniam Deus *non deſinit eis benefacere*, & timorem ſuum dat in corde eorum, *ut non recedant* ab ipſo. Quid autem huic notioni magis repugnat, quàm deſultorius quidam gratiæ ſtatus, qualem nonnulli imaginantur, hodie ſubſiſtens, cras evaneſcens, ac perpetuis vicibus peccato ſuccedens, & ſuccedenti ſuccumbens? Servit ne Deo in ſanctitate & juſtitia cunctis diebus, qui, claudicando in duas partes, nunc mortaliter peccat, nunc ad Deum redire ſe exiſtimat iterum offendendum, denuòque placandum?

2°. Ex omnibus humanis fœderibus nullum eſt matrimonio firmius, quo vir mulierem aſſumit nunquam omnino deſerendam. Porro, juxta Prophetas, fœdus Dei cum juſtis, ac potiſſimùm cum electis, eſt matrimonium quoddam firmum & irrevocabile ex parte Dei. Oſee II. 19, dicit Deus: *Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in juſtitia & judicio, & in miſericordia & miſerationibus: & ſponſabo te mihi in fide,*

Digitized by Google

fide, & ſcies quia ego Dominus. An, quod abſolutè promittit, implere non valet omnipotens? Promittit deſponſare ſibi in æternum electos. Ergo hoc ſpirituale matrimonium eſt conſtans, ſtabile & immotum, & quàmvis ex parte electorum ſolvi poſſit per peccatum mortale, tamen aut non ſolvitur, Deo illos confortante, aut ſi interdum ſolvi permiſerit ad humiliandos electos, ſaltem non multoties id accidit.

Nam ſi in humanis conjugiis inauditum eſt mulierem quotannis adhærere adultero, & quotannis viro ſuo ſincerè reconciliari, omneſque judicant eam non verè pœnituiſſe, quæ marito reconciliata iterum infida ſit, tantòque firmiùs id judicant, quantò ſæpius fidem datam violat, quis credat eam animam ad Deum ſponſum ſincerè converſam, quæ pauló poſt ab eo recedit & alienis fornicatur?

Confirmat hoc S. Paulus, Rom. VII. 1 & ſeq. *An ignoratis*, inquit, ... *quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Itaque & vos, fratres, mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, ut ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo. Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate litteræ.* Duos hominis ſtatus & quaſi duo conjugia hîc deſcribit Apoſtolus, & propriis caracteribus deſignat. Primus ſtatus eſt ſub peccato hominem ſibi alligante & in membris ejus operante, ad fructificandum morti. Alter ſtatus eſt ſub gratia, ejuſque duo ſunt caracteres, quòd ſoluti ſimus à lege peccati & mortis, ut deinceps non faciamus opera mortis, & quòd juſtitiæ ſubditi & alligati deinceps fructificemus Deo, ac ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate litteræ. Ergo, qui adhuc illicita perpetrant, non ſunt ſoluti à lege mortis, nec ſub gratia conſtituti. Nam ſi eſſent verè juſtificati, paſſiones peccatorum non ampliùs in membris eorum operarentur, nec fructificarent morti, ſed Deo.

3°. Juſtificatio eſt præcipuus effectus paſſionis Chriſti, idcirco pro nobis mortui, ut vivamus vitâ ipſius. At effectum paſſionis Chriſti ſtabilem eſſe ille ſolus negare poteſt, qui virtutem crucis ignorat. Ergo juſtitia chriſtiana eſt per ſe bonum firmum & ſtabile. Reverà Daniel, cap. IX. 24, prædicit hunc fructum futurum eſſe adventûs & mortis Chriſti, *ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna.* Quomodò finem accipit peccatum, ſi juſtificatus non ideo deſinit peccare mortaliter? Quomodò deleta eſt iniquitas, quæ brevi caput exſerit? Quomodò juſtitia ſempiterna eſt, quæ ſtatim intermoritur ac vix aliquot menſes perſeverat?

Digitized by Google

S. Paulus, Hebr. X. 11, opponens ſacerdotium Chriſti ſacerdotio Levitico, ſic loquitur: *Omnis quidem ſacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem, unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei...... Unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Et cap. IX. 12: *Per proprium ſanguinem introvit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inventâ.* Probat ibi Apoſtolus duplici argumento legalia ſacrificia non habuiſſe vim auferendi peccata; ſacrificium verò Chriſti eam vim habere. 1°. Quia victimæ legales aliæ aliis ſuccedebant, cùm unica fuiſſet omnibus peccatis, tam futuris, quam præteritis, delendis ſufficiens, ſi talibus hoſtiis placari Deus potuiſſet: contra verò Chriſtus, unicâ hoſtiâ oblatâ, divinæ juſtitiæ ſatisfecit, omneſque præteritas ac futuras prævaricationes ſanguine ſuo ſemel abolevit. 2°. Quia Judæi, poſt oblatum pro peccatis ſuis ſacrificium, peccatores adhuc remanebant, prioribuſque tranſgreſſionibus novas addebant novis victimis expiandas. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum*, inquit cap. X. 1, *non ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere; alioquin ceſſaſſent offerri, ideò quòd nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel mundati: ſed in ipſis commemoratio peccatorum* (tam novorum quàm priſtinorum) *per ſingulos annos fit. Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Sanguis autem Chriſti vim habet non ſolùm purgandi peccata præterita, verùm etiam præſervandi in futurum à peccato, & ſanctitatem perpetuò duraturam conferendi. *Unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Porro hæc ſecunda ratio parum aut nihil roboris haberet, ſi juſtitia Chriſtiana ſanguine Chriſti acquiſita non haberet vulgò notabilem ſtabilitatem, ac ſemel mundati ab operibus mortuis in nova deinde crimina laberemur, novâ reconciliatione ac juſtificatione quotannis reparandi.

4°. Quemadmodùm ſtatus peccati duo importat, ſervitutem peccati, cui obeditur, & libertatem à juſtitia, cujus præcepta contemnuntur; ita juſtificatio in duobus conſiſtit, ex Apoſtolo; in libertate à peccato, quâ fit ut ultra non ſerviatur peccato, & in ſervitute juſtitiæ, quâ fit ut bonum promptè ac delectabiliter agatur. *Neſcitis*, inquit, Rom. VI. 16, *quia, cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam. Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi eſtis; liberati autem à peccato ſervi facti eſtis juſtitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ* (hoc eſt, non faciebatis opera juſtitiæ)...... *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo,*

Digitized by Google

Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Multa hic docet S. Paulus, quæ Propoſitionem noſtram egregiè confirmant. 1um. Per gratiam juſtificationis hominem à ſervitute peccati tranſire ad ſervitutem juſtitiæ. At nemo ignorat ſervitutem eſſe ex ſe ſtatum fixum & permanentem, atque inauditum eſſe quemquam contrariis dominis, quales ſunt juſtitia & peccatum, ita ſerviſſe unquam, ut alternis, nunc uno, nunc altero, utatur, maximè docente Chriſto, Matth. VI. 24, *neminem poſſe duobus dominis ſervire.* 2um. Juſtos eſſe liberatos à peccato. Quis verò dicat liberatum à peccato, qui peccato adhuc ſervit aut brevi ſerviturus eſt? 3°. Fructum juſtitiæ eſſe ſanctificationem, hoc eſt, ceſſationem peccati & bonorum operum copiam. Porro ex fructu arbor cognoſcitur. 4°. Genuinum caractererem juſtorum eſſe quòd peccatum eis amplius non dominetur, ſed ipſi peccato dominentur. *Peccatum*, ait v. 14, *vobis non dominabitur; non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Ergo, quibus peccatum adhuc dominatur, eos ad nefaria protrahendo, nondum ſunt ſub gratia, ſed ſub lege. Eſt autem obſervandum Apoſtolum non dixiſſe, quod dicere potuiſſet, peccatum vobis non dominetur, ſed *non dominabitur*, ut oſtenderet gratiam juſtificantem hoc præſtare, ut deinceps non peccetur.

Obſervandum eſt etiam magnum diſcrimen eſſe ſervum inter & famulum, quòd famulus non ſit hero ſuo alligatus, ideòque ad alium migrare poſſit, quoties libuerit; ſervus verò ſic domino mancipetur, ut in ejus arbitrio non ſit jugum illius excutere. Porro Apoſtolus non comparat peccatorem & juſtum cum famulo, ſed cum ſervo; quia, ſicut ſervum addictum tenet dura & involuntaria neceſſitas, ita peccatorem & juſtum retinet voluntaria ſervitus, quâ ille peccato, hic juſtitiâ ſic delectatur, ut deſerere nolint.

5°. Non ſolùm homo per gratiam ſanctificantem liberatur à ſervitute peccati, & juſtitiæ ſervus efficitur, verùm etiam peccato moritur, juſtitiæ deinceps victurus, & peccatum ei mortuum eſt, ita ut non magis obtemperet illicitis deſideriis, quàm vel obedit mortuus, vel mortuo obeditur. Hæc doctrina eſt ejuſdem Apoſtoli, ibid. v. 2. *Qui mortui ſumus peccato*, ait, *quomodò adhuc vivemus in illo?* Quaſi dicat: tam ſtupendum eſt aliquem peccare peccato mortuum, quàm inter vivos converſari è vivis ſublatum. Et rurſus, v. 7: *Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt*, hoc eſt, abſolutus, *à peccato*, nihilque cum illo commune habet.

Non abnuo tamen, ac fides docet, hominem peccato mortuum Deoque viventem poſſe denuò relabi in peccatum, vitamque ſpiritualem amittere, ac deinceps eam recuperare. Verùm, uti oſtendimus, rara eſt ac difficilis, præſertim poſt frequentes relapſus in peccatum mortiferum, ſincera cordis converſio ad juſtificationem neceſſaria. Atque inde rurſus deſtruitur figmentum eorum, qui putant ſtatum juſtitiæ deſulto-

torium eſſe, ita ut frequenter & alternis vicibus vita gratiæ amittatur & recuperetur. Hoc turpe laxamentum prodigium eſt in Eccleſia hactenus inauditum.

Hujus mortis, quâ juſtus peccato moritur, hujusque vitæ, quâ vivit Deo, exemplar ac formam proponit Apoſtolus mortem & reſurrectionem Chriſti. Nam ſicut Chriſtus in cruce moriens mortalitatem ſuam, quâ peccatum adumbrabatur, omnino depoſuit nunquam poſteà reſumendam, ac ſic peccato mortuus eſt ſemel, atque à morte excitatus ultra non moritur; ita per gratiam juſtificationis moritur homo peccato, non ei deinceps victurus, reſurgitque ad vitam novam & immortalem. Audiamus S. Paulum divino modo id explicantem, eodem cap. VI. 4 & ſeq. *Conſepulti ſumus*, ait, *cum Chriſto per baptiſmum in mortem, ut, quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus*, moriendo peccato, *ſimul & reſurrectionis erimus*, vivendo juſtitiæ. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.:.... Scientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur: quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato; ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Non ſolum fideles hortatur his verbis Apoſtolus ut dominio peccati ſeſe iterum non ſubjiciant, verùm etiam eos monet veram juſtitiam, morte, ſepulturâ & reſurrectione Chriſti nobis acquiſitam & applicatam, habere aliquam cum his myſteriis, ex quorum fonte derivatur, ſimilitudinem, ac proinde certum ſtabilitatis gradum, quo fit ut peccato mortui Deo conſtanter ac fideliter vivamus.

Eâdem ſimilitudine utitur S. Petrus, 1 Epiſt. cap. IV. 1, ut probet veræ juſtitiæ hunc in nobis effectum eſſe, ut ultra non peccemus, ſed in novitate vitæ ambulemus. *Chriſto igitur paſſo in carne*, inquit, *& vos eâdem cogitatione armamini, quia, qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis, ut jam, non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat temporis.* Num, quæſo, deſiit à peccatis, qui, receptis ſacramentis, in mortalia adhuc identidem prolabitur?

6°. Juſtitia chriſtiana, ex Scripturis, eſt mutua & reciproca amicitia hominis cum Deo. Sapiens, cap. VII. 14, de Sapientia loquens ait: *Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.* Omnes juſtos in perſona

Digitized by Google

ſona Apoſtolorum alloquitur Chriſtus, cùm dicit, Luc. XII. 4: *Dico vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus* &c. Et Joann. XV. 14 & 15: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos ſervos...... Vos autem dixi amicos.* Nec qualiscùnque eſt illa amicitia, ſed arctiſſima, ut patris ad filium & filii ad patrem, ſponſi ad ſponſam & ſponſæ ad ſponſum, fratris ad fratrem, hoc enim nomine juſtos appellare Chriſtus non erubeſcit. Porro ſi humanæ amicitiæ ſunt conſtantes & firmæ; ſi illæ multùm ſuſpectæ ſunt, quæ in inimicitiam facilè convertuntur; ſi poſtremò non ſolent homines fieri ex amicis inimici, ac rurſus ex inimicis amici, ab amoris affectu ad contrarium perpetuo circuitu tranſeundo, quis credere ſeriò queat amicitiam cum Deo tam ſuavem, tam beneficam, parum firmitatis habere, ita ut unus idemque homo, perpetuâ mutatione, nunc amicus Dei, nunc inimicus exiſtat?

Per illam conjunctiſſimam amicitiam manet Deus in homine, ipſum roborans ac muniens, & homo in Deo, nolens ab ipſo divelli, dicensque cum ſponſa Canticorum, III. 4: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Habitat ergo Deus in juſtis, ut in domo ſua & in templo ſuo. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, ait Chriſtus, Joann. XIV. 23. Non ait, per eum tranſibimus, aut apud eum hoſpitabimur; ſed *manſionem apud eum faciemus*, quibus verbis ſtabilis ac conſtans inhabitatio ſignificatur.

7°. Juſtificationis opus comparatur etiam in Scripturis cum ædificio; eoque diſcernitur vera juſtitia à falſa, quòd hæc brevi corruat, illa verò contra varios tentationum aſſultus firma ac ſolida conſiſtat. Hâc ſimilitudine utitur Chriſtus in Evangelio, Matth. VII. 24. *Omnis*, inquit, *qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Quid fortius dici potuit ad aſtruendam veræ juſtificationis ſtabilitatem? Vult Chriſtus ut, quo ſigno ſapientem architectum à ſtulto, eodem verum juſtum à falſo diſcernamus. Architectus ſtultus eſt, qui domum ædificat mox ruituram: ille verò ſapiens, cujus ædificium ſolidè fundatum ventorum atque innundationum minas non pertimeſcit. Pariter falſò ſe juſtificatum exiſtimat, qui, cùm ſibi propoſuerit mores in melius commutare, paulò poſt hujus vitæ tentationibus ac procellis proſternitur, ſuoque lapſu demonſtrat ſe non ſupra petram, id eſt, non ſupra dominantem Dei dilectionem mundique contemptum, nec ſuper gratiæ adjutorium, ſed ſuper levis propoſiti ac fiduciæ propriarum virium arenam

Digitized by Google

ædificaſſe. Ille verò propriè juſtus habendus eſt, cujus ſolida in Deum dilectio ingruentibus tentationibus non frangitur. Hoc indicio probare quiſque ſeipſum debet.

Hinc ductores cæci, qui animas ſtabilem & conſtantem converſionem nondum aſſecutas abſolvere feſtinant, aſſimilantur, Ezechielis XIII, imperitis cæmentariis, qui parietem à fundamentis inſtaurandum extrinſecus tantùm liniunt, & operis malè compaginati veloci ruinâ damnantur. *Dicit Dominus Deus: erit manus mea ſuper prophetas,..... eoquòd deceperint populum meum, dicentes, pax, & non eſt pax. Et ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant cum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quòd caſurus ſit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem. Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis, ubi eſt litura quam liniſtis?..... Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis: non eſt paries, & non ſunt qui liniunt eum. Prophetæ Iſraël, qui prophetant ad Jeruſalem, & vident ei viſionem pacis, & non eſt pax, ait Dominus Deus.* Igitur promptus in crimina lapſus certum eſt falſæ juſtitiæ ac malè fulti ædificii argumentum; adeòque veræ converſionis genuinus caracter eſt quòd firma ſit, conſtans, ſtabilis, mundique illecebris ac minis non cedat.

8°. Omnes conſentiunt juſtificationis, quâ ſanantur morbi animarum, imaginem ac typum præluxiſſe in curatione infirmorum & languidorum, quos Chriſtus in terris agens ſanitati reſtituit. Sicut enim variis corporum infirmitatibus ac defectibus ſpirituales infirmitates ac defectus, ita illorum ſanatione animarum redintegratio ac ſalus adumbrantur. Atqui Chriſtus, quoscunque corporaliter curavit, eis ſanitatem contulit, non quidem inamiſſibilem, ſed firmam, conſtantem, duraturam. Ergo, à pari, quando gratiæ ſuæ victrici dulcedine ſanat animarum vulnera, ſanitatem eis tribuit, quàmvis in iſta mortalitate totque periculis ſemper amiſſibilem, tamen ſtabilem, vegetam ac firmam. An etenim minore potentiâ cœleſtis medicus morbos animarum tractat, quàm corporum? Aut in corpora ſeriùs ociùs moritura beneficentior eſt, quàm in animas ipſius imaginem gerentes atque immortales? Cùm igitur adeò efficaciter ægris ſubvenerit, ut alterâ curatione opus non habuerint (nam eumdem cæcum, aut ſurdum, aut claudum, aut mortuum ab eo bis ſanatum vel reſuſcitatum eſſe nusquam legitur), quis credat eum animabus, propter quas liberandas venit, tam fragilem juſtificationis gratiam tribuere, ut ſanata earum vulnera frequenter recrudeſcant, noviſque remediis perpetuò indigeant?

Et verò ſi nemo, ubi de valetudine corporis agitur, ſanum ſe putat, quandiu lethalis morbus brevi tempore ſuſpenſus paulò poſt ſeſe exerit, illudque remedium, omnium judicio, cenſetur inefficax, quod vulnus

Digitized by Google

nus non funditus tollit, ſed palliat brevi rediturum; quâ cæcitate tot Chriſtiani juſtificatos ac ſanatos ſe fuiſſe confidunt, cùm, receptis ſacramentis, in eadem ac anteà crimina recidunt? Quam contumelioſè ſentiunt de gratia Chriſti medicinali, cui minorem virtutem ineſſe arbitrantur ad purganda peccata, quàm humanæ medicinæ ad corporis valetudinem reſtituendam!

Probatur 2° ex notione veri juſti, quam Scriptura & SS. Patres nobis ſuppeditant. Nullibi enim pro juſto agnoſcitur, qui peccata mortifera, alternis vicibus, & commiſſa deflet, & deflenda committit. Sed juſtus ille declaratur, qui talia omnino non committit, ſed bonis operibus jugiter abundat. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo*, inquit Propheta Regius, pſalm. 14? *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua* &c. Et pſalm. 23: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.* Et Jeremias, XVII. 8: *Erit tanquam lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas; & non timebit cùm venerit æſtus. Et erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum; nec aliquando deſinet facere fructum.* His in locis, aliiſque innumeris quæ omitto, attribuitur juſto, tanquam proprius ejus caracter, ſtabilis immunitas ab omni crimine, & conſtans in bonis operibus exercitatio. Quamobrem S. Auguſtinus, Serm. 181, olim 29 *de Verbis Apoſtoli*, cap. 6. n. 8, loquens de peccatis mortiferis, quæ uno ictu perimunt: „ Talia, inquit, non committit „ bonæ fidei & bonæ ſpei Chriſtianus, ſed illa ſola quæ quotidiano ora„ tionis Dominicæ penicillo terguntur.“ Ergo, ipſo judice, qui talia interdum committit, pro juſto ac verè Chriſtiano haberi non poteſt.

Aliis in locis expreſſè aſſeritur verum juſtum eum eſſe, qui ſtat firmiter & creſcit quotidie in bono, & ab eo nunquam dimovetur. Proverb. IV. 18: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens; procedit & creſcit usque ad perfectam diem.* Et Eccli. XXVII. 12: *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Capite autem VI. 21: *Quàm aſpera eſt nimiùm ſapientia indoctis hominibus! Et non permanebit in illa excors. Quaſi lapidis virtus, probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam. Sapientia enim doctrinæ ſecundùm nomen eſt ejus, & non eſt multis manifeſta* (in Hebræo idem nomen ſapientiam & abſconditum ſignificat): *quibus autem cognita eſt, permanet usque ad conſpectum Dei.* Ergo; ſicut inſtabilitas ſtulti & excordis proprium eſt, ita ſancti ac juſti ſtabilitas & firmitas in bono ſemel incœpto. Ideò verò ſtultus, id eſt, peccator, juxta phraſim Scripturæ, in juſtitia non permanet, quia

 non

non amata, aut non ſuper omnia amata, videtur ei pondus importabile. At verus juſtus conſtanter in ea perſeverat, quia diligenti onus illud leve eſt, & jugum ſuave. Unde meritò Recupitus Jeſuita Neapolitanus, in eximio tract. de Numero prædeſtinatorum & reproborum, cap 6. n. 21, concludit „ omnes eos, qui ita mortaliter peccant, ut cadendo & reſurgendo vitam tranſigant, regulariter & juxta leges communes, pertinere ad reprobos."

Ad calcem tract. de Signis prædeſtinationis & reprobationis.

Apoſtoli in omnibus ſuis Epiſtolis Chriſtianos alloquuntur ut *ſanctos*, non denominatione tantùm, ſed reipſâ: teſtantur eos, à peccati ſervitute ſemel liberatos, novos homines effectos eſſe, ita ut infideles tantam morum mutationem vel inviti admirarentur. S. Paulus, 1 Cor. VI. 11, commemoratis peccatis quæ excludunt à regno Dei, addit: *Et hæc quidam fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.* Ergo ſemel abluti ea ultra non committebant. Et Epheſ. V. 8: *Eratis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et S. Petrus, 1 Epiſt. IV. 4: *In quo admirantur* (gentes), *non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confuſionem.*

Demum multi juſti in hiſtoria ſacra & Eccleſiaſtica commemorantur: at nullus eorum reperietur, cujus curſus crebris in crimina relapſibus interceptus ſit. Pauci equidem graviter peccaverunt, ut David & S. Petrus, ſed ſemel, non ſæpè, ſicque, Deo illos tangente, converſi ſunt, ut cautiùs, humiliùs, ferventiùs juſtitiam poſteà coluerint, & peccatum ſuum largo lacrymarum imbre ad mortem uſque defleverint. Ita eorum caſus theſi noſtræ ſtabiliendæ, magis quàm infirmandæ, idoneus eſt.

Probatur 3° ex notis veræ pœnitentiæ. Nam ſi pœnitentia vera non eſt, quin ſit ſtabilis, quomodò juſtitia, quæ pœnitentiæ fructus eſt, vera eſſe poſſet non ſibi conſtans? Atqui pœnitentiam, ut vera ſit, ſtabilem eſſe debere, veritas eſt in Scripturis & SS. Patribus certiſſima. S. Paulus, 2 Cor. VII. 18, illam expreſſè docet. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt*, inquit, *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Unde neceſſariò conſequitur eam triſtitiam, quæ pœnitentiam ſtabilem & duraturam non operatur, non eſſe legitimam, nec ſecundùm Deum.

Omnium SS. Patrum unus eſt hac de re ſenſus. Clemens Alexandrinus, lib. 2 *Stromatum*, dicit „ continuas & ſe viciſſim excipientes propter peccata pœnitentias, nihil differre ab iis qui omnino non crediderunt, præterquàm in eo ſolo quòd ſe peccare ſenſerunt." Et paulò poſt: „ Apparentia igitur pœnitentiæ eſt, addit, non pœnitentia, ſæpè petere veniam de iis quæ ſæpè peccamus." Ambroſiaſter, in 2 Cor. II, dicit „ hanc veram pœnitentiam eſſe, jam ceſſare à peccato. Sic enim probat ſe ſibi dolere, ſi de cætero peccare deſinat." Ergo, à contrario, pœnitentiæ falſæ ſignum eſt & ficti doloris, ſi de cætero non deſinat. S. Auguſtinus, vel alius auctor gravis & pius, Serm. 7 de Tempore, nunc 117 in Appendice, n. 2: „ Iſta eſt, ait, vera pœni-

Pag. 385. Pag. 386.

Digitized by Google

„ nitentia, quando ſic convertitur quis, ut ad peccatum non reverta-„ tur; quando ſic pœnitet, ut non redeat." Gennadius, lib. *de Dogmatibus Eccleſiaſticis*, cap. 24: „ Pœnitentia vera eſt, pœnitenda non „ admittere & admiſſa deflere." Salvianus, lib. 3 *de Gubernatione Dei*, n. 8: „ Novum, ait, monſtri genus: eadem pene omnes jugiter fa-„ ciunt, quæ feciſſe ſe plangunt." Ergo talis pœnitentia non eſt pœnitentia, ſed monſtrum. S. Fulgentius, cap. 3 Sermonis in iſtud Michææ VI: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum*: „ Hoc eſt, ait, „ peccata occidere, peccatis deinceps nullatenus obedire." Et lib. 1 *de Remiſſione peccatorum*, cap. 12: „ Nonnulli, ſcelerum ſuorum conſide-„ ratione perterriti, pro iniquitabus quidem ſuis in oratione gemunt, „ nec tamen ab iniqua operatione diſcedunt...... Accuſant humiliter „ in conſpectu Dei peccata, quibus tenentur oppreſſi, & eadem peccata, „ quæ humilitate ſermonis accuſant, corde perverſo contumaciter cu-„ mulant." De illis hoc fert judicium: „ Tales nunquam diluunt ge „ mendo peccatum, quia nunquam deſinunt peccare poſt gemitum." S. Gregorius magnus, Hom. 34 in Evangelia: „ Pœnitentiam agere, „ eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare." S. Iſidorus, lib. 2 *Sententiarum*, cap. 16. n. 1: „ Deriſor eſt, non pœni-„ tens, qui adhuc agit quod pœnitet; nec videtur Deum poſcere ſub-„ ditus, ſed ſubſannare ſuperbus." Juxta hanc unanimem ſanctorum Patrum ſententiam, manifeſtum eſt veram pœnitentiam, adeòque & veram juſtitiam, firmam ac ſtabilem eſſe; illam verò, quæ peccatis denuò excipitur, mortaliter loquendo, falſam fuiſſe ac nullam.

Et certè pœnitentia ſine reali cordis converſione non eſt pœnitentia, ſed ſimulachrum. Atqui cordis converſio concipi non poteſt ſine operum & totius exterioris hominis mutatione; converſio quippe & mutatio unum & idem eſt. Mutato autem corde, totum hominem interiùs exteriùſque mutari ac novum effici neceſſe eſt. At novus homo non eſt, qui non in novitate vitæ ambulat. Hinc Tertullianus, initio libri *de Pœnitentia*, generatim pronuntiat, *ubi emendatio nulla, ibi pœnitentiam eſſe neceſſariò vanam.*

Idem demonſtrat vetus ac diuturna Eccleſiæ diſciplina erga pœnitentes, cujus præcipuæ leges fuerunt: 1°. Ut ſemel tantùm concederetur publica pœnitentia. Hoc teſtantur primo ſæculo Hermas, lib. 2 *Paſtoris*, cap. 4; ſæculo 3 Clemens Alexandrinus, lib 2 *Stromatum*, circa medium, & Tertullianus, lib. *de Pœnitentia*, cap. 7; ſæculo 4 S. Siricius Rom. Pontifex, Epiſt. 1. cap. 5; ſæculo 5 S. Auguſtinus, Epiſt. 153, olim 54, ubi Macedonio reſpondet, qui quæſierat cur Epiſcopi veniam pro eiſdem ſontibus à præfectis pluries poſtularent, cùm, ſecundùm Eccleſiæ leges, unica pro peccatis gravibus pœnitentia eſſet. Solius Ambroſii verba referam è lib. 2 de Pœnitentia, cap. 10 „ Meritò „ reprehenduntur, ait, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia

 „ luxu-

Digitized by Google

„ luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè agerent pœnitentiam, iterandam „ poſteà non putarent; quia, ſicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, „ quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere de- „ licti: ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum." Hoc etiam addit, quod mirum forſan videbitur, præſertim pro S. Ambroſii temporibus, quibus publicæ pœnitentiæ ſtadium adeò accuratè percurrebatur, „ faciliùs „ ſe inveniſſe qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœ- „ nitentiam." Sæculo 6 concilium Toletanum III antiquos hac de re canones renovavit, abuſumque jam tunc irrepentem, peccatores, quoties vellent, reconciliandi, tanquam *execrabilem* & fœdiſſimum damnavit.

Tom. 2 Concil. Binii, part. 2. pag. 281.

„ Quoniam comperimus, ait can. 11, per quasdam Hiſpaniarum Ec- „ cleſias, non ſecundùm canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis ho- „ mines agere pœnitentiam, ut, quoties peccare libuerit, toties à pres- „ byteris ſe reconciliari expoſtulent; & ideò, pro coërcenda tam execrabi- „ li præſumptione, id à S. Concilio jubetur, ut, ſecundùm formam ca- „ nonum antiquorum, detur pœnitentia...... Hi verò, qui ad propria „ vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem, rela- „ buntur, ſecundùm priorum canonum ſeveritatem damnentur."

Utique non ignorabat tunc Eccleſia datam ſibi à Chriſto poteſtatem reconciliandi peccatores, non ſemel tantùm, ſed quoties veram ac ſinceram converſionem non ſuſpectis indiciis demonſtrarent. Sed hac agendi ratione palam declarabat, primùm ſummo horrori Chriſtianis eſſe debere ea peccata, quibus longa & operoſa pœnitentia ſemel tantùm concedebatur: deinde fidendum non eſſe eorum promiſſionibus, qui, ſemel poſt baptiſmum reconciliati, denuò ad ſuum vomitum reverſi fuerant. Adeò perſuaſum erat, illis temporibus Apoſtolorum ætati viciniotibus, veram pœnitentiam eſſe ſtabilem ac firmam; eam verò, quæ ſibi perſeveranter non conſtat, valde eſſe de falſitate ſuſpectam.

Altera publicæ pœnitentiæ lex fuit, ut peccatores non priùs reconciliarentur, quàm diuturno ac difficili probationum curriculo exploratum eſſet, quantùm humanâ induſtriâ explorari poteſt, eos deinceps non relapſuros, ſed in juſtitia uſque ad mortem firmiter permanſuros. Hinc pœnitentium à fidelium cœtu ac communione per plures annos ſegregatio. Hinc inſtituti quatuor celebres pœnitentiæ canonicæ gradus. Hinc demum tantus ille pœnitentiæ apparatus ſacris canonibus præſcriptus & tam religioſè commendatus. Quorſum enim illa omnia, niſi ut præpoſitis Eccleſiæ conſtaret, ſanctitatem chriſtianæ profeſſionis nullo in poſterum illorum crimine violatum iri, ut docet Origenes, lib. 3 *contra Celſum*, poſt medium? „ Chriſtiani, inquit, ut perditos Deoque „ mortuos lugent eos, qui libidine aliove ſimili malo victi fuerint; ac „ rurſus reſipiſcentes haud ſecus quàm redivivos recipiunt tandem, poſt „ longiorem melioris mentis approbationem, quàm cùm primùm ad „ religionem diſcendam admitterentur: eâ tamen conditione, ut, quo- „ niam

Edit. Baſileenſis anni 1571, pag. 693.

Digitized by Google

„ niam lapſi ſunt, excludantur in poſterum omnibus dignitatibus ac „ magiſtratibus Eccleſiaſticis.“ Cur verò tam diutina melioris mentis approbatio, ſi ad ſinceram pœnitentiam non requiratur firmitas & conſtantia in bono perſeveranter tenendo?

Probatur 4 momentis Theologicis.

Primum. Juſtitia chriſtiana conſiderari poteſt vel ex parte Dei peccatorem juſtificantis, vel ex parte ipſius juſtificati. Sub utroque reſpectu concipitur ut aliquid ſtabile, & frequentibus interruptionibus non obnoxium.

Ac primò quidem, ex parte Dei, conſtat juſtificationem peccatoris eſſe opus dexteræ Excelſi, imò omnium operum ipſius præſtantiſſimum. Si ergo omnia opera Dei habent ſuam firmitatem, juxta illud Eccleſiaſtæ III. 14: *Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverent in perpetuum*, quomodò ſolum hoc juſtificationis opus caducum ac inſtabile eſſet? Scio equidem Deum aliquando permittere veros juſtos cadere in peccata mortifera, & juſtitiam amittere. Verum, ſi attendamus quo conſilio Deus id permittat, inde magis evidens fiet noſtra Propoſitio. Enimverò, quos cadere Deus permittit, vel ſunt prædeſtinati, vel reprobi: utrorumque autem lapſum Deus ordinat in ſalutem prædeſtinatorum, quibus omnia cooperantur in bonum. Porro hic lapſus non proficeret ad ſalutem electorum, ſi & reprobi poſt caſum ſuum ordinariè repararentur, & ſi electi non tantò firmiores poſteà, quantò humiliores, reſurgerent. Nam ideò Deus, juxta S. Auguſtinum, electis ſuis miſcuit juſtos non usque in finem perſeveraturos, ut electi, illorum ruinâ ſalubriter commoniti, intelligant omnino gratuitum eſſe perſeverantiæ, ſicut & vocationis, donum, & diſcant ſalutem ſuam cum metu & tremore operari. Atqui hoc tam pretioſum commodum electi reportare inde non poſſunt, niſi juſtorum & lapſus lethalis & reparatio rarò accidant. Cur enim tantoperè pertimeſcerem illud malum, quod, cùm commune ſit, communiter etiam reſarcitur? Cur, juſto labente, adeò contremiſcerem, ſi plerorumque juſtorum in hac vita hæc conditio eſſe ſoleat, ut identidem mortaliter peccent & reſurgant? Ergo, ut peccata reproborum cedant, uti Deus decrevit, in bonum electorum, ratio poſtulat ut juſti & rarò labantur in crimina, & lapſi rariùs adhuc ad juſtitiam redeant.

Quia verò nonnunquam contingit ut electi caſu reproborum non ſatis humilientur, nimisque in ſua virtute confidant, dicentes in abundantia ſua, *non movebor in æternum*, permittit Deus interdum illos cadere in aliquod manifeſtum peccatum, non eos in morte peccati derelicturus, ſed clementer cum eis acturus, ut hoc eis ad firmiorem in bono ſtabilitatem, majoremque in poſterum vigilantiam & cautelam, proficiat. Quam verò utilitatem, qualemve firmitatem electi ex permiſſi peccati fœditate ac propriæ debilitatis conſcientia conſequerentur, ſi denuò juſti-

tiſ-

Digitized by Google

tificati rurſus in crimina laberentur, ac per totam vitam à peccato ad juſtitiam, à juſtitia ad peccatum perpetuo circulo tranſirent? Ergo divinæ providentiæ ordo, quo permittuntur interdum juſti à gratia excidere, poſtulat ut donum juſtificationis vulgò ſit ſtabile, hoc eſt, ut non crebrò amittatur, & amiſſum difficilè ac rarò recuperetur.

Jam verò juſtitia, ex parte hominis, in quo reſidet, conſiderata, eſt affectus in corde prædominans, quo Deus & ejus mandata diliguntur ſuper millia auri & argenti, ac præponuntur regnis & ſedibus. At nemo ignorat omnes affectus prædominantes ſolere eſſe conſtantes, ac tantò magis, quantò vehementiores ſunt; v. g. avarum communiter non tranſire ad contemptum divitiarum, nec honoribus inhiantem ad eorumdem fugam. Ergo, à pari, caritas in corde prædominans ſolet eſſe ſtabilis & firma. An etenim amor ſummi boni, omnium amorum jucundiſſimus, minùs roboris haberet ad ea quæ ſibi opponuntur ſuperanda, quàm amor creaturarum aliquo ſemper faſtidio mixtus? Abſit à mente Chriſtianorum ut de caritate tam demiſſè ſentiant! Ut dixit ſponſa virtutem ejus experta, Cant. VIII. 6: *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.*

Fateor equidem regnum caritatis in homine mortali ab innumeris hoſtibus externis internisque, à diabolo, à mundo, à concupiſcentia, jugiter oppugnari; contra verò amorem creaturarum omnibus quæ nos circumſtant, ac congenitâ propenſione, perpetuò nutriri atque accendi. At, præterquàm quòd caritas, hoc ipſo quòd habitualiter in corde regnat, omnibus ipſam oppugnantibus reſiſtere poteſt, ſeparari illa non debet à quotidiano Dei adjutorio, quod juſtis in eum ſperantibus & aſſiduè petentibus non deeſt, illosque adverſùs omnes mundi illecebras ac terrores invictos præſtat, ut teſtatur B. Joannes, 1 Epiſt. IV. 4: *Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis eum* (Antechriſtum), *quoniam major eſt qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* Et Chriſtus ipſe, Joann. XVI. 33: *In mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego vici mundum.* Hinc fit ut juſti, quàmvis, naturâ fragiles & infirmi, gratiæ theſaurum habeant in vaſis fictilibus, non tamen gravibus tentationibus cedant: quæ ſublimitas eſt virtutis Dei potentiam ſuam in infirmitate perficientis.

Fateor etiam non tantam eſſe juſtorum imperfectorum ſtabilitatem, quanta eſt provectorum ac perfectorum. Sicut enim ab amore divitiarum multò difficiliùs avellitur qui eas perditè amat, quàm qui, dominante licet, minore tamen affectu illas proſequitur; ita multò difficiliùs ac rariùs peccato mortifero conſentiet qui valde juſtus eſt, quàm qui debilius. Verbi gr. S. Petrus, abundantiâ Spiritûs ſancti roboratus, multò valentior fuit ad ſuperandas quaſlibet tentationes, quàm olim fuerat, quan-

quando, tametſi juſtus, magiſtrum ad mortem ſequi præ infirmitate nondum poterat. Quamobrem juſti omnes excitari ſatis non poſſunt ad creſcendum in pietate, hoc eſt, amore cœleſtium donorum, & in terrenorum contemptu, ut in caritate divina firmati nullis tentationibus ab ejus integritate avellantur. Attamen, ſervatâ illâ proportione, habet omnis vera pietas ac juſtitia quemdam firmitatis gradum, quo, ſi nondum par eſt ſuperandis magnis difficultatibus, valet ſaltem, fugiendo, quantùm poteſt, occaſiones peccati, ſeipſam ſervare ſine crimine, & rationabile ſine dolo lac concupiſcendo paulatim creſcere in ſalutem.

Adeò certum eſt juſtitiam ac pietatem, cùm ſincera eſt, firmam eſſe ac conſtantem, ut illi ipſi, qui cadendo ſæpiùs & toties confitendo ſalvos fore ſe confidunt, huic veritati naturali quodam inſtinctu ac ſolâ ratione duce, quando non de ſeipſis, ſed de aliis judicandum eſt, ſponte atteſtentur. Ecquis enim illum judicem integrum putat, qui injuſtitiæ, quàmvis raro, conſentit? Quis eum hominem probum exiſtimat, qui quotannis aliquid facit inhoneſtum? Quis eam mulierem caſtam ac fidelem reputat, quæ impudico interdum acquieſcit? Quis ei famulo fidit, quem ſcit, non quidem aſſiduè, ſed tamen aliquando furari? Quis demum eum Chriſtianum verum ac pium æſtimat, qui nonnunquam perjurio, ebrietate, fornicatione, aliove ſimili crimine ſeſe commaculat? Quantùm diſcrimen omnes, vel inviti, ponimus inter virum in via mandatorum Dei ſine offendiculo ambulantem, & hominem in duas partes claudicantem, & nunc peccato, nunc religioni ſervientem! Illum veneramur ut juſtum ac ſanctum: hujus juſtitiam, ut ne quid durius dicam, valde ſuſpectam habemus. Hinc, ſi de aliquo, quem juſtum exiſtiment, narretur peccatum pietati contrarium, vix credere poſſumus; aut ſi res manifeſta ſit, ſuſpicamur illum hypocritam fuiſſe, & pietatem non veram habuiſſe, ſed ſimulaſſe; poſtremò, ſi præcedentem juſtitiam ſuſpectam habere nequimus, humanam deploramus infirmitatem, & divinorum judiciorum altitudinem territi admiramur. Unde iſtud, niſi ex innato veritatis ſenſu nobis dictante juſtitiam eſſe ſtatum conſtantem, & criminibus intercipi non ſolere?

Alterum momentum petitur ex incommodis contrariam opinionem ſubſequentibus. Nam primò, in illa opinione, ſacramentum pœnitentiæ, ſanandis animarum vulneribus adeò ſalubriter à Chriſto inſtitutum, vergeret in dedecus Eccleſiæ, cui non immeritò objiceretur quòd, facilem ſe præbendo peccatoribus identidem in crimina relabentibus, peccandi licentiam eis concederet. Deinde dici vix poteſt quantùm eadem opinio horrorem criminum imminuat. Quotieſcunque enim mortaliter peccare timebit quantùm debet, qui crediderit talem vulgò eſſe conditionem juſtorum in hac vita, ut gratiam multoties & peccando amittant, & pœnitendo recuperent?

3°. Difficile eſt juſtificatios donum magni æſtimari ac ſollicitè cuſto-

todiri ab iis qui illâ opinione ſunt præoccupati. Nemo enim magni facit illud bonum, quod, quantumcunque ſit, non diu poſſidetur, ſed ſæpiſſimè amittitur. Quis regiam dignitatem ardenter ambiret, ſi reges quotannis è ſolio ſuo in tetrum carcerem dejicerentur, ac rurſus ſolio reſtituerentur, nunquam ſtabiliter in eo manſuri? Pariter, quàmvis nihil ſit juſtitiæ comparandum, quâ homo de peccatore filius & amicus Dei, membrum Chriſti, templum Spiritûs ſancti, hæres regni cœlorum efficitur, tot ac tanta bona parvi æſtimentur neceſſe eſt, ſi ſtabilia non ſint, & ſi, qui hodie filius Dei effectus eſt, cras ſervituti diaboli denuò mancipetur.

4°. Scriptura & SS. Patres docent exiguum eſſe, etiam apud Chriſtianos, numerum electorum, raram eſſe veram pœnitentiam, ſinceramque juſtitiam à valde paucis apprehendi. Atqui hæc ſtare nullatenus poſſunt in opinione quam refellimus. Nam plerique Chriſtiani ſic peccant identidem, ut ſaltem in Paſchate crimina ſua confiteantur, & meliùs vivere in poſterum proponant. Equidem aliquantò poſt promiſſorum immemores in priſtina relabuntur, & rurſus eadem deflent ac confitentur; nec concludi ex proximo relapſu poteſt illorum converſionem ſinceram non fuiſſe, ſi ſtabilitas ac perſeverantia in bono non ſit proprius veræ juſtitiæ character. Ergo è contrario dicendum foret pleroſque Chriſtianos eſſe juſtos, ſaltem tempore Paſchatis, veramque pœnitentiam, nedum raram, imò communiſſimam eſſe; quod Scripturæ ſacræ oraculis & SS. Patrum unanimi ſententiæ è diametro repugnat.

Objicies. Refertur ſæpenumerò in libris veteris Teſtamenti Judæos, quando à Deo flagellabantur, ad ipſum rediiſſe ac veniam impetraſſe, ſed paulò poſt Deum oblitos, donec novis flagellis, vel Prophetarum comminationibus, ad agendam de novo pœnitentiam impellerentur. Ergo juſtitia non eſt per ſe ſtabilis nec firma.

Reſpondeo ideò pœnitentiam Judæorum firmam non fuiſſe, quia non erat ſincera nec ſupernaturalis, hoc eſt, quia non amore Dei, ſed metu amittendorum bonorum temporalium, vel cupiditate adipiſcendorum, movebantur ad abjiciendam idololatriam aliave crimina exteriora; ideòque non veram remiſſionem peccatorum, nec internæ juſtificationis donum à Deo conſequebantur, ſed tantùm relaxationem pœnarum temporalium, illis, ſi à criminibus admittendis non deſtitiſſent, impendentium. Hoc David teſtatur Pſalm. 77. v. 34 & ſeq. *Cùm occideret eos*, inquit, *quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Et rememorati ſunt quia Deus adjutor eſt eorum, & Deus excelſus redemptor eorum eſt; & dilexerunt eum in ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.* Probat eos non rectò corde converſos, quia non permanſerunt in fœdere cum Deo inito, nec ſuis ſteterunt promiſſis. *Ipſe autem* (Deus), addit Propheta, *eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſ-*

Digitized by Google

diſperdet eos, ſcilicet morte temporali, quam eorum peccata merebantur.

Nedum ex frequentibus Judæorum relapſibus probari poſſit juſtitiam chriſtianam perpetuæ viciſſitudinis capacem eſſe, Prophetæ & Apoſtoli hoc diſcrimen ſtatuunt vetus teſtamentum inter & novum, quòd illud, ſolo pœnarum metu Judæos exteriùs continens, ſtabile ac firmum non fuerit; hoc verò, caritatem in cordibus diffundendo, Chriſtianos faciat in mandatis Dei conſtanter ac perſeveranter ambulare. *Si illud prius* (teſtamentum) *culpâ vacaſſet*, ait S. Paulus, Hebr. VIII. 7, *non utique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit* (Jeremias, XXXI. 31): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël & ſuper domum Juda teſtamentum novum: non ſecundùm teſtamentum quod feci cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti; quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, ... quia propitius ero iniquitati eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor. Dicendo autem novum, veteravit prius.* Ergo, quemadmodùm veteris teſtamenti proprium fuit, quòd homines diu in illo non permanerent, ſolo pœnarum metu à malo abſterriti; ita gratiæ novi teſtamenti proprium eſt, quòd homines Dei dilectores, eoque firmos ac ſtabiles in bono efficiat.

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

De merito bonorum operum.

Duplex in ſcholis diſtinguitur meriti genus, unum propriè dictum, quod vocant *de condigno*, alterum impropriè dictum, quod dicitur *de congruo*. Primo modo juſti dicuntur bonis operibus in Deo factis mereri vitam æternam atque ipſius gratiæ augmentum: ſecundo modo pœnitentes dicuntur mereri veniam peccatorum, quia divinam miſericordiam condecet pia contriti cordis deſideria, quæ ipſe inſpiravit, clementer exaudire. Verùm, priuſquàm de utroque meriti genere ſigillatim agamus, notandum eſt diſcernendas eſſe opiniones ſcholarum à dogmate catholico, quod mox ex concilio Tridentino exponemus. „ Quæſtio merè ſcholaſtica eſt, inquiunt Wallenburgenſes, tract. 8 *de Meritis*, cap. 3. n. 12, „ an detur meritum de congruo reſpectu impetrandæ „ juſtificationis. Hæc enim non pertinet ad fidem catholicam, quia „ nunquam Eccleſia docuit dari merita, vel de condigno, vel de con„ gruo, quibus perveniatur ad juſtificationem. Quocirca manet ea „ quæſtio inter Doctores ſcholaſticos variè agitata, uti tradit Vega, *de* „ *Juſtific.* lib. 8. cap. 10, Mæratius, tom. 2 tract. de Gratia, diſp. 12. „ ſect. 24. n. 5 &c. Tertia quæſtio merè ſcholaſtica eſt, addunt Illuſtriſſimi auctores ibidem, „ an opera juſtorum ſint verè meritoria ex „ propria & intrinſeca dignitate. Nam uti, relatis multorum Doctorum „ ſcholaſticorum teſtimoniis, tradit Gerhardus, etiamnum in ſcholis „ noſtris diſputatur, ſit ne petenda vera meriti ratio ex ſola operum „ intrinſeca dignitate, an ſimul à pacto, an verò acceptatione divina. „ Idem patet ex omnibus Doctoribus ſcholaſticis, ipſoque Bellarmino, „ lib. 5 de Juſtif. Vasquez in 1. 2. tom. 2. diſp. 214. cap. 1. n. 2.“

Iidem Wallenburgenſes, ibid. cap. 22. n. 88, ſic aiunt: „ De voce „ *condigni* inutilis movetur quæſtio. Neque enim concilium Tridenti„ num definivit eâ voce utendum eſſe. Aliqui ex noſtris cenſent ab„ ſtinendum; alii vocem *digni* amplectuntur.“

CA-

CAPUT PRIMUM.

De merito propriè dicto, quod vocatur à Scholaſticis de condigno.

LUTHERUS & Calvinus, cùm in ipſiſmet juſtificatis nulla, niſi polluta & immunda, opera agnoverint, conſequenter omnem meriti cujuſlibet rationem bonis operibus abjudicaverunt. Attamen Lutherani in Confeſſione Auguſtana, art. 6, & in capite *De bonis operibus*, nec non in apologia illius Confeſſionis, ad articulos 4, 5, 6 & 20, fatentur juſtorum bona opera mereri à Deo mercedem, modò non ſuâ propriâ dignitate, ſed liberâ Dei acceptatione meritoria cenſeantur: qua de re nullam eis litem intentant Catholici. Quàmvis enim in ſcholis meritum illud appellent de condigno, quâ voce utitur etiam Scriptura variis in locis, ultro concedunt hoc vocabulum non pertinere ad fidem, ſed requiri tantummodò ut meritum propriè dictum bonis juſtorum operibus ineſſe credatur; quod profiteri non refugit dicta Confeſſio. Verùm poſteà Lutherani, in libro *Concordiæ*, hunc articulum, in quo à magiſtri ſui doctrina manifeſtè deſciverant, ſuſtulerunt.

De merito juſtificatorum præclarè loquitur ſynodus Tridentina, hinc Lutheranos, illinc Pelagianos damnans, fidemque catholicam in medio conſiſtentem dilucidè explicat, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, cap. 16. „Juſti-
„ ficatis hominibus, inquit, proponenda ſunt Apoſtoli verba: *Abun-* 1 Cor. XV.
„ *date in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in*
„ *Domino.* *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis* Hebr. VI.
„ *dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Et: *Nolite amittere confiden-* Hebr. X.
„ *tiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Atque ideò benè
„ operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt
„ vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Jeſum Chriſtum miſeri-
„ corditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis
„ ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda...... Cum enim ille ipſe
„ Chriſtus Jeſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in pal-
„ mites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona
„ eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine
„ qua nullo pacto Deo grata & meritòria eſſe poſſent, nihil ipſis juſtifi-
„ catis ampliùs deeſſe credendum eſt, quominùs plenè, illis quidem ope-
„ ribus quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatis-
„ feciſſe, & vitam æternam, ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia
„ deceſſerint, conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur...... Ita ne-
„ que propria noſtra juſtitia, tanquam ex nobis propria ſtatuitur, ne-

„ que ignoratur aut repudiatur juſtitia Dei. Quæ enim juſtitia noſtra „ dicitur, quia per eam nobis inhærentem juſtificamur, illa eadem Dei „ eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum. Neque verò „ illud omittendum eſt, quòd, licet bonis operibus in ſacris litteris „ usque adeò tribuatur, ut etiam, qui uni ex minimis ſuis potum „ aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſuâ mercede „ cariturum,..... abſit tamen ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confi- „ dat, vel glorietur, non in Domino, cujus tanta eſt erga omnes ho- „ mines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. „ Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque, ſicut miſericor- „ diam & bonitatem, ita ſeveritatem & judicium ante oculos habere „ debet; neque ſeipſum aliquis, etiamſi nihil ſibi conſcius fuerit, ju- „ dicare, quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinan- „ da & judicanda eſt, ſed Dei, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, „ & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo, „ qui, ſicut ſcriptum eſt, *reddet unicuique ſecundùm opera ſua.*“

Hanc doctrinam ſanxit ac definivit, can. 32, his verbis: „ Si quis „ dixerit hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint „ etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis ope- „ ribus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jeſu Chriſti meritum, cujus vi- „ vum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vi- „ tam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, „ conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.“ Et canon. 24: „ Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari, atque „ etiam augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolum- „ modò & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ „ cauſam, anathema ſit.“ Vide etiam canonem 26.

Jam probavimus adverſùs Pelagianos, & alios qui merita ex libero hominis arbitrio, tanquam ex cauſa primariò determinante, produci ſentiunt, non ſolam meritorum habendorum poſſibilitatem, verùm etiam ipſa merita eſſe dona Dei operantis in nobis velle & perficere pro bona ſua voluntate. Nunc probandum eſt, adverſùs Lutherum & Calvinum, opera bona, quæ juſti, Deo in ipſis operanti cooperando, producunt, eſſe verè meritoria vitæ æternæ & augmenti gratiæ.

Deinde, ad elucidandam materiam meriti, paucis agemus de conditionibus requiſitis, de his quæ cadunt ſub merito, & de menſura ac modo meriti.

Digitized by Google

Articulus Primus.

De exiſtentia meriti in juſtis.

PROPOSITIO.

De fide eſt juſtos, per bona opera quæ in Deo faciunt, mereri vitam æternam, nec non conſervationem atque etiam augmentum gratiæ ſanctificantis.

Probatur hæc catholica veritas primò expreſſis teſtimoniis Scripturæ, quæ 1° nomen meriti bonis operibus attribuit. Eccli. XVI. 15: *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum.* Et Hebr. XIII. 16: *Beneficentiæ & communionis nolite oblviſci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus.*

2°. Illæ actiones ſunt verè meritoriæ, quibus merces retribuitur: meritum enim ac merces ſunt duo correlata, quorum unum ſine alio eſſe nequit. Atqui vita æterna ſæpè dicitur in Scriptura merces bonorum operum. Geneſ. XV. 1, Deus Abrahamo dicit: *Ego...... merces tua magna nimis.* Proverb. XI. 18: *Seminanti juſtitiam merces fidelis.* Sapient. V. 16: *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Eccli. II. 8: *Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra.* Et cap. XVIII. 21: *Ne verearis usque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.*

Pariter in novo Teſtamento mercedis nomen frequens eſt. Matth. V. 12: *Gaudete*, ait Chriſtus, *& exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlo.* Et cap. X. 41: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Et cap. XX. 8: *Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem:* ubi parabolicè vita æterna ſignificatur. 1 Cor. III. 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Et Apocalypſ. cap. ultimo, v. 12: *Ecce venio citò*, inquit Chriſtus, *& merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.* His omnibus in locis bona opera ſpectantur ut vera merita, quibus merces debita rependitur.

3°. Ideò juſtis vitam æternam dari aſſerunt Scripturæ, quia benè operati ſunt & mandata ſervaverunt: quâ ratione loquendi exprimitur bona opera eſſe cauſam, ac proinde meritum, recipiendæ beatitudinis. Matth. XXV.

XXV. 21: *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Et v. 34: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* &c. Apocalypſ. VII. 14: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna...... Ideò ſunt ante thronum Dei.*

4°. Regnum cœlorum vocatur corona juſtitiæ, hoc eſt, per juſtitiam Dei retribuenda bonis operibus. 2 ad Timoth. IV. 7: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita mihi corona juſtitiæ* (ſive debita juſtitiæ, ſive ex juſtitia reddenda; qui duo ſenſus eòdem recidunt), *quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* Non ait Apoſtolus: quam dabit mihi miſericors Pater, ſed *quam reddet mihi juſtus judex*, tanquam legitimo certamini ex juſtitia debitam. Et Hebr. VI. 10: *Non enim*, ait, *injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Ergo Deus foret injuſtus, poſitâ præſertim promiſſione ſuâ, ſi juſtos benè ex dilectione operantes privaret mercede juſtitiæ. Unde ſic poteſt argui: Illud verè meretur vitam æternam, cui vita æterna redditur ex juſtitia. Talia ſunt, ex Apoſtolo, bona juſtorum opera. Ergo verè merentur vitam æternam.

5°. Demum Scriptura expreſſè agnoſcit in juſtis meritum de condigno, cùm eos aſſerit rectè converſando æternâ remuneratione dignos eſſe. Sap. III. 5: *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Lucæ XX. 35: *Illi, qui digni habebuntur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent* &c. Apoc. III. 3: *Non inquinaverunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Quomodò digni ſunt, ſi non verè ac propriè merentur?

Probatur 2° teſtificatione SS. Patrum, eorumque imprimis, qui pro gratia Chriſti adverſùs Pelagianos enixiùs decertarunt.

S. Cyprianus, lib. de *Unit. Eccleſ.* (edit. Oxon. pag. 82): „ Præceptis Dei & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra „ mercedem."

S. Auguſtinus, Tract. 3 in Joann. n. 10: „ Audi, inquit, Apoſto- „ lum jam flagitantem debitum, qui primò indebitam ſuſceperat gra- „ tiam...... *De cætero*, inquit, *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Jam „ debitum flagitat; jam debitum exigit. Nam vide verba ſequentia: „ *quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Ut ante ſuſciperet „ gratiam, miſericordem Patrem opus habebat; ut præmium gratiæ, „ judicem juſtum." Et Serm. 299. n. 5: „ Si ſervas fidem, diligis „ verè ejus manifeſtationem: ſecurus coronam debes expectare juſtitiæ; „ non enim donatur talibus, ſed debetur. Nam & ipſe Apoſtolus Pau- „ lus tanquam debitum flagitat: *quam reddet*, inquit, *mihi Dominus in* „ *illa die juſtus judex.* Reddet, quia juſtus eſt: fecit ſe mihi promiſſio- „ ne debitorem." Et Epiſt. 194, olim. 105, ad Sixtum, cap. 5, dicit

„ vi-

Digitized by Google

„ vitam æternam, quæ in fine ſine fine habebitur, & ideò meritis præ-
„ cedentibus redditur, tamen etiam ipſam gratiam appellari, non ideò
„ quia non meritis datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus
„ datur.“ Unde concludit Apoſtolum, cùm dixiſſet, Rom. VI. 23,
„ *ſtipendium peccati mors*, addere potuiſſe, ſi voluiſſet: ſtipendium au-
„ tem juſtitiæ vita æterna. Et verum eſt, quia ſicut merito pec-
„ cati, tanquam ſtipendium, redditur mors, ita merito juſtitiæ,
„ tanquàm ſtipendium, vita æterna...... Unde etiam & merces appella-
„ tur plurimis ſanctarum Scripturarum locis. Nuſquam porro dicta eſt
„ merces juſtitia vel fides, quia juſtitiæ vel fidei redditur merces. Quod
„ autem merces operanti, hoc militanti ſtipendium.“

S. Proſper, Reſponſ. ad Capitula Gallorum, cap. 6: „ Juſtificatus
„ homo, inquit, id eſt, ex impio juſtus factus, nullo præcedente bono
„ merito, accipit donum, quo dono acquirat & meritum.“ Et in lib.
Sententiarum, ſentent. 16 deſumptâ ex Auguſtino, Serm. 7 in pſalm 118.
n. 1, duas diſtinguit „ retributiones juſtitiæ, cùm aut bona pro bo-
„ nis,“ gloria ſcilicet pro gratia & bonis operibus, „ aut mala reddun-
„ tur pro malis,“ videlicet pœna pro peccatis; eiſque opponit retribu-
tionem gratiæ, „ cùm per regenerationem remittuntur mala & retri-
„ buuntur bona.“ Et Sentent. 28 docet „ beatitudinem ſanctorum
„ & de munere gratiæ eſſe, & de retributione juſtitiæ.“

S. Leo, Serm. 3 de *Collectis*, dicit omnem eleemoſynam, ſeu magnam,
ſeu parvam, mercede ſuâ non carituram, quia „ juſtus eſt judex &
„ verax, qui neminem fraudat mercede meritorum.“

Has SS. Patrum ſententias confirmavit concilium Arauſicanum II,
canone breviſſimo deſumpto ex lib. 1 Op. imperfecti S. Auguſtini,
cap. 133. „ Debetur, inquit can. 18, merces bonis operibus, ſi fiant:
„ ſed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.“ His paucis ver-
bis & Lutheri error præoccupatur, & Pelagii damnatur. Ambo com-
muni principio, nempè gratiam Dei non poſſe eſſe meritum hominis,
in contrarias hæreſes præcipitati ſunt; ille gratiam negando, ut homini
meritum ſervaret; iſte meritum inficiando, ut gratiam retineret. Ec-
cleſia verò Catholica & meritum agnoſcit, & donum Dei eſſe confite-
tur, quia tanta eſt hominis inopia, ut nullum meritum, niſi ex Deo,
habere poſſit; & „ tanta eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita,
„ quæ ſunt ipſius dona,“ ut dicitur in Epiſtola S. Cæleſtini ad Epi-
ſcopos Galliæ, cap. 12.

„ Hoc volunt Catholici, inquiunt Wallenburgenſes, tract. 8 *de
Meritis*, cap. 5. n. 17 & 18, „ merita fidelium naſci ex meritis Chris-
„ ti, quia Chriſtus eſt vinea, nos palmites; & ſicut palmes non poteſt
„ facere fructum, niſi per vineam, & niſi in ea manſerit, ita fideles
„ non poſſe facere ulla bona opera, quæ ſint meritoria vitæ æternæ &
„ digna coronâ juſtitiæ, niſi quia ſunt in communione Chriſti, ex qua

Digitized by Google

„ recipiunt omnem virtutem benè operandi: & quòd hinc omnis laus, „ omnis dignitas, omne meritum bonorum operum in fidelibus procedat ex meritis Chriſti.

„ Ita Bellarminus defendit ſententiam Catholicorum contra argumentum quo objicitur, ſi tribuitur meritum bonis operibus, ſequi quòd merita Chriſti non fuerint ſufficientia: quod tamen non ſequitur. In contrarium enim eſt, quia non poteſt magis commendari ſufficientia meritorum Chriſti, quàm docendo hinc quòd nobis ſit meritus coronam & vitam æternam ſuâ obedientiâ, quæ corona eſt hæreditas Filii dilecti, quam nobis acquiſivit, quia fecit per ſuam obedientiam & interceſſionem ut, quod ſuum eſt, etiam noſtrum ſit; illinc quòd nobis meritus ſit & acquiſiverit ex abundanti, per ſuam mediationem & interceſſionem, gratiam & virtutem, per quam, in communione carnis ſuæ & ſpiritûs ſui, efficimur filii cum ipſo, & capaces producere fructus obedientiæ & juſtitiæ fidei, quibus Pater juſtus judex reddit coronam regni cœleſtis, & tanquam mercedem, & tanquam hæreditatem filiis."

Poſtremò nihil eſt in hoc Catholicorum dogmate quod Lutherum ac Calvinum adeò offendere debuerit. Non enim dicimus bonis juſtorum operibus deberi in rigore, & independenter ab acceptatione ac promiſſione Dei, præmium vitæ æternæ; nec derogamus meritis Chriſti Salvatoris, immò tantam in illis virtutem agnoſcimus, ut in nobis, naturâ filiis iræ, opera verè bona ac meritoria procreare valeant; nec ſentimus gloriam ita deberi juſtis ex divina promiſſione, ut miſericordiâ non indigeant, cùm profiteamur neminem hìc expertem eſſe peccati, ſanctoſque, etiam eminentes, propter ſuos plurimos defectus, in miſericordia & miſerationibus coronatum iri. Sed, Scripturæ ac Traditioni firmiter adhærentes, credimus juſtos, bona opera faciendo, mereri ſalutem æternam, tum propter promiſſiones bonis operibus à Deo factas, tum quia proportio quædam eſt inter opera in caritate & ex caritate facta, & gloriam æternam, quæ in caritatis plenitudine conſiſtit; quemadmodùm inter ſemen & fructum, inter rivum & fontem, inter pignus & rem promiſſam, inter inchoationem & conſummationem. Hinc, 1 Joann. III. 9, gratia dicitur *ſemen Dei.* Pſalm. 125. vers. 5: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Et Galat. VI. 8: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet...... Et qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et 2 Cor. IX. 6: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Joann. IV. 14: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Vocatur etiam gratia *pignus ſpiritûs*, 2 Cor. V. 5, & *primitiæ ſpiritûs*, Rom. VIII. 23.

Et verò ideò imprimis hæretici meritum bonorum operum ſuſtulerunt, quia contendunt opera juſtificatorum, quæ dicuntur bona, non eſſe bona.

Digitized by Google

bona coram Deo, ſed per concupiſcentiam inquinata, polluta ac vera peccata. Atqui hoc refellimus Libro III, ubi oſtendimus concupiſcentiam non influere in omnes actiones juſtorum, ejuſque motus, quando non eis conſentitur, ſed reſiſtitur fortiore robore caritatis, non eſſe peccata.

Hinc ipſimet Proteſtantes tandem coacti ſunt agnoſcere meritum bonorum operum. Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, de dilect. & implet. leg. in Reſp. ad arg. fatetur „ bonis operibus juſtificatorum reddi vi- „ tam æternam.“ Confeſſio Saxonica, art. 10, ſtatuit vitam æternam, „ etſi datur propter Filium Dei renatis, tamen ſimul etiam eſſe merce- „ dem bonorum operum.“ Confeſſio Bohœmica, art. 7, docet „ bona „ opera fieri, ut abundè ſubminiſtretur introitus in æternum regnum, „ atque inde copioſior merces à Deo referatur.“

Nec opponantur hæc verba Chriſti, Luc. XVII. 10: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.* Atqui ſervus inutilis nihil meretur. Ergo juſti, mandata ſervando, non merentur apud Deum.

Reſpondeo nos reverâ ſervos inutiles eſſe; tum quia Deus non eget noſtro obſequio: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, Pſalm. 15. vers. 1; tùm quia nihil boni facimus, quod non multiplici titulo facere teneamur; tum denique quoniam Deus, ſublatâ ſuâ promiſſione, nemini quidquam debet: unde ideò tantum juſtis debitor eſt, quia ſe gratuitâ promiſſione obligavit ac debitorem fecit. Attamen, vi divinæ promiſſionis, juſtus meretur mercedem juſtitiæ repromiſſam, audietque hæc verba juſti judicis: *Euge, ſerve bone & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam*, Match. XXV.

ARTICULUS SECUNDUS.

De conditionibus requiſitis ad meritum propriè dictum.

Hæ conditiones ſe tenent vel ex parte hominis operantis, vel ex parte ipſiusmet actionis, vel ex parte Dei, apud quem meremur.

Ex parte hominis benè operantis requiritur 1° ut ſit in via: nam poſt mortem nulla merita comparari poſſunt. Eccleſ. IX. 10: *Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Et cap. XI. 3: *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Ergo*, concludit Apoſtolus, Galat. VI. 10, *dum tempus habemus, operemur bonum.* Igitur damnati mereri ampliùs non poſſunt, non ſolùm quia mali ſunt, ſed etiam quia ſempiternæ pœnæ addicti ſunt. Sancti quoque non merentur, quia mercedem ac terminum meriti jam attigerunt. Poſtremò animæ in Purgatorio exiſtentes non merentur ſuam liberationem, ſed præcedentibus illorum,

rum, dum hic viverent, meritis redditur, quidquid per vivorum ſuffragia & ſacrificium ſalutare illis impenditur, ut docet S. Auguſtinus, Serm. 172. „ Non ergo, ait, mortuis nova merita comparantur, cùm „ pro eis boni aliquid operantur ſui, ſed eorum præcedentibus conſe- „ quentia iſta redduntur. Non enim actum eſt, niſi cum hic vive- „ rent, ut eos hæc aliquid adjuvarent, cum hic vivere deſtitiſſent. „ Et ideò iſtam finiens quiſque vitam, niſi quod meruit in ipſa, non „ poterit habere poſt ipſam."

Alterum eſt ut, qui meretur, ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Opus namque propriè non meretur, ſed perſona operans. Perſona autem non eſt præmio digna, niſi bona ſit; nec bona eſſe poteſt ſine gratia habituali.

Utuntur vulgò Theologi, ad id probandum, hoc textu, 1 Cor. XIII: *Si linguis hominum loquar & angelorum* &c, *caritatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* Verùm S. Paulus ibi non de caritate habituali, ſed de caritate in univerſum loquitur, ſine qua nihil boni fieri poteſt. Valet tamen probatio, quia, ſi actio hominis bona non eſt, niſi procedat ex caritate actuali, conſequens eſt ut homo ipſe bonus ac merendi capax non ſit, ſi careat caritate habituali.

Prætereà repugnat eumdem hominem mereri ſimul vitam æternam & damnationem æternam. Atqui peccator, antequàm ſit Deo reconciliatus, meretur pœnam æternam. Ergo non poteſt tunc mereri vitam æternam.

Ex parte actionis meritoriæ neceſſe eſt 1° ut ſit libera; deinde ut ſit ex omni parte bona, hoc eſt, ut procedat ex radice caritatis, & fiat propter Deum. Ac de libertate quidem nulla eſt difficultas, Apoſtolo dicente, 1 Cor. IX. 17: *Si volens hoc ago*, hoc eſt, ſi ſponte ac promptâ voluntate Evangelium annuntio, *mercedem accipio.* Alibi explicatum eſt qualis libertas, & quo nomine requiratur ad meritum ac demeritum.

Omnes etiam conſentiunt actionem, ut meritoria ſit, bonam eſſe debere, ut docet idem Apoſtolus, Rom. II. 6 & 7, his verbis: *Reddet unicuique ſecundùm opera ejus; iis qui, ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Sed Vaſquez, Suarez, Illuſtr. Languet Senonenſis &c, contendunt neceſſarium non eſſe ut illa bonitas actionis meritoriæ fluat actu vel virtute à radice caritatis, ſed ſufficere ut oriatur à quacunque alia virtute.

Certum eſt nihilominùs totum meritum actionum noſtrarum primariò ac principaliter repeti ab influxu actuali aut virtuali caritatis, ſine quo nullius eſſent apud Deum meriti. Hoc probant omnia argumenta, quibus Lib. IV probatum eſt nullam actionem eſſe bonam ex omni parte, niſi fiat ex motivo caritatis. Nam, ubi vera & integra bonitas non eſt, nec meritum.

His

Digitized by Google

His adde expreſſa teſtimonia Scripturæ ſacræ, quæ non quomodolibet operantibus, ſed tantùm diligentibus, præmium repromittunt. 1 Cor. II. 9: *Oculus non vidit...... quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* 2 ad Timoth. IV. 8: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex; non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* Jacob. I. 12: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe* Ergo non diligentibus, hoc eſt, ex dilectione non operantibus, nihil repromiſſum eſt.

Idipſum, ut certum & indubitatum, ſæpiſſimè adſtruit Angelicus Doctor. Aſſerit 1° actus cæterarum virtutum, niſi imperentur à caritate, non eſſe meritorios. 1. 2. q. 114. art. 4, in corp. ,, Vita æterna in ,, Dei fruitione conſiſtit. Motus autem humanæ mentis, ad fruitionem ,, divini boni, eſt proprius actus caritatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundùm quòd aliæ virtu- ,, tes imperantur à caritate: & ideò meritum vitæ æternæ primarìò per- ,, tinet ad caritatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quòd ,, earum actus à caritate imperantur. Similiter etiam manifeſtum eſt ,, quòd, id quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus. Un- ,, de etiam, ſecundum quòd ad rationem meriti requiritur quòd ſit vo- ,, luntarium, principaliter meritum caritati attribuitur.“ Duobus momentis hic probat S. Doctor meritum primariò naſci ex caritate. 1°. Quia homo non meretur vitam æternam, niſi tendendo ac movendo ſe ad illam; ſola autem caritas ex ſe tendit ac movetur ad fruendum Deo, in quo vita æterna eſſentialiter conſiſtit; actus verò cæterarum virtutum non per ſe, ſed per caritatem ordinantur in hunc finem. 2°. Quia tantùm homo meretur, quantum voluntariè, ſponte & ex animo operatur: ſic autem operari proprius eſt caritatis effectus. Inde concludit ibidem, ad 3, actum fidei, quæ virtus eſt theologica, actusque aliarum virtutum non eſſe meritorios, niſi procedant ex imperio caritatis. ,, Fidei actus, inquit, non eſt meritorius, niſi fides per dilectio- ,, nem operetur, ut dicitur ad Galat. V. Similiter etiam actus patien- ,, tiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex caritate hæc ,, operetur.“

Aliâ ratione à contrario idem probat, 2. 2. q. 104. art. 3, in corp. ſcilicet quòd, cùm omne demeritum conſiſtat in amore inordinato creaturarum, neceſſe eſt etiam omne meritum ab amore Dei pendere. ,, Si- ,, cut peccatum, ait, conſiſtit in hoc quòd homo, contempto Deo, ,, commutabilibus bonis inhæret, ita meritum virtuoſi actûs conſiſtit è ,, contrario in hoc, quòd homo, contemptis bonis creatis, Deo inhæ- ,, ret ſicut fini.“

Ante ipſum Guillelmus Pariſienſis Doctor egregius, in tract. *de Moribus*, cap. 4, caritatem inducit alias virtutes ſic alloquentem: ,, *Prop* Tom 1 p.203. co. 2

„ ter me gratæ eſtis omnes, & grata omnia opera veſtra: ſine me nihil „ gratiæ habetis in conſpectu Dei. Nec mirum, cum ego gratia ſim, „ ſi meum eſt gratificare vos & opera veſtra...... Quia ergo apud vos „ nihil donationis vel retributionis, ſed apud me ſolam, mihi ſoli de- „ betur donatio & retributio imprimis & per ſe. Si quid autem inde „ vobis provenit, propter me eſt.“

Et certè bonitas & meritum actionis pendet principaliter à motivo propter quod ſuſcipitur, hoc eſt, à relatione ad Deum tanquam finem ultimum, qui proprius eſt actus caritatis. Reverâ ſi homines non remunerant niſi quæ ipſorum cauſâ facta ſunt, æquum eſt ut nec Deus ea remuneret, quæ non propter ipſum & intentione ipſi placendi ſuſcepta ſunt. Hanc autem intentionem non facit niſi caritas.

2°. Aſſerit S. Thomas habitum caritatis non ſufficere ut actio ſit meritoria, ſed requiri inſuper ut caritas actu aut virtute influat in actionem. „ Ad meritum, inquit, non ſufficit omnino habitualis ordinatio „ actûs in Deum, quia ex hoc quod eſt in habitu nemo meretur, ſed „ ex eo quod actu operatur. Nec tamen oportet quòd intentio actualis „ ordinans in finem ultimum ſit ſemper conjuncta cuilibet actioni, quæ „ dirigitur in aliquem finem proximum, ſed ſufficit quòd aliquando ac- „ tualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur,“ nec revocetur illa intentio, in quo propriè conſiſtit relatio virtualis.

Poſtremò aſſerit quantitatem meriti non pendere primariò à majore vel minore difficultate operis, ſed à gradu & fervore caritatis, cui propriè correſpondet præmium eſſentiale. Quæſt. 95. art. 4, in corp. „ Quantitas meriti ex duobus poteſt penſari: uno modo ex radice cari- „ tatis & gratiæ, & talis quantitas meriti reſpondet præmio eſſentiali, „ quod conſiſtit in Dei fruitione; qui enim ex majori caritate aliquid „ facit, perfectiùs Deo fruitur. Alio modo penſari poteſt quantitas „ meriti ex quantitate operis,..... & hæc quantitas meriti reſpondet „ præmio accidentali, quod eſt gaudium de bono creato.“ Porro meritum propriè eſt id cui reſpondet præmium eſſentiale.

Obſervat meritò S. Doctor difficultatem operis duplicem eſſe, unam abſolutam, quæ provenit ex operis magnitudine, ut in martyrio; alteram relativam, quæ non ex operis in ſeipſo conſiderati magnitudine, ſed ex agentis imperfectione provenit; & illâ quidem, quia ſignum eſt majoris caritatis, augeri meritum, hâc verò, quia minorem arguit caritatem, imminui. „ Opus aliquod, inquit, 1. 2. q. 114. art. 4. ad 2, „ poteſt eſſe laborioſum & difficile dupliciter: uno modo ex magnitudine „ operis; & ſic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti...... „ Alio modo ex defectu ipſius operantis; unicuique enim eſt laborio- „ ſum & difficile, quod non promptâ voluntate facit: & talis labor „ diminuit meritum, & à caritate (proficiente) tollitur.“

Hinc non rarò contingit eum plus mereri, qui opus pietatis facit, quàm

Digitized by Google

quàm qui arduum, eoquòd majori, quàm ille, caritatis affectu operetur, ut notat idem Doctor, 2. 2. quæſt. 184. art. 8, in corp. „ Secundum „ caritatem operantis contingit quandoque, ait, quòd opus ex genere „ ſuo minus exiſtens, magis ſit meritorium, ſcilicet ſi ex majore cari„ tate fiat." Quamobrem, quod dicit S. Paulus, 1 Cor. III, unumquemque accepturum *propriam mercedem ſecundùm ſuum laborem*, debet, juxta eumdem, intelligi, ſervatâ proportione caritatis. „ Qui enim ex „ majori caritate laborat, licet minorem laborem patiatur, plus de præ„ mio eſſentiali accipiet;" Lect. 2 in illum locum. Unde obſervat S. Aelredus, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 29 (BB. Patrum Colon. pag. 97), cùm jugum Chriſti ſuave ſit & onus leve, totam boni operis difficultatem non ex caritate, quæ meriti proprium eſt, ſed ex remanente cupiditatis infirmitate, fluere. „ Numquid, ait, hic labor meus de jugo „ Dominico, & non potiùs de morbo proprio? Sentio profectò quid„ quid mihi eſt tranquillitatis, quidquid pacis, quidquid eſt jucundi„ tatis, hoc totum mihi hoc ſuaviſſimum jugum parturire: quidquid „ verò laboris, quidquid fatigationis, quidquid denique gravitatis, ex „ reliquiis primordialis concupiſcentiæ provenire."

Hanc doctrinam ex antiquioribus Patribus hauſerat S. Thomas, qui omnes magnitudinem meriti non ex opere exteriori, ſed ex caritatis intenſione metiuntur.

S. Auguſtinus, lib. 4 *Op. imperfecti*, refellens Julianum probare volentem fuiſſe in Chriſto concupiſcentiam, quia illud ad virtutum ejus meritum conducebat, ſi non ex naturæ conditione, ſed ex voluntatis robore virtutibus ornaretur, nec poſſet nos ad virtutum operationem exemplo ſuo incitare, niſi eoſdem, ac nos, in carne ſua obices offendiſſet, oſtendit eum vehementer errare, virtutiſque meritum non ex difficultate & pugna, ſed ex perfectione caritatis, eſſe repetendum. „ Sic es amator egregius caſtitatis, inquit, cap. 52, ut tibi caſtior vi„ deatur qui concubitus illicitos cupit, ſed, ut non perpetret, ſuæ cu„ piditati reſiſtit, quàm qui talia mala nec ſaltem cupit, non per impoſ„ ſibilitatem carnis, ſed per ſummitatem perfectionemque virtutis...... „ Ita fit ut te illa horribilis ſequatur abſurditas, tantò eſſe quemque vo„ luntate caſtiorem, quantò majorem naturæ ſuæ libidinem vicerit, nec „ in aliquos exceſſus luxuriæ, quàmlibet illa magna ſit, exire permiſe„ rit: qui autem minorem flagitiorum libidinem cohibet, minùs eſſe „ caſtum, quoniam, quem non libet quod non licet, ſecundùm tuam „ ſapientiam, vel potiùs amentiam, omnino nec caſtus eſt. Ecce quod „ Chriſto importare conaris, inſane, ut naturâ fuerit omnium libidino„ ſiſſimus, quia ita poſſit voluntatis virtute omnium eſſe caſtiſſimus." Cur autem minus meretur qui libidinibus reſiſtit, quàm qui nullas habet quibus reſiſtat, niſi quia ille minori caritate adhæret bono, hic longè majori?

S. Leo,

Digitized by Google

S. Leo, Serm. 4 *de Collectis & eleemoſyna*, dicit „ pondera operum „ caritatis lance penſari, &, cum amatur ab homine quod Deus diligit, meritò in ejus aſcendi regnum, in cujus tranſitur affectum.“

S. Gregorius magnus, Hom. 5 in Evangelia, laudans Apoſtolos, qui, Chriſto jubente, omnia ſtatim reliquerunt: „ Fortaſſe, ait, aliquis tacitis ſibi cogitationibus dicat: ad vocem Dominicam uterque iſte piſcator quid aut quantùm dimiſit, qui penè nihil habuit? Sed in hac „ re, fratres cariſſimi, affectum debemus potiùs penſare quàm cenſum...... Cor namque, & non ſubſtantiam, (Dominus) penſat: „ nec perpendit quantùm in ejus ſacrificio, ſed ex quanto (caritatis theſauro & affectu) „ proferatur.“

Nec aliam ſanè ob cauſam nos latet an opera noſtra ſint alicujus apud Deum pretii, & quanti ſint, quàm quòd ignoremus num ſincero caritatis affectu, & quanto, moveamur ad implenda mandata. Nam ſi opus legis exterius conſideremus, omnino certi ſumus nos feciſſe, cùm fecimus. Sed cùm intentionis imum ſcrutamur, ea plerùmque fugit credentes nos amore Dei id feciſſe, quod occulto cupiditatis inſtinctu fecimus, vel timentes ne aliquâ ſuperbiæ tabe inficiatur coram ſummo judice, quod purâ ipſius dilectione præſtitimus.

Non ideò tamen tepeſcere debet bonorum operum ſtudium, quaſi per ſe inutilia ſint. Planè facienda ſunt opera bona, ſimulque enitendum ut ex caritatis radice ſurgant. Sicut enim inaniter confidit in ſuis operibus, qui non ex caritate operatur, ita falſò ſibi de caritate blanditur, qui ſeſe in bonis operibus non exercet. „ Nam ante Dei oculos nunquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bonâ „ voluntate,“ ut ait S. Gregorius, ibidem. Et hom. 30: „ Non ſibi „ aliquis credat, quidquid ſibi animus ſine operis atteſtatione reſponderit. De dilectione conditoris lingua, mens & vita requiratur. „ Nunquam eſt Dei amor otioſus. Operatur enim magna, ſi eſt: ſi „ verò operari renuit, amor non eſt.“

Ex hac SS. Patrum conſtanti doctrina ſic argumentor: Ab illo pendet omne meritum, à quo tota quantitas meriti derivatur. Atqui, ex SS. Patribus, tota quantitas meriti deſumitur ex fervore caritatis, ita ut majus ſit meritum aut minus, pro ut actio, ſeu parva, ſeu magna, ex majore vel minore caritatis influxu procedit. Ergo omne meritum bonarum actionum primariò ac per ſe pendet à caritate: ac proinde nullum opus ſine influxu caritatis eſt meritorium.

Denique ad opus meritorium requiritur ex parte Dei gratuita ipſius promiſſio. „ Benè operantibus usque in finem, & in Deo ſperantibus (verba ſunt concilii Tridentini, ſeſſ. 6. cap. 16) „ proponenda eſt vita „ æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces, ex ipſius Dei promiſſione, bonis „ ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.“ Ubi ſentire videntur Pa-

Patres, inquiunt Wallenburgenſes, tract. 8 *de Meritis*, cap. 12. n. 13, „ vitam æternam, ſecundùm ſe, eſſe gratiam miſericorditer promiſſam, „ & eſſe mercedem ex promiſſione; ac proinde, ex ipſa promiſſione, „ merita, quibus redditur vita æterna, eſſe condigna.“

Igitur ſi gratuita illa promiſſio deeſſet qualibuscunque operibus propter Deum factis, merces in rigore non deberetur, tribus de cauſis: 1°. Quia nihil agere propter Deum poſſumus, quod ei non debeamus multiplici titulo; undejubemur dicere, Luc. XVII: *Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Porro, facienti quod debet, merces in rigore non debetur.

Altera eſt quòd bona opera noſtra nobis ex Deo ſint. Nam *quis prior dedit ei, & retribuetur ei*, inquit S. Paulus, Rom. XI. 35? Et David, 1 Paralip. XXIX. 14: *Domine*, ait, *tua ſunt omnia*, &, *quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Igitur homo ex bonis operibus magis debitor Deo efficitur, quàm Deum habet debitorem. Nemo quippe dando debitor redditur, ſed recipiendo.

3°. Quòd merces, quam in cœlo expectamus, multùm ſuperet valorem operum noſtrorum, Apoſtolo atteſtante, Rom. VIII. 18, quòd *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Adde quòd juſtitia hominis in hac vita nunquam integra ſit, cùm in multis offendamus omnes, &, ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducamus, & veritas in nobis non ſit.

Id etiam SS. Patrum dicta confirmant, contra Vasquezium & quosdam alios recentiores, qui autumant promiſſionem retributionis, vel acceptationem divinam, ad meritum non eſſe neceſſariam.

S. Auguſtinus, Serm. 158, olim 16 *de Verbis Apoſtoli*, cap. 2: „ (Deus), inquit debitor factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, „ ſed quod ei placuit promittendo.“ S. Bernardus, in fine tract. *de Gratia & lib. arbitrio:* „ Dei promiſſum, ſuum (Apoſtolus) appellat „ depoſitum,..... promiſſum quidem ex miſericordia, ſed jam ex juſti„ tia perſolvendum...... Juſtum quippe eſt ut reddat quod debet. De„ bet autem quod pollicitus eſt.“ Et Serm. 1 in feſto Annuntiationis B. M. n. 1 & 2: „ Neceſſe eſt credere quòd vitam æternam nullis „ potes operibus promereri, niſi gratis tibi detur & illa...... Neque „ enim talia ſunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur „ ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Nam, „ ut taceam quòd merita omnia dona Dei ſunt, & ita homo magis prop„ ter ipſa Deo debitor eſt, quàm Deus homini, quid ſunt merita om„ nia ad tantam gloriam?“ S. Thomas, 1. 2. q. 114. art. 1, ait „ me„ ritum hominis apud Deum eſſe non poſſe, niſi ſecundùm præſuppo„ ſitionem divinæ ordinationis.“ Et ad 3 concludit „ Deum non effici „ ſimpliciter debitorem nobis, ſed ſibi ipſi, in quantùm debitum eſt „ ut ſua ordinatio impleatur.“

Quamobrem inter benè & malè facta hoc diſcrimen eſt, quòd malè facta, ex ſeipſis & ante comminationem Dei, mereantur pœnam æternam; at benè facta non habeant ex ſeipſis merendi vim, quæ Deum nobis debitorem efficiat ante ipſius promiſſionem.

Eſt tamen notandum Deum ſummè bonum & ſummè ſapientem non poſſe permittere ut homo, qui ſummum bonum, ad quod poſſidendum creatus eſt, toto corde concupiſcit, & in hoc deſiderio perſeverat, ad ejus fruitionem nunquam perveniat. Debet quippe Deus ſuæ ſapientiæ ac bonitati, etiam ante promiſſionem, creaturam rationalem perſeveranter benè operantem non privare fine ſuo ultimo, qui alius eſſe non poteſt quàm ipſa Dei poſſeſſio: hoc debet, inquam, ſuæ ſapientiæ ac bonitati, non verò creaturæ. At, poſitâ promiſſione, jam non ſibimet ipſi tantùm hoc debet, ſed etiam creaturæ bonum facienti ſeſe quodammodò debitorem facit.

Articulus Tertius.

De his quæ cadunt ſub merito.

Ea cadunt ſub merito, quæ promiſſa ſunt à Deo ut merces juſtitiæ ac bonorum operum: ut enim jam dictum eſt, meritum ac merces ad ſe mutuò referuntur. Quæ verò non dantur ut merces, neque ex juſtitia conceduntur, illa propriè mereri nunquam poſſumus.

Quamobrem 1° juſti merentur vitam æternam, quæ tanquam merces in Scripturis proponitur. Infantibus baptizatis ante uſum rationis decedentibus hæc merces datur propter meritum ipſorum perſonæ, ſicut filiis paterna hæreditas: nam, *ſi filii, & hæredes*, ait Apoſtolus, Rom. VIII. Adultis verò datur inſuper propter meritum bonorum operum.

2°. Juſti merentur per bona opera conſervationem atque etiam augmentum gratiæ ſanctificantis, juxta illud Apocalypſis XXII. 11: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Hoc definit concilium Tridentinum, ſeſſ. 6, can. 24. „ Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa...... non eſſe ipſius augendæ cauſam, anathema ſit." Et probat S. Thomas, 1. 2. q. 114. art. 8, hoc argumento: „ Illud cadit ſub merito condigni, ad quod motio gratiæ ſe extendit: motio autem alicujus moventis non ſolum ſe extendit ad ultimum terminum motûs, ſed etiam ad totum progreſſum in motu: terminus autem motûs gratiæ eſt vita æterna: progreſſus autem in hoc motu eſt ſecundùm augmentum caritatis vel gratiæ...... Sic igitur augmentum gratiæ cadit ſub merito condigni." Non tamen neceſſe eſt ut juſti quovis actu, etiam remiſſo, novum gratiæ ſanctificantis gradum mereantur; ſed ſatis eſt quòd omnibus bonis actibus conſervatio-

tionem juſtitiæ, & aliquibus ejusdem augmentum mereantur, quemadmodùm poſteà explicabitur.

3°. Nullus homo poteſt ſibi ipſi mereri primam gratiam habitualem. Nam principium meriti non obtinetur per meritum. Porro prima gratia habitualis, ſeu prima juſtificatio, eſt principium meriti, nemo quippe, niſi Deo gratus & acceptus, meretur apud Deum, ut mox dicetur. Præterea, quod eſſentialiter gratuitum eſt, nec habet ullo modo rationem mercedis, illud nequit cadere ſub merito. Atqui prima gratia justificans, nempe remiſſio peccatorum, eſt eſſentialiter gratuita, nec poteſt habere ullo modo rationem mercedis propriè dictæ: quemadmodum, in humanis, miles ſtrenuè decertando propoſitum præmium mereri poteſt; at perduellis, quidquid poſteà pro regis ſalute præſtiterit, veniam ſuæ perduellionis nunquam poteſt ut debitum exigere, ſed tantùm ut gratiam ſuppliciter expoſcere. Unde concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 8, docet „ gratis juſtificari ideò nos dici, quia nihil eorum quæ juſti- „ ficationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis „ gratiam promeretur.“

Neque his obſtat quod ait S. Fulgentius, in Reſponſione ad Ferrandum, de baptiſmo Æthiopis, cap. 5, baptiſmum eſſe mercedem fidei & confeſſionis, quia dignus eſt operarius mercede ſuâ. Loquitur enim S. Doctor reſpectu præpoſitorum Eccleſiæ, qui Chriſti lege & ex juſtitia tenentur baptizare catechumenos ritè diſpoſitos; non verò reſpectu Dei, qui nunquam tenetur regenerationis gratiam impertiri.

4°. Multò minus poteſt quis primam gratiam actualem, hoc eſt, fidei initium ſibi mereri. Nam bona opera naſcuntur ex fide, non fidem præcedunt.

5°. Juſti nullis ſuis bonis operibus gratiam actualem, atque imprimis donum perſeverantiæ, mereri poſſunt. Nam, ex S. Auguſtino, myſterium eſt inſcrutabile, cur perſeverantia huic detur, alteri non detur. Non autem foret inſcrutabile, ſi perſeverantia daretur ex meritis. Unde S. Doctor concludit, lib. *de Dono perſev.* cap. 13, „ ſatis dilucidè „ oſtendi, & inchoandi, & usque in finem perſeverandi gratiam Dei „ non ſecundùm merita noſtra dari, ſed dari ſecundùm ipſius ſecretiſſi- „ mam, eamdemque juſtiſſimam, ſapientiſſimam, beneficentiſſimam „ voluntatem.“

Adde ad meritum de condigno requiri pactum & promiſſionem Dei. Porro nullibi Deus promiſit omnibus juſtis donum perſeverantiæ, imò jubet cum metu & tremore ſalutem ſuam operari, & exultare Domino cum tremore, nequando, iraſcente Domino, pereant de via juſta.

Demum, quidquid juſti merentur de condigno, illud infallibiliter conſequuntur, niſi impedimentum ponant peccando mortaliter. Atqui non omnibus juſtis datur perſeverantia usque in finem. Nec dici poteſt ideò non dari, quia peccant mortaliter, cùm in eo conſiſtat donum

perſeverantiæ, ut talia non committantur. Ergo juſti nullis ſuis bonis operibus merentur gratiam perſeverandi usque in finem.

Si autem quæras quomodò fieri poſſit ut homo mereatur quod amplius eſt, nempe vitam æternam, & non mereatur quod minus eſt, ſcilicet perſeverantiam viæ, reſpondet S. Thomas, 1. 2. q. 114. art. 9, in corpore, ideò perſeverantiam non cadere ſub merito, quia ipſa pertinet ad meritum: quemadmodùm, qui movetur verſùs aliquem terminum, meretur ad eum pervenire, ſi tendere non deſtiterit quousque perveniat; at non meretur non deſiſtere à ſuo motu. „ Illud cadit „ ſub merito humano, inquit Angelicus Doctor, quod comparatur ad „ motum liberi arbitrii directi à Deo movente, ſicut terminus; non „ autem id quod comparatur ad prædictum motum, ſicut principium. „ Unde patet quòd perſeverantia gloriæ, quæ eſt terminus prædicti motûs, cadit ſub merito, perſeverantia autem viæ non cadit ſub merito, „ quia dependet ſolùm ex motione divina, quæ eſt principium omnis „ meriti; ſed Deus gratis perſeverantiæ bonum largitur, cuicunque illud „ largitur.“

Hæc ratio S. Doctoris concludit pariter pro quolibet gratiæ actualis adjutorio juſtis conceſſo: tum quia omnis gratia actualis eſt principium meriti, tum quia perſeverantiæ aliqua pars eſt.

His non adverſatur S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalm. 7, n. 10, ubi explicans hæc verba, *juſtum adjutorium meum à Domino*, dicit „duo eſſe „ officia medicinæ, unum quo ſanatur infirmitas, alterum quo ſanitas „ cuſtoditur...... Juxta illud, ibi (Pſalmo 6) dici: *Salvum me fac* „ *propter miſericordiam tuam.* Juxta iſtud hìc dici: *Judica me, Domine*, „ *ſecundùm juſtitiam meam...... Juſtum adjutorium meum à Domino*, „ *qui ſalvos facit rectos corde......* Itaque, addit, ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc juſtificari „ deſiderat...... Hìc autem juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur...... Si enim medicinam exhibet quâ ſanemur infirmi, quantò magis eam quâ cuſtodiamur ſani? Quoniam *ſi, cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, quantò magis nunc juſtificati ſalvi erimus ab ira per ipſum?*“ (Rom. V.) Hic, inquam, textus dictis non adverſatur; non quòd S. Doctor loquatur de augmento gratiæ habitualis, ut nonnulli interpretantur (nam manifeſtè loquitur de gratia actuali, quâ in ſanitate perſeveratur); ſed de ſolo merito congruitatis debet intelligi. Senſus quippe eſt, hominem jam gratis juſtificatum, Deique amicum effectum, multò majori cum fiducia poſtulare & expectare à Deo adjutorium ſibi neceſſarium ad cuſtodiendam ſanitatem, non quòd ipſi debeatur hujusmodi adjutorium, ſed quòd juſto petenti nunquam denegetur; eâque fiduciâ dicere poſſe: *Judica me, Domine, ſecundùm juſtitiam meam:* hoc eſt, adjuva me ac benignè age mecum, non quia iſtud mereor, ſed, quia jam juſtitiæ donum mihi contuliſti, con-

conſerva quod dediſti, &, qui cœpiſti, ipſe perfice usque in diem Chriſti Jeſu. Eo firmiùs id poſco, quòd ſperem à te non deſertum iri jam juſtum & in te confidentem, quem peccatorem & inimicum tantâ miſericordiâ prævenisti. Vide ſupra quid ſentiendum ſit de hac interpretatione verſûs pſalm. 7: *Juſtum adjutorium meum à Domino.*

6°. Nullus poteſt ſibi mereri reparationem poſt lapſum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui. Propoſitio eſt S. Thomæ, ibidem, art. 7. Primò quidem nullus poteſt illud mereri de condigno. Nam gratia actualis, qualis eſt reparatio poſt lapſum, non cadit ſub merito, ut mox dictum eſt. Aliunde omnia juſti merita per ſequens peccatum mortale moriuntur, ac penitus oblivioni traduntur, ut Deus ipſe aſſerit apud Ezechielem, XVIII. 24: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit inquitatem,..... omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* 2°. Non poteſt juſtus eam gratiam mereri etiam de congruo, quia, nedum juſtitia præcedens ſit ratio convertendi peccatorem, è contrario eò indignior eſt miſericordiâ, quòd eam ſponte deſeruerit, & Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus fuerat, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.

7°. Nullus poteſt alteri gratiam quamcunque mereri de condigno: hæc quippe excellentia ſoli Chriſto ſervata eſt, *de cujus plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, ut ait B. Joannes, cap. 1. Hinc ſapientes virgines, fatuis poſtulantibus ut ipſis de oleo ſuo darent, reſponderunt: *ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis;* Matth. XXV. 9. Nimirum gratia Chriſti unicuique datur ad propriam ipſius ſalutem, non ad aliorum ſanctificationem. „ Quàmvis igitur multorum ſanctorum in conſpectu Domini „ pretioſa mors fuerit, inquit S. Leo, Epiſt. 97, cap. 2, nullius tamen inſontis occiſio redemptio fuit mundi. Acceperunt juſti, non „ dedere coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patien- „ tiæ, non dona juſtitiæ."

Attamen Deus ſæpè exaudit juſtos ſuos deprecantes pro ſalute quorumdam peccatorum, quos ab æterno decrevit per piorum gemitus ad juſtitiam adducere. Sic S. Monica Auguſtini filii ſui converſionem aſſiduis precibus ac lacrymis tandem impetravit: immò nulla gratia datur à Deo, quæ non columbæ, hoc eſt, Eccleſiæ gemitibus concedatur. Sed quia Deus nullâ lege ſeſe obſtrinxit ad exaudiendum pro aliorum ſalute juſtorum preces, idcirco, quicunque per orationes Eccleſiæ convertuntur, non ex juſtitia ipſi redduntur, ſed miſericorditer donantur.

8°. Bona temporalia non cadunt ſub merito. Non enim idcirco gratia juſtis datur, ut per eam temporalia conſequantur, ſed ut æterna: immo, nedum tranſitoria commoda juſtis repromiſſa ſint, jubentur potiùs eis affectu ſaltem renuntiare, & *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*, ut teſtantur Barnabas & Paulus, Act. XIV. 21.

 Hinc

Digitized by Google

Hinc, Hebr. IX. 11, Chriſtus, ex quo omnia juſtorum merita derivantur, appellatur *Pontifex*, non præſentium, ſed *futurorum bonorum*, & gratiam Chriſtus ipſe definit, Joann. IV, fontem aquæ ſalientis in vitam æternam.

Articulus Quartus.

De menſura ac modo meriti.

Mox diximus quantitatem meriti deſumi ex quantitate caritatis, hoc eſt, opus pietatis tantò magis meritorium eſſe, quantò fit ex majori caritate. Nunc quærunt Theologi, & quidem ſatis prolixè, an quilibet actus caritatis, etiam remiſſus, mereatur & certâ lege conſequatur augmentum gratiæ habitualis. Hanc quæſtionem paucis tractabimus.

Obſervandum eſt actus caritatis, qui à juſtis eliciuntur, vel eſſe debiliores habitu præexiſtente, vel ei æquales, vel intenſiores. Quàmvis enim habitus caritatis ut quatuor, ſecundùm ſe conſideratus, non poſſit producere actum intenſum ut ſex, nihilominùs, qui habet talem habitum, poteſt per gratiam actualem producere actus ferventiores.

Hoc poſito, plurimæ ſunt in ſcholis opiniones.

Prima eſt Gabrielis & aliorum Nominalium, in 1 Sent. diſt. 17. q. 4, qui ſentiunt quolibet actu caritatis, quàmvis remiſſo, ſtatim augeri habitum gratiæ & caritatis, ſecundùm totam latitudinem actûs. Sed hæc ſententia nullam habet probabilitatem. Sequeretur enim juſtum, qui multos actus remiſſos elicuit, habere majorem habitum caritatis, quàm martyrem mox converſum, qui paucos actus intenſos produxit. Experientia quoque repugnat. Nam certum eſt caritatem, nedum augeatur, paulatim refrigeſcere in eis qui remiſſè ac languidè operantur.

Secunda ſententia eſt Scoti, in 4. diſt. 22. q. unicâ, & Richardi de Mediavilla, in 2. diſt. 16, qui exiſtimant cuilibet actui, quàmvis remiſſo, reſpondere majorem gloriam, non tamen dari majorem caritatem, niſi homo ſe diſponat per actus ferventiores. Hæc opinio id habet abſurdi, quòd tollat proportionem quæ neceſſariò reperitur inter caritatem viæ & caritatem patriæ.

Tertia ſententia eſt plerorumque Thomiſtarum, qui autumant ſingulos actus remiſſos mereri augmentum gratiæ, ſed non recipiendum niſi in inſtanti mortis; tunc enim juſtos elicere actum ferventiſſimum caritatis, qui æquipolleat omnibus collectivè actibus remiſſis in hac vita elicitis, & ſtatim gratiæ habitum in eis augeri, & conſequi gradum gloriæ ſibi proportionatum. Verùm hæc conjectura omni fundamento planè deſtituitur, admittitque poſt hanc vitam actum meritorium gratiæ & gloriæ, quem accuratior Theologia non admittit.

Quamobrem alii Thomiſtæ, repudiato hoc ſomnio, putant actus remiſſos non conſequi augmentum gratiæ, niſi quando homo per actum vehe-

Digitized by Google

vehementiorem ſeſe diſponit. Addunt actus æquales habitui mereri ac ſtatim certâ lege conſequi augmentum habitûs; &, quoniam determinare aliter non poſſunt quantùm gratia habitualis hoc in caſu augeatur, vulgò ſentiunt illam tunc augeri ſecundum totam latitudinem actûs eliciti, hoc eſt, fieri duplam. Sed nullâ firmâ ratione probari hoc poteſt, imò ratio naturalis & experientia videntur repugnare. Nam ſicut habitus gratiæ primum producitur ſecundum actualem diſpoſitionem ſubjecti, ita ejus augmentum actuali diſpoſitioni proportionari debet. Porro, per actum intenſum ut ſex, homo non diſponitur ad conſequendum augmentum habitûs ut duodecim. Prætereà inde ſequeretur, è duobus juſtis æqualem gratiæ gradum habentibus, eum, qui tres quatuorve actus habitui caritatis æquales eliceret, magis proficere in gratia, quàm qui unum actum valde intenſum elicit; quod magnum eſt incommodum.

Hinc Bannez in 2. 2 q. 24 art. 6, cenſet habitum gratiæ non augeri niſi per actus intenſiores ipſo habitu, nec creſcere ſecundum totam latitudinem actuum, ſed tantum ſecundùm exceſſum intenſionis actûs.

Ut autem in re ſatis obſcura dicam quod ad eam elucidandam inſervire poſſe exiſtimo, obſervandum eſt definitum eſſe quidem à concilio Tridentino juſtificatos per bona opera mereri vitam æternam, atque etiam ejus augmentum, ſed nequaquam definitum eſſe juſtos per ſingula bona opera novum gloriæ gradum promereri. Hoc unum quippe Patribus propoſitum fuit, ut errorem Lutheri prorſus negantis meritum bonorum operum condemnarent, intactis Scholaſticorum opinionibus. Porro vitatur error Lutheri, ſi credatur juſtos benè operando mereri vitam æternam, quàmvis non mereantur ſingulis actibus novum augmentum gratiæ & gloriæ, ſed tantum illis actibus qui fervore ſuo tali augmento ſunt proportionati.

Hoc præmiſſo, mentem meam ſequentibus propoſitionibus exponam.

1°. Omnia juſtorum bona opera, etiam remiſſa, merentur gradum gloriæ, nec non conſervationem in gratia habituali ſibi proportionatam. Habet enim unumquodque omnes conditiones ad meritum requiſitas & ſuperiùs explicatas.

2°. Actus remiſſi per ſe non merentur novum gradum gratiæ & gloriæ eſſentialis, ſed gradum ſibi correſpondentem novo titulo merentur. Nam merces debet eſſe merito proportionata. Non eſt autem proportio inter actum caritatis remiſſum & gradum multò majorem gratiæ & gloriæ. Prætereà ſi actus remiſſus mereretur ex ſe augmentum gratiæ, ſtatim illud conſequeretur. Hoc enim diſtat gloriam inter & gratiam, quòd gloria poſt hanc vitam retribuenda differatur, gratia verò non differatur, ſed juſto ad eam ſeſe diſponenti confeſtim augeatur. Atqui ferè omnes Theologi fatentur caritatem non augeri ſtatim ac fit actus remiſſus. Ergo hujuſmodi actus non meretur per ſe augmentum gratiæ, ac proinde nec gloriæ; ſed tantùm diſponit voluntatem habilioremque reddit

Digitized by Google

dit ad producendum actus vehementiores, ex quibus caritatis augmentum conſequatur. Hoc ſibi vult S. Thomas, 2. 2. q. 24. art. 6, in corp. cùm dicit: „ Non quolibet actu caritatis caritas augetur; ſed „ quilibet actus caritatis diſponit ad caritatis augmentum, in quantùm „ per unum actum caritatis homo redditur promptior ad agendum iterum „ ſecundùm caritatem, &, habilitate creſcente, prorumpit in actum „ ferventiorem dilectionis, quo conatur ad caritatis profectum, & tunc „ caritas augetur in actu.“

Neque neceſſe eſt ut cuilibet actui meritorio diſtinctum præmium correſpondeat, ſed ſufficit quòd unum atque idem præmium novo titulo acquiratur. Enimverò Chriſtus per actus ſubſequentes verè meruit, & tamen non meruit aliquid novum, quod anteà non meruiſſet per primum actum. Ergo, à pari, omnibus actibus caritatis, etiam remiſſis, verum meritum ineſſe poteſt, quàmvis eis non reſpondeat novus gradus gloriæ eſſentialis, ſed idem pluribus titulis. Nec dicas idcò Chriſtum actibus ſequentibus non meruiſſe aliquid novi, quia primus ejus actus fuit valoris infiniti, adeòque hoc exemplum non eſſe ad rem. Nam inde tantùm probatur juſtum remiſſè operantem longè aliâ, quàm Chriſtum, ratione diſtinctum præmium non mereri, quia ſcilicet ejus actio non habet ſatis fervoris, ut novus gratiæ & gloriæ gradus ei debeatur. At nihilominùs exemplum Chriſti demonſtrat ibi eſſe poſſe verum meritum, ubi eadem merces diſtinctis actibus comparatur, quacunque ex cauſa hoc accidat.

3°. Omne opus ex caritate, quàmvis remiſſa, factum meretur præmium accidentale ſibi proportionatum, videlicet gaudium de ipſa bona operatione. Ita ſentiunt omnes Theologi, & probatur ex eoquòd ſancti in cœlo gratias Deo acturi ſunt pro omnibus in ſe collatis gratiæ auxiliis, ac de illis in Domino gloriabuntur.

4°. Valde probabile eſt habitum caritatis non augeri per actus ipſi æquales, ſed tantùm per intenſiores. Hæc videtur eſſe ſententia D. Thomæ, 2. 2. q. 24. art. 6, in corp. ubi dicit „ tunc caritatem augeri, quando homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo „ conatur ad caritatis profectum.“ Et rurſus, in 2 Sentent. diſt. 27. q. 1. art. 5, ad 2: „ Non oportet quòd quilibet actus meritorius augmentum gratiæ conſequatur; quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu conſequitur augmentum habitûs.“ Ratio potiſſima eſt, quòd Deus eumdem ordinem ſervare ſoleat in ſupernaturalibus ac in naturalibus. Unde, cùm habitus & qualitates naturales non augeantur niſi per intenſos actus, valde credibile eſt habitus ſupernaturales eâdem proportione augeri atque intendi. Reverâ omnes fatentur gratiam primò infundi ſecundùm actualem ſubjecti diſpoſitionem. Ergo ſimiliter augetur comparatè ad majorem diſpoſitionem ſubjecti, ſive, quod idem eſt, comparatè ad fervorem actuum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

De merito quod vocant congruitatis.

Meritum congruitatis à Theologis attribuitur illis operibus vel orationibus, quibus etſi nihil ex pacto vel juſtitia debetur, congruit tamen divinæ miſericordiæ ea non diſplicere. Hoc modo dici poteſt homo pœnitens mereri remiſſionem peccatorum, non quia illâ dignus eſt, ſed quia bonitate Dei dignum eſt cor contritum & humiliatum non aſpernari, ac priora dona ſua novis cumulare. Hoc etiam modo juſtus, qui perſeverantiæ donum aliaque gratiæ auxilia ſibi neceſſaria humiliter expoſcit, ea mereri interdum dicitur, ut docet S. Auguſtinus, lib. *de Dono perſever.* cap. 6. n. 10. „ Hoc Dei donum, inquit, hoc eſt, perſeverantia usque in finem „ ſuppliciter emereri poteſt.“

De hoc merito impropriè dicto nihil habet Tridentina ſynodus, ſed ait tantùm, ſeſſ. 6. cap. 7, donum juſtificationis nobis infundi *ſecundùm propriam cujusque diſpoſitionem & cooperationem.* Hinc Dominicus Soto, lib. 2 *de Natura & gratia*, cap. 4, aliique nonnulli Theologi, omnino illud reſpuunt, eoquòd omne meritum ſupponat mercedem ad quam referatur. Verùm ea ratio non ſufficit ad rejiciendam vocem dudum in ſcholis receptam, & à S. Auguſtino aliisque Patribus olim adhibitam. Non enim omni merito præmium correſpondet, ſed tantùm merito propriè dicto. Poteſt ergo retineri hoc nomen, modò addatur, *de congruo*, aut aliud id genus, ad cavendam æquivocationem vitandumque omne errroris periculum.

In peccatoribus, ſive benè operentur, ſive orent, nullum eſſe poteſt meritum de condigno, propter indignitatem perſonæ gehennam adhuc merentis, ſed tantùm meritum congruitatis, fundatum hinc in miſericordia divina, illinc in operum, quæ, Deo excitante & adjuvante, faciunt, bonitate.

In juſtis verò, cùm bonis operibus & orationi invigilant, utrumque meriti genus reperitur. Nam & benè operando merentur de condigno vitam æternam, ut dictum eſt, & piè ac fideliter orando merentur de congruo gratiæ auxilia, quibus ad perſeverandum indigent. Immò illorum orationibus duplex iſtud meritum ineſt. Si enim eas conſideres ut opus quoddam pietatis, verè ac propriè merentur gloriam æternam. Si verò illas compares cum gratiæ auxiliis, cujus deſiderio apud Patrem miſericordiarum funduntur, de congruo tantùm meritoriæ ſunt, in quantùm divinæ benignitati valde conſentaneum eſt ſanctorum ſuorum preces audire, ac poſtulatis annuere.

Digitized by Google

Quæres forſitan quam ob cauſam juſti, petendo, quærendo ac pulſando, gratiæ auxilia non verè mereantur, maximè cùm Deus non minùs abſolutè præſidium ſuum orantibus promiſerit, quàm operantibus vitam æternam? In promptu eſt reſponſio. Quod oranti promittitur, gratia eſt, ideò poſtulanda, quia indebita: quod autem operanti, merces operis eſt à juſto judice exigenda. Ei enim qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum: ei verò qui non operatur, ſed ſuppliciter poſtulat, quidquid conceditur, non debitum redditur, ſed miſericorditer donatur.

C O N C L U S I O.

Hæc igitur ſit nobis omnium ſtudiorum meta, hic fructus, ut gratiæ divinæ opem, quâ ſolâ mereri apud Deum poſſumus, planè neceſſariam ad ſingulos actus, & propriâ vi effectricem, & omnino gratuitam atque indebitam, promiſſam tamen orationi, quæ & ipſa gratiæ efficacis donum eſt, inſtantiſſimè, fidentiſſimè, humillimè poſtulemus per Jeſum Chriſtum, in quo uno ſalus perditis eſſe poteſt, & cujus nomen quiſquis piè ac perſeveranter invocaverit, ſalvus erit. Ejus auxilio firmiter innixi ac fideliter collaborantes merita nobis bonorum operum comparemus, atque imprimis, memores non eſſe fructum bonum, qui de caritatis radice non ſurgit, Deum ſummè bonum toto cordis affectu diligamus, qui nos, cum impii & inimici eſſemus, ſic prior dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret, & pro nobis omnibus morti traderet, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam; qui, nullis noſtris meritis, nec abſolutè, nec conditionatè prævisis, elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate; qui beneficentiſſimâ voluntate eripuit nos de poteſtate tenebrarum, cui tam originali, quàm propriis peccatis eramus obnoxii, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ; qui demum, quod gratis inc œpit, miſericorditer perficiet, confirmabit, ſolidabitque usque in diem Chriſti Jeſu. De comparatis meritis (ſi aliqua habemus) non gloriemur, ſed ei, cujus dona ſunt, perennes gratiarum actiones & habeamus & agamus, ne ſuperbis auferatur quod humilibus conceſſum eſt.

Si quid enim rectè gerimus, Domine, auxiliante
Te, gerimus: tu corda moves, tu vota petentis.
Quæ dare vis, tribuis, ſervans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

S. Proſper in fine Carminis *de Ingratis.*

F I N I S *Libri Sexti & ultimi.*

INDEX

INDEX

CAPITUM AC TITULORUM

LIBRI SEXTI.

LIBER SEXTUS. *De juſtificatione & merito.* Pag. 897.

DISSERTATIO PRIMA. *De juſtitia, ſeu de juſtificatione.* 898.

CAPUT PRIMUM. *Quid ſit juſtificatio, & in quo formaliter conſiſtat.* 900.

Refellitur error Novatorum. 901.

PRIMA PROPOSITIO. *Non minùs abſurda eſt, quàm impia, Oſiandri opinio, hominem formaliter juſtificari per eſſentialem juſtitiam Dei.* 903.

SECUNDA PROPOSITIO. *In juſtificatione impii peccata non teguntur tantummodò, ſed verè delentur ac tolluntur.* 904.

TERTIA PROPOSITIO. *Juſtificatio non conſiſtit formaliter in ſola remiſſione peccatorum, ſed includit eſſentialiter internam hominis renovationem, eâque conſtituitur.* 908.

QUARTA PROPOSITIO. *Juſtificatio non conſiſtit formaliter in imputatione juſtitiæ Chriſti, ſed in juſtitia intrinſeca & inhærente.* 910.

Expenduntur variæ opiniones Theologorum ſupra expoſitæ. 914.

PRIMA PROPOSITIO. *Sententia Magiſtro attributa, nimirum gratiam ſanctificantem eſſe formaliter Spiritum ſanctum, rejicienda eſt tanquam error: attamen rectè dicitur homo juſtificari efficienter per Spiritum ſanctum in corde inhabitantem, illudque præſentiâ ſuâ & intimâ ac jugi operatione vivificantem.* ibid.

SECUNDA PROPOSITIO. *Gratia ſanctificans, quâ formaliter juſtificamur, non diſtinguitur realiter à caritate habituali & infuſa, neque tantùm voce tenus, ſed virtualiter.* 918.

CAPUT SECUNDUM. *An & quæ diſpoſitiones in adultis requirantur ad gratiam juſtificationis recipiendam.* 920.

ARTICULUS PRIMUS. *De fide juſtificante.* 922.

§. I. *Refellitur error Lutheri & Calvini de fide ſpeciali.* 923.

§. II. *Quid præciſè intelligendum ſit nomine fidei, ex qua homo vivere, juſtificari & cuncta impetrare in Scriptura aſſeritur.* 929.

ARTICULUS SECUNDUS. *An amor caritatis in corde prædominans requiratur, tanquam diſpoſitio abſolutè neceſſaria, ad juſtificationem in ſacramento baptiſmi vel pœnitentiæ recipiendam.* 935.

Prima Propositio. *Timor gehennæ per ſe bonus eſt, utilis, ac multis nominibus commendandus.* Pag. 938.
Secunda Propositio. *Attritio ex ſolo metu gehennæ concepta non ſufficit ad juſtificationem in ſacramento pœnitentiæ recipiendam.* 943.
Tertia Propositio. *Dilectio Dei actualis eſt diſpoſitio abſolutè neceſſaria in adultis ad juſtificationem recipiendam, ſive in uſu ſacramentorum, ſive extra.* 944.
Quarta Propositio. *Amor Dei requiſitus ad juſtificationem eſt amor caritatis, quâ Deus diligitur propter ſe, tanquam finis ultimus; nec ſufficit amor concupiſcentiæ, ſive ſpei, à caritate diſtinctus.* 954.
Quinta Propositio. *Caritas ad recipiendam abſolutionem neceſſaria debet eſſe ſuper omnia, & in corde prædominari.* 957.
Solvuntur objectiones. 960.
Caput Tertium. *An juſtificatio peccatoris, juxta ordinarium gratiæ curſum, ſoleat fieri facilè & quaſi in inſtanti.* 970.
Propositio. *Ordinariè loquendo, converſio peccatorum, præſertim ſi habitus peccandi acceſſerit, valde difficilis eſt, nec perficitur niſi per longam temporis moram.* 971.
Caput Quartum. *De proprietatibus & caracteribus juſtificationis.* 982.
Articulus Primus. *De imperfectione juſtitiæ in hac vita; an ſcilicet quiſquam hominum vivat ſine peccato.* 983.
Propositio. *Exceptâ B. Virgine Deiparâ, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam mentionem haberi volumus, nullus hominum eſt, aut fuit, aut futurus eſt in hac vita, ſine ullo prorſus peccato, etiam veniali.* 985.
Solvuntur objectiones Pelagianorum. 992.
Articulus Secundus. *De amiſſibilitate juſtitiæ.* 994.
Prima Propositio. *Juſtitia poteſt amitti, ac reipſâ amittitur per peccatum grave.* 996.
Secunda Propositio. *Omnino falſum & erroneum eſt, juſtum, qui aliquod capitale peccatum, v. g. fornicationem, ex metu gravi vel ex paſſione vehementi admittit, ac citò reſipiſcit, non peccare mortaliter, nec gratiam juſtificantem amittere.* 1006.
Tertia Propositio. *Juſtitia in adultis, ordinariè loquendo, quamdam habet ſtabilitatem, nec ſolet alternis peccati mortalis vicibus interrumpi.* 1011.
Dissertatio Secunda. *De merito bonorum operum.* 1028.
Caput Primum. *De merito propriè dicto, quod vocatur à Scholaſticis de* condigno. 1029.
Articulus Primus. *De exiſtentia meriti in juſtis.* 1031.
Propositio. *De fide eſt juſtos, per bona opera quæ in Deo faciunt, mereri vitam æternam, nec non conſervationem atque etiam augmentum gratiæ ſanctificantis.* ibid.
Articulus Secundus. *De conditionibus requiſitis ad meritum propriè dictum.* 1035.

Ar-

Digitized by Google

Articulus Tertius. *De his quæ cadunt ſub merito.* Pag. 1042.
Articulus Quartus. *De menſura ac modo meriti.* 1046.
Caput Secundum. *De merito quod vocant* congruitatis. 1049.
Conclusio. 1050.

FINIS Indicis Libri Sexti & ultimi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005648146

Digitized by Google